JOANNIS DUNS SCOTI

DOCTORIS SUBTILIS, ORDINIS MINORUM

OPERA OMNIA.

JOANNIS DUNS SCOTI

DOCTORIS SUBTILIS, ORDINIS MINORUM

OPERA OMNIA

EDITIO NOVA

JUXTA EDITIONEM WADDINGI XII TOMOS CONTINENTEM A PATRIBUS FRANCISCANIS
DE OBSERVANTIA ACCURATE RECOGNITA

TOMUS QUINTUS

Theoremata
Collationes
Tractatus imperfectus de cognitione Dei
Quæstiones Miscellaneæ de Formalitatibus
Metaphysicæ textualis libri I, II, III, IV

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

MDCCCXCI

R. P. F. JOANNIS
DUNS SCOTI

DOCTORIS SUBTILIS, ORDINIS MINORUM,

THEOREMATA SUBTILISSIMA

AD OMNES SCIENTIAS SPECULATIVAS, PHYSICAM ET THEOLOGIAM MAXIME NECESSARIA.

CUM ANNOTATIONIBUS F. MAURITII DE PORTU, EJUS QUONDAM INTERPRETIS FIDELISSIMI.

ADJECTIS SCHOLIIS ET NOTIS R. P. F. HUGONIS CAVELLI, IN CONVENTU S. MARIÆ DE ARACŒLI IN URBE, S. THEOLOGIÆ PRIMARII PROFESSORIS.

R. P. F. LUCÆ WADDINGI CENSURA.

Nulli dubium opusculum hoc Scoti esse; ingenium quippe ejus sapit, et ab Henrico Willoto, ab Antonio Possevino, et Joanne Pitsæo inter Scotica recensetur. In variis Codicibus MSS. varia est dispositio Theorematum, uti in suis etiam præfationibus monent Mauritius et Cavellus, qui copiosissimos adjunxerunt Commentarios.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Tractatus sequens utilissimus est, maxime ad omnes speculativas scientias acquirendas : continet enim celeberrimas regulas, maximas, seu principia, quæ ad quamcumque speculativam materiam examinandam, ejusque veritatem indagandam maximopere deserviunt, quibus ideo Doctor passim in suis scriptis explicite, implicite utitur, velut speculativa pharetra ad evincendam occurrentium quæstionum veritatem. Faciunt non solum ad Metaphysicam, sed etiam ad Physicam et Theologiam, sub ratione tamen Metaphysica magis a Doctore traduntur. Theoremate 14, Theologicas

propositiones ponit, et quidem insigniores ex quatuor libris Sententiarum, de quibus Metaphysice et Physice disputat, hoc tantum concludens, quod ratione naturali non demonstrantur, rigide sumendo demonstrationem, aut potius in plerisque nihil concludit, sed sententiam aliorum, fundamentis ipsorum innixam, proponit, ut cum negat demonstrari Deum esse vivum, volentem, intelligentem, etc. aut forte unum, vel efficiens primum et similia, quæ habet Theoremate 16. *quorum opposita, provectior factus in Theologia, omnium subtilissime probavit, de quo in Schol. ad* 14. *et* 16. *Theorema, notabo.*

Scripsit ista post tractatum de primo Principio, ut ibi ipse testatur, cap. 4. *num.* 37. *optima sane methodo. Postquam enim in illo Tractatu vere aureo, altissima speculatione, exaltans se supra se, quantum lumine naturæ, vel humano ingenio fieri potuit, de natura primi entis, ejusque perfectionibus, maximis, ac principiis circa illud observandis disputavit; hunc adjunxit tractatum, universalia principia, et maximas, ad quaslibet fere materias applicabiles, complectentem quæ a speculativis Philosophis et Theologis, eo loco haberi debent, quo apud Legistas et Canonistas regulæ Juris, et apud Mathematicos Euclidis elementa. Perlege Lector, et experieris verum esse quod affirmo, asseresque Scoti ingenium, etsi de suo subtilissimum, ista tamen minime præstare potuisse, nisi divinæ sapientiæ lumine illustratum, et peculiari adjutorio elevatum. Non mireris si quædam repetat, et ordinem tractandorum quandoque mutet : in repetitione aliquid de novo addit, nec de ordine multum curavit, quem etiam ab aliis post ipsum mutatum esse, verisimilius est, ut sit, doctrinam suspicimus, non ordinem. Dubius est Mauritius de ordine quorumdam Theorematum, et quo numero notanda sint ; nos ea numerabimus ut notantur in margine, et ubi annotatio Mauritii aliter numerat, vel disjunctive ponit, numerationi nostræ accommodabimus. Quod hæc scripserit Doctor ante Metaphysicam, colligi videtur ex dictis in præfatione ad quæstiones Metaphysicas, sed dubium me facit, quod Theoremate* 19. *num.* 1. *Metaphysicam suam citet, etsi cum Mauritio dicas, id esse additionem ; alius idem dicet de citatione horum, non ita expressa, quam in Metaphysica habes, ex qua colligis ista fuisse priora. Dubius ergo in hoc manere volo, nisi certius aliquid occurrat.*

THEOREMA PRIMUM.

SCHOLIUM.

Ratio hujus Theorematis est clara, quia intellectio creata est effectus objecti intelligibilis, ex Doctore 1. dist. 3. quæst. 7. et sic præsupponit illud, natura saltem, quod sufficit ; intellectio autem increata præsupponit objectum, ut motivum et terminativum. Sermo est de intelligibili motivo, et primario. Pro cujus regulæ intellectione, instantiæ quas facit Mauritius, et earum solutiones, plurimum faciunt et optimam continent doctrinam.

Intellectionem intelligibile natura præcedit : Quod est :

Quoniam passio præsupponit agens, et omnis actio circa aliquid est, illud circa quod est intellectio, alterum est.

PRÆFATIO MAURITII.

1 *Tertio principaliter circa dicta Doctoris in Theorematibus, atque castigationes illius tractatus, uti in præcedentibus negociatum est, nunc prosequamur. Est in primis ille tractatus valde singularis et ingeniosus, rarus, et obscurus plerumque, ac multipliciter dicta ibidem interpretari possunt. Fundamenta etiam plura præsupponit, et Philosophorum et Theologorum, plurima quoque paucis verbis comprehendit, nescio breviter quò spiritu, nisi sapientiæ divinæ hujuscemodi spectamina adinvenit. Textus insuper valde intricatus erat, tum ratione ordinis propositionum ; tum quotationum perplexitate, et numerorum ac remissionum ; tum diuturnitate temporis et scriptorum vitio, atque originalium hactenus raritate. Itaque nedum mihi, imo ipsimet auctori ad plenum hujus tractatus depuratio difficilis certe nunc esset, ut potuimus tamen cuncta disposuimus, et nunc magis declarabimus, et juxta textum prolixius solito, instabimus : propositiones tamen ipsæ et sententiæ principales, satis clare habentur. Difficultas fere tota est, et in ordine earum, et in applicatione quotationum, et allegationum, ac verificatione earum, ut in sequentibus suis in locis tangam. Posset præsens tractatus dividi in tres partes principales, secundum quod materiam trium facultatum continet, videlicet Theologiæ, Metaphysicæ et Physicæ. Omnia tamen, ut finaliter videtur, ad speculationem metaphysicalem reduci possunt pluribusque aliis subdivisionibus, quas in locis suis tangam, possent partes et particulæ, dividi. Totus etiam tractatus in tot conclusiones, seu particulas partiri poterit, ut notabo.*

Mirabili spiritu adinventa hæc Theoremata a Doctore.

Divisio tractatus in tres partes.

Ad rem igitur accedo. Et quia sermo debet esse maximus in principio, sententia Platonis, ut recitat Averroes 3. de Anima, commento 4. *ideo primo a tractatus nominis interpretatione inchoabo. Superius ergo inchoando,* Θεὸς *Græce, Latine dicitur Deus, vel timor, qui convenit colentibus Deum. Inde* thus, *quia in sacrificio Deorum adoletur. Inde etiam* Θεότης, *id est, Deitas, et* θεωρεῖν, *id est, videre. Unde Damascenus* lib. 1. cap. 12. Secundum nomen vero Θεὸς, id est, Deus, dicitur : vel ab eo, quod est θεῖν, id est, currere, vel disponere universa : vel ab αἴθειν, id est, urere : Deus enim ignis est consumens omnem malitiam : vel a θεάω, id est, a considerando omnia, nulla enim eum latent, imo omnium est contemplator. Consideravit enim omnia ante generationem eorum intemporanee, sine tempore excogitans. *Ideo, ut inquit iste,* 2. dist. 1. quæst. 2. *secundum omnem interpretationem Damasceni Deus est actu operans,* θεωρεῖν *etiam est cogitare divina : unde* theoria, *vel* theorica *dicitur scientia, quæ tractat de invisibilibus : inde* theoricus, *id est, speculativus, vel contemplativus : a* θεωρέω, *etiam theatrum, id est, spectaculum venit, et* theoria, *id est, diligens perscrutatio. Venit etiam ad propositum a* θεωρέω, *hoc* theorema, tis, *elegans, et diligens verborum præscriptio, vel regula; unde regulæ Geometricæ dicuntur Theoremata, teste Boetio de disciplina scholastica, cap. 4. ubi enarrando loca Academiæ, et auctores, atque facultates, quondam Athenis, dicit, hic vigent Euclidis Theoremata, quasi apertiones, quia aperiunt, et illuminant mentem lectoris : idem et* theorisma *unde prima principia appellantur regulæ æternæ, ut exponit iste,* 3. dist. 1. quæst. 4. *dicuntur etiam spectamina, ut habet Augustinus* 2. Soliloquiorum, *quasi spectacula, et communes animi conceptiones, ut loquitur Boetius* de Hebdomadibus.

2\. Unde dicitur *Deus ?*

Has etymologias expenderit lector.

Deus, actu operans. Quid theoria, seu theorica ?

Theorema *Unde dictum ?* Theatrum unde dictum. Prima principia dicuntur regulæ.

3. Quare hic tractatus vocatur Theoremata. *Ad propositum ergo Doctor appellavit hunc tractatum, Theoremata, eo quia regulas evidentissimas, seu speculativas potius, atque contemplativas hic tradidit, ut in pluribus, maxime secundum communiter loquentes, interdum limitando aliquas, atque corrigendo, seu totaliter excludendo. Communiter vero eas exponit modo suo, nam textum et commentum facit ad modum Procli vel David Judæi, qui auctor de Causis nominatur; ideo posuimus differentiam in littera grossa, videlicet pro textu, et subtilem pro commento, licet ad plenum non observabatur, ut infra in locis suis notabo seriatim. His etiam maximis utitur in scriptis suis plerumque, saltem implicite. Nonnulli quoque antiquorum scripsere Theoremata ad diversas materias in speciali, ut Ægidius Romanus in materia Sacramenti Eucharistiæ. Ista vero generalia dicta sunt, atque elementa, et maxime in speculatione metaphysicali, naturali, et Theologica, ut prius dictum est. His ergo de tractatus nomine prælibatis, ad litteram Doctoris et corrigendam, et aliqualiter declarandam, defendendam, atque conformandam, accedo. Paucis tamen et brevibus, lectorem solummodo ad altiora inquirenda excitando, ut in præcedentibus feci.*

Theorematibus his velut maximis utitur Scotus in suis scriptis.

ANNOTATIONES MAURITII.

4. Primum Theorema, vel prima propositio seu conclusio est talis : *Intellectionem intelligibile*, etc. superius enim inchoavit juxta ea quæ notavit super 1. Metaphysic. quæst. 2. in quodam notabili in principio solutionis, quod *Extra*, assignavimus, ubi investigat modum inquirendi veritatem et cognitionem rerum, et unde incipere debemus. Cum ergo quidquid scimus, et intelligimus intellectione formaliter, et objecto seu intelligibili, effective vel terminative saltem intelligamus, congruum erat videre primo, qualiter se habent ad invicem ipsa intellectio et intelligibile, deinde qualiter intelligibilia inter se. Primum tangit in duabus primis propositionibus. Secundum incipit propositione tertia, ibi, *Universale primo*, etc. Dicit ergo primo, quod intelligibile præcedit intellectionem natura. Non dicit duratione vel tempore, propter intellectum divinum, et Angelicum, et humanum aliquando, si ponatur intuitive intelligere et simul tempore aliqua intelligibilia, ut se, vel actus suos, vel sensibilia primo producta, ut 45. *dist.* 4. *et* 3. *distinct.* 1. et alibi plerumque in doctrina hujus potest videri : saltem de quocumque intellectu est verum, quod intelligibile natura præcedit ejus intellectionem. Et hoc non solum verum est de potentia intelligibili, sed de actu intelligibili.

Intelligimus intellectione formaliter, objecto effective.

5. *Quo intelligibile præcedit intellectionem.*

Deinde exponit se ibi : *Quod est : quoniam passio præsupponit agens*, etc. quæ expositio est obscurior fere textu, et continet multa in sententia, licet verba sint pauca, et posset formari ratio sic : Quidquid est posterius natura uno eorum, quæ sunt simul natura, est sic posterius reliquo : sed intellectio est posterior intelligente, vel intellectivo, quod simul natura est cum intelligibili ; ergo est posterior natura intelligibili. Quamvis verba formalia Doctoris non sint ista, tamen argumentum istud satis probat ejus intentum. Dicit ergo quod passio præsupponit agens, et similiter actio passum circa quod est : intellectio autem est circa intelligibile, quod est alterum vel ad alterum, secundum aliam litteram.

6. *Intellectio est passio quia non actio, 1. d. 5. q. 6. ad 4.*

Aliter tamen ad mentem Doctoris arguitur, præsupponendo primo, quod intellectio possit dici actio, et passio, ut pertractat iste 13. et 15. *quæst. Quodlibeti*, *et* 3. *distinct.* 1. *quæst. finali*, *et* 13. *distinct.* 4. Præsupponendo etiam quod objectum saltem motivum, sit causa efficiens partia-

Intellectio potest dici actio, et passio.

lis intellectionis, ut 3. *distinctione* 1. *quæstione* 7. *et alibi* sæpe habet. Tunc sic : intellectio si est passio, præsupponit intelligibile, tanquam agens et causam ejus : et si est actio, præsupponit intelligibile, tanquam circa quod habet esse, et ad quod terminatur ; ergo omni modo accipiendo intellectionem, ipsam natura intelligibile præcedit. Hoc argumentum fidem facit.

7. Circa hoc Theorema et commentum ejus, ut clarius intelligantur, instatur primo in divinis, cum ibi negetur communiter prioritas essentiæ divinæ et intellectionis ejus, cum sint penitus idem identitate simplicitatis, falsa ergo est propositio ibi. Item, illa sunt simul natura, quæ sunt in eodem instanti naturæ ; sed omnia ad intra in divinis ponuntur in eodem instanti naturæ, in doctrina hujus, ut 1. *quæst.* 1. *distinct.* 2. habet, *et* 14. *quæst. Quodlibeti* aliqualiter. Item, intellectio divina non includit imperfectionem, cum sit infinita intensive : sed omne posterius alio natura includit imperfectionem ; ergo intellectio divina, non est natura posterior intelligibili. Patet consequentia cum majori. Minor est istius in Quodlibeto *quæst.* 4. *artic.* 1. *ad finem.* Item, generaliter videtur propositio falsa, quia correlativa sunt simul natura : intellectio et intelligibile sunt hujusmodi, ergo, etc. Major et minor sunt Aristotelis. Minor etiam est hujus, in Quodlibeto, *quæst.* 13. et alibi. Item, illud intelligibile non præcedit natura intellectionem, quod per intellectionem producitur in *esse*, ut simpliciter, vel secundum quid ; sed multa sunt hujusmodi intelligibilia, ut patet de creaturis omnibus respectu intellectionis divinæ, et de actibus intelligendi, et secundis intentionibus, respectu cujuscumque intellectus. Item, nihil videtur actu intelligibile (loquendo de materialibus, et respectu intellectus viatoris) nisi per actum intellectus, de ordine in ordinem transferentis ; falsum ergo est, quod actu saltem intelligibile, natura præcedit, sicut exposuisti.

Item, contra dicta in commento propositionis arguitur primo, cum dicit, quod passio præsupponit agens. Probo quod non sic : Quod non præsupponitur ab uno eorum, quæ sunt simul natura, nec ab altero (loquendo de ordine naturæ), sed passum quod est posterius, vel simul natura cum passione, non præsupponit agens, sed est simul natura cum eo ; ergo, etc. Vel sic : Quod est prius altero eorum, quæ sunt simul natura, non præsupponit reliquum : sed passio est prior passo, sicut causa formalis effectu tali ; passum autem est simul natura cum agente ; ergo passio non est posterior agente, nec præsupponit ipsum. Item, cum dicit quod *omnis actio circa aliquid est*, videtur falsum de actione creativa, quæ nihil præsupponit. Et si dicas, quod intelligitur terminative, instantia est de actione annihilativa. Item, quæro quid velit inferre ex his, nisi ponat intellectionem esse passionem, vel actionem. Si passionem, contra, tunc non erit in divinis. Item, erit respectus, et non perfectio absoluta seu qualitas, quod communiter videtur negandum. Si autem ponit ipsam esse actionem, ut verba videntur exprimere, et objectum esse passum, contra : tum, quia ut prius, erit respectus : tum quia objectum est movens non motum 3. *de Anima*, *text. comm.* 54. Tum etiam, quia non videtur deductio ad propositum, sic, cum dicit *passio præsupponit agens*, imo potius ad oppositum, nisi intelligeret intellectionem esse passionem. Item, cum dicit, quod *illud circa quod est intellectio, est alterum*, contra, in divinis ubi non est talis alietas. Item, multi volunt quod actus rectus et reflexus sunt idem, quo posito, falsa est propositio. Si vero ponatur alia littera, scilicet, *ad alterum*, adhuc videtur falsa plerumque.

Ad istas instantias respondeo. Ad primum, quod in divinis secundum veritatem est ordo naturæ, et per consequens prioritas talis. Nec obstat simplicitas divina et identitas realis, quia cum vera identitate tali stat pluralitas rationum formalium, na- 9. *In divinis est prioritas naturæ.*

turaliter ordinatarum, ut in plerisque locis habet iste; communiter igitur negantes specialiter negantur. Ad aliud dico, quod instantia illa naturæ, de quibus loquitur Doctor 1. *quæst.* 2. habent latitudinem, ita quod in uno eorum assignatur ordo multiplex naturæ, ut ibidem tangit expresse; stant igitur simultas et posterioritas diversimode. Ad aliud, nego minorem. Ad probationem dico, quod loquitur ibi Doctor de ordine naturæ, et essentiali naturarum, et essentiarum diversarum, non autem de ordine naturæ naturalium perfectionum ejusdem naturæ, qualis est in divinis. Ad aliud, quod procedit de relativis mutuis primi, et secundi modorum, non autem de illis tertii modi. Vel negatur minor, loquendo de per se relativis. Vel aliter, quod non *intellectio*, sed *intellectivum* est ejus correlativum. Vide in Quodlibeto quæst. 13. Ad aliud, quod intelligitur propositio de intelligibili motivo et primario, ut sequens propositio declarat. Vel aliter, quod creaturæ præcedunt virtualiter, et relucent in memoria, ante intellectionem earum in intelligentia, ut 10. *distinct.* 1. habet, et quod secundæ intentiones alio actu producuntur, et alio intelliguntur, ut in difficultatibus ad hoc motis super quæstiones hujus in Porphyrium diffuse tractavi. Ad aliud, data veritate assumpti, dico quod ille actus, quo fit actu intelligibile de potentia intelligibili, non est intellectio, sed est actus intellectus agentis abstrahentis, vel speciem causantis : unde actus intellectus præscindit ab *intelligere*, et *dicere*.

Esse posterius natura, non dicit imperfectionem. Intellectio, et intelligibile, an correlativa.

An creaturæ sint in memoria, vel in intelligentia Dei : vide Scotum 2. d. 1. q. et. ibi Barg. et Lichetum.

Actus intellectus agentis non est dicere, nec intelligere

Ad aliud, quod agens et passum possunt accipi pro formali, et sic procedit argumentum, vel pro substrato, et sic loquitur Doctor; passio enim, sive absoluta, sive respectiva, præsupponit absolutum agentis. Similiter actio, absolutum passi, ut 30. 35. et 43. *dist. primi*, *et* 1. *dist.* 2. *quæst.* 2. habet iste.

10. *Actio creativa aliquid præsupponit.*

Ad aliud, posset negari quod actio creativa nihil præsupponit, simpliciter loquendo, imo duplex *esse* rei creabilis præsupponit, scilicet cognitum et possibile, *ut in* 2. *ubi supra*, habet Doctor; vel si contendas, quod nihil reale præsupponit, posset dici uno modo, quod intelligitur propositio terminative. Et tunc instantia de annihilatione, non procedit, quia *annihilare* non est agere, sed negatio vel privatio actionis, ut 1. *dist.* 2. *et* 1. *quæst.* 4. 12. *quæst. Quodlibeti* habet iste. Sed dices, quod tunc non est ad propositum, quia terminus non præsupponitur. Hoc negari potest, loquendo de absoluto in termino, et respectu actionis, quia absolutum in effectu prius est respectu in ipso et in causa : sed quia intelligibile non est terminus intellectionis, sed potius intellectum, potest aliter dici, quod universaliter est verum omnem actionem, sive immanentem, sive transeuntem, esse circa aliquid, aut objective, aut subjective præsuppositum. Quomodo autem, et quare intellectio dicitur actio et passio, cum verius sit operatio, vide ubi supra in primo, et quodlibeto.

Annihilatio non est agere.

Omnis actio, etiam immanens est circa aliquid præsuppositum.

Ad aliud, patet supra, quomodo intelligit ipsam intellectionem esse passionem et actionem diversimode, et connotative atque metaphorice. Et cum infertur, quod tunc non esset in divinis, vide 35. *dist. pri. in Reportatis* egregie ad hæc. Intellectio enim divina non recipitur, nec efficitur, nec producitur, nec elicitur, proprie loquendo, sed est operatio emanans ; penuria vero nominum, et metaphorice utimur modo dicendi circa creaturas, in divinis; verius namque intelliguntur quam exprimuntur, et verius sunt, quam intelligantur a nobis Dei invisibilia arcana.

Intellectio in Deo non est passio, nec actio

Cum iterum infertur, quod tunc esset respectus. Nego formaliter, sed bene concomitanter. Quære in quodlibeto *quæst.* 13. fundamenta subtilissima ad hæc omnia, et quot, et quales respectus, et ad quæ includit intellectio.

Quod additur ex 3. de Anima, qualiter objectum est movens, non motum, quære singularissime 3. *dist. primi*, *quæst.* 8. *solvendo principale*, *et* 3. *dist.* 2. *quæst.* 8.

11. *Quos respectus includit intellectio quodlib.* 13

solvendo 3. instantiam in solutione, et in quodlibeto, ubi supra, et in quæst. lib. de Anima, expositionem illius propositionis. Sed ad propositum, concedo quod intelligibile dicitur passum, vel materiale metaphorice; proprie vero motivum et effectivum, et hoc loquendo de primario, vel motivo, ut prius.

Ad aliam probationem ibi, qualiter intelligit intellectionem esse passionem, et qualiter deductio est ad propositum, jam dictum est.

Objectum est effectivum. Ad aliud, dico, quod sufficit alietas ex natura rei, vel formalis, ad verificandum dictum Doctoris, qualis est in divinis, maxime respectu objecti primarii.

Quomodo intellectio est ad alterum. Ad aliud de actu recto et reflexo, dico quod alia via est securior in creaturis, scilicet quod sunt diversi actus. Quære Ocham et Franciscum, et alios sequaces hujus. Sed qui vellet tenere illam viam, posset dicere quod argumentum procedit de objecto secundario et terminativo tantum. Ad ultimam instantiam, si illa littera placuerit, dico quod omne intelligibile est ad alterum, relatione reali, vel rationis, et hoc sufficit. Alia tamen littera scilicet *alterum* absque *ad*, magis placet. Plura alia addat ingeniosus lector, ad hæc.

THEOREMA II.

SCHOLIUM.

Hoc Theorema patet evidenter ex primo, ut ait Doctor, quia si intelligibile primum est prius intellectione, non potest per eam accipere *esse*. Secundaria tamen intelligibilia, seu *esse* diminutum creaturarum, intellectione creantur, non sumendo *creationem* pro positione rei in vera existentia, sed in *esse* secundum quid, de quo vide Doctorem 2. *dist.* 1. *quæst.* 1. *art.* 2. et alias passim.

Primum intelligibile intellectione creari impossibile.

Quod ex prima patet, comparando intellectionem, et intelligibile ad eumdem intellectum.

ANNOTATIONES MAURITII.

Sequitur secunda conclusio. *Primum intelligibile*, etc. quæ satis clara est ex dictis, ut inquit Doctor in commento : sunt enim ut catena quædam, istæ propositiones, ut plurimum. Et potest verificari hæc propositio de triplici primitate, scilicet originis, adæquationis, et perfectionis. Et notanter dicit *primum*, ad differentiam secundarii, quod intellectione potest causari, ut patet de ipsa intellectione, quæ potest esse *quo* et *quod*. Excludit etiam instantiam, exponendo propositionem, cum dicit comparando intellectionem, et intelligibile ad eumdem intellectum, quia, ut supra notavi, intellectus divinus producit omnia in *esse* cognito, actu intelligentiæ : et ita quod est primum intelligibile naturaliter, simpliciter, respectu intellectus creati, producitur intellectione Dei, quæ est mensura rerum. 12. *Metaphysicæ*, et hoc debet intelligi de primo, primitate originis, non perfectionis, nec adæquationis, ut patet speculanti. Posset etiam ponderari illud quod notavi super quæstionem 4. hujus in Porphyrium, de intellectione universalis hic, et plura alia, ad quæ advertat lector. Ex evidentia etiam hujus Theorematis, patet falsitas imaginationis Thomistarum de primo cognito, quod assignant magis universale, quod ex fundamentis opinionis eorum, non habet aliquod esse reale, sed tantum per intellectum ; ergo primum intelligibile secundum eos causabitur intellectione ejusdem intelligibilitatis, quod est oppositum veritatis hujus conclusionis, et per consequens hæresis metaphysicalis.

Intellectus Dei omnia necessaria alia a se producit in esse cognito actu intelligentiæ.

THEOREMA III.

SCHOLIUM I.

Assertionem hujus Theorematis fuse tradit 1. dist. 3. quæst. 2. num. 21. ubi tribus rationibus probat ultimam speciem esse pri-

mum cognitum : idem probat sex rationibus quæst. 16. de Anima, ubi in Commentario refutavi solutiones adversariorum ad eas, de quo etiam agit 1. Metaph. quæst. 10. Hîc tantum comparat universale ad singulare tantum, non autem universale ad magis universale ; et ostendit contra adversarium, quem nomine *loquentis*, intelligit, sive dicamus singulare imprimere propriam speciem, sive non, naturam a singularitate distinctam, prius intelligi, quia perfectior est, et consequenter prius imprimit sui speciem. An vero singulare habeat pro nunc propriam speciem, necne, verius est quod non, de quo egi in Comment. conclusione 5. ad quæst. 22. de Anima ; littera hîc obscura est, pro cujus explicatione, vide Mauritii annotationem.

1. *Universale primo intelligimus.*

Quod ex signo patet. Prius enim puer concipit hominem, quam hunc hominem ; prius enim patrem suum distinguit a non homine, quam a non Socrate, cum omnem hominem vocat patrem, et nullum aliud, alium. Sed hanc propositionem famosam apud Philosophos negat loquens, asserens primo concipi singulare, a quo species intelligibilis primo genita est ; nihil autem agit, nisi inquantum singulare ; igitur nec gignit, et species sic ostendit objectum, sicut ab ipso gignitur. Cum de puero objicitur, respondet quod hunc hominem primo concipit, sed homine certior est distinctio, quia minus aliis assimilatur, quam hic homo, illi.

Opinio Nominalium quam sequitur Ocham.

Quare puer vocat quemlibet hominem patrem ?

Quomodo itaque intelligitur universale ? Respondeo, relinquendo quod singulare est in primo objecto, et naturam intelligendo ; nam objectum compositum potest intellectus sua virtute distinguere, partem concipiendo ut objectum, et partem negligendo. Itaque intellectus agens non facit universale, quia circa objectum actu intellectum, nihil operatur, sed tantum circa intelligibile in potentia, et ejus operatio terminatur ad intelligibile in actu, quod adhuc est singulare.

Intellectus agens non facit universale.

Sed ulterius intellectus possibilis distinguendo in consideratione, partem conceptus a parte, facit universale. Quare ergo de singularibus non sunt proprie scientiæ, quæ tamen cum sint infinita jubet Plato relinquere? Quomodo etiam habens speciem trianguli, per illam non errat in describendo hunc triangulum rectum, cum tamen artifex non cognoscendo in particulari, facile errat in faciendo? Hujus enim non habet speciem antequam ipsum describat, quia unde esset illa genita? Sic ædificator de singulari domo ædificanda propriam artem haberet, quam non posset acquirere, nisi domo prius facta, nec domus fieri, nisi præesset ars.

Ars non cognoscendo in particulari facile errat.

Quod arguit loquens : singulare agit, sed non inquantum singulare, natura enim est ratio agendi ; et sicut in actione reali, productum non assimilatur producenti, secundum singularitatem producentis, sed secundum naturam, quæ fuit ratio producendi, ita in gignitione ista, species est similitudo naturæ non singularitatis, quæ non fuit ratio gignendi, licet necessaria sit ad gignitionem. Aut enim impossibile est singularitatem esse rationem agendi, et impossibile erit speciem propriam esse singularitatis, sicut et effectum realem similem singulari, inquantum singulare est : aut non necesse est sin-

2. *Singularitas non est ratio agendi, sed natura*

Scot. 3. d. 3. q. 6. ad 1.

An singularitas repræsentetur per propriam speciem.

gularitatem specie ostendi, quia nec esse rationem formalem gignitionis cujuscumque, et tunc sensus non cognosceret per se singulare ; aut non gignitionis, quæ fit in intellectu, quæ principaliter fit ab intellectu agente, aut saltem in illo lumine singularitas non potest se multiplicare ; natura potest, quia est perfectior ratio agendi, aut si non propter lumen, quia majus lumen sufficit ad gignitionem a debiliori sibi proportionato, saltem intellectum possibilem singularitas non potest, natura potest ; aut tandem (quod ad propositum sufficit) si singularitas est entitas aliqua, et ideo possibile est, quod sit ratio agendi, sive producendi propriam similitudinem, et si possibile ; igitur et necesse, quia natura non est libera, prius natura ipsa erit ratio gignendi ; igitur species ejus prius imprimetur, et ita stat conclusio principalis contra loquentem.

Species naturæ prius imprimitur.

3. *Perfectior cognitio naturæ singularis, quam naturæ tantum.*

Hujus disjunctivæ, duæ primæ partes non placent, nec aliquod membrum sub secunda parte, quia quodlibet attribuit perfectioni intellectus in cognoscendo, et imperfectionem singularitatis in cognoscibilitate, quod non credo verum esse, sed ex imperfectione intellectus, etsi enim comparando præcise sit natura perfectius cognoscibile singularitate, tamen perfectior est cognitio naturæ singularis quam naturæ tantum, quia distinctior. Sicut autem intellectus componens potest cognoscere principium, et ex imperfectione sua, et conclusionis non potest conclusionem remotam, cujus minor est cognoscibilitas, tamen perfectius esset si utrumque posset ; sic hîc propter defectum possibilis, quoniam non est passive dispositus, non potest immutari, nisi a forti objecto.

Intellectus quomodo dispositus ad omnia?

Contra : est summe dispositum ad omnia. Item, quanto inferius passivum, tanto sufficit debilius agens. Ad primum, summe, per carentiam contrarii, non per inclinationem naturalem. Ad secundum, verum accipitur, quando passiva duo ordinantur ad tales duos actus, inferius ad inferiorem, superius ad superiorem, aliter est falsum. Aliquid enim potest movere substantiam compositam localiter, quod non potest movere materiam primam ad formam substantialem. Similiter ad eumdem actum passivum superius, ita quod dispositius potest debilius agens movere : sic hîc.

SCHOLIUM II.

Alii duo modi dicendi. Primus, ob defectum luminis in intellectu agente singulare non posse agere sui speciem in possibili, naturam sic, quia est perfectior. Secundus, ob imperfectionem intellectus possibilis, speciem singularis in eo receptam, non efficere intellectionem : utrumque exemplo declarat, satis apto. Instat dupliciter ad primum. Nota tunc totum prius confuse intelligi, quando ejus confusio non est conjuncta distinctioni oppositæ, nempe singularitati ; sic totum integrale et essentiale, prius intelligitur confuse quam distincte, de quo vide Doctorem locis citatis, ubi maxime illa quæst. 2. num. 21. bene explicat, quid est distincta, et quid confusa cognitio, et num. 25. quod magis universalia prius dictincte, minus vero confuse cognoscantur. De puero illo, vide eum quæst. citata de Anima.

4. *Unde singulare non gignit speciem?* Aliter potest poni, propter defectum luminis intellectus agentis. Natura, quæ cognoscibilior est, potest in ipso agere, et intellectum possibilem immutare; non autem hoc potest singulare, quod est minus cognoscibile, posset tamen, si esset lumen fortius; quemadmodum debile coloratum in lumine candelæ non videretur, in quo tamen videretur fortius coloratum, debile vero in majori lumine videretur. Aut potest poni defectus hic, non ex parte luminis, inquantum requiritur ad actionem objecti, sed inquantum requiritur ad actionem, sive ad intellectionem intellectus possibilis, ut videlicet species singularis infiat impossibili. Sed ille non percipit propter defectum sui luminis, quemadmodum species decimæ millesimæ partis milii infit oculo, sed objectum non percipitur propter defectum luminis in potentia, et sic posset poni, quod semper fit eadem species singularis naturæ; sed ostendit huic intellectui naturam, non singularitatem propter defectum virtutis cognoscitivæ, quæ potest dici lumen intellectus uno modo.

Contra, sicut in parte milii confusum præcognoscitur, et pars non distinguitur, quare hoc totum non intelligitur primo, scilicet natura singularis, sed separatim natura? Respondeo, ubi confusio totius essentialis, vel integralis non conjungitur distinctioni oppositæ confusioni totius universalis, ibi confusum prius intelligitur, sicut a remotis album visum non cognoscitur album, sed coloratum, quia virtus non concipit, nisi confusum confusione universali, non essentiali, quia illud est distinctum; omnis igitur simplex apprehensio primo est confusi universalis, sicut in sensu, ita in intellectu, licet distinctiva quædam prius sit confusi essentialis. *Omnis simplex apprehensio primo est confusi.*

5. Contra: igitur visus prius apprehenderet qualitatem quam colorem, vel ens quam colorem. Respondeo, nulla potentia excedit objectum suum primum; nec igitur visus coloratum; sed si visus haberet ens pro objecto, prius apprehenderet ens quam qualitatem illam, et illam quam colorem.

Si intellectus possibilis facit universale ad quid necessarius agens, intellige si ille potest unum sine alio concipere. Quod autem ait loquens ad instantiam de puero, numquid propriam vocem novit? si inquantum hoc intelligo; igitur distincte a non hoc. Quod addit, quomodo universale intelligitur? ut quid necessarius est intellectus agens? intellectus enim possibilis potest de se hoc concipere, alio non concepto; imo hoc est ex defectu suo, si propter intellectionem singularis est necessarius, illa sequitur intellectionem universalis, ita quod species prius est in possibili.

Si dicas nullam speciem intelligibilem gigni sine eo. Item, si universale abstrahitur a singulari intellecto; aut idem a diversis, et tunc crescit notitia universalis in infinitum intensive; aut a primo tantum, et quare non similiter a secundo? cum in illo similiter includatur; aut aliud a diversis, et tunc multa universalia, idem universale. Item, quid iste dicet intellectum differre a sensu, qui quodammodo est universalis, licet primo singularis? Si ideo, quia

proprius sensus est rei, ut existentis, a quo abstrahit intellectus, ita et phantasia. Si quia sensus est conjunctorum cum sensibili proprio, non est etiam hoc, nisi sensibilium communium, ita et phantasia. Si tandem intellectus solus separat sensibilia propria a quantitate, sed ipsam quantitatem quodammodo aliter separat quam phantasia, quia solam substantiam considerat, sine quantitate, quandoque. Stat itaque tertia propositio, ex cujus declaratione patent multa, quæ lector attendat.

ANNOTATIONES MAURITII.

Sequitur tertia conclusio : *Universale primo intelligimus*, in qua tangit ordinem
6. intelligibilium inter se, quæ valde notabilis est, et singularis ambiguitatis in doctrina hujus. Disputavit enim 1. *Metaph. et* 3. *dist.* 1. de primo cognito, comparando magis universale ad minus universale. Disputavit etiam 7. *Metaph. et super lib. de Anima, et* 13. *et* 9. *dist.* 2. *et* 14. 3. de intelligibilitate singularis ; sed quod primum intelligitur, an scilicet singulare, an universale hìc determinate, et egregie pertractat, et intelligitur propositio de primitate originis. In commento digreditur suo modo. Primo probat conclusionem a signo cum Philosopho in prooemio Physic. ibi : *Quod ex signo patet*, etc. et procedit tantum de universali specifico, et ordine confusæ cognitionis actualis. Deinde adducit opinionem adversariorum, ibi : *Sed hanc propositionem*, etc. quam sequitur Ocham *dist.* 3. *primi, et quodlibeto* 1. *quæst.* 13. et multi sequaces, et ponit motivum ejus, et evasionem ad argumentum Philosophi, et suum, a signo factum ibi ; *Cum de puero*, etc. et appellat opinantem, loquentem, non eo zelo quo Averroes inimicus legum audet Legistas nominare loquentes in plerisque locis, cum tamen ipse garrulator existat, sed veritate impulsus, quam præhonorare sanctum censetur. In apparentia enim verborum, et sophisticis cavillationibus, et obstinatione impudica, doctrina horum Nominalium consistit, quos imitantur plurimi hujus temporis, ne dum Scholastica concertatione, sed quod pejus est, moralis vitæ ostentatione.

Consequenter ibi : *Quomodo itaque intelligitur universale*, etc. movet dubium, 7.
et respondet. Quæ responsio licet videatur sua, non tamen sequitur eam, sed est opinantis ; quæ tamen satis subtilis est et apparens, ideo multi Scotistæ in hoc digressu cespitant, quia brevis valde est hìc Doctor, sicut communiter in his Theorematibus, volabat certe mira solertia ubique in Metaphysicalibus ; unde non ab re nomen subtilitatis sortitus est, et principatum speculationis, quo fit ut difficulter, et responsiones, et argumenta, et sua et aliorum dicta, discerni possint in plerisque locis. Declarat ergo in illa responsione modum intelligendi universale, et a qua potentia fit, et quid est objectum intellectus agentis et possibilis. Deinde ibi : *Quare ergo de singularibus*, etc. objicit contra opinantem dupliciter, et consequenter respondet ad motivum ejus ibi : *Quod arguit loquens*, etc. conformiter his, quæ habet 3. *dist.* 1. *et* 3. *dist.* 2. *et* 7. *Metaph. et super lib. de Anima*. Vult breviter, quod sicut in actione naturali seu reali, Physica ; aliud est quod agit ; aliud ratio agendi ; aliud conditio agentis. Primum est simul totum ; secundum natura ipsa ; tertium singularitas circumstantionata. Explica de generatione ignis, vel caloris, ita in actione intentionali seu intellectuali, quæ tamen extensive realis est. Aliud agens ; aliud ratio agendi ; aliud conditio agentis, et patet littera usque ibi : *Aut enim impossibile*, etc. ubi ponit disjunctivam trium partium, sub quarum secunda sunt tria vel quatuor membra. Secunda pars disjunctivæ incipit ibi : *Aut non necesse est singularitatem specie ostendi*. Tertia

Quomodo intelligitur universale ?

Aliud agens, aliud ratio, aliud conditio agendi.

Tripliciter intelligi potest singulare imprimere speciem.

pars ibi : *Aut tandem, quod ad propositum sufficit*, etc. Inquirit enim, vel impossibilitatem, vel necessitatem, vel saltem possibilitatem gignitionis speciei intelligibilis ipsius singularis. Ubi adverte cum dicit in tertia parte, *et si possibile; igitur necesse*, quod tenet de necessitate secundum quid tantum, maxime in creaturis, licet Physice loquendo, absolute concederetur, ut habet videri 2. 8. *et* 39. *dist.* 1. *et* 7. *quæst. quodlibeti, et alibi.*

8. Deinde ibi : *hujus disjunctivæ*, etc. excludit duas primas partes disjunctivæ, et omnia membra secundæ. Ubi salvabis, non superfluitatem in verbis, ut nosti, et acceptat tertiam partem egregie, ut ubi supra a principio responsionis allegavi ipsum, conformiter tenet.

Consequenter instat dupliciter, etc. et difficulter, contra dicta ultimo in hac responsione ibi, *Contra : est summa*, etc. et solvit breviter, et suo modo. In prima responsione nota caute, cum dicit, *non per inclinationem naturalem*, quia contra eum 1. *Metaph. quæst.* 2. *et* 1. *quæst. prolog. et* 14. *quæst. quodlib. et alibi sæpe*, posset ex hoc objici. Distingue ergo de inclinatione naturali; mediata et immediata; nuda et habituata; ex se seu ex natura potentiæ, et inclinatione dispositionis superadditæ, sive ex conditione status, vel sub aliis verbis, ut scis. Vide 1. *quæst. prolog.* Solvendo argumenta Philosophorum, et principalia, et 3. *dist.* 1. *et* 2. *et in quodlibeto, ubi supra*, et alibi plerumque ad hæc.

Intellectus quomodo inclinatus naturaliter, et non inclinatus ad intellectionem singularis ?

In responsione secundæ instantiæ declinat quodammodo ad ea, quæ dixit prius in secunda parte disjunctivæ supra ; et est singularis doctrina, et possunt instantiæ nonnullæ ibi adduci ad hominem, quod relinquo lectori, et tangit exemplum Philosophi in de Sensu et sensato, cap. 7.

Ulterius ibi : *Contra sicut in parte*, etc. replicat contra applicationem illius exempli, et respondet satis obscure. Pro cujus declaratione tange plura eorum, quæ habet 3. *dist.* 1. *quæst.* 2. Nam videtur prima facie repugnantia in dictis hic, et ibi, sed si bene speculaberis, omnia conformiter dicit. Adverte bene ad duplex confusum, et oppositum distinctum, et qualiter magis universale potest accipi, ut confusum, vel ut distinctum, seu ut pars et ut totum, et plura alia ut scis. Consequenter ibi : *Quod autem ait loquens*, etc. impugnat responsionem superius datam a loquente, ibi : *Cum de puero objicitur*, et similiter aliam responsionem sequentem, ibi : *Respondeo, relinquendo, quod singulare*, etc. impugnat ibi : *Quod addit quomodo universale*, etc. inquirendo stante veritate illius responsionis, ad quid poneretur intellectus agens ? Ubi adverte, quod illa littera. *Si dicas nullam speciem*, etc. potest poni conjuncta præcedenti, vel separata, ut evasio quædam, quam admittit implicite, et aliter arguit consequenter, contra loquentem ibi : *Item, si universale*, etc. usque ad finem. Et adverte diligenter ad singula verba per totum, et quære 7. *Metaph. quæst.* 13. *ad fin. et quæst.* 15. *et* 18. resolute, et egregie complementum hujus obscuri sermonis, et in sententiis, ubi supra et alibi sæpe. Et hanc tertiam conclusionem maxime intellige veram de cognitione abstractiva pro statu viæ, et de universali pro substrato, seu in potentia, et alia plura notabit lector, ut Doctor admonet ad finem, non sine causa.

De cognitione confusa, et distincta, 1. *d.* 3. *q.* 1.

Sermo est de notitia abstractiva, et viæ

THEOREMA IV.

SCHOLIUM.

Hoc fuse probat 2. dist. 3. quæst. 1. sex viis ostendens contra Nominales, dari a parte rei unitatem minorem numerica, seu naturam negative communem : idem tractat in Porphyrium quæst. 4. 5. et 9. et late 7. Metaph. quæst. 18. hic in commento suadet ex secundo et tertio Theoremate, quia cum universale primo intelligamus ex tertio, et primum intelligibile non fiat per intellectionem ex secundo, sequitur universale, scilicet Metaphysicam, hoc est, naturam commu-

nem negative, dari a parte rei, in commento alias adducit rationes.

Cuilibet universali correspondet in re aliquis gradus entitatis, in quo conveniunt contenta sub ipso universali.

1. Quod ex secunda et tertia fiet manifestum ; si enim nullum universale dictum in quid de singulari extra, causatur per intellectionem ut ex illis sequitur, sibi correspondet aliquid in re, quia omne intelligibile, vel est in re, vel causatur per intellectionem ; nec intelligitur hoc correspondere tantum sicut fundamentum, quia sic secundis intentionibus aliquid correspondet, aliter enim non magis diceretur homo universale, quam Socrates ; sed sumitur hîc *correspondere*, sicut suppositum idem realiter illi universali, ita quod universalia non sunt fictiones intellectus, tunc enim nunquam in quid prædicarentur de re extra ; nec ad definitionem pertinerent, nec Metaphysica differret a Logica, imo omnis scientia esset Logica, quia de universali, itaque secundum ordinem universalium, est ordo graduum entitatis in individuo.

Si universale esset fictio, Metaphysica non differret a Logica. Secundum ordinem universalium, est ordo graduum entitatis in individuo.

ANNOTATIONES MAURITII.

2. Sequitur propositio quarta : *Cuilibet universali*, etc. In qua postquam in tertia ostendit universalis intelligendi ordinem et modum, prosequitur de ejus correspondentia reali in re, et est notabilis valde, et contra Nominales, cujus motiva in textu et commento habentur in quæstionibus 7. *Metaphysic. et in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 1. *et super Porphyr. quæst.* 4. et alibi plerumque. Vult breviter, quod dantur gradus in entibus secundum magis et minus commune in re, ex natura rei, et similiter in unitatibus sibi correspondentibus ; et distinguit de duplici correspondentia, fundamentali videlicet, vel occasionali, et subjectiva seu suppositiva. Et loquitur de universali Metaphysice pro substrato, cujus conditiones tangit in 2. *ubi supra, et* 3. *dist.* 1. *quæst.* 6. de quo diffuse in quæstionibus hujus super Porphyrium, et Antepraedicamenta notavi. Et probat conclusionem istam ex duabus præcedentibus in commento, et littera est satis clara. Ponitur quædam littera in aliquibus originalibus ad finem commenti, quæ sic incipit : *Respondeo dici potest*, etc. usque ad finem, quæ videtur extra vel additio, quam omisimus, quia non multum communis, nec necessaria.

Ubi de universali agit Scotus ?

Circa dicta in textu hîc et in commento, posset multipliciter objici, sed brevius quo possum me absolvam. Videtur enim quod contradicat commentum textui, quia textus dicit : *In quo conveniunt contenta sub ipso*, etc. et commentum declarando correspondentiam illam, dicit : *sicut suppositum idem realiter*, etc. In nullo enim eodem supposito conveniunt omnia contenta sub universali. Item, cum dicit consequenter, *Tunc enim numquam in quid prædicaretur*, etc. videtur dicere oppositum super Porphyrium *quæst.* 1. *vel* 2. de Genere, solvendo argumenta principalia. Item, si deductio sua esset bona, sequeretur quod secundæ intentiones essent fictiones intellectus, cum non habeant talem correspondentiam de qua hîc loquitur. Item, videtur valde difficile assignare hujusmodi gradus entitatis in re, et maxime in accidentibus, et in substantiis immaterialibus.

Ad primum dico, quod est correspondentia formalis, quoad gradum entitatis et suppositalis identica gradui : vult enim, quod homini et animali, sic ascendendo correspondet, verbi gratia, Socrates, qui est idem eis, etiam formaliter, et in Socrate est graduum correspondentia, a quibus sumuntur talia prædicata, et in quibus 3.

In quo conveniunt contenta sub universali.

conveniunt supposita. Ad secundum dico, quod loquitur hîc proprie de *prædicari in quid*, ut scilicet determinat inhærentiam, in Logicalibus vero improprie, ut ibi notavi sæpe. Ad aliud dico, quod respective loquendo, possunt secundæ intentiones dici fictiones intellectus, non autem simpliciter. Ad aliud dico, quod considerationes Metaphysicales transcendunt imaginationem sensibilium, et concedo quod sunt difficiles, non tamen impossibiles. De his, ubi supra notavi sæpe, ut potui prolixe pertractavi, quære. Adverte etiam, quod notanter ibi dicit Doctor : *Cuilibet universali*, etc. et non absolute, cuilibet communi vel conceptui, propter ea, quæ 8. *dist.* 1. *quæst.* 2. habet, et super *quæst.* 4. in Anteprædicamentis copiose dixi, et alibi sæpe. Sed non est parva difficultas, utrum conceptui entis correspondeat quis gradus in re, sicut aliis prædicatis communibus. Quæ autem, et quot sint conditiones requisitæ ad rationem universalis, super Porphyrio plerumque notavi. Quoties etiam accipitur ipsum, quære ibidem. Potest confirmari hæc conclusio ex primo Posteriorum, quia universalia sunt ubique et semper, quod debet intelligi de universalibus positis, et perfectionem aliquam dicentibus, quære ibi.

Prædicari in quid sumitur proprie, et improprie quomodo ? Secundæ intentiones quomodo fictiones ? Universali ubique, et semper.

THEOREMA V.

SCHOLIUM.

Ratio hujus Theorematis a posteriori, quia nihil cognoscitur perfecte et distincte, nisi cognitis omnibus ejus prædicatis in quid ; etsi hæc essent infinita, inferius ea includens cognosci non posset, sic, quia cognitio distincta inferiorum habetur per distinctam notitiam superiorum inclusorum in eis, incipiendo a primo ; si ergo superiora essent infinita, numquam perveniretur ad inferius, nec esset primum a quo inchoandum foret. Quod vero superiora prius cognoscantur cognitione distincta, probat bene Doctor 1. d. 3. *quæst.* 2. *num.* 24. 25. et *quæst.* 16. *de Anima*, ubi quædam addidi in commentario. Commentum Doctoris hîc obscurum est, de quo vide Mauritii Annotationes.

In eo, quod quid est prædicantia, in infinitum ire impossibile est.

Quod est : quoniam tunc nihil 1.
erit notum, quia infinita non est pertransire, nec simul intellectu finito apprehendere ; non autem perfecte cognoscitur aliquid ex quarta propositione, resolutoria cognitione, nisi omnia prædicata in quid cognoscantur, licet confuse cognosci possit, illis prædicatis non cognitis, nisi confuse ut in illo ; quod posset fieri, dato per impossibile, quod essent infinita, quia alias nullo modo difficilioris actus circa speciem plura genera habentem. Item, probatur hæc quinta, quoniam infiniti gradus entitatis essent in specie specialissima, ex quarta.

Si prædicata in quid essent infinita, nihil esset notum.

ANNOTATIONES MAURITII.

Sequitur quinta conclusio : *In eo, quod* 2.
quid, etc. de statu in prædicatis universalibus ponendo, et ordinate procedit Doctor. Hæc conclusio habetur 1. *Posterior.* copiose probata ; et 2. *Metaph.* et 4. *atque* 8. quam probat dupliciter. In prima probatione tangit duplicem cognitionem alicujus, et aliorum in ipso. *Vide* 3. *dist. pri. quæst.* 2. et remittit se ad quartam propositionem resolutoriam. Licet originalia varie ibi habeant litteram, ita quod ly *resolutoria* additur *propositioni*, vel *cognitioni*, sic, *resolutiva cognitione*, et sic posset poni prol. 1. 10. infra, numerando tantum sex ante definitiones infra, sed alia littera placet, omittendo ly *cognitione:* infra vero notavimus propositiones resolutorias, ibi, *Conceptum dico*, etc. quæ 8. Theor.
tamen sunt definitiones : elige quod volueris, quia utraque littera poterit salvari, illa quarta est talis : *Omne illud, et solum illud*, etc. licet posset assignari infra, ibi :

9. Theor. *Conceptuum resolutio*, etc. Est etiam varietas originalium ad finem illius primæ rationis, ibi : *quia nec modo difficilior actus ;* vel sic : *quia alias nullo modo difficilior*, etc. sed prior littera placet, licet alia posset salvari recurrendo ad cognitionem distinctam, seu perfectam. Secunda probatio propositionis, est satis clara ex quarta. Instantias hîc adducere omitto : quærantur super 1. Posteriorum, et ubi supra copiose, ut volueris.

THEOREMA VI.

SCHOLIUM I.

Sextum Theorema habes resolutum de primo principio, cap. 3. conclusione sexta, ubi probat necessitatem essendi uni tantum naturæ competere, et conclusione decima quinta, ubi ostendit triplicem primitatem, efficientiæ, eminentiæ et finis, uni tantum convenire posse; idque etiam probat 1. *dist.* 2. *quæst.* 2. *art.* 2. *num.* 18. *et cap.* 4. *de primo Princ. conclusione ult. et* 1. *d.* 2. *quæst.* 3. ubi demonstrat unitatem Dei. Sed in hoc Theoremate, de unitate supremi prædicati agit, verum rationes probantes unitatem in prædictis, suadent etiam unitatem universalissimi prædicati. Septimum Theorema est resolutio sexti, quod magis videtur quæstio quam assertio, secundum aliquos, qui ideo illud non numerant inter Theoremata. Cæterum dici potest, assertionem esse disjunctivam, etsi in commento inclinet magis quod sit unum, in septimo vero id firmiter asserit, et juxta hoc, de his loquitur, illis verbis commento septimi : *Igitur solutæ sunt duæ primæ quæstiones ;* licet obscurum sit, quare eas vocet primas, nisi intendat esse tales, quoad conceptus objectivos, seu prima objecta conceptuum, de quibus immediate agit.

Aut in uno universalissimo prædicato in quid statur, aut in multis.

1. Rationabilius videtur, omnem multitudinem ad unum reduci in quocumque ordine. Quod si plura prima dentur, nullum erit universalissimum, quia de quibuscumque illorum dubitando, stat certitudo de conceptu communiori.

ANNOTATIONES MAURITII.

Sequitur sexta conclusio : *Aut in uno universalissimo*, etc. quæ tamen non assignatur conclusio in aliquibus originalibus, sed littera dependens ex quinta, sed satis congrue numeratur inter propositiones, et est de termino status Prædicamentorum, et quæstio disjunctiva, et per exclusionem unius partis, concludit probabiliter alteram, et potest confirmari sententiis Philosophi in pluribus locis. Nulla enim est hæc propositio, quæ non potest reperiri formaliter, vel æquivalenter, vel saltem reductive, seu confirmative in Aristotele, videtur enim arguere ad utramque partem. Primo ibi : *Rationabilius.* Secundo ibi : *Quod si plura.* Tertio iterum ad primam in oppositum argumenti. Pro secunda ibi : *Contra quod est*, etc. 2.

THEOREMA VII.

Plura prima esse, quorum quodlibet sit universalissimum simpliciter, impossibile est.

Quod est : quoniam resolvendo, semper itur ad conceptum simpliciorem; igitur primus simplicissimus : et sicut in quocumque ordine eodem impossibile est duo invenire prima; igitur magis in supremo, cui multitudo magis repugnat; igitur solutæ primæ quæstiones.

Quod qualitas sit prior universaliter quantitate, probatur multipliciter. Quia consequitur omnem substantiam creatam, quantitas tantum corpoream. Consequitur substantiam ratione formæ, quantitas autem ratione materiæ. Item, qualitas est principium agendi, quantitas non : qua- Additio. Qualitas nobilior quantitate.

litas est, qua agens alterat, alteratio autempr œcedit augmentum. Impossibile est quantitatem induci,nisi per actionem qualitatis, non e converso. Item, qualitates attribuuntur Deo, ut perfectiones simpliciter, non sic quantitates. Qualitas latius patet quam quantitas. *Qualitas habet multas species, videlicet spiritualium et corporalium, ut lux,* etc. *quibus entia attingunt suos fines, etiam homo beatitudinem per gratiam et charitatem attingit,* etc. *Quantitas continua tantum tres species, et ipsa nullum ens suum finem attingit. Consequitur omnem speciem secundum suam actualitatem, non autem quantitas. Secundum ipsum est ordo universi et locus naturalis, et motus et quies. Secundum ipsas ut objecta distinguuntur potentiæ animæ. Quanto etiam est ens perfectius, tanto habet ipsam perfectiorem, non quantitatem. Angelus nec homo tantam, quantam terra. Hic argutum est propter communicationem ,propter actualitatem, propter perfectionem simpliciter, propter generationem. Ad secundam conclusionem, confirmatur secunda et tertia, per* Ex quatuor capitibus, qualitas est perfectior quantitate. *hoc quod 'ordo accidentium immediate, vel mediate post substantiam, est secundum eorum perfectionem. Item, argui potest pro et contra, comparando quartam speciem Qualitatis ad quantitatem. Item, arithmetica est certior scientia naturali, abstrahit autem a qualitate. Item, quantitas est immediatior substantiæ secundum Aristotelem.* Arguit quantitatem esse perfectiorem qualitate. *Respondeo, substantia, et est subjectum accidentium, et est perfectius eis, quia causa efficiens. Quoad primum, est in potentia , quoad secundum actu. Secundum primum quantitas est immediatior, et secundum secundum qualitas.*

SCHOLIUM II.

Postquam arguit qualitatem esse nobiliorem quantitate, ex quatuor mediis, scilicet communitatis, actualitatis, perfectionis simpliciter, et generationis aliis quatuor rationibus adductis ad oppositum, resolvit qualitatem esse perfectiorem in ratione efficientis, non in ratione subjecti ; hoc autem est qualitatem esse simpliciter perfectiorem, quia ratio efficientiæ perfectior est ratione subjecti, quia hoc est ad recipere et perfici ab aliis, illud ad dare et perficere, ut habet Doct. 4. d. 12. q. 2. §. *Ad propositum*, ubi num. 9. 10. quinque rationibus fere iisdem cum his quas hic tenet cum communi, qualitatem esse simpliciter nobiliorem. Occasione hujus, quærit de subjecto accidentium. et arguit solum compositum eorum esse subjectum. Solvit tamen, ostendens accidentia subjectari in forma substantiali, quantitate, Angelis, non tamen in Deo, quia ad recipienda accidentia requiritur perfectio et imperfectio ; ultimum autem accidens, scilicet relatio, nullum accidens suscipit, de quo Doctor 1. distin. 8. quæst. 3. quod intellige de relatione ultima, quia quædam relationes fundant alias, ex Doctore 4. distinct. 6. quæst. 10. num. 5. Quod tangit, an hæc sit impossibilis, *Humanitas est alba*, tractat. 1. dist. 5. quæst. unica. ubi ait, de ultimate abstracto, nihil quod nequit prædicari nisi formaliter, vere dici posse, nisi in primo modo, de quo Mayron. Lichet. Tartar. Viguer. Worillon. Paulus, et Bargius, ibi videri possunt, quorum aliqui tot exceptiones et limitationes ponunt, quod regulam Scoti ridiculam faciunt. Breviter cum Licheto et Bargio (et tetigit Viguerius) dicendum, abstractum ultimate in rigore Logico includere hoc syncategorema, *per se primo*, et sic nihil formaliter de eo dicitur, nisi in primo modo dicendi.

Quid potest esse subjectum accidentium? in subjecto requiritur imperfectio, quia potentialitas, ideo non Deus ; et perfectio quod sit ens actu compositum, ideo non forma substantialis, nec accidentalis, nec materia, nec Angelus, si simplex. Quodnam est subjectum accidentium ? *Hæc quatuor membra videntur dubia, et multipliciter improbantur. De materia enim videtur, quod possit esse subjectum, quia in potentia; ergo, etc. De forma substan-* 4.

tiali intellectiva, respondeo, quia separabilis. Contra, de sensitiva respectu speciei sensibilis, vel actionis sentiendi,
10. Trin. c. 5. vel 15. *secundum Augustinum, anima autem facit in se; et sicut calor separatus habet operationem, sic magis videtur sensitivo: illa manet; igitur, etc. De accidente arguitur, finitum et infinitum quantitati*
Text. c. 15. Text. c. 35. et circiter. *congruit,* 1. Physicor. *divisibilitas* 3. Physicor. *Item, Avicenna* 2. Metaphysicor. cap. 1. *plane exemplificat,* motus velox et tardus, *etc. probatur. Illud est proprium subjectum cui per se inest passio, et de quo per se demonstratur, et non de quo per accidens: rectum et curvum per se de continuo, per accidens de omni alio.*
Superficies est subjectum albedinis in Sacramento. *Item, superficies albedinis in Sacramento, quia mutatio naturalis circa illas qualitates; igitur subjectum naturale. Item scientia in intellectu, caritas in voluntate. Idem est de Angelis, tamen nunc omitto.*

In subjecto accidentis requiritur perfectio, et imperfectio. *Respondeo: Argumentum illud, scilicet primum solvitur. Ad aliud, imperfectio requiritur in subjecto, quia potentialitas, et perfectio saltem major quam sit illa accidentis; similiter quæcumque natura creata, cum non sit actus purus, est imperfecta, et una imperfectior alia, usque ad ultimam; si est ultima, igitur quælibet citra potest esse subjectum accidentis.*

5. Imperfectio privativa duplex. *Respondeo, quædam naturæ sunt imperfectæ privative, dupliciter: vel perfectione ejusdem naturæ, sicut albedo remissa, vel alterius naturæ, ut substantia respectu quantitatis. Quædam negative similiter dupliciter: Primo modo, ut formæ omni intensione et remissione carentes, ut numerus et figura, et forte quædam formæ substantiales.*
Relatio ultimum accidens imperfectum negative. 1. d. 8. q. 3. *Secundo modo, ut ultimum accidens; illud enim si est aliquod, est imperfectius quolibet præcedenti, non privative, quia tunc non esset ultimum, sed negative. Igitur ad argumentum rediturus, ad majorem requiritur imperfectio privativa secundo modo, et sic minor non probatur; imo secundum illam probationem, si valet, procederetur in infinitum, quia nullum accidens omnino est actus purus.*

Contra: privatio est carentia possibilis generatione inesse; talis est hic, quia non est contradictio quod insit. Item, aut est ita perfectum formaliter intrinsece, quod non potest perfectius esse intrinsece, nec extrinsece; unde ponatur intensum in summo naturæ suæ, et tunc erit perfectius in suo gradu naturaliter, quam homo in suo; aut non, et habetur propositum. Item, quare quidditas non recipit accidentia, cum sit in potentia, quia imperfecta privative; et quare hæc est impossibilis, humanitas est alba? *Probatur quod non, quia in Christo Verbum nullum accidens recipit; igitur natura humana; sed hoc fuit subjectum accidentium; sequitur quod si hæc humanitas; ergo humanitas.* Humanitas est alba, *an vera propositio?*

An forma sit ratio accipiendi accidens. *Item, numquid forma inquantum forma, est ratio recipiendi accidens, ut de subjecto et propria passione? Respondeo, illa natura quæ est forma, est ratio immediata recipiendi, non inquantum forma, quia sic comparatur ad materiam, nec inquantum actus in se, quia tunc Deus; sed quia actus iste, et ibi includitur limitatio hæc, quam sequitur potentialitas; sic intellige* 18. *de forma.*

ANNOTATIONES.

Sequitur conclusio septima, vel sexta, si volueris præcedentem ponere quæstionem, et non conclusionem, *Plura prima,* etc. in qua determinat, quod in præcedenti quærebatur, et indeterminate ad utramque partem arguebatur; et debet exponi *universalissimum* positive, aliter esset ins-

tantia de Prædicamentis, quæ sunt universalissima prima, nisi loquatur de universali transcendenti, aut certe in eadem coordinatione limitato. Et in fine cum dicit : *igitur solutæ sunt duæ primæ quæstiones, vel conclusiones*, ut habent alii, potest referri, ut dixi, ad immediate præcedentem disjunctivam, licet in aliquibus originalibus habeatur *immediate sequentes*, sed non ita bene ad propositum, ut video. Posset tamen littera sic competenter stare, scilicet, *igitur resolutæ sunt duæ primæ conclusiones immediate sequentes*, ibi videlicet, *conceptuum resolutio*, etc. sed placet littera, ut jacet. Posset etiam referri ad illas quæstiones de quantitate et qualitate, quæ sequuntur immediate, et tunc non esset additio, sicut notavimus, dic consequenter. Tange hîc instantias plures Logicæ et Metaphysicæ, ut nosti.

Universalis simum positive, et privative.

Sequitur illa particula : *Quod qualitas sit prior*, etc. quæ posset poni octava conclusio hîc, sed quia non habetur communiter in originalibus, nec videtur multum dependere ex præcedentibus, assignavimus eam ut *Extra*, seu additionem. Arguit pluribus mediis ad primam partem, et reducit omnia finaliter ad quatuor media principalia, deinde littera est intricata. Nam quidam libri habent sic : *Ad* 2. 8. et potest stare ponendo, ut dixi, hanc esse conclusionem 8. Alii sic : *Ad duas conclusiones* ; sed littera potest intelligi ut habetur, sic : *Ad secundam conclusionem, scilicet, quod quantitas sit perfectior qualitate*, et sic est principium argumenti, vel e contra, et tunc esset littera conjuncta præcedenti. Sed de verbis non refert, arguit enim pro et contra. Et breviter in fine, præmissa una distinctione solvit dubium. Sed si volueris videre hîc altius, et singularissime, vide *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 2. *contra primam opin. ratione* 2. et applica hîc plura alia, ut nosti.

Quod est subjectum accidentium.

Sequitur alia dubitatio, quæ posset etiam assignari Theorema, sed ponitur ut additio : *Quid potest esse subjectum accidentium*, etc. ubi ponit in principio conditiones subjecti accidentis, et impugnat responsionem, quantum ad secundam partem ejus, quoad quatuor membra satis subtiliter. Ubi adverte consequenter de imperfectione privativa et negativa duplici, et instantias sequentes de forma, qualiter potest esse subjectum. Et adverte ad ea, quæ incidentaliter tangit de natura humana in Christo. Quære ut nosti in 3. de ultimo accidente, quod non est accidentis alterius capax. Considera, ut scis, plura, an detur tale, et quale sit. Vide optime 8. *distinct.* 1. *quæst.* 1. *in laterali. et* 7. *et* 8. *Metaphysicæ* ad propositum. Infra etiam in hoc tractatu erit sermo ad hoc. Adde multa ad propositum, ut expedit. Quære 12. *dist.* 4. *ubi supra. et* 1. *quæst.* 3. *art.* 1. Ponitur in aliquibus originalibus quædam littera, quam non habes in illo argumento : *Item quare quidditas*, etc. sed non est multum necessaria, quare, etc. De prædicatione accidentis, de abstracto, et multiplici abstractione, et sic de aliis, vide sæpe in doctrina hujus. In fine, ibi : *Sic intellige*, etc. originalia sunt varia, quia sequitur in aliquibus, 15. *de forma;* in aliquibus, 18. *de forma* ; sed bene sic ponitur : *instantiam de forma*, considera.

An detur accidens immutabile subjective?

THEOREMA VIII.

SCHOLIUM

Hoc Theorema est de termino actus intelligendi, qui quatuor nominibus explicari solet, nempe *objecto, intelligibili, intellecto, intentione*. Circa hujus explicationem, ponit sex definitiones, et duas petitiones, stylo quasi Euclidico. Circa secundum, puto, quidquid dicat Mauritius, Doctorem velle, quod primo concipitur universalissimum, quia hoc solum secundum se primo attingitur; alia, ratione hujus, quod colligo ex commento dicente primo concipi, quod est totum objectum, non pars; ens autem est totum objectum totalitate adæquationis et prædicationis, et quodlibet aliud, pars ejus. De tertia et quarta definitione, vide Mauritium. Quinta et sexta explicant partes subjecti-

vas conceptus, scilicet conceptum simplicem, et simpliciter simplicem; de quibus Doctor 1. distinct. 3. quæst. 2. §. *Ad secundam quæst.* num. 21. Nota hîc sermonem esse de conceptu incomplexo tantum. Petitiones duæ sunt clarissimæ. Adverte aliud esse cognoscere perfectum, et aliud perfecte, sicut aliud est cognoscere distinctum, et distincte cognoscere, de quo Doctor 2. dist. 2. quæst. 2. num. 21.

8. principalis. 1. *Conceptum dico, quod actum intelligendi terminat.*

1. *Definitiones, seu resolutoriæ propositiones.* Hîc *objectum* dicitur, vel *intelligibile,* vel *intellectum,* vel *intentio.* Primum communissimum est, quia ad omnes potentias. Secundum, commune ad objectum intellectus in potentia, vel in actu. Tertium, proprium. Quarto utuntur Arabes, ut Avicenna et Averroes. Sicut autem *intentio* æquivoce dicitur de objecto et de actu, ita et *conceptus*; hîc autem sumitur pro objecto.

Quod est objectum adæquatum? 2. *Primo concipi dicitur, quod intellectui adæquatur.*

Adæquatio intelligitur sic, quod sit totum objectum, non pars objecti.

Quid per se concipi? 3. *Per se concipitur, quidquid in primo concepto essentialiter includitur.*

Sicut genus per se concipitur, quando species primo concipitur, sic in aliis.

Perfecte concipitur, cujus nihil latet. 4. *Omne illud et solum illud perfecte concipitur, cujus nihil latet.*

Quod scilicet, in ipso essentialiter includitur, hîc intelligitur perfecte, non actus inquantum elicitur a potentia, sed inquantum comparatur ad objectum, ita scilicet quod nihil intrinsecum objecto sit ignoratum, quocumque modo cognoscatur.

Quid conceptus simpliciter 5. *Conceptus simpliciter simplex est, qui non est resolubilis in conceptus.*

6. *Conceptus simplex non simpliciter, qui per se est unus, tamen resolubilis in conceptus.* *simplex? et quid simplex?*

Illorum autem in quos resolvitur, alter determinabilis, alter determinans. Primus autem potentialis, alter actualis, aliter non esset aliquis unus conceptus ex eis. Primus quidem dicitur in *quid*, secundus in *quale*, de conceptu tertio, cui tamen uterque est essentialis; ergo essentiale in plus se habet, quam dictum in quid. *Essentiale latius patet, quam dictum in quid.*

1. *Aliquid primo, et perfecte concipi.* Petitiones.

2. *Conceptus aliquos esse distinctos.*

ANNOTATIONES.

Sequitur illa particula : *Conceptuum dico*, etc. Licet varie situatur in originalibus præcedens additio, quia in aliquibus infra post has definitiones et conclusiones quasdam sequentes, sed communiter habetur, ut posuimus. Ubi advertendum, quod more Euclidis procedit in his Theorematibus, quia nunc communes animi conceptiones, nunc definitiones, nunc petitiones, nunc vero conclusiones adducit. In hac ergo particula ponit primo sex definitiones, deinde duas petitiones, et sequuntur conclusiones. Dividendo autem totum tractatum in particulas, vel principalia Theoremata, vel capita, ut aliis placet, posset hîc assignari octava principalis, et hoc ponendo litteram præcedentem additionem. Vel si tantum enumerentur conclusiones pro Theorematibus, non ponetur hîc quotatio aliqua, sed infra ibi : *Conceptuum resolutio*, etc. Et poterit poni octava principalis, vel decima alio modo. Nam maxima ambiguitas hujus processus consistit in illis quotationibus et divisionibus, ut infra patebit. Quare lector advertat ad singula diligenter. Hic etiam videtur procedere vere Metaphysice et transcendenter ; in præcedentibus vero potius Logice, ubi fuit sermo de 2.

Ista Theoremata vocat communes conceptiones, definitiones, petitiones, conclusiones.

universali et Prædicamentis, etc. licet tamen connotando primas intentiones, in quibus verificantur ibi dicta. Definit ergo conceptum in communi, et est notabilis definitio, et in doctrina hujus valde necessaria, quia hujusmodi termino utitur ubique. Interpretatur autem definitionem quadrupliciter, sed tertium membrum maxime acceptat, ita quod objectum sub *concipi* conceptus recte dicatur ; non quod fiat aggregatum ex utroque, quia sic ens per accidens, et etiam sic idem ad se terminaretur, sed quod tunc proprie objectum conceptus dicitur, dum actu terminat actum, et non solum potentia vel aptitudine. Aliquando vero iste utitur conceptu in quarta acceptione, hoc est, pro actu concipiendi. Quære 8. *distinct. prim. et alibi plerumque.* Omnis ergo res, realitas, quidditas seu formalitas, potest dici conceptus. Unde *res*, *realitas*, *quidditas* seu *formalitas*, et *conceptus*, se habent secundum magis et minus commune. Quære Franciscum et alios Formalistas. An modi intrinseci possint dici conceptus, est dubium in doctrina hujus, quia varie de hoc loquitur. Quære 8. *dist. prim. et* 5. *et* 6. *quæst. quodlib.* sed pars negativa communiter tenetur, et hoc maxime tenendo eos, ut modos, non ut *quid.* Vide 4. *Metaph. quæst.* 1. Conconcipiuntur potius quam concipiantur, ideo formalitates esse communiter negantur. Instantias plures hîc tange, ut scis, alibi sæpe hæc notavi copiose, ideo hîc brevibus contentor.

Objectum in concipi dicitur conceptus.

Res, realitas, quidditas, seu formalitas, conceptus *se habent ut magis et minus.*

Modi intrinseci non habent proprium conceptum

3\. Deinde definit *primo per se et perfecte concipi*, notanter valde et ordinate, quia postquam notificavit *conceptum*, jam notificat varium concipiendi modum et maxime scientificum ; et duæ primæ possent confirmari ex primo Posteriorum, quia ut exponit primam, intelligitur ibi ly *primo* pro primitate præcisionis et non universalitatis, seu pro primitate quidditativa, non quantitativa. Vide 7. et 9. *Metaph. et* 2. *dist.* 2. *quæst.* 10. *et alibi sæpe.* Quære etiam pro duabus primis *in primo dist.* 1. *quæst.* 2. optime. Adverte ex commento primæ, quod Doctor intelligit primitatem hîc, seu adæquationem, non simpliciter et universaliter, et respectu potentiæ, absolute loquendo, sed in ordine ad unum actum intelligendi. Et intellige adverbia in his definitionibus objective, et non subjective.

Primo concipitur species ultima, reliqua ut aliquid ipsius.

Ulterius notandum, quod loquitur in secunda definitione, et ejus commento multum stricte de *per se concipi*, nisi ly *essentialiter* extendatur ad virtualiter, vel unitive contentum. Vide ubi supra *in primo, et distinct.* 3. *ejusdem. quæst.* 2. *et dist.* 3. 2. *part* 2. et specialiter *q. fin.* ubi singularissime distinguit de objecto per se duplici. Exemplum tamen ponit in manifestiori, ut convenit ; verum enim est quod dicit et exemplificat, sed non asserit cum præcisione, ideo extende ut nosti. Veritas illius tertiæ definitionis, patet 1. *Physicor. text. com.* 1. et disputatur communiter *ibidem*, de quo tractat etiam 3. *distinct. primi. quæst.* 2. sed an contingat sic concipere pro statu isto quidditates specificas, dubium est apud multos, maxime cum differentiæ ultimæ rerum sint nobis ignotæ ; videtur namque quod solum simpliciter simplicia sint sic conceptibilia, sed an sic, vel non, vide ubi supra 1. *Physicor.* et maxime apud modernos Scotistas, et 3. *dist. prim. quæst.* 3. egregie.

Quæst 11. ad 2. pro opin. num. 35.

Est 4 in ordine.

In differentiæ pr statu ist intelligatur?

Cum etiam dicit in fine definitionis, *cujus nihil latet*, potest intelligi vel virtualiter, vel formaliter ; et hoc vel æquivalenter, vel circumlocutione, et sic de aliis, licet maxime quando actualiter, et in conceptu proprio. Illa littera : *quod scilicet, in ipso essentialiter includitur*, posset addi textui, tanquam declaratio seu specificatio, aut certe limitatio præcedentium, et tunc commentum inciperet ibi : *hic intelligitur*, etc. Et notanter dicit, *Quod essentialiter includitur*, etc. quia si ad perfecte concipiendum aliquid, requireretur notitia omnium, vel virtualiter, vel accidentaliter, seu etiam identice 4.

inclusorum in ipso, vix aliquid perfecte conciperetur, maxime notitia simplici. In omni enim signo naturæ datur notitia perfecta in suo genere, et ita homo perfecte cognoscitur in primo signo, licet non ut risibilis, neque albus, et sic de aliis. In commento declarat optime, quod ly *perfecte* intelligitur objective, ut dixi prius, hoc est ex parte objecti concepti, et non actus concipiendi ; quia actus in se potest esse perfectus, dato quod non comprehensivus objecti, sed tantum apprehensivus, et hoc, ut notanter dicit Doctor, inquantum elicitur a potentia, licet non inquantum causatur ab objecto ; habet enim duas causas partiales effectivas in creaturis ut 3. *dist. prim. q.* 7. habet, et ita potest habere perfectionem ab una, dato quod non ab alia quandoque ; sed quia magis specificatur ab objecto, et si non principalius causatur, ut *ibidem quæst.* 8. habetur; igitur absolute, quando non totaliter, seu comprehensive se habet respectu objecti, dicitur imperfectus, maxime ponendo respectum essentialem ejus ad objectum, de quo vide 13. *quæst. quodlibeti.*

Ad perfectam alicujus cognitionem, non necessario omnia virtualiter inclusa cognoscuntur.

Notitia habet duas causas effectivas. 1. d. 3. q. 7.

5. Cum dicit in fine commenti, *quocumque modo cognoscatur*, potest referri ad formaliter, vel virtualiter cognoscere, vel ad intuitive seu abstractive, vel in Verbo seu in genere proprio, et sic de aliis. Ubi tange differentiam inter esse ignoratum, et perfecte notum. De multiplici etiam ignorantia, et multiplici modo cognoscendi pertractabis, ut nosti. Quære 3. *dist. prim. et quæst. de subjecto in prol. et* 7. *et* 14. *quæst. quodlib. et alibi sæpe.*

Quinta, et sexta definitio sunt de partibus subjectivis objecti.

Deinde ponit alias duas definitiones partium subjectivarum conceptus, quas etiam habet 2. *dist. prim. quæst.* 2. *et* 3. *dist. prim. quæst.* 2. et posset addi tertia de summe simplici, ut habetur 8. *dist. prim.* Quia tamen ille conceptus tantum in divinis habetur, ideo hic tacuit forte ipsum. Dubium etiam est, an sit aliquis horum, ita quod conceptus summe simplex contineatur sub simpliciter simplici, quod reputo verum esse, loquendo de simplicitate realitatum, de quo alias erit sermo. De multiplici acceptione *simplicitatis* et *compositionis*, ubi supra notavi in Metaphysicalibus, littera et commentum satis patent. Vide 3. et 8. *dist. prim. et* 3. *dist.* 2. *et* 7. *et* 8. *Metaph. et in Logicalibus hujus*, plura declarativa horum terminorum. Videtur hic loqui per totum de conceptu simplicis intelligentiæ. De divisione autem et compositione considera, quales conceptus sint, et quo modo complexum sit simplex, et quo actu concipitur, et an uno, vel pluribus. Quære 6. Metaph. et 2. et in Logicalibus. Pondera corollarium ad finem commenti de essentiali respectu dicto in *quid.* Idem habet in quæstione super Porphyrium cap. de Differentia. Tange etiam hic plura de multiplici determinatione, et qualiter quidditas per modum determinatur, et quomodo se habent respectu tertii, ut habes sæpe in doctrina hujus et sequacium. Hic non est immorandum circa quotidiana documenta Doctoris, sed dumtaxat circa difficilia, et signanter hic dicta ; lector vero addat ad omnia.

Quidditas per modum determinatur.

Consequenter ponit duas petitiones modo antiquorum, ut supra notavi et satis patent. De verificatione autem earum, posset fieri altercatio, ut prius circa definitiones dictum est. Pone differentiam inter *esse distinctum et distincte concipi*, et similiter de *perfecto* et *perfecte.* Adverte etiam quod aliter est loquendum Metaphysice, et ex natura entium, et objectorum, et potentiarum, et aliter ex conditione status ; plura alia adducat ingeniosus lector.

Aliud intelligere distinctum et aliud distincte.

THEOREMA IX.

SCHOLIUM I.

Ex dictis in Theoremate præcedenti, infert dari statum in conceptibus, ita ut aliquis sit primus. In secunda conclusione hujus, tenet nullum conceptum, etiam entis,

de quolibet dici in *quid*, quia non dicitur de ultimis differentiis, nec de passionibus entis; quod etiam habet 1. *dist.* 3. *quæst.* 9. *num.* 6. *et dist.* 8. *q.* 2. *et* 2. *dist.* 3. *quæst.* 6. *et quæst.* 21. *de Anima*, ubi fusius de hoc egi, in commento illius quæstionis; vide instantias Mauritii contra tres probationes Doctoris tertiæ conclusionis. Cum non sit unus conceptus in *quid* omnibus communis, tenet ponendos esse aliquos primos, unum in *quid*, entis, et alium qualificativum, secundum modos ejus. Vide Mauritium conclus. 4. Intelligit de determinante ultimo seu ultima differentia, quia hæc non includit ens in *quid*, et sic nihil commune cum altera parte includit. Corollarium, quod genus et differentia nihil habent commune, nec unum includere alterum, sequitur bene ex quarta. Quod in commento dicitur, idem esse de materia et forma, vel tantum vult quod una non includit aliam, aut si velis, nihil esse eis commune. Quod innuit Doctor 2. dist. 12. quæst. 1. num. 16. intellige quod sint primo diversa re et realitate, non autem conceptu, quomodo Deus et creata sunt primo diversa. Ratio hujus est, quia secundum Doctorem 1. distinct. 5. quæst. 3. materia includit ens. Secundum quod differentia inferior non includit superiorem, late tradit Doctor 7. Metaph. quæst. 17. et 4. dist. 11. quæst. 3. ad primum pro opinione num. 48.

1. *Conceptuum resolutio statum habet.*

1. Ex prima petitione, in hoc quod dicit *primo*, et ex definitione tertia hac adjuncta illis, potentia finita non simul per se primo concipit infinita. Et aliter ex prima petitione, in hoc quod dicit *perfecte*, et ex quarta definitione et hac adjuncta, infinita primo concipere intellectui finito est impossibile; sive simul, quia tunc infiniti actus, simul ejusdem potentiæ finitæ; sive successive, quia infinita non est pertransire, *secundo Metaph. Aristotelis text. com* 13. Item, 8. *Metaphysic. Aristotelis text. com.* 10. Definitio resolvitur in indivisibilia, et 2. *Meta. phys. text. com.* 10. non est possibile scire, priusquam ad indivisibilia deveniatur; verum est perfecte ante resolutionem.

Intellectus finitus nequit infinita primo intelligere.

Nihil scitur antequam venitur ad indivisibilia.

2. *Nullum conceptum unum in quid de cæteris omnibus prædicatur.*

Tum, quia tunc nullus alius simpliciter simplex, et ita in eodem includerentur conceptus infiniti, vel idem infinities; quicumque enim alius includeret illum unum, et aliquem alium, et ille alius, illum unum, et aliquem alium, et sic in infinitum. Tum, quia nulli duo conceptus essent primo diversi, quia in uno conceptu convenientes, ac per hoc nulli distincti, contra secundam petitionem. Omnis enim distinctio reducitur ad distinguentia primo diversa; per quid enim essent distincti, non per id, in quo conveniunt; igitur aliis, et redit infinitas, quæ in prima probatione. Tum tertio, quia in omni conceptu alio, esset nugatio; quia illud quod commune ponitur, frequenter conciperetur, semel namque ut pars una conceptus illius, et iterum ut inclusum in alia parte, et iterum in parte illius partis in infinitum, et sic nugatio sequeretur.

Ens non dici in quid de omnibus quia non darentur conceptus primo diversi. Si ens diceretur in quid. d(e) qualibet daretur nugatio.

3. *Conceptuum stabit resolutio ad aliquos primos.*

Ex prima et secunda conclusione, ita quod quilibet conceptus per se unus, aut erit aliquis illorum, aut per se includet aliquem illorum, ad quot, inquirant respicientes. Per quid etiam essent distincti? non per illud in quo conveniunt; igitur per alia; et illa quibus distincta? non illis quibus conveniunt; igitur aliis, et redit infinitas, quæ in prima probatione. 2.

4. *Determinans et determinabile, nullum conceptum per se unum includunt, nec unum eorum conceptum per se alterius includit.*

Determinans, et determinabile non habere unum per se conceptum communem.

Hæc si intelligatur universalis negativa, probatur ut secunda et tertia probatione. Si autem particularis negativa, probatur ut secunda, quacumque probatione; ideo enim ibi sequuntur inconvenientia, quia oppositum alterius partis hujus conclusionis ibi supponitur.

Corollarium.

Conceptui generis et differentiæ nihil commune, nec unus includit alium.

Similiter de materia et forma.

Aliud corollarium.

Differentia superior, quæ includitur in genere, non includitur in differentia inferiori.

3. Alias nugatio in definitione, et processus in infinitum in differentiis, quia differrent differentiis, cum sit hucusque certus processus. Respondet protervus, quod determinans conceptum communem, est aliquod concretum, de cujus concreti intellectu non est determinabile, est tamen determinabile de intellectu abstracti, ipsius determinantis. Probant igitur præcedentia, quod nullus unus conceptus est communis ad omnem alium quemcumque intellectum, quia non in concreto, est tamen communis quidditative ad omnem intellectum in abstracto. Contra: abstractum et concretum eumdém conceptum per se important, aut saltem impossibile est conceptum concreti, esse simpliciorem quam conceptum abstracti, sive aliquid includi per se in conceptu abstracti, quod non includitur in conceptu concreti; igitur magis sequitur non diversitas primo, et ideo non distinctio, magis infinitas de concreto contrahente quam de abstracto.

Abstractum, et concretum eumdem habent conceptum per se.

SCHOLIUM II.

Sensus quintæ conclusionis est, non omni creato et increato dari conceptum communem, quia saltem enti reali, et rationis, nullus communis est, et ultimis differentiis cum aliis nihil esse commune, jam dictum est, conclus. 2. Sexta conclusio explicat definitionem conceptus datam Theoremate præcedenti. Septima dividit conceptum objectalem, in simplicem et simpliciter simplicem, de quibus Doctor 1. distinct. 3. quæst. 2. num 21. Conclusione octava dividit conceptum in primo diversum et differentem; ille cum alio collatus, in nullo cum eo convenit, hic sic: ille est irresolubilis, hic non.

5. *Creato, et increato nullus idem conceptus per se communis erit.*

6. *Conceptum dico objectum actu intellectum, prout scilicet est in intellectu, non ut forma, sed ut actu cognitum.*

Hîc autem *esse in*, non est nisi habere relationem actualem ad intellectum, sive intellectum ad ipsum, sive utrumque ad utrumque. 4.

Esse objective in intellectu quid?

7. *Omnis conceptus per se unus, aut est omnino simplex, cujus scilicet aut nihil concipitur, aut totus, aut non est omnino simplex.*

Tamen incomplexus dicatur resolubilis, quia plures conceptus essentialiter includit, quorum alter sine toto concipi potest de non per se uno, qui dicitur aggregatus, ut homo albus; et de quarto, qui dicitur complexus; et de quinto, qui dicitur discursivus; inferius quære.

8. *Omnis conceptus ad quemcumque non omnino eumdem comparatus, aut est primo diversus ab illo, si cum illo in nullo conceptu conveniat.*

Conceptus alius differens, alius primo diversus. Conceptus resolubilis est differens.

Aut differens, si in aliquo conveniat, et in aliquo differat; aut ordinatus, puta si unus totum alium includat, et non e converso, dicatur alter includens, alter inclusus; solus resolubilis differens est, et includens; primo diversus et inclusus potest esse tam simplex, quam resolubilis.

ANNOTATIONES.

5. *Variatio in ordine conclusionum.*

Sequitur illa particula : *Conceptuum resolutio*, etc. quæ potest poni nona principalis, ut notavimus, vel octava seu decima, secundum alias supputationes ; si enim tantum enumerentur conclusiones, erit octava principalis vel septima, et hoc ponendo additionem supra recte notatam. Enumeratio ista varie habetur, et generat hîc ut prædixi, maximam ambiguitatem ; omnia tamen moderari possunt judicio lectoris solertis. Nam eadem facilitate, qua sic, vel sic partiuntur, possunt et aliter partiri, dummodo veritas sententialis habeatur. De numeris et ordine minus refert : præmissis namque definitionibus et petitionibus, adducit conclusiones, et in hac particula possunt notari septem, vel octo per ordinem conclusiones ut habes, quot tamen sunt conclusiones, tot particulæ possent assignari. Placuit nihilominus ex conformitate, convenientia et dependentia conclusionum, plures sub una particula, capitulo, vel Theoremate principali collocari, ut infra magis dicetur. Prima ergo conclusio est de statu in processu divisivo, seu resolutorio ponendo, quam confirmabis ex primo Posteriorum, et ex quinto principali supra, et ex quarto Metaphysicæ. Quam probat in commento notanter ex dictis, et aliis propositionibus specialibus fœcundissimis adjunctis, quas roborat sententiis Aristotelis, et specificat in allegando Aristotelem, ad differentiam Metaphysicæ Avicennæ. Ubi adverte, quam caute et sincere loquitur in illis propositionibus adjunctis in commento. Dicit enim primo *potentia finita*, ad differentiam potentiarum vitalium Dei. Deinde addit *simul* propter instantiam de successione cognitionis infinitorum. Vide 3. *dist. prim. et* 2. *et* 1. *quæst.* 4. *et* 14. *dist.* 3. Addit ulterius *per se primo*, propter instantiam de cognitione rerum in Verbo, et accidentali cognitione oppositi in objecto, et virtuali effectuum in causa, et sic de aliis. Tange tamen instantias, ubi supra in 3. et dic consequenter bene ponderando. Quære in 4. in materia de beatitudine. Vide Franciscum et Ocham, et alios. In aliquibus originalibus non ponitur hæc conclusio hîc, sed tamen magis placet ut posuimus, ut in sequentibus patebit. De actibus intelligendi, propter dicta in commento, quære super libros de Anima, et alibi pluries ut nosti.

Resolutio conceptuum statum habet.

Deinde ponit conclusionem, seu propositionem secundam, *Nullum conceptuum unum*, etc. quæ negat convenientiam omnium conceptuum in aliquo univoce dicto, seu in *quid* de eis, quam expedite et pulchre probat in commento, quam etiam habet 3. *dist. prim. quæst.* 3. *et* 4. *Metaph. et super lib. de Anima.* Quære Avicennam 5. Metaph. cap. 6. vide sequaces hujus, et specialiter Petrum de Aliaco 3. *dist. prim. quæst.* 1. Et Francisc. in prolog. Conflat. et alios. Excipit enim a prædicatione quidditativa, seu in *quid*, entis differentias ultimas, et ejus passiones, ubi supra in primo. Sed an passiones inferiorum, et differentiæ individuales, debeant similiter excipi, dubium est ; sed de differentiis individualibus facilius est determinare, cum non sint entitates quidditativæ, sed hypostaticæ, quare nec includunt, nec includuntur quidditative. Possunt etiam intelligi sub differentiis ultimis, quia sunt ultimæ realitates. Vide 3. *dist.* 2. *q.* 6. de convenientia et differentia earum cum specificis. Forte tamen Doctor ibi tacuit eas, quia nondum determinavit in Sententiis de eis, et propter repugnantiam opinionum, tetigit tantum communiter nota. De passionibus vero inferiorum ad ens

6. *Ens non prædicari in quid de ultimis differentiis et passionibus ejus* 1. *dist.* 3. *quæst.* 3.

Passiones inferiorum an includunt ens, et in quo sunt prædicamento?

secundum varias opiniones varie esset dicendum. Nam qui passiones tales ponunt per se in prædicamento Qualitatis, habent tenere ens includi quidditative in eis ; qui vero aliter sentiunt, utpote quod sint respectus quidam transcendentes aptitudinales, reductive tantum in Prædicamento sui subjecti, ut communiter ponunt Scotistæ, adhuc etiam probabiliter possunt dicere idem, cum per absolutum et respectivum tamquam per quidditates dividatur ens, loquendo maxime de respectivo quidditativo, sed ad oppositum posset objici multipliciter, de quo alias.

7. De modis etiam intrinsecis dubium est, quia etiam Doctor ubi supra tacuit eos, circa quod notavi prius super Metaphysica, quemdam modum dicendi Doctoris, 1. et 4. Metaph. de modis ut *quid*, et ut *modus* acceptis. Satis tamen secure dici posset, quod cum modi tales, ut habet ipse 8. *dist. prim.* non sint proprie aliæ formalitates, seu conceptus a quidditatibus, quarum sunt modi, nec per consequens aliquid formaliter, seu quidditative includentes. Quod enim non est *quid*, vel formalitas, quomodo alicui dicto in *quid*, seu formaliter, subjicitur? cum talia sint prædicata, qualia permittunt subjecta? Sed hujus ambiguitatis ulterior discussio habet fieri ubi supra. Quære Franciscum, et alios Formalistas, et in omnibus Ocham, nunc ad oppositum, nunc ad propositum, omnia sane ad mentem Doctoris dijudicando.

Q. 2. Modi nihil includunt essentialiter.

Prima probatio conclusionis in commento posset (licet subtilis, et efficax sit) habere instantiam ad hominem ; quia non obstante simplicitate divina, ubi summa simplicitas habetur, ens quidditative de Deo, per te prædicatur, et per modos qui quasi conceptus qualitativi sunt, ad ipsum contrahitur; quare ergo non eodem modo de ultimis differentiis diceretur, et contraheretur ad eas? Considera bene, ponderando plura. Quære 8. *dist. prim. q.* 2. *et* 3. et in Francisco ; hoc enim motivum multum facit pro intentione Francisci in prol. Conflatus.

Ens quidditative prædicatur de Deo an ad eum contrahitur per modos.

Secunda probatio bona est, licet haberet evasionem, recurrendo ad realitates et modos ut prius. Ubi adverte, quod littera debet esse conjuncta, et dependens ibi : *Contra secundam petitionem*, etc. et non nota, seu principium objectionis, ut in pluribus originalibus reperitur.

Tertia etiam probatio patitur instantiam ad hominem, ubi supra in primo, juxta regulam Scoticam ibidem : *Commune* videlicet *ad duo inferiora, quorum unum denominat alterum, particulariter sine nugatione denominat seipsum.* Exemplum de animali rationali, in quorum utroque, ut ponitur ab aliquibus, includitur quidditative ens ; similiter cum dicitur, *homo albus*, et sic de aliis. Sed tu considerabis diversitatem hinc inde, et processum in infinitum, et resolutionem in realitates et conceptus, et sic faciliter instantiæ omnes de modis evadentur. Singularissime enim et ingeniosissime tribus probationibus ostendit veritatem conclusionis, licet Ocham conetur in omnibus objicere, alterius tamen et loci, et temporis, est hæc diutius prosequi. Attende, quod in aliquibus originalibus, post commentum hujus conclusionis, adduntur duo corollaria, quæ tamen infra post quartam conclusionem habes : *Conceptui generis*, etc. sed ubique satis bene currunt, hic videlicet et ibi ; quare legantur, ubi placuerit lectori.

Ulterius sequitur tertia conclusio : *Conceptuum stabit*, etc. Nam cum in prima ostendit statum in resolvendo, et in secunda, quod non ad unum saltem in *quid*, licet bene ad unum aut in quid, aut saltem identice seu denominative, a priori dictum ; in hac tertia tangit limitationem resolutionis ex parte termini *ad quem* ipsius, ostendens quod non oportet tot esse conceptus primos, quot resolutiones, sed ad aliquot primos fit omnium resolutio, semper enim pluralitas superflua, ubi paucitas salvat apparentia. Et in commento recurrit ad prius dicta, et littera est varia 8.

Non oportet tot esse conceptus primos, quot resolutiones.

in diversis originalibus, et ibi : *per quid etiam essent distincti*, etc. usque ad finem est *Extra*, vel penitus superflua, quia prius in commento 2. habetur. Adverte cum dicit : *Ad quot inquirant respicientes*, etc. quod ibi posset fieri longa investigatio; sed in sequentibus magis explicabit ista. Posset breviter distingui de resolutione ad primos conceptus, vel in genere videlicet, vel extra genus. Primo modo, possent poni tot primi conceptus in *quid* et in *quale*, quot sunt generalissima et prima contractiva eorum. Secundo modo possunt poni duo, vel tres primi tantum : unus in *quid*, ut entis ; alius in *quale*, ut primi modi entis, vel alii duo duorum modorum ; sed ex parte modorum posset fieri altercatio, et similiter ex parte passionum, quis videlicet primus, quis secundus, et quæ entis prima divisio, de quo alias. Saltem veritas conclusionis habetur, quia primæ divisiones entis sunt terminatæ, et contractiva prima ejus sunt in determinato numero ; igitur aliquot primi conceptus, quorum supputationem dimisit ad judicium boni viri, ne micrologus videatur. Quære 8. *dist. prim. hujus*, et in prolog. Conflat. in Francisco et in Tractatu de transcendentibus, et apud Formalistas. Posset enim probabiliter dici, quod ad hos duos secundum ens reale fit ultima resolutio omnium extra animam, et ad hos alios ens rationis, omnium, quæ actu collativo derelinquuntur. Alibi spero, Deo disponente, altius investigare hanc ambiguitatem.

Quot primi conceptus ?

9. Deinde ponit quartam conclusionem de diversitate primo determinabilis et determinantis, *determinans et determinabile*, etc. Ubi notanter dicit in prima parte conclusionis : *Conceptum per se unum*, propter convenientiam eorum in conceptu per accidens tali, non tantum perseicum, et hoc etiam extendendo *per accidens*, ut scis. In secunda etiam parte notanter ait, *per se alterius*, etc. propter identificam inclusionem et illimitationem, et maxime in transcendentibus. Vult breviter, quod determinans et determinabile sunt primo diversa, quia nec unum alterum, nec ambo tertium per se saltem, includunt. Ubi adverte, quod hîc posset fieri instantia ad hominem, quia, ut habet 3. *dist. prim. q.* 3. ens prædicatur in *quid* de aliqua differentia, ideo non potest esse genus, ut exponit singularissime Philosophum 3. *Metaph. text. com.* 10. si igitur intelligatur conclusio universalis negativa, ut egregie habet in commento, videtur falsa, aut repugnantia in dictis. Ideo, ut instantia excludatur, ponatur particularis negativa, ita quod non de quocumque determinante, sed de ultimo, vel saltem nec re, nec realitate, alio a determinabili intelligatur. Nota etiam quod specificavit tertiam probationem secundæ, si intelligeretur universalis negativa, eo quod aliæ duæ non ita essent ad rem; sed qualiter tertia etiam non concluderet, tetigi supra, famose enim currit, et hoc hîc sufficiebat. Rectius vero ponitur particularis negativa, et logice et realiter loquendo. Cum dicit in commento, *et tertia probatione*, potest omitti ly *et*, ut in pluribus habetur, vel subintelligi ly *hoc*. Multa hîc curiosa adducat lector curiosus, bene ponderando.

Determinans, et determinabile primo diversa intellige de determinante ultimo.

Consequenter ponit duo corollaria (quæ tamen, ut prius notavi, in aliquibus originalibus, imo communiter sequuntur commentum secundæ conclusionis, hîc tamen satis recte locantur) quorum primum est : *Conceptui generis et differentiæ*, etc. Quod intellige (ut limitavi conclusionem) quoad utramque ejus partem. Videtur loqui plerumque hîc de communi limitato, seu sumpto ab aliqua re, vel realitate una ; sed generaliter loquendo, propositio est vera ut particularis negativa, licet non ut universalis. Quod additur ibidem, *similiter de materia et forma*, sive sit pars textus, sive ut commentum, habet ambiguitatem ; quia 3. *dist prim. et* 8. *dist. ejusdem*, videtur tenere quod ens univoce, et in *quid* prædicatur de materia, et forma. Potest dici expedite, quod illa similitudo debet attendi quoad secundam partem corollarii, non quoad primam. Vel si 10.

An materia et forma includunt ens ?

contendas, quod universaliter intelligitur, dic quod loquitur de primo diversis re vel realitate, non autem conceptu reali. Vel aliter, et redit in idem, quod loquitur de diversis se totis subjective, non autem objective. Et sic habet concordari id, quod habet *in* 2. *dist.* 12. *quæst.* 1. ubi idem quod hîc de diversitate materiæ a forma tenet, cum his quæ dicit in primo *ubi supra.* Sessor doctrinæ Scoticæ, nisi stabiliter et caute æquitaverit, de facili cespitabit; tota ergo et totaliter videatur ejus doctrina, aliter interpreti et præcipitium imminet et ruina. Aliud corollarium, scilicet *Differentia superior*, etc. patet ex intentione super 7. Metaph. *q.* 17. *et* 11. *dist.* 4 *q.* 3. *et alibi sæpe;* sed instantias ibi tetigi et alibi, et quia ad alia festino, hîc plura omitto. Diligens lector omnia supplebit.

Differentia inferior non includit superiorem.

11. Deinde introducit quamdam cavillationem, seu evasionem, ibi : *Cum sit hæc usque*, etc. et sequitur immediate commentum 4. in aliquibus, ponendo corollaria, ubi prius supra, sed satis habetur hîc bene ad propositum. Et merito appellat respondentem protervum, quia apparet ex responsione manifeste. Potius enim videretur primo diversitas determinabilis et determinantis in abstracto quam in concreto, cum in concreto unum prædicetur de alio, et ambo de tertio; in abstracto vero minime; verbi gratia, hæc conceditur, *Rationale est animal*, et e contra, et hæc : *Socrates est rationale, et animal*, etc. hæc autem negatur communiter, *Rationalitas est animalitas*, licet garruli Nominales non vereantur eam concedere. Respondeo tamen, illa videtur habere aliqualem apparentiam ex dictis hujus *q.* 1. *primo Metaph. et q.* 1. 4. *ejusdem, et quæst. penultima* 6. de quocumque sumpto ut *quid*, etc. Sed de hoc ibi aliquantulum pertractavi, nec ad hoc recte vadit responsio, sed ad simplicem identitatem quidditativam determinantis et determinabilis abstractive sumptorum, quod tamen omnino falsum est. Quære in Logicalibus, et super 7. Metaph. et 3. et 8. *dist. prim. et* 3. *dist.* 2. et alibi plerumque, maxime de Genere et Differentia. De quidditate autem et modo, videtur fere idem. Vide notanter 6. *quæst. Quodlib.*

Diversitas determinabilis et determinantis, clarius patet in abstractis quam in concretis.

De primo diversis in abstractis, vide Doct. 1. Met. q. 1. et lib 4. quæst. 1.

Quod ibi tangit in impugnatione responsionis, de identitate concreti et abstracti, quære in quæstionibus Antepraedicamentorum *q.* 8. egregie, et instantias ponderabis, ut nosti. Vide super lib. Elenchorum *q.* 16. et 9. Metaph. *q.* 3. ubi hæc aliqualiter pertractavi, et super Porphyr. *quæst. ultima* , et in 4. *dist.* 11. *q.* 1. *art.* 3. singularissime; hîc enim loquitur de concreto pro formali tantum accepto, ubi etiam pondera ad finem argumentationis, qualiter, ut notavi, reducit argumentum ad oppositum. Plura alia hîc adducat lector.

An idem sit abstractum et concretum? Scot. quæst. 8. de Prædicam et 9. Metaph. quæst. 3.

Ulterius sequitur : *Creato, et increato*, etc. ubi assignavimus quintam conclusionem, licet in aliquibus originalibus, sit littera dependens ex præcedentibus jam declaratis, potest tamen recte poni conclusio, vel principium particulæ, seu Theorematis principalis. Ubi adverte, quod hæc posset distingui sicut illud primum corollarium supra, *determinans determinabile*, etc. videlicet in universalem, vel in particularem. Particularis enim affirmativa, et particularis negativa possunt esse simul veræ, maxime in terminis non essentialibus, ut nosti. Licet igitur alicui creato, et alicui increato sit conceptus communis univocus univoce dictus, non tamen omni, ut prius dictum est. Et hîc intelligo *creatum* extensive, pro quocumque alio a Deo, et sic forte entia rationis possent dici creata, de quibus manifeste, patet veritas conclusionis, comparatis ad entia realia, sive creata, sive increata. Licet quidam imaginentur univocationem entis utrique, hoc tamen non est ad mentem hujus, ut patet in Logicalibus et Metaphysica, et 29. *dist. prim.* Et si instantiæ possent alibi inveniri, vide 3. *et* 13. *quæst. Quodlib. et* 24. *dist. prim. in Reportatis, et super* 5. *Metaph. et alibi.* Pondera etiam cum dicit, *Per se communis*, etc. propter identificam præ- 12.

An aliquid sit univocum enti reali, et rationis?

dicationem, et analogiæ unitatem seu communitatem. Quære ubi supra notavi sæpe. Intelligo propositionem sic ad mentem Doctoris : *Non omni creato, et increato aliquis idem conceptus*, etc. nisi loquatur famose hîc, quod probabiliter posset dici.

13. Deinde sequitur illa propositio : *Conceptuum dico*, quæ est explicativa definitionis conceptus superius assignatæ, et non habetur in omnibus originalibus, et posset ibi assignari una particula principalis, seu Theorema. Posset etiam appellari *communis animi conceptio*, vel ad majorem expressionem ponitur. Quomodocumque, propositio est notabilis, ut patet. Ubi pondera multiplicem acceptionem *conceptus*, ut supra notavi, videtur hic accipi, ut *objectum*, non quomodocumque, sed ut habet esse in intelligentia, non tantum in memoria ; ideo dicit, *non ut forma*, etc. ubi plura tangat lector de conceptu entis, et correspondentia ejus, et sic de aliis. Vide ea, quæ notavi super quæst. 4. hujus in Antepraedicamentis. In commento declarat se breviter et subtiliter, quantum ad illam particulam, *esse*, videlicet intellectu, actu, ubi ponit disjunctivam trium partium, et ultima pars probabiliter dari potest. Vide optime *q.* 13. *Quodlib.* de his relationibus, et 5. *Metaph. et alibi sæpe*, ut nosti. Considera etiam an tales relationes sint reales, vel rationis, ubi supra et alibi sæpe, et adde ibi plura ad propositum, bene masticando et maxime relationes, quæ sunt duræ digestionis.

Conceptus *multipliciter sumitur.*

Per esse in, *triplex respectus intelligi potest.*

14. Consequenter addit aliam, in qua tangit multiplicem acceptionem conceptus objectalis. *Omnis conceptus*, etc. Secundum enim triplicem actum intellectus, posset assignari triplex conceptus, et primus subdividitur in *per se*, et *per accidens*. Per se etiam in *omnino simplicem* et in *simplicem*. Vide 9. Metaph. *ad finem, quære* 3. *dist. prim. quæst.* 4. et in præcedentibus, et supra hîc. Conceptus etiam complexus potest multipliciter subdividi, et similiter discursivus. Quære in Logicalibus, vide Franc. in prolog. prim. Conflat. et alios, ut nosti. Quinque ergo conceptus tangit, sed de duobus primis ad propositum intendit, quoad alios se ad sequentia remittit. Quære in Metaphysica, et aliqualiter infra hîc et alibi pluries. Adverte, quod tota littera posset poni textus, sed satis bene assignatur commentum ut habes, licet posset inchoari ibi : *dicatur resolubilis*, etc. Quære 6. Metaph. plura ad propositum explicandum. Pondera etiam notanter differentiam inter *conceptum aggregatum*, vel per accidens, et *conceptum complexum*, ex littera, et adde ut scis.

Conceptus objectalis multiplex.

Ultimo ponit 8. ut assignavimus : *Omnis conceptus*, etc. In qua comparat conceptus inter se secundum diversitatem, differentiam et ordinem, valde signanter, et tota littera posset poni textus, vel saltem usque ibi : *Dicatur alter*, etc. cujus fundamenta possunt haberi 5. Metaphys. in Aristotele, et in isto et alibi sæpe. Littera satis clara est usque ibi : *primo diversus et inclusus*, etc. si teneatur ly, *et*, copulative. Hoc ideo dico, quia conceptus primo diversus videtur omnino irresolubilis ; bene enim verum est, quod conceptus inclusus potest esse simplex, et resolubilis, sed de primo diverso est dubium. Si ly, *et*, teneretur disjunctive, nulla ambiguitas esset, sed loquitur forte de primo diversis subjective, seu prædicamentaliter, non autem objective seu transcendenter. Quære 5. Met. et alibi plerumque.

Conceptus primo diversus, est irresolubilis.

THEOREMA X.

SCHOLIUM.

Major pars hujus Theorematis habetur supra Theor. 8. Repetita sunt quædam, vel propter majorem expressionem, vel forte scriptorum vitio : tres primæ definitiones, cum suis duobus corollariis, ibi habentur ; tres petitiones hîc positæ, sunt clarissimæ. Quid sit confuse et distincte concipi, quod habent quarta et quinta definitio, vide apud Doct. 1. d. 3. q. 2. n. 21. Sexta est de definitione universalis, de qua vide eum, de

universal. q. 4. 5. et seqq. et 7. Metaph. q. 13. et 2. d. 3. q. 1. et 6. et 4. d. 43. q. 2. Septima definitio est de singulari, explicans descriptionem, de quo vide eum 2. d. 3. q. 6. ad primum, et tertium, et quæst. 22. de Anima.

10. princip. Definitiones. 1. *Primo concipi dicitur, quod intellectui adæquatur.*

2. *Per se non primo, quidquid in primo intellecto includitur.*

3. *Perfecte cognoscitur ex parte objecti, quando nihil objecti latet.*

Corollarium 1. *Simplex itaque si concipitur, perfecte concipitur.*

2. *Resolubile contingit imperfecte concipi.*

Petitiones. 1. *Conceptus aliquos esse resolubiles.*

2. *Conceptus aliquos esse non inclusos.*

Conceptus singularium non inclusi. Ut conceptus omnium singularium et solos, omnes quidem alii in his includuntur, et ab his abstrahuntur.

Definitiones. 3. *Confusa a nobis concipi, prius distincte.*

4. *Distincte concipitur, quod secundum hoc concipitur, secundum quod ab aliis distinguitur.*

Quid confuse, et quid distincte concipi? 5. *Confuse concipitur, quod indistincte.* Non ergo omne quod non primo, confuse, quia genus ita perfecte concipitur in conceptu definitionis, sicut per se, tamen tunc non primo concipitur, sed definitio primo.

Quid universale et singulare? Contra : quomodo ergo duplex confusio? secundum duplex totum, universale, et essentiale vel integrale.

6. *Universale, vel commune dico, cui non repugnat dici de multis.*

7. *Singulare, cui repugnat.*

ANNOTATIONES.

2. Sequitur illa particula, *primo concipi*, etc. quam 10. principalem notavimus. Vel si tantum conclusiones enumerabis, pone 8. principalem, seu alio modo supputando, ut supra notavi, erit supra vel infra, in qua ponuntur 7. definitiones, duo corollaria et tres petitiones. Et licet aliqua horum prius posita sunt, communiter tamen in originalibus sic reiterantur, et hoc vel ad majorem expressionem, vel scriptorum vitio, vel quomodolibet aliter. Forte enim nunc ut definitiones, nunc ut conclusiones seu communes animi conceptiones, aut petitiones ponuntur quod lector attendat. Aliqua vero originalia hæc non habent, sed nihil omittere volui, etiam septies repetita placebunt. Tres primæ definitiones claræ sunt et prius declaratæ, de *primo* videlicet, *per se* et *perfecte concipi*. Tertia hîc resolutius, quam supra ponitur. Duo etiam corollaria satis ex dictis clara sunt, licet contra primum eorum plura possent adduci. Quære 3. *dist.* 1. *et alibi, et* 9. *Metaphysicæ Arist. ad finem.* Tres petitiones patent manifeste, quarum tertia maxime patet ex 1. *Physicor.* et 3. *dist.* 1. *quæst.* 2. et *supra hîc*, et 1. *Metaph.* Secunda etiam patet 1. *Poster.* et 2. *Metaph.* et cap. de Specie in Porphyr. et alibi plerumque. Quarta et quinta definitiones patent ubi supra in primo, et alibi sæpe.

Deinde per modum corollarii sequitur : *Non ergo omne quod non primo*, etc. et ponitur ut commentum, licet posset poni ut textus usque ibi, *quia genus*, et posset impugnari sicut optime Doctor impugnat, et aliter etiam. Nam nihil primo conceptibile videtur perfecte concipi, nisi primo concipiatur; non ergo ita perfecte, ut videtur, concipitur genus, ut pars definitionis, sicut seorsum ; sed in perfecte et distincte concipiendo, dantur gradus, utpote *per se primo, per se non primo*, etc. et sic loquitur Doctor. Genus etiam, ut definiens, non est natum concipi nisi ut pars, vel distincte, licet alio modo, ut scilicet species, vel totum, vel ut genus, posset concipi aliter, considera. 3. An genus ita perfecte concipiatur in conceptus definitionis, et per se ?

Deinde objicit et non solvit. Quæ tamen objectio non habetur in aliquibus originalibus ; sed posito quod sit de littera et Genus definiendo est pars, prædicando totum.

sustinendo dicta, faciliter respondetur quod genus in definiendo, est pars; in prædicando, totum, secundum Boetium; et hoc proprie, vel appropriate, ut habet *super Porphyr. q.* 3. *de Genere*, iste; et ideo idem potest nunc confusum, nunc distinctum esse. Sed adde quod aliud est *confusum esse* et *confuse concipi*, similiter de *distincto* et *distincte*. Quære ubi supra, in primo et alibi plerumque, et adducantur hîc plura fundamenta hujus et sequacium, et tange multa de natura generis et cognitione ejus.

Idem potest esse confusum, et distinctum.

4. Commune *latius patet quam* universale.

Ultimo definit universale et singulare. Et notanter dicit *universale, vel commune*, quia *commune* est in plus quam *singulare*. Nam quidditas in potentia, etiam remota, ad universalitatem est communicabilis pluribus, ut 3. *dist.* 2. habet, et super 7. Metaph. tactum est *q.* 13. et alibi plerumque. Quære. Notanter etiam dicit, *cui non repugnat*, et non dicit quod de facto dicitur de multis, quia sive in uno tantum individuo sit, sive in pluribus, habet non repugnantiam, non tamen semper actum, ut ibidem determinat. Vide super 1. Perihermenias, et super Porphyrio et alibi. Refert etiam forte dicere, *habere non repugnantiam* et *habere aptitudinem*, considera bene et videbis, quod nihil diminute, nihil superflue dixit. Definitionem etiam singularis per oppositum declarabis, ut ibi supra in 2. et in Metaphysica, habet. Instantias hîc plures et resolutiones dictorum adducat lector, quia hîc omnia inserere non sinunt temporis angustia et ad majora acceleratio; famosa enim sunt hæc omnia in doctrina hujus: quare quærantur.

Universalis. descriptio, et singularis

THEOREMA XI.

SCHOLIUM.

In undecimo Theoremate una tantum est assertio, seu communis animi conceptio, de ratione *per se unius*, pro quo nota ex Theorem. 8. quod simplex conceptus est resolubilis in duos, determinabilis scilicet et determinativi; sed simpliciter simplex, seu primo simplex, est irresolubilis, ut ibi etiam dictum est. Simplex ergo conceptus primo modo, est ex actu et potentia, si Metaphysice loquamur, vel ex materia ex forma, Physice loquendo. An vero anima et Angelus, qui sunt ex actu et potentia, Metaphysice sint etiam ex materia et forma. Doctor q. 15. de Anima putat probabiliter quod sic, secundum Philosophos et D. Thomam de quo ibi in Commentario fuse egi. Duodecimo Theoremate ostendit actum compositi esse proprium, alioquin non distingueret illud ab aliis; et unum, alioquin compositum esset multiplex; et simplicem, alias aliquid ipsius esset ultimum, vel dares processum. Quando dicit actum esse unicum, loquitur de ultimo, respectu cujus quodlibet compositi est potentiale, ut explicat in commento; non negat ergo esse alium actum non ultimum, seu formam incompletam, quam ponit in corporibus animatorum, et fuse probat 4. d. 11. q. 3. a num. 54. de quo infra Theor. 19. num. 13. et Theor. 20. num. 9.

Omne per se unum et non simplex primo, est ex actu et potentia, sive ex materia et forma. 11. *princip.*

Hæc utique communis animi conceptio, quod innuit Peripateticorum princeps 8. *Metaph. text. com.* 15. *Sed hoc,* inquit, *materia, illud vero forma; et hoc quidem actu, illud vero potentia; non adhuc dubitatio videbitur esse, quod quæritur, sed hoc est quod quid erat esse utique.* Quasi dicat, in subjecto includi prædicatum, per hanc propositionem esse per se notam. Dico autem primo ex illis esse, quoniam si ex pluribus *per se*, sed non primo, quodlibet illorum, vel erit aliquid ipsius potentialis, vel actualis. De potentiali patet per ea, quæ dicuntur elementa, ut *A. B.*

Unum per se quid est?

THEOREMA XII.

12. princip. *Uniuscujusque compositi est aliquis proprius actus unicus, et simplex.*

Ab illo namque est unitas compositi in se, et distinctio ab alio. 7. Metaph. text. com. 49. Actus enim distinguit; igitur est proprius; sed et unicus, quia quodlibet compositi respectu ejus est potentiale, et ita non est actus hujus compositi, licet respectu alicujus *Ab actu unitas compositi.* in composito, possit dici actus, propter idem simplex, alias aliquid ejus erit ultimus actus.

ANNOTATIONES
ad XI et XII Theoremata.

2. Sequuntur alia duo Theoremata, quæ possent dici communes animi conceptiones, ut de primo eorum asserit Doctor hîc et infra. Secundum vero vocat conclusionem in sequentibus, et videntur Physicæ considerationis maxime, licet ad Metaphysicalia, extendi possint. Aristoteles enim propter difficultatem speculationis et abstractionis Metaphysicalis, communiter etiam in Metaphysicis locutus est Physice, aliud *Unitas convenit compositis et simplicibus.* voce proponens, aliud quasi mystice subintelligens, sicut Theologi suo modo etiam divinitus inspirati, in Scripturis sacris loquuntur. Prima propositio est talis : *Omne per se unum*, etc. ubi notanter addit, *et non simplex* : quia per se unitas nedum compositis, imo simplicibus et principalius convenit ; addit etiam *primo*, id est, adæquate, quia nec præcise ex actu, nec præcise ex potentia, nec præcise ex aliquo actus, vel ex aliquo potentialis, ut in commento exponit optime, et super 7. et 8. *Metaph.* copiose disputavit ; et non refert Averrois et sequacium imaginatio, removentium videlicet materiam a *quod quid est* rei materialis. In commento vero hanc proposi- *Aristoteles non Plato* tionem fundat in dictis Aristotelis, quem principem Peripateticorum, imo omnium *princeps Peripateticorum.* fere naturaliter loquentium, non Platonem, ut voluit Tullius (sed Scotum semper excipio) merito appellat, ut naturalis imaginatio attingere valuit 8. *Metaph. text. com.* 15. ubi videtur Philosophus velle hanc esse per se notam, et per consequens prædicatum ejus includi in subjecto. Quære ibi expositionem, et quæstionem hujus copiose ad propositum, et adde plura, ut nosti, quia paucis multa tangit.

Deinde sequitur secunda propositio, 3. quam 12. principalem notavimus, et præcedentem 11. sed ut prius notavi, alio modo supputando posset aliter quotari. Hæ etiam duæ possent congrue sub eadem particula locari ; sed has quotationes omitto ad judicium boni viri, quæ est talis : *Uniuscujusque compositi*, etc. ubi tria tangit, de actu, scilicet ejus simplicitatem, ut habet sex Principiorum auctor in principio. Vide 7. et 8. *Metaph.* et q. 9. *Quodlib. et alibi sæpe.* Ejus unitatem, et ejus proprietatem, quæ optime commendat, roborat et exponit in commento. Unius enim rei unum est *esse*, de quo tamen vide *in* 3. *dist.* 8. q. 1. esse autem principaliter est ab actu, vel a forma ; quare actus unicus, proprius etiam est, alias non distingueret a quocumque non ipso. Quære 7. *Metaphys. text. com.* 49. Non obstant hîc dicta his, quæ habet 11. *dist.* 4. *Plures in composito formæ.* *et* 7. *Met. et* 2. et 4. *dist.* 3. et alibi plerumque de pluritate formarum, quia formæ priores sunt potentiales, vel saltem partes, vel aliquid potentialis formæ ultimatæ et specificæ, ut egregie brevibus in commento declarat. Exclude etiam hinc cavillationes Nominalium de compositione ex corpore et anima intellectiva. Nam quæcumque pars hominis non est homo, quidquid dicant illi garruli, propriam vocem ignorantes ; sed adæquatum potentiale cum actu specifico hominem constituit, cujusmodi sunt corpus organicum (completum ex principalibus saltem organis) et anima intellectiva, quod ex præcedenti

propositione, et dictis hujus alibi confirmabis.

THEOREMA XIII.

SCHOLIUM I.

In hoc Theoremate undecim habentur propositiones. Prima et tertia positæ sunt Theor. 9. Secunda habetur ex Theorem. 11. Quarta colligitur ex prima hujus; si enim non esset ultimum determinans, nec status in resolutione conceptuum. Ponit in commento conditiones conceptus determinantis. Quinta patet, quia si omnis conceptus immediate in irresolubilem resolveretur, species ejusdem generis essent primo diversæ, quia sicut nec in qualitativo conceptu, ita nec in quidditativo conveniret; secunda probatio obscura satis est. Sexta sequitur ex quinta, si fit resolutio pas im in quidditativum resolubilem; ergo hîc communior est conceptu resoluto, verbi gratia, conceptus animalis, conceptu hominis. Septima, ostendit in resolutione quidditativa dari unum supremum conceptum, nempe entis, et sex rationes ad hoc positæ suadent optime entis univocationem, de qua Doct. 1. d. 3. q. 2. a num. 5. et d. 8. q. 3. n. 11. et 4. Met. q. 1. et q. 4. Prædicam. et de Anima q. 21. ubi in commentario fuse de hoc egi.

1. *Conceptuum resolutio statum habet.*

13. *princip. Theorem.* 8. Alias nihil perfecte cognoscibile, ex definitione quarta et quinta, quia nec quilibet ejus; non enim uno actu infinita concipientur a nobis, nec infinitis quos non erit pertransire. Contra: inconveniens est, quod non solum a nobis, sed ex se non sit cognoscibile. Respondeo: uno actu infinita confuse.

2. *Omnis conceptus resolubilis primo resolvitur in determinabilem, et determinantem.*

Essentialis conceptus excedit quidditativum. Quia in potentialem et actualem, seu materialem et formalem. Ex conceptione itaque, determinabilis dicatur quidditativus; determinans, qualitativus; itaque essentialis excedit quidditativum.

3. *Determinabilis et determinans, nihil idem essentialiter includunt, nec unum alterum.*

Si determinabile et determinans non essent primo diversa, daretur processus. Ac per hoc sunt primo diversa, alias nugatio in omni conceptu resolubili, et processus in infinitum, quia illud commune in utroque determinabitur, et ipsum et determinans aliquid includunt, quod iterum determinabitur in infinitum.

4. *Cujuslibet resolubilis est aliquod ultimum determinans.*

Conditiones conceptus determinantis. Ex prima, unicum, ex conclusione de actu, simplex, quia ultimum; et hoc dicatur proprium determinans, quia quidquid aliud est in conceptu illo, respectu ejus, est determinabile, licet respectu prioris, sit aliquo modo determinans, sed non totalis conceptus; itaque quot conceptus resolubiles, tot proprii determinantes, primo diversi a determinabilibus ex tertia et inter se ex ista. Itaque nullus conceptus communis omnibus, tam ex tertia quam ex ista, sed stat resolutio cujuslibet in qualitativum irresolubilem; nugatio namque sequeretur, et infinitas, nullumque alium esse conceptum simplicem, ac ideo nullos duos primos diversos, quare nullos differentes.

Corollarium.

Ex 3. Theorem. 9.

Negato ultimo determinante, sequitur nugatio infinita.

5. *Non statim resolvitur quicumque conceptus in quidditativum irresolubilem.*

Quia duo conceptus tunc essent primo diversi; non enim conveniunt in qualitativis ultimis, ex corollario quartæ, et si non in aliquo quidditativo, tunc in nullo. Item, tunc simpliciter simplices tantum essent in numero duplo, 2.

respectu resolubilium; qualitativi quidem proprii æquales sunt numero resolutis, sed quidditativi excedunt.

6. *Quidditativi conceptus resolutis sunt communiores, sed in resolutione posteriores prioribus sunt communiores.*

Quidditativus conceptus est communior resoluto. *Quidditativi* dixi: qualitativus enim proprius convertitur cum resoluto, ex corollario quartæ; hoc probatur ex definitione communis, quia potentiali non repugnat ex se actus alius ab isto, quo determinatur.

7. *Quidditative resolvendo, ad unum primum conceptum status erit.*

n resolutione uidditativa datur status. Est autem iste conceptus communissimus ex sexta, et est entis. Cum certitudine namque de isto, potest stare dubitatio de quocumque conceptu alio quidditativo, non autem certitudo ejusdem et dubitatio de eodem conceptu. Item, unus conceptus, quo ens communissime, negatur. *nivocatio ntis sex ationibus robatur.* Item, si confusa prius nota, aliquid simpliciter primo impriment intellectui, quod bene asserit Avicenna esse ens: non enim plura confusissima æque primo occurrunt, neque illorum aliquod si respectu aliorum non est confusum. Item, unum objectum primum intellectus, et primi habitus scientifici. Item comparantur quicumque duo alii quidditativi secundum perfectius et imperfectius in entitate. *ompara- ta, et nnumerata, univocantur.* Item, connumerantur duo entia; quia quodlibet ens ad quodlibet ens non idem, est diversum; ergo illa sunt duo entia; comparatio autem et connumerata, in aliquo univocantur.

SCHOLIUM II.

Octava conclusio est explicatio septimæ, ostendens tantum unum conceptum esse positive communissimum, quod optime probat commentum. Nona, aliquos conceptus immediate contineri sub primo, alioquin essent infiniti, contra primam. Hîc ponit ens primo dividi in decem genera, de quo 1. d. 3. q. 3. num. 7. et dist. 8. q. 3. et 4. d. 10. q. 1. num. 11. et d. 13. q. 1. et 5. Met. q. 5. quod videtur innuere Aristotelem dicere, ens includi in differentia; ab hoc recedit, cum dicat eum arguitive tantum locutum, ipse tenet non includi in ultima, 1. d. 3. q. 3. num. 6. 7. 15. et 2. d. 3. q. 6. num. 13. 14. Conclusione decima, passiones entis quæ sunt conceptus qualitativi denominantes, denominare per se quemlibet conceptum quidditativum, quia denominant per se primo ipsum ens et consequenter per se, non primo, omne includens ens. Ultima conclusio bene docet passiones entis non includere ipsum, et probatur quatuor rationibus in commento, de quo vide Doct. 1. dist. 3. quæst. 3. num. 6. 7.

8. *Tantum est unus conceptus quidditativus communissimus.*

Quia si duo, uterque in quolibet alio includeretur, aut igitur alter in altero; et tunc alter non communissimus, ex sexta; aut neuter in alio, et tunc unus determinabilis alter determinans ex secunda, et ita tantum alter quidditativus. *3. Tantum unus conceptus communissimus.*

9. *Sub primo quidditativo immediate continentur aliqui conceptus quidditativi.*

Quia si omnes mediate, infiniti conceptus, contra primam; si tantum unus immediate, primus non illo communior, contra sextam. Quot igitur sunt? Tantum decem famose ponuntur, qui ideo immediati primo, quia in quolibet alio quidditativo conceptu aliquis istorum includitur, et nullus istorum in alio; nec alius quidditativus in *Si nullus conceptus esset immediatus enti, essent infiniti conceptus. Ens immediate dividi in 10. genera.*

eorum aliquo, nisi prius hæc generalissima genera, seu prima genera dicuntur. Contra : cur non primus conceptus genus primum, si in quid prædicatur, et per differentias determinatur ille ad istas decem ? Respondetur, quia est de intellectu differentiæ, quod generi non convenit. Hoc arguendo dixit Aristoteles, 3. *Metaph. text. com.* 10. cum sit impossibile eumdem conceptum in genere et differentia includi ex tertia, nec unum in alio : itaque si ens est de intellectu differentiæ ipsum determinantis, æquivocum esset et alius conceptus ; nihil autem prohibet conceptus generis, et differentiæ æquivoce eodem nomine importari.

Si ens esset de conceptu differentiæ suæ, æquivocum esset.

10. *Est aliquis conceptus qualitativus, denominans quemlibet quidditativum.*

Denominans, inquam, ad differentiam qualitativi determinantis, quia determinans per se includitur, denominans non. Hoc probatur, quia denominans primo denominat per se quodlibet inferius, aliqua primo denominant ens, ut *unum, verum, bonum* ; itaque quemlibet quidditativum per se denominabunt, licet hi dicantur denominativi communissimi.

Determinans per se includitur, denominans non.

11. *Nullus conceptus denominativus communissimus primum quidditativum per se includit.*

Nec igitur aliquem inferiorem, et ita in nullo genere 10. Prædicamentorum; igitur transcendentia qualitativa. Hoc probatur, quia nugatio, *ens unum*. Item, quia non convertuntur prædicationes per se: hæc per se prædicantur de ente, non itaque e converso. In definitione etiam passionis, subjectum cadit ut additum, non itaque ut inclusum. Item, quodlibet istorum seipsum denominaret.

Passiones entis non includunt ipsum.

ANNOTATIONES.

Sequitur alia particula : *Conceptuum resolutio*, etc. quam 13. principalem notavimus, et in qua undecim propositiones assignavimus; sed, ut prius dixi, aliter supputari poterit, alio modo litteram ordinando ; et videtur superflua, aut hîc, aut supra, hæc propositio, quare posset omitti hîc, vel ibi ; sed si eam legere volueris, excusabis, ut notavi supra. Quam probat ut prius, licet non ita ad plenum. Et cum dicit in commento, *ex definitione*, in aliquibus originalibus, imo communiter non additur quotatio aliqua, in aliquibus vero ponitur, ut habes quarta et quinta, et aliqui addunt *D*, et *E*, sed sine quotatione. Littera est bona ; si autem adderetur quotatio, bene esset tertia, habendo respectum ad præcedentes immediate, vel quarta et tertia ad mediate et immediate; habet enim referri ad illam definitionem *perfecte concipi* et *distincte*, seu *per se concipi*. Tange instantias circa dicta in commento, ut prius notavi. Ubi adverte consequenter in littera, quod in aliquibus, ut habes, ponitur objectio in commento sic : *Contra : inconveniens est*, etc. et potest referri ad cognitionem infinitorum, et responsio sequens satis vadit ad propositum, sed licet non distincte, confuse saltem possunt infinita apprehendi uno actu, sed communiter in originalibus habetur loco *contra*, *conclusio*, et debet referri ad illud in principio commenti : *alias nihil perfecte*, etc. et placet magis sic littera, et tunc illa responsio ad finem posset poni additio, vel *Extra* ; aut si ponatur de littera, est evasio seu cavillatio quædam, et faciliter infringi potest, quia non fit sermo hîc de cognitione confusa, sed perfecta et distincta, ut patet in littera. Utroque modo cum possit littera percipi, eligat

4.

Istæ propositiones habenti Theorei 9.

lector quod voluerit, consequenter plura addendo.

5. Consequenter ponit secundam : *Omnis conceptus*, etc. et tota littera cum commento patet prius. Adverte in commento, cum dicit *ex conceptione*, quod videtur recurrere ad illam supra, *Omne per se unum*, etc. unde habes ponderare valde ordinem, et numerum varie in hoc processu, ut infra magis opus erit propter intricationes allegationum.

[...]nditio- [...] deter-minan- [...] Concep-tus.

Deinde sequitur tertia : *determinabile et determinans*, etc. quæ etiam cum commento prius habetur, et instantias hinc inde considera et exclude, ut supra notavi.

Consequenter ponit quartam : *Cujuslibet resolubilis*, etc. quæ satis notanda est cum sua declaratione in commento. Tangit enim tres vel quatuor determinantis conditiones, videlicet quod cujuslibet resolubilis datur determinans ultimum, unicum, simplex et proprium, et omnes illæ particulæ possunt notari ut textus, et remissiones, ut commentum. Ubi nota corollaria, quæ infert consequenter pulchre ad propositum, et superius omnia fere habita sunt. Probat autem conclusionem ex præcedentibus notanter, ubi habes ordinem conclusionum fore convenienter assignatum. Limita, ut scis, caute, quod dicit de conceptu communi omnibus, de qua communitate debet intelligi.

Deinde sequitur quinta : *Non statim resolvitur*, etc. ubi posset poni principium particulæ, vel capituli, sed satis bene quotatur, et est de ordine, et gradibus in quidditativis conceptibus assignandis, ut Plato et Porphyrius, post ipsum quam probat dupliciter in commento : quarum secunda est valde notabilis, et maxime procedunt probationes de conceptibus specificis resolubilibus. Prima vero probatio posset impugnari, vel pati instantiam, ut patet comparando hominem et asinum ad conceptum animalis, qui in casu ponatur irresolubilis ; vel comparando corpus et spiritum, ad conceptum substantiæ ; vel saltem comparando substantiam et quantitatem, ad conceptum entis, supposita univocatione ejus. Sed bene ponderando optime probat Doctor, quia accipit conceptum quidditativum cum præcisione, ut distinguitur contra conceptum includentem quidditativum et qualitativum ; conceptus enim hominis non est præcise quidditativus ; quare si resolveretur in conceptum animalis, qui in casu esset irresolubilis, et per consequens præcise quidditativus, tunc ille comparatus ad conceptum quemcumque alium sic quidditativum, esset ab eo primo diversus, quod falsum et inconveniens est, et sic de aliis exemplis dices. Non possunt duo conceptus convenire quidditative in tertio, nisi contrahatur ad ipsos per aliquos qualitativos ex quibus constituuntur, et per consequens non erunt præcise quidditativi. An vero hoc verum sit de contractis modalibus, et conceptibus transcendentibus, vel an loquitur præcise de conceptibus Prædicamentalibus, et realitatum, dic consequenter bene ponderando. Adde hîc plura subtilia curiose, et salva. Semper aquilæ discursus transcendit certe caprarum imbecilles saltus, et non formidat porcarum garritus.

Quidditativus cum præcisione est primo diversus ab aliis.

Sequitur sexta : *Quidditativi conceptus*, etc. in qua comparat quidditativos conceptus, in quos ordinate fit resolutio ad qualitativos et resolutos, et ad se invicem secundum majorem et minorem communitatem, et littera tota patet. Ubi adverte cum dicit in commento, quod *qualitativus proprius convertitur*, etc. quod talis convertibilitas non est per viam totalis entitativæ comprehensionis, sed potius ultimatæ constitutionis et antonomastice, ut supra notavi. Quære 11. *dist.* 4. et alibi, ut nosti. Pondera etiam cum dicit : Ex definitione communis, quia illa est definitio sexta supra *universale, vel commune*, etc. potentiale enim indifferens est inquantum tale, actus vero distinguit et separat, et ultimate constituit, et primo prioritate perfectionis. Quære 7. *Metaphysicæ*, ut scis, 6.

Potentiale est indifferens.

Actus distinguit, et separat.

et 22. *dist.* 3. *et* 14. 2. plura ad propositum.

Septima propositio : *Quidditative resolvendo*, etc. in qua ostendit statum esse ad conceptum entis quidditative, et notabiliter in commento ostendit brevibus univocationem entis, quod supra super Metaphysica pertractavi, et ambiguitates circa hoc, et ubi, et qualiter, ibi quære. Tangit primo in commento illud famosum argumentum de conceptu certo, et dubio in aliquibus, imo communiter non habetur ratio sequens, quam habes : *Item, unus conceptus*, etc. et procedit, ut videtur, per viam contradictionis inferendæ, quod non convenit nisi in univocis. Tertia procedit de primo cognito, sed declarabis caste, ut supra notavi super Metaphysica, et habet 3. *dist. prim. et* 8. *ejusdem*, et pondera differentiam inter *confusum* et *confuse*, et inter *confusum* confusione partium subjectivarum et essentialium, et multa alia ibi tange, et an loquatur famose, considera bene. Quarta ratio procedit ex unitate objecti intellectus et habitus Metaphysicæ. Quinta ratio per viam comparationis, quæ tantum habet fieri in univoco 7. *Physicor.* Vide optime 8. *dist. prim. q.* 2. Sexta et ultima ex numeratione in entitate, quod etiam arguit univocationem, quæ omnia dilatabis et examinabis, ut alibi habes, et maxime ut *quæst.* 4. *Antepraedicamentorum hujus* copiose dixi, et adversarios exclude.

Quando negat unus conceptus enti quod negatur, est unum.

Univocatio entis ad inferiora probatur.

7. Deinde sequitur : *Tantum est unus conceptus quidditativus*, etc. quam octavam notavimus, sed in aliquibus ponitur in commento præcedentis sic : *Item, tantum est unus conceptus*, etc. tanquam probatio præcedentis et satis bene ; sed potest poni conclusio, tanquam ad majorem expressionem et exclusionem cavillationum contra præcedentem. Posset enim quis concedere, quod resolutio fieret ad ens, tanquam ad primum communissimum, exponendo ly *primum* negative, et cum hoc posset esse ad alia prima, utpote ad *rem*, vel *aliquid*, vel hujusmodi. Hoc ergo excludendo, ponit istam, in qua oportet ens esse unicum, primum, communissimum, via resolutionis, exponendum ly *primum* positive, quam probat paucis singularissime ex præcedentibus, et littera satis clara est.

Nullum aliud præter ens esse communissimum conceptum.

Sequitur nona : *Sub primo quidditativo*, etc. in qua ostendit divisionem primam entis, non esse indifferenter in quotcumque inferiora, sed in determinata. Quam ostendit ingeniosissime in commento, quia nec in unum tantum, nec in infinita ; relinquitur ergo quod in aliquot determinata numero. Et quærit in quot? et respondet famose, quod in illa decem Prædicamenta, et probat quod immediate, quæ omnia supra patent 5. *Metaph. quæst.* 5. et sequenti. Excludit consequenter objectionem, quare videlicet ens non sit primum genus, adducendo motiva Aristotelis 3. *Metaph.* Ubi notanter dicit, *Hoc arguitive*, vel *arguendo dixit Aristoteles*, supple *et non assertive*, ut 3. *dist. prim. q.* 3. optime pertractat. Et quod ibi tangit de æquivocatione entis, et inclusione essentiali ejus in intellectu Differentiæ, declaravi supra, et super quæstiones in Porphyrium et Prædicamenta, et ubi supra in Metaphysica, et in primo invenies. Loquitur plerumque hîc famose, ut a principio præsupposui ; omnia tamen sale condita, et brevitate, et subtilitate mirabili.

Adverte etiam, quod licet hæc Theoremata posuerimus post Metaphysicam, ordine tamen doctrinæ, et, ut reor, editionis præcedunt : quare ea quæ dicit hîc brevibus, ibi prolixe, et quæ problematice aliquando et famose, ibi determinate, et similiter de Metaphysica in ordine ad Sententias est intelligendum. Non enim asinino cursu, nec violento motu, ut multi hujus ætatis fatuorum applausum usurpantes, in suis scriptis processit, quod lector ejus doctrinæ attendere maxime debet. Qualiter vero ens descendat in decem Genera, et an per differentias determinetur, vide ubi supra, et multa Logice et Metaphysice ad hæc vigilanter stude. An autem

prius dividatur ens in aliquos conceptus transcendentes quidditativos, quam in decem Genera, sunt variæ imaginationes sequacium hujus : quære Formalistas, et plura loca hujus doctrinæ, ut scis.

[Qu]omodo [e]ns de [h]is passionibus [d]icitur, et e [c]onverso.

Deinde ponit decimam : *Est aliquis conceptus*, etc. in qua ostendit communitatem passionum et modorum entis. Vide copiose ad hæc Franciscum in prolog. Conflat. et alios sequaces hujus. Ens namque prædicatur de omnibus identice seu materialiter, sed alia plura de ente formaliter, et per consequens de inferioribus ad ens. Vel sic, prædicatur ens de omnibus denominative a priori, alia vero de ente denominative et a posteriori. Ubi adverte signanter differentiam, quam facit inter *determinans* et *denominans*, et accidens proprie denominans, ut Philosophus in Anteprædicamentis. Unde divisiones entis per passiones et modos, licet sint per denominantia, non tamen proprie per determinantia, quia *determinans* hîc accipitur pro distincto, saltem secundum realitatem, quod cum determinabili facit compositionem Metaphysicalem saltem. Determinans enim constituit in actu primo, denominans vero in actu secundo, et præsupponit primum. Adde et cum dicit, quod *determinans per se includitur*, debet referri non ad determinabile, sed ad tertium constitutum, denominans autem nec sic, nec sic per se includitur, licet bene identice, et hoc loquendo de perseitate primi modi. Nota etiam ibidem differentiam, inter *denominans primo* et *denominans per se*, sicut communiter in Prædicamentis. Duos modos perseitatis habes 1. *Posterior*. De multiplici contractivo, et determinativo, quære in logicalibus hujus, ut alias notavi.

[Di]fferunt [de]terminans, et [de]nominans, quomodo?

[Fo]rma determinans [su]pponit [for]mam primum.

[De]nominans primo, et per se differunt.

9\. Consequenter ponit undecimam et ultimam hujus particulæ : *Nullus conceptus*, etc. quam supra etiam pertractavit et 3. *dist. prim. q.* 3. et 4. *Metaph.* et posset littera textus durare usque ibi : *Hoc probatur*, etc. sed satis bene jacet. Posset etiam illa particula, *nec igitur aliquem inferiorem*, etc. assignari corollarium et ita multa alia alibi plerumque in præcedentibus et sequentibus corollaria possent notari, ut assignavimus, quæ lector suis in locis addat et specificet. Vult igitur quod sicut dantur conceptus quidditativi transcendentes, vel saltem unus primus, ita dari debent qualitativi, et plures qualitativi correspondere possunt unico quidditativo. Nec mirum, cum unitas prioris stet cum pluralitate posterioris, et unitas subjecti cum multiplicatione formarum accidentium modorum atque passionum, sicut enim materia prima in Physicis, ita potest poni ens in Metaphysicis. De numero et ordine transcendentium qualitativorum, quære ubi supra notavi, et qualiter demonstrari possunt, etc. Probat autem conclusionem quatuor rationibus brevibus, sed fortissimis. Quære ubi supra *in primo, et* 4. *Metaphys.* Prima procedit per viam vitandæ nugationis. Secunda ex non mutuitate per se, in per se prædicationibus 1. *Posterior.* nedum ejusdem modi, sed simpliciter, et hoc in per se causa. Tertia ex repugnantia seu diversitate, per additum definitivi et formaliter inclusi. Quære 1. *Posterior.* 6. *Topicor. et* 7. *Metaph.* Quarta, ex implicatione contradictionis seu ex repugnantia denominantis, et denominati respectu ejusdem. Nam omne denominans quidditative inclusum personaliter supponens, denominat et includens.

Passiones entis non includere ipsum.

TRACTATUS DE CREDITIS [1]

THEOREMA XIV.

SCHOLIUM I.

Mirabitur quis, quod Doctor dicat quatuor primis propositionibus hujus Theorematis probari non posse, Deum esse vivum, intelligentem, volentem, vel ullius operationis immanentis effectivum, vel capacem. Sed advertendum, eum loqui de probatione demonstrativa, sumpta in rigore juxta regulas Logicas, non autem de probatione alia citra illam demonstrationem, quo sensu ista tenent quotquot dicunt demonstrari non posse evidenter, Deum esse, aut esse unum, vel dari unum omnium principium effectivum : Bassol. 1. dist. 2. q. 1. ita ait de primo effectivo; et q. 2. de infinito, et q. 3. de Deo uno. Rubino q. 2. negat demonstrari dari infinitum, et q. 3. Deum esse unum. Idem ait Ocham ibi q. 10. de Deo uno, et Quodl. 3. q. 1. et Quodl. 7. q. 17. et alias. Solvit etiam omnia fere argumenta Scoti pro unitate Dei, et primi entis probanda, quæ tamen sunt efficacissima omnium. Idem ait Warro ibi quæst. 1. Andreas a novo Castro q. 4. ait tantum ut probabilius probari Deum esse. Petrus de Aliaco 1. dist. 1. q. 3. art. 2. absolute negat id demonstrari, consentit Holcot 1. q. 4. in respons. ad argum. contra conclusionem quartam. Major d. 2. q. 2. concl. 2. ait ad id esse rationes probabiles, quas tamen omnes solvit, et idem fecit Adam d. 2. q. unica, art. 1. quos sequitur Gaspar Cassalius lib. 1. de quadripart. justa, cap. 16. post. 2. concl. Ad idem est Gab. 1. d. 2. q. 10. concl. 2. dicens *probari sufficienter licet non evidenter, dari primum conservans et primum efficiens.* Hos celebres Doctores adducere volui, pro hac parte, quia Doctor noster hic in eam inclinare videtur ; evidens enim est non magis, aut forte minus, demonstrari posse, Deum esse vivum, intelligentem, et volentem, quam Deum esse, vel infinitum ens, aut primum efficiens esse, quæ tamen asserunt hi demonstrari in rigore non posse : quam sententiam quidam recentiores, rationem demonstrationis in suo rigore forte non penetrantes, 1. part. quæst. 2. art. 2. temerariam, et erroneam esse censent, quamque ait Bannes ibi, unum Petrum de Aliaco ausum esse docere, ut videas quam diligenter revolverit iste auctor Classicos Theologos. Conglomerant Molina, et alii pro se multa Sanctorum dicta in id, Rom. 1. *Quod notum est Dei manifestum est in illis, etc. invisibilia enim Dei a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Sed forte nullus eorum utitur voce *demonstrationis*, qua, etiam si quis eorum uteretur, de illa rigida juxta regulas Aristotelicas, minime intelligendus esset, sed de *demonstratione* sumpta pro discursu sufficiente ad aliquid persuadendum intellectui bene disposito, sine formidine de opposito, qualis demonstratio in moralibus occurrit. Rigida autem demonstratio habet quatuor conditiones, de quibus Doct. 3. d. 24. ex Arist. 1. Poster. text. 5.

Sed quidquid sit de hac sententia pro qua tot Doctores adduxi, ejusve censura, quæ male fundata videtur, Scotus eam non asserit : sed vel loquitur secundum sententiam aliorum, ut notat hic Mauritius, vel, quod verius est, tantum ponit istas quatuor propositiones, nihil de eis resolvens, quod colligo ex propositione quinta ibi, *Concessis quatuor conclusionibus proximis, licet non probatis.* Quibus verbis constat, secundum eum non probari, quod demonstrari nequeat Deum esse vivum, etc. ergo illas quatuor conclusiones non tenet ut probatas, vel assertas, sed non resolutas reliquit. Quod confirmo, quia tract. de primo principio cap. 3. et 4. et

(1) *Tractatus de creditis*, qui perperam inter *Theoremata* collocatus legitur, estque *cap.* 14. 15. *et* 16. eorumdem Theorematum; et de quo Mauritius Hibernicus in *Annotat.* ad illud cap. 14. dubitavit, an ille *tractatus* seorsum collocari deberet, cum intelligeret, nihil ferme connexionis habere cum *Theorematis;* reliquitque nihilo secius, vel immiscuit primus eisdem Theorematis, et hucusque inter illa invenitur; est in futuris editionibus segregandus; nam ipsemet Scotus in tract. de primo principio cap. 4. concl. 9. citat hunc suum *tractatum de creditis* veluti distinctum a *Theorematis*, quæ ibidem ipse adducit concl. 10. et etiam Gabriel Zerbius lib. 3. Metaphys. quæst 3. et alibi non semel Scoti *Theoremata* citat; lib. vero 12. quæst. 11. et 29. §. *propter tertium* profert *tractatum de creditis.*

(Supplementum et castigatio ad Scriptores Trium ordinum S. Francisci. a Waddingo, aliisve descriptos, cum adnotationibus ad Syllabum Martyrum eorumdem Ordinum. Opus posthumum *Fr. Jo. Hyacinthi Sbaraleæ* Minor. Conventual. Sac. Theolog. Magistri.)

1. d. 2. q. 2. exactissime probat Deum esse, et esse intelligentem, ac volentem, primum efficiens, ultimumque finem. Vide eum in particulari probantem, Deum esse intelligentem, et volentem d. cap. 4. concl. 4. et 1. d. 2. quæst. 2. art. 3. num. 20. et 21. quibus locis hæc demonstrare satagit rationibus omnium, quotquot hactenus adinventæ sunt, efficacissimis ; unde si hîc teneret oppositum, quod eum tenere probabile est, ut constabit ex Theor. 16. ibi provectior alteram sententiam elegit, et totis viribus roboravit. Propositio sexta est clara, quia operatio immanens non est actio, et sic non habet terminum, sed qualitas; dicitur tamen actio, quia convenit cum ea in continuo fieri, et respicientia objecti, 1. dist. 3. quæst. 7. ad. 3. Quod vero sit qualitas, tenet Doctor 1. dist. 3. quæst. 6. num. 31. et quæst. 9. num. 10. et dist. 6. num. 3. et Quodl. 13. Propositio septima habetur 2. dist. 1. quæst. 1. art. 3. ubi bene probat Doctor, si per impossibile non esset productio ad intra, quod esse posset ad extra, et sic non per se requiritur productio ad intra, ut ponatur productio ad extra. Si enim tantum esset una persona, non minus esset productiva ad extra, quam modo est tota Trinitas, quidquid dicat Henricus, quem ibi refutat Doctor.

1. *Non potest probari Deum esse vivum.*

1. Princip. Tractatus propositionum creditarum.

Tum, quia ordo hoc non concludit, Sol non vivit, bos vivit : tum, quia hæc non est differentia aliqua entis, nec communis omnibus entibus, vel ejus oppositum, sed tantum sunt differentiæ corporis corruptibilis. Tum, quia primum habet perfectionem nobiliorem vita, sicut et Sol habet, non tamen vivit.

Corollarium. An demonstrari possit Deum esse volentem ? Corollarium duplex.

2. *Non potest probari Deum esse sapientem, vel intelligentem.*

Tum ex proxima : tum probatur, ut illa, et per consequens, nec præscientem, nec prædestinantem, nec per artem, sive per ideas, sive quocumque modo intellectualiter, aliquid producentem.

3. *Non potest probari Deum esse volentem.*

Tum ex utraque præmissarum ; tum probatur, ut illæ, et per consequens nec amantem, nec justum, nec misericordem, et per consequens, nec judicem meritorum, vel demeritorum.

4. *Non potest probari Deum habere aliquam operationem manentem in se.*

Corollarium An probari possit Deum operari immanenter ?

Ex duabus proximis ; per consequens nec aliqua operatione beatum, sed beatitudo ejus æquivoca nostræ potest esse in suo *esse*, quod est sibi melius quam nostrum operari nobis. Ordo non probat contrarium, patet de Sole.

5. *Concessis quatuor conclusionibus proximis licet non probatis, non potest probari Deum aliquod aliud a se intelligere, vel velle.* 2.

Corollarium. Per 21. et 22. intelligit 2. et 3.

Quia ad perfectionem et prioritatem actus, sufficit perfectio et prioritas objecti, per consequens sequitur corollarium vigesimum primum, et corollarium vigesimumsecundum, et illud corollarium commune, Philosophi multa scripserunt, etc.

6. *Non potest probari Deum actu intelligendi et volendi producere aliquid intra, quod sit per se terminus istorum.*

Corollarium. Probari nequit Deum producere ad intra.

Quia isti videntur ultimi actus, non requirentes terminos productos, sed tantum objecta : agens autem hîc est objectum ex præcedenti.

7. *Productio extrinseca, etiam volitiva, ex parte sui non necessario præsupponit intrinsecam ; si producat, non potest probari productum esse æquale in natura.*

Sicut nec verbum meum est æquale naturæ animæ, nec universaliter terminus intellectionis, naturæ intelligenti.

SCHOLIUM II.

Circa propositionem octavam Doctor 1. d. 2. q. 7. ad q. 6. n. 3. adducit quatuor rationes adeo fortes, ad probandam duplicem productionem ad intra, ut quidam recentiores ei tribuerint, quod Trinitatem demonstrare intenderit, sed tantum voluit confirmare rationibus quod fides docet. Unde 2. d. 3. q. 9. et Quodl. 14. negat naturaliter sciri posse Trinitatem esse. Nona propositio ex hac evidenter sequitur, quia essentiam communicari est ponere productionem ad intra. Decima sequitur ex duabus præcedentibus, quia si non constat naturaliter plures personas esse, vel essentiam communicari, nec constare potest unam esse in alia, ut subsistens in subsistente, id est, per circumincessionem, de quo Doct. 1. d. 19. q. 2. D. Thom. 1. p. q. 42. art. 5. Circa propositionem undecimam, Durandus, etiam supposita fide, tenet 1. d. 6. q. 2. et 10. q. 2. processiones fieri immediate per naturam, non per intellectum et voluntatem, ut tenet universitas Doctorum cum D. Thom. 1. p. q. 27. et Scot. 1. dist. 2. q. 7. et Quodl. 2. De propositione duodecima, vide notam Mauritii, ex hac sequitur decima tertia, vide Doct. 1. d. 2. q. 7. §. *Ad quæstionem secundam*, n. 34. et d. 7. q. un. et d. 24. Mauritius ait decimam quartam esse additionem.

Trinitas naturaliter probari nequit.

8. *Non potest probari productio personarum divinarum in essentia divina.*

Ex proxima : cum talis productio fieret per intellectum et voluntatem secundum ponentes, quia non videntur alii actus ad intra.

3. 9. *Non potest probari essentiam divinam eamdem numero communicabilem multis.*

Tum ex ordine, superiora non sunt magis communicabilia. Tum ex præmissa, quia per productiones tales communicaretur.

10. *Non potest probari circumincessio personarum.*

Ex proxima : cum illa sit propter unitatem essentiæ cum distinctione.

Unam personam esse in alio probari nequit.

11. *Essentia divina si communicaretur, non potest probari quod tantum duobus modis communicetur.*

Duobus tantum modis communicari potest essentia.

Tum, quia ex 8. Physicorum, commento 46. Tum, quia potentiæ magis videtur producere quam sapientiæ, vel voluntatis, sicut in aliis potentia exequitur quod voluntas imperat ; tum, quia alii modi principiandi per modum naturæ, artis, etc.

12. *Non potest probari essentiam communicari a tribus tantum.*

Tum ex præmissa, tum, quia non potest probari aliquem trium producere, cum quilibet habeat principium productivum, essentiam et actum intelligendi et volendi, æque perfectum.

14. *Non potest probari tantum Trinitas personarum in divinis.*

Ex præmissa.

Extra.

14. *Non potest probari, quod inseparabiliter agant circa extrinseca.*

Require in tabula.

SCHOLIUM III.

Quod tangit decima quinta, tradit fuse 1. d. 26. §. *Tertia opinio*, n. 23. ubi sustinet ut probabile, personas constitui per absoluta, et a n. 31. solvit argumenta in oppositum ; communem tamen opinionem asserit, ibi et in Report. et 1. d. 2. p. 2. q. 3. 4. et d. 5. q. 2. et d. 13. et d. 28. q. 3. et Quodl. 3. et 4. Decima sexta habet non distingui personas per se primo, relationibus oppositis, quia Filius est persona filiatione, quæ non opponitur spirationi passivæ : unde si non produceret Spiritum sanctum, distingueretur tamen ab eo, de quo Doct. 1. d. 11. q. 2. contra D. Thom. 1. p. q. 36. art. 2. Decima septima patet ex controversia Græcorum, negantium Spiritum sanctum a Filio procedere, quod non negarent si esset veritas demonstrabilis naturaliter, ex revelatis

constat tamen procedere, Doct. 1. d. 12. q. 2.

4. 15. *Non potest probari si sint tantum tres, quod tantum relative distinguantur.*

Tum, quia si essent tria absoluta, adhuc illimitatio essentiæ esset ratio quare ipsa esset communicabilis ab illis, sicut et a tribus relativis numero distinctis. Tum, quia prius agit quam referatur, et per consequens prius est.

An personæ distinguantur relationibus oppositis?

16. *Non potest probari quod personæ tantum distinguantur relationibus oppositis.*

Tum ex proxima; tum, quia quælibet relatio si constituit, distinguit constitutum a quolibet alio : si non constituit, illa duarum, quæ prima est in supposito, in illo priori distinguit.

17. *Non potest probari tertiam personam procedere simul a duabus personis.*

Tum ex præmissa; tum etiam ex parte communicantis omnia essentialia in altero, etiam in ambobus. Tum ex parte communicati posterius naturaliter communicatione. *Corollarium.* Per consequens non sequitur Spiritum sanctum non distingui a Filio, si non procederet ab eo, nec etiam a Patre, si non immediate ab ipso.

SCHOLIUM IV.

Propositionem decimam octavam tractat 4. dist. 43. q. 2. num. 10. ubi tenet animæ immortalitatem non demonstrari, de quo fuse egi in supplemento de Anima, disput. 1. sect. 13. citans multos pro hac sententia et solvens argumenta in contrarium : an possit probari resurrectio naturaliter, vel punitio aut præmiatio, vide Doct. ibi. Sequitur ex hac, propositio decima nona et vigesima. Adverte hîc sumi *impassibilem*, pro *posse non mori*, vel *pati nocivum*, quia hoc tantum conveniret in statu innocentiæ, ut probat Doct. 2. d. 19. non vero pro *non posse mori*, quia hujusmodi impassibilitas est tantum in patria, de qua Doct. 4. d. 49. q. 13. De vigesima prima, vide Doct. 2. d. 28. De vigesima secunda, dist. 30. et 32. num. 8. Duæ aliæ sequentes sequuntur ex decima octava.

18. *Non potest probari animam rationalem esse immortalem.* 5.

Per consequens non potest probari resurrectio, nec vita æterna bonorum, nec pœna malorum. *Corollarium.*

An potest probari resurrectio, vel præmium aut pœna operum?

19. *Non potest probari hominem esse ordinatum ad aliquam beatitudinem in hac vita, non attingibilem.*

Ex præmissa.

20. *Non potest probari hominem sine peccato esse impassibilem.*

Ex præmissa.

21. *Non potest probari ex his quæ apparent circa hominem, hominem peccasse.*

Ex præmissa.

22. *Non potest probari nos nasci cum peccato originali.*

Tum ex præmissa, tum propter difficultatem vitandi peccatum actuale. Possent omnes apparentiæ salvari per illud, negando peccatum originale.

Peccatum est remissibile sine pœna de potentia absoluta.

23. *Non potest probari nullum peccatum esse remissibile, sine pœna alia a peccato.*

Ille in quem peccatur principaliter, ex misericordia potest omnino remittere.

24. *Non potest probari peccatum tantum posse remitti per punitionem alterius a peccante, et nobilioris ipso peccante.*

Tum ex præmissa; tum, quia vel peccatum erit irremissibile, vel peccans obligabitur ad impossibile. Tum, quia gratia prius naturaliter satisfactione, etiam in Christo, et ita sufficeret in quocumque homine, ut videtur.

SCHOLIUM V.

Quinque sequentes propositiones spectant ad tertium Sententiarum, de prima et secunda, vide Doctorem cum Magistro 3. dist. 16. et 20. et D. Thom. 3. p. q. 1. art. 1. et q. 14. art. 2. de excellentia animæ Christi, vide 3. dist. 13. ubi de ejus gratia et gloria, et dist. 14. ubi de ejus scientia.

6. 25. *Non potest probari, Deum oportere pati propter peccatum hominis remittendum.*

Ex utraque præcedentium.

26. *Non potest probari, Deum oportere incarnari.*

Incarnatio probari nequit. Ex præmissa, cum hoc, quod non videtur aliqua causa incarnationis, nisi redemptio.

27. *Non potest probari, Deum carnem sumpsisse de Virgine.*

Tum ex præmissa; tum, quia sive non oporteret contrahere originale ex 21. sive oporteret, adhuc mundatus, postea potuit satisfacere, sicut dicitur quod B. Virgo contraxit, tamen postea mundata fuit. *Scilicet ab aliis, non ab ipso.*

28. *Non potest probari excellentia animæ Christi, quæ ponitur.*

Nec in scientia omnium, nec in gratia tanta, quantam Deus posset dare, et capitis, et ab instanti conceptionis, et per quam semper esset impeccabilis, et quod simul comprehensor et viator. Tum, ex relatione unionis non sequitur. Tum, ex redemptione, quæ videtur finis.

29. *Non potest probari, Deum inseparabiliter sibi naturam unisse humanam.*

Tum ex præmissis. Tum, quia expleto illo propter quod uniebatur, propter quid ultra uniretur?

SCHOLIUM VI.

Sex istæ propositiones ad quartum librum spectantes, ostendunt de Sacramentorum institutione, nihil ratione naturali constare posse. De Baptismo vide eum 4. d. 1. et usque ad distinctionem sextam, de Confirmatione dist. 7. de Unctione dist. 23. de Pœnitentia dist. 17. de qua etiam agit a dist. 14. usque ad 22. de Eucharistia a dist. 8. usque ad 13. de Ordine dist. 24. De Matrimonio dist. 26. et usque ad 44.

30. *Non potest probari, necessariam esse institutionem aliquorum Sacramentorum in Ecclesia.* 7.

Quia solus Deus per se potest, et plus dedit Beatæ Virgini sine istis, quam alicui Sancto cum istis.

31. *Non potest probari necessitas Baptismi.*

Tunc ex præmissa, tum ex vigesima prima. Nec Confirmationis, tum ex præmissa, tum multi Martyres non confirmati. Non Extremæ Unctionis, tum ex præmissa, tum Martyres non uncti sunt.

32. *Non potest probari necessitas Confessionis homini faciendæ.*

Tum ex præmissa; tum, quia in lege veteri non fuit, in novo accipitur ex dicto Jacobi cap. 5. ubi sequitur, *Orate pro invicem*, etc. De secundo non est Sacramentum necessarium institutum ad salutem. *Institutio Sacramentorum probari nequit ratione.*

33. *Non potest probari Corpus Christi verum esse in Altari.*

Idem apparet ante consecrationem et post, boni vel mali Sacerdotis nihil agentis; igitur nec animam, nec quantitatem. Potest enim sententia Christi salvari de corpore et substantia tantum, unde igitur nec totam personam Christi secundum Deitatem, et corpus. *Corollarium.*

34. *Non potest probari necessitas Ordinis.*

Tunc ex quatuor præmissis; tum,

non propter dispensationem Sacramentorum non magis aliorum quam Baptismi, qui est maxime necessarius.

35. *Non potest probari necessitas Conjugii.*

Si fornicatio non est peccatum modo, nec quod sit Sacramentum non magis quam corruptio corporalis, sicut illud ad speciem, sic hoc ad individuum.

ANNOTATIONES.

8. Sequitur illa particula : *Non potest probari Deum*, etc. quam tractatum propositionum creditarum placuit appellari, ut in tractatu de primo principio eam nominat Doctor. An autem seorsum debeant istæ propositiones poni, an certe ut communiter cum aliis, ut notavimus, ponuntur, dubium est. Non videntur enim dependentiam ex præcedentibus habere. De ordine etiam earum ad sequentes creditas, ibi : *Non potest probari ordinem essentialem*, etc. posset dubitari, quia possent recte poni post illas, communiter tamen habentur ut eas habes, et quidquid dicatur de dependentia earum ad alias et ordine in seipsis, saltem sunt valde notabiles, et fidei Catholicæ necessitatem ad salutem viatoris manifestativæ, et ordinate procedit in eis inchoando a perfectionibus intrinsecis in divinis, ad extrinseca procedendo, eo modo quo Magister in Sententiis processit, ita quod materia quatuor librorum Sententiarum hic compendiose habetur. Ubi adverte, quod loquitur Doctor hîc, ut infra se declarat de ratione mere naturali, naturaliter acquisita pro statu viæ post lapsum, maxime non præsupponendo fidem, et de probatione simpliciter necessaria et demonstrativa. Non obstat his ea quæ habet in tractatu de primo principio, quia illa disputatio totalis præsupponit fidem, vel saltem non procedit a priori et ex simpliciter necessariis.

Ordo hujus partis.

Materia quatuor librorum Sent. breviter tangitur in hac parte Theorematum. C. 4. concl. 4.

Loquitur etiam de potentia creaturæ et de facto, via attingentiæ naturalis, non autem simpliciter de repugnantia capacitatis passivæ, aliter contradiceret sibiipsi in quodlibeto quæst. 7. et in Sententiis plerumque.

Qui etiam vellet dicere, quod hîc loquitur famose, sequendo antiquos Theologos, posset dicere quod alibi provectior aliter sentiebat, sed primus modus dicendi satis probabilis videtur, et verus ut æstimo. Qui sic, vel sic dicere voluerit, dicat consequenter, et si placuerit seorsum hîc ordinare alio modo particulas tractatus, ordinabis, ut supra notavi, et infra magis tangam. Nec his propositionibus debet paganus, vel Philosophus gloriari, imo potius confundi, quia processus Philosophorum plures harum probare conantium non habito lumine fidei, evacuantur ; quia inter falsa quæ locuti sunt, verum videre etsi potuerunt, noluerunt tamen, quare dum sapientes videri voluerunt, stulti facti sunt. Nec fidem Catholicam denigrare possunt, eo quod plura credimus, quæ probare non possumus, quia si ea nos ignorare diceremus, quæ testimonio didicimus aliorum, quid ipsi Philosophi scirent? Vix enim, vel numquam in Aristotele invenies, qui tamen lumen aliorum fuit, unam demonstrationem potissimam *propter quid* pro aliqua veritate naturaliter cognoscibili ostendenda ; testimoniis enim antiquorum plerumque dicta confirmat, qui tamen fallere et falli potuerunt. Nos autem si decepti sumus, ipsa per essentiam veritas, quæ nec fallere, nec falli potest, nos decepit. Videatur tamen disputatio hujusmodi primo Reportationum *q.* 1. *et sequentibus prol. et in* 3. *dist.* 23. *et* 24. *et in Quodlib. q.* 14. *et* 1. *q. prolog. Anglici. et in* 4 *dist.* 49. ad propositum explicandum *dist. etiam* 43. 4. ad idem habet plura, ut infra in locis suis applicabo. Vide expresse mentem ejus *dist.* 42. *prim.* exponendo Richardum ad propositum de gradibus cognitionis Dei, et cognoscentium etiam viatorum : quære 9.

Aristoteles pauca demonstrat propter quid.

Juvat possibilitatem creditorum probare rationibus.

ibidem. Has ergo propositiones creditas, licet satis claræ sint, brevibus tangam singillatim. Attende etiam quod multum refert possibilitatem creditorum, et factum ostendere ratione naturali. Primum facit iste plerumque, sed secundum non potest, ut hîc loquitur. Vide discurrendo in suis disputationibus Theologicis, ubique. Loca autem Scripturarum, in quibus hæ propositiones habentur, adducat lector quæ hîc omitto, coactus temporis angustia, et ne curiosis Scholasticis sacra verba nauseam generent, quod abhorreo dicere, et magis ita esse.

10. Prima propositio est de vita Dei, superius enim et ab intimis inchoavit, ut 1. *q. Quodlib. art.* I. *p.* 2. habet. Augustinus tamen et alii antiqui, et Theologi alii conati sunt hoc ostendere, vide Alex. de Ales ut nosti, et S. Thom. 1. *part. q.* 18. *art.* 3. et alios super Sententias. Philosophus etiam 12. Metaphys. *text. c.* 39. *et inde, et* 1. *Cœl. text. c.* 22. *et* 100. *et* 2. *Cœl. text. c.* 17. et alibi sæpe conatur ostendere Deum vivere, et ex dictis ejus 2. *de Generatione animalium* idem potest inferri ; sed hæc non infringunt veritatem Scoticam, quia Theologi ex creditis, et Philosophus ex probabilibus procedunt. Probat autem conclusionem tribus rationibus satis efficaciter, quia videlicet nec ex ordine aliorum ad Deum, nec ex divisione adæquata entis, attribuendo Deo perfectius dividens, nec ex perfectione maxima ipsius vitæ hoc probari potest. Examinabis autem probationes, et instantias excludes ut nosti. In tertia probatione cum dicit, quod habet nobiliorem perfectionem vita, et exemplificat de Sole, posset dubitari, quæ est illa perfectio, et maxime si ponitur vita de ratione formali essentiæ, ut ubi supra in Quodlibeto tangit. Pro nunc breviter dico, quod illa perfectio potest dici necessitas essendi, vel infinitas intensiva, et similiter de Sole dicatur suo modo. Nec Doctor nisi ex creditis potest ostendere vitam esse essentiale ad intra, vel ex sensibilibus, vel

Deum vivere an probet Philosophus.

Quid in Deo melius vita poni possit ?

probabilibus procedendo, et sanctorum Patrum fundamentis, ut patet ibidem. Quod autem dicit *hanc non esse differentiam entis*, etc. potest moderari sic, eo scilicet modo, quo Philosophi dividunt ens communiter, ut patet in coordinatione Porphyriana. Quære Philosophum 2. de Anima, et qualiter probat res sensibiles vivere, et ex consequenti ad propositum comparabis.

Secunda propositio est de intellectualitate, et perfectionibus intellectualibus Dei; et ordinate valde procedit in his propositionibus, quia semper posterior ex prioribus dependet, nihil enim non vivum, intellectuale. Si ergo non potest probari vita Dei, quomodo sapientia, vel intellectualitas probabitur? Hoc tamen Theologi conantur ostendere, et a priori et a posteriori. Vide hunc 2. *dist. prim. q.* 1. *et in Tract. de primo principio, et* 35. *dist. prim. maxime in Reportationibus*, et alios Theologos. Philosophus etiam 12. *Metaph. text. com.* 51. *et* 3. *de Anima, text. com.* 15. idem ostendit, sed dic ut prius. Licet enim hæ propositiones in se, et quoad intellectum proportionatum, sint demonstrabiles, nisi dentur aliquæ earum immediatæ, non tamen ab intellectu viatoris, et forte universalius a nullo intellectu creato : non tamen repugnat statui viæ hujus notitia formaliter, sed tantum attingenter, vel clare, vel intuitive ; vel forte verius, non magis quam comprehendentibus, nisi tantum de potentia ordinata, et de lege communi. Breviter, ad nullam perfectionem intrinsecam Deo, potest aliqua creatura attingere ex puris naturalibus, etiam pro quocumque statu, nec cognitione incomplexa, nec complexa; distincta dico, et perfecta et maxime a priori, propria et immediata. Dantur tamen gradus et congruentiæ, eo quod Hierarchiæ variæ in universo, et in domo Dei mansiones multæ sunt. In habentibus namque Symbolum facilior transitus. Angelicus ergo intellectus, et humanus beatus ad hæc facilius elevatur, quam

11. *Non vivum, nec intellectuale.*

Ad perfectionem intrinsecam Dei non potest creatura scientia propria accedere.

viatoris ; totum tamen objective voluntarium, an autem subjective, effective, considera. Remittit probationem conclusionis ad præcedentia, et infert corollarium notabile, de cujus materia habes 35. 39. 40. *et* 41. *dist. prim.* Quære in Arist. 1. *Perihermenias*, et alibi.

12. Tertia propositio est de voluntate et volitione Dei, cujus etiam probationes remittit ad præcedentia. Et infert corollaria, quære tamen Philosophum *ubi supra*, *et* 1. *Ethicor. cap.* 13. *et* 1. *Metaph. in proœmio*, *et* 12. *Metaph. ad finem*, et specialiter istum 45. *dist. prim. et maxime in Reportationibus*, *et* 2. *dist. prim. q.* 1. *et in Tract. de primo principio.* De his autem quæ tangit in corollariis, quære 32. *dist.* 3. *et dist.* 46. 47. *et* 48. 4. hinc inde omnia bene conformando, et salvando.

An probari posset Deum esse volentem?

Quarta propositio est de operationibus immanentibus Dei, quæ etiam dependet ex præcedentibus, et infert corollarium singulare de beatitudine Dei. Quære Philosophum *ubi supra, et* 10. *Ethicor. c.* 10. et hunc 2. *dist. prim. quæst.* 1. *et* 49. *dist.* 4. *et* 1. *quæst. Quodlib.* et alibi sæpe.

Quinta conclusio est de cognitione, et volitione Dei respectu aliorum a se, quam breviter et obscure probat, et probatio consistit in hoc, quia actus accipit perfectionem ab objecto, et prioritatem. Perfectionem, quia est causa ejus partialis saltem, vel saltem terminatur ad ipsum, et non potest esse nisi sit ejus, quare dependet ab eo dependentia extrinseca. Prioritatem etiam, quia objectum prius, si est causa, vel si terminus, idem sequitur; si igitur Deus aliquid aliud a se intelligeret, vel vellet, tunc vilesceret intellectus et intelligere ejus, et similiter de velle, quia et perfectionem, et prioritatem aliunde haberet quam a se, et sic procedunt argumenta Philosophi, et Commentatoris. 12. *Metaph. text. com.* 51.

13. Posset alio modo formari ratio Doctoris sic : ad perfectionem et prioritatem actus intelligendi, et volendi Dei, sufficit prioritas et perfectio objecti, scilicet primarii, cujusmodi est essentia sua; frustra igitur poneretur alicujus alterius tanquam objecti. Elige ut vis, sed primum magis sapit. Infert consequenter corollarium illativum, et confirmativum corollarium. Ubi attende, quod ex quotationibus istis cum dicit 21. et 22. patet quod hæ propositiones creditæ deberent sequi alias sequentes infra, ibi : *Non potest probari ordinem essentialem*, etc. post omnes illas 19. quia hæ 21. et 22. quas allegat hîc, sunt secunda et tertia præcedentes hîc, ut notavimus, nisi forte enumeret omnes conclusiones a principio, omittendo multa, ut ibi notavi ; sed primum probabilius, ut in sequentibus magis patebit. Unde sequitur, *et illud*, vel (ut alii communiter habent) *et primum corollarium commune*, quod infra habetur post 19. illarum creditarum, et posset loco *commune*, poni 19. sed *commune* recte dicitur, ut patet. *Philosophi multa scripserunt*, etc. vel (ut alii habent) *dixerunt de Deo*, etc. Æstimo quod Doctor intercalariter has res scripsit, et originalia remanserunt non ordinata, ut in operibus maxime notabilibus antiquorum solebat accidere ; sicut Augustinus in lib. Retractationum, de nonnullis suis scriptis refert, quod antequam compleverat, et ut intendebat ordinaverat, e manibus capiebantur, quare lector attendat diligenter ad singula. Ut communiter autem invenimus originalia, ita ordinavimus ista ; alii aliter ordinare poterunt in dies, principium enim plusquam rei medietas, Aristotelis sententia, reputatur 1. *Ethicor.*

Nota pro intelligenda quotatione litteræ.

Si autem volueris tenere ordinem quem habes, ut infra etiam habetur in aliis remissionibus, quod sit bonus, poteris litteram corrigere loco 21. ponendo 2. et loco 22. ponendo 3. vel recurre ad alia loca, et supputationes ; hæc enim varietas quotationum generat hîc maximam perplexitatem, ut prædixi. Attende etiam cum dicit : *Concessis 4. conclusionibus proximis, licet non probatis*, etc. quod notanter dicit, non *probatis*, quia probationes illæ possent evadi, et etiam si universaliter 14.

Fatetur 4. primas conclusiones negativas non esse probatas, ideo hic nihil asserit, sed tantum disputat.

intelligantur, ut prius ponderavi, et non solum respectu intellectus viatoris seu creati, sunt falsæ, et falsum non potest probari 1. *Posterior.* Ex illis etiam verbis posset inferri, quod loquitur in hoc processu famose, Philosophorum et Theologorum aliorum fundamentis innitendo, sicut supra notavi, alibi vero oppositum ostendit, ubi has veritates pertractat. Sed breviter, quidquid sit de hoc, intendit Doctor quod nec una pars, nec alia, ratione necessaria naturali in his propositionibus potest ostendi.

Salva Aristotelem dicentem, quod intellectus Dei vilesceret, si alia a se cognosceret.

Ulterius sciendum, quod illa probatio Commentatoris et Aristotelis faciliter evaditur, quia procedit de objecto primario motivo, et terminativo intellectus divini, cujusmodi est essentia sua. Quære ubi supra 2. *dist.* 1. *q.* 1. *et* 35. *dist. ejusdem, et ubi prius in* 3. et alibi sæpe in doctrina hujus et aliorum Theologorum, ad hæc. Persuadebis etiam ex multis locis in Aristotele, Deum alia a se intelligere et velle, quære 1. *de Anima, text. com.* 80. *et* 3. *Metaph. text. com.* 15. De cognitione litis, quære etiam ubi supra 1. *et* 10. *Ethic. et* 12. *Metaphysicæ*, et alibi sæpe. Salvetur ergo Aristoteles ut supra, et omittatur Averroes ex intentione mentitus.

Essentia Dei universalis in repræsentando, non in prædicando.

Nec valet illa fatua fuga de cognitione universalium, et in universali, etc. quia licet essentia Dei sit universalis in repræsentando, non tamen in prædicando, nec in universali; sed distincte in particulari, et intuitive omnia repræsentat, et principalius singularia, et necessario omnia incomplexa saltem. Vide in materia de ideis *dist.* 36. *prim. ni Reportatis.* Vide etiam in Prolog. *quæst.* 3. et ubi supra, et alia plura hîc tange, quia satis copiosa materia inter Theologos et Philosophos. Pro universali etiam fundamento in his omnibus, vide 2. *dist.* 1. *in Reportatis, quæst. de infinitate Dei , ad finem*, ea quæ dicit *et* 7. *quæst. Quodlibeti.*

15.

Actio immanens an productiva termini ?

Sexta est de productione ad intra in divinis, de qua fit sermo copiose 2. *dist.* 1. et 4. et *sequentibus :* quam probat ex fundamentis communibus de actionibus, vel operationibus immanentibus. Quære 9. *Metaph.* 1. *et* 10. *Ethicorum*, et alibi sæpe. Posset autem simpliciter teneri veritas hujus, quod scilicet per actum intelligendi, vel volendi, nulla fit productio, nisi eo modo quo sensus necessario ad aliud posset dici fieri per illud , extensive tamen audiatur hîc *fieri.* Quære *ubi supra* istum, *et in Quodlibeto, q.* 1. 2. *et* 14. *et* 1. *q.* 1. *dist.* 2. *lib.*

Per actum intellectus, non tamen intelligendi, fit productio.

Actu enim productivo, qui non est actus intelligendi, vel volendi, sed bene actus intellectus, fit productio ad intra. Loquitur autem Doctor hîc communiter et forte famose, sicut Henricus de Gandavo et multi antiquorum, vel extendit *actum intelligendi et volendi* ad omnem actum harum potentiarum. Infert corollarium notabile de ordine productionis extrinsecæ ad intrinsecam, quod optime discutit *in* 2. *ubi supra, et in Quodlib. quæst.* 8. *et* 14. Quære alios Theologos, et maxime Varr. et Hugon. de Castro novo et alios sequaces hujus. S. Thom. etiam 1. *part. Summæ, q.* 45. *art.* 6. et Henric. *Quodl.* 6. *q.* 2. Vide 10. *dist.* 1. aliqua ad materiam hujus conclusionis.

Productio ad extra, per se non supponit productionem ad intra, 2. d. q. 1.

Septima est de æqualitate producentis et producti in natura, quæ incipit ibi : *Si producat*, etc. quam probat a simili, sed similitudo claudicat, ut scis. Probat tamen defectum ejus forte non faciliter quis posset, nisi ex aliquibus creditis præsuppositis. Quære ubi supra in primo, *et dist.* 19. *ejusdem, et* 31. *et quæst.* 6. *Quodlibeti*, de hac qualitate : pondera bene cum dicit in corollario *ex parte sui*, etc. ut declarat optime ubi supra in 2. *et Quodl.* Ponitur ibi ad finem corollarii, quotatio quædam in aliquibus originalibus, remittendo se ad alia loca, sive ad alios antiquos quam omisimus, quia non communis, nec bene intelligibilis. Hæc etiam quam notavimus 7. non habetur communiter notata, ut conclusio hîc, sed videtur pars illius 6. conclusionis, seu corollarii ejus, aut certe incidentaliter adducta, ut patet ex commento sequenti, ubi dicit *ex proxima,*

quod debet referri ad 6; omitte ergo notare hanc, ut conclusionem si volueris, et ubi ponitur 8. pone 7. et sic consequenter procedendo supputabis, Philosophorum motiva hîc ponderabis.

16. Octava, vel septima est de productione personarum in divinis, et patet ex præcedentibus. Quære 2. *dist.* 1. et ubi prius copiose ad hoc, cujus probationem ad præceden-
d. 2. q. 7. tem remittit. Possibilitatem tamen hujus ostendit satis notanter in primo, semper tamen aliqua credita præsupponendo. Quære Occham, et sequaces ubique hîc. Vide optime in 3. *dist.* 24. fundamenta quæ faciunt satis ad hæc, *et in Prol. Reportationum et* 1. *q. Prolog. Anglici*, et Hebræorum fundamenta.

Nona est de communicatione essentiæ divinæ, quæ est satis notabilis et efficaciter eam ostendit ex dictis. Quære ubi supra et alibi sæpe in doctrina hujus, et maxime 1. 3. *et* 10. *q. Quodlib.* De hac communicabilitate, vide 5. *et* 26. *dist.* 1. aliqua ad propositum plura addendo, ut scis. Cavillationes Philosophorum in hoc faciliter evaduntur, maxime ex creditis.

Circumincessio est creditum ex creditis. Decima est de circumincessione personarum, de qua habet 19. *dist.* 1. *q.* 2. singularissime, cujus rationem brevibus in commento tetigit. Vide alios Theologos ibidem et alibi, ut nosti : hoc enim est creditum speciale, et ex creditis dependens.

17. Undecima est de modis communicandi essentiam. Vide in 1. *dist.* 2. *p.* 2. copiose, et in *Quodl. q.* 2. *et dist.* 10. *et seqq. usque ad* 14. *primi*, quam tripliciter probat, sed faciliter omnia evaduntur, ut patet ibidem.
Potentia executiva an ponenda in Deo? In 2. probatione tangit motivum de potentia executiva in divinis, quæ si poneretur, tantum ad extra operaretur; sed ad mentem hujus non videtur ponenda, ut in materia de praxi habet, et 37. *d.* 2. *lib.* quidquid dicat Franc. de Mayr. 43. *dist.* 1. *Confl. q.* 5. et alii plures, qui eam ponunt. Motivum vero primum ex Commentatore 8. *Phys.* pertractatur copiose in primo *ubi sup.* et similiter tertium ; sufficiebat Doctori ad ostendendum propositum, quod reperiuntur instantiæ naturaliter loquentium, et satis probabiles ex naturalibus ad oppositum harum propositionum creditarum, non tamen demonstrantes, quia tunc fides de falsis. Non possunt autem ambæ partes alicujus problematis, rationibus necessariis ostendi, et licet vero omnia consonant 1. *Ethic.* plerumque tamen falsa magis apparenter probantur. Vide 1. *Elench.* Quære aliqua ad propositum hujus crediti 1. *q.* 4. *Falsa magis apparenter quandoque probantur.*

Duodecima est de eadem communicabilitate, quantum ad ejus sufficientiam, et littera varie habetur. Nam aliqua originalia habent *tantum a duobus* ; aliqua, *tantum a tribus* ; aliqua, *tantum tribus*, sine *a*. Sed omni modo, potest habere bonum intellectum. In secunda etiam probatione habetur varie littera. Aliqua habent, *alicui trium* ; aliqua, *aliquem trium;* aliqua, *aliquid trium* ; sed prima littera communior est, licet aliam habeas, et posset habere bonum intellectum cum negatione sic : *aliquem trium non producere*, et esset bene ad propositum, ut patet ex sequentibus. Affirmativa etiam satis bene intelligitur, quia remota productione non videtur ratio communicationis tantum tribus, ut patet. De hac materia quære in primo *ut supra*, et alibi ut nosti. Vide deliramenta Averrois 12. *Metaphysic. commento* 39. et alibi contra Christianos asinina subtilitate fructus. Nemo enim veritates creditas, quam ipsimet Catholici Doctores, efficacius impugnat, ut fides locum habeat, et adversarius ejus confusus abscedat, dum efficacissimis rationibus satisfiat. *Nulli fortius impugnant credita, quam scriptores Catholici.*

Decimatertia est de Trinitate personarum, quam ex præcedentibus ostendit sufficienter probatam. Vide etiam ubi prius in primo et 24. *dist. ejusdem*, aliqua ad hæc habes.

Decimaquarta, quam notavimus non habetur communiter, et videtur *extra* ut notavi ; vel illud quod additur, ut commentum, saltem potest poni *extra* cum dicit : *Require in tabula*, de qua supra feci mentionem. Quære 1. *q.* 2. *et* 1. *dist.* 3. *et* 8. *q. Quodlibeti*, et alibi. 18.

Personas divinas constitui per absoluta. problema.

Decimaquinta est de distinctivis et constitutivis personarum. Vide problematice disputatum 26. *dist.* 1. sed *in Reportatis, et* 4. *q. Quodlib.* se determinat. Quære Bonaventuram ubique, quia sapit optime. Vide multa subtilia in Francisc. *dist.* 23. *primi* et Reportationibus hujus *ibidem* de his constitutivis. Nam inter omnes veritates Theologicas, hæc maxime et circumstantiæ ejus sunt altissimæ speculationis. Probat autem conclusionem dupliciter, quarum secundam examinabis bene. Vide *ubi supra* in primo, et Quodl. et optime 7. *dist.* 1. *ad fin. et* 4. *dist. ejusdem.* Si loquatur de Deo, vel essentia, verum dicit; si de persona, potest negari, loquendo de *referri* fundamentaliter et formaliter ut *quo*, seu habitualiter, ut ita loquar. Communiter ubique hic adducit probationes famosas ut prius notavi.

Personas distingui relationibus an oppositis?

Decimasexta est, supposito quod constituantur et distinguantur personæ relationibus, cum aliæ sint oppositæ relationes, ut paternitas et filiatio; aliæ disparatæ, ut paternitas et spiratio passio, vel filiatio et spiratio actio; dubitari posset an distinguantur tantum oppositis relationibus, an certe disparatis. Ideo dicit, quod *non potest probari*, etc. quam probat notanter. Vide pulchre ad propositum 11. *dist.* 1. *q.* 2. ubi hanc conclusionem ostendit contra Thomam et alios antiquos. Quære Gotfredum et Nominales ibidem. Secunda pars disjunctivæ in probatione est danda, ut, verbi gratia, in Filio est filiatio seu generatio passio, cui est adventitia spiratio actio; constituitur ergo primo, et per consequens distinguitur a quocumque ipsa filiatione. Similiter dicatur de Patre, suo modo. An autem innascibilitas præcedat in Patre paternitatem, inter doctores est problema, sed se determinat iste in hoc, in primo. *dist.* 28. et in quodl. *quæst.* 4.

Filius constituitur filiatione tantum in esse personæ.

19\. *Spiritum sanctum procedere a Filio, an demonstrari possit?*

Decimaseptima est de processione Spiritus sancti, et facit pro Græcis, licet non totaliter excuset. Vide 11. *dist.* 1. *q.* 1. *et dist.* 12. copiose ad hæc. Probat conclusionem singularissime ex æqualitate, et plenitudine perfectionis cujuslibet personæ divinæ. Vide in simili 1. *q.* 2. ideo ex parte communicantis videtur posse procedere ab una, sicut a duabus, ubi aliqua originalia habent *omnia essentialia*; alia, *omnia æqualia*, et utraque littera potest bene intelligi. Ex parte etiam communicati arguit idem, ubi caute intellige, cum dicit, *posterius* vel *posterioris*, ut alii habent *naturaliter*, etc. videtur velle dicere in illis paucis verbis, quod prius naturaliter non potest esse a posteriori naturaliter; modo filius cui fit communicatio, est posterior communicatione, quare non potest communicare; sed sic, ut videtur, parum valeret ratio, quia duplex est communicatio, ut scis; vel recurre ibidem ad ordinem originis Patris et Filii in spirando, ut 12. *dist.* 1. *q.* 2. tangitur, et 1. *q.* 2. Infert corollarium, quod est contra Thomam, vide ubi supra *q.* 2. 11. *dist.* 1. idem, imo non modo non potest probari, sed falsum est secundum ipsum ibidem, nec est creditum, sed voluntarie potius dictum, ut ibi disputatur optime.

De animæ immortalitate.

Decimaoctava est de immortalitate animæ, et potest hæc reduci ad materiam secundi libri *distinct.* 17. *et* 19. et alibi. Prima etiam *dist. et* 2. 2. idem posset habere originem, sed copiose in 4. *dist.* 43. *q.* 2. facit Doctor singularem digressum de hoc, et tenet veritatem hujus conclusionis contra multos antiquos. Quære Thomam 1. *part. quæst.* 75. *art.* 6. et Richardum *in* 2. *dist.* 19. et Bonaventuram et alios. Motiva vero Philosophorum ad oppositum ibi notanter excludit. Infert corollarium, cujus fundamenta habet in 4. *d.* 43. *et* 44. *et seqq.*

Decimanona est de beatitudine, cujus fundamenta habet in 4. *d.* 49. *q.* 11. *et* 12. singularissime. Potest etiam in secundo libro reperiri motivum hujus, *ubi supra.* 20.

Vigesima est de impassibilitate in statu innocentiæ. Quære in secundo ubi supra *d.* 19. in 4. etiam *dist.* 49. *q.* 13. optime hæc invenies. Vide 15. *dist.* 3. Plura ad propositum de conditionibus hominis in

statu innocentiæ ex parte corporis et animæ, hîc tange.

Vigesimaprima est de peccato primi parentis. Vide *in* 2. *dist.* 21. *et seqq.* copiose.

Vigesimasecunda est de peccato originali. Vide in 2. *dist.* 30. *et duabus seqq.* copiose ad hoc et propter probationem. Vide 23. *et* 28. *dist.* 2. Vide etiam 29. *dist.* 2. aliqua ad propositum declarandum fœcundius.

Vigesimatertia est de remissione peccati in generali, an scilicet per pœnam. Quære in 2. *ubi supra, et* 33. *ejusdem, et seqq.* Sed hæc conclusio posset assignari prima hic pertinens ad materiam tertii libri. Vide *dist.* 20. 3. et in materia de merito Christi, *dist.* 18. *et* 19. *ejusdem*, ubi attende, cum dicit *pœna alia a peccato*, etc. quod ipsum peccatum est prima pœna, quæ incurritur ex peccato, ut habet Augustinus 1. *Confessionum*, *c.* 12. *et* 3. *de lib. arb.* Quære in *dist.* 37. *et. in* 4. *dist.* 14. et ad propositum habet optime in 4. *dist.* 15. *q.* 1. Vide Bonavent. et Richard. Probat quæstionem recurrendo ad Dei misericordiam. Vide in 4. *dist.* 46. aliqua hic, et adde multa ut nosti, caste tamen.

21. Vigesimaquarta est de remissione peccati, in speciali descendendo ad modum remittendi, et patet hujus conclusionis fundamentum, ubi supra jam notavi, maxime in tertio et in quarto, quam probat notanter, ubi examinabis ea quæ dicit de gratia et satisfactione. Quære in 4. *ubi supra, et* 1. *dist. ejusdem*, *q.* 6. *et dist.* 16. *ejusdem.* Videtur enim de mente hujus, quod quis satisfacere posset sine gratia, licet non meritorie. Vide 17. *dist.* 1. *et* 4. *dist.* 4. *art.* 2. *q.* 2. ad finem singularissime, et alibi ut scis ; salvabis tamen dictum Doctoris loquendo de potentia ordinata et meritorie, et post culpæ deletionem.

Vigesimaquinta est de necessitate passionis Christi. Vide in tertio ubi supra, vide etiam 16. *dist.* 3. aliqua ad propositum.

Vigesimasexta est de necessitate Incarnationis. Vide 1. *et* 2. *dist.* 3. sed quod dicit in probatione examinabis, quia loquitur famose. Vide 7. *dist.* 3. *q.* 3. *et.* 19. *distinct. ejusdem, et* 41. *dist.* 1. *in Reportatis* et alibi.

Vigesimaseptima est de modo conceptionis, seu formationis corporis Christi. Vide 2. *et* 3. *et* 4. *dist.* 3.

Vigesimaoctava est de excellentia Christi, de qua habet in 3. *dist.* 13. *et* 14. Ubi adverte in commento cum dicit, *et capitis*, quod potest bene intelligi sic, scilicet quod caput omnium ponitur, et ex Scriptura et ubi supra. Posset etiam loco *capitis* poni *capacitatis*. Vide *q.* 6. *dist.* 2. *et ubi supra in* 3. Quære etiam 49. et 50. *dist.* 4. plura ad idem singularissime. Vide 18. et 19. *dist.* 3. *et* 9. *dist. ejusdem, et* 12. Pro his quæ addit in commento, in prima probatione aliqua originalia habent : *tum ex relatione*, ut habes : aliqua, *tum ex ratione*, et loco, *non sequitur*, ponitur *in se*, sed utraque littera potest bene intelligi. Secundam probationem examinabis ut supra. *Excellentia animæ Christi.*

Vigesimanona est de inseparabilitate naturæ assumptæ a Verbo, et semper in probationibus præsupponit communem viam, ut prius tetigi. Non enim præcise propter redemptionem generis humani Verbum assumpsit naturam humanam ; imo si Adam non peccasset, nihilominus eam assumpsisset, quia natura illa fuit prædestinata, et primo, et in primo signo, ut esset Filius Dei, et non occasionaliter ; et licet ordine intentionis, prius prædestinata quam uniri Verbo prævisa, ordine tamen executionis, e contra. Vide in tertio et in primo, *ubi supra.* De facto etiam fuit natura separata a Verbo in morte Christi, licet non partes ejus principales, et hoc ponendo tertiam entitatem, ut ponit iste, secus si negetur. Quære pro hac conclusione sæpe in 3. et 19. *Quodlibeti*, in doctrina hujus. Sicut enim contingenter eam assumpsit a principio, ita contingenter ipsam conservat unitam. Non solum ergo non potest hoc probari, imo oppositum ejus est verum, et probari potest, saltem ex creditis præsuppositis. 22.

Adamo non peccante Verbum fuisset incarnatum.

Natura humana contingenter manet unita Verbo.

Trigesima est de institutione Sacramentorum, et pertinet ad materiam quarti Sententiarum. Quære *dist.* 1. 4. *et sequentibus* in doctrina hujus optime ad hoc. Quod tangit ibi in contrarium de B. Virgine, dubium est an receperit Sacramenta, et maxime Baptismi. Vide *dist.* 44. *art.* 3. *q.* 1.

Institutio Sacramentorum naturaliter non probatur.

Trigesimaprima est, descendendo in speciali ad Sacramenta novæ legis, de Baptismo, Confirmatione, et Extrema-unctione, et posset textus intercalariter poni in commento ibi : *Nec confirmationes*, etc. Adverte etiam hîc et supra in commento 27. ex allegatione 21. quod ordo harum conclusionum, et inchoatio videtur conveniens, de quo infra ad hæc magis, et supra in commento 5. tetigi. Vide *dist.* 1. 3. *et* 4. 4. *et sequentibus usque ad* 7. pro prima parte conclusionis, et *dist.* 7. pro secunda, et *dist.* 23. pro tertia, et pondera, et declara hîc multa.

Confessio non probatur naturaliter necessaria.

23. Trigesimasecunda est de Confessione, quam disputat valde notanter in 4. *dist.* 17. ubi examina bene ea quæ dicit in probationibus, an videlicet in veteri Testamento erat institutum hoc Sacramentum ; et similiter quod dicit de institutione ejus in novo, ex dicto Jacobi, loquitur famose. Quære Alexand. et Richard. Aliter tamen sentit ipse ubi supra. Cum addit, ibi, *De secundo*, etc. potest referri ad illud Jacobi, *et orate*, et a simili arguendo, vel ad illam partem *confessionis homini faciendæ*.

Quando malitia ministri annullat Sacramentum.

Trigesimatertia est de existentia corporis Christi in Eucharistia. Quære copiose in 4. *dist.* 10. et 11. Quod dicit in commento probando confessionem *boni et mali Sacerdotis*, quædam originalia non habent, ly *nihil* ibi, sed affirmativam, et satis valet littera sic ; quædam habent ; imo communiter, ut etiam posuimus, et declara sicut in generali *dist.* 5. 4. habet, et *dist.* 8. in speciali et sequentibus, quod dicit consequenter, de anima et quantitate, vide *dist.* 8. et 11. et ibi potest textus conclusionis partiri in tres partes, et in fine commenti non habetur communiter illa littera, *et corpus*, sed terminatur ad ly *deitatem*.

Trigesimaquarta est de Ordine, cujus motivum, vide in 4. *dist.* 24. sed quod dicit in probatione faciliter evaditur, ut scis.

Ordo naturaliter non scitur.

Trigesimaquinta et ultima est de Conjugio. Vide *dist.* 26. 4. et sequentibus usque ad 43. exclusive de hac materia. In probatione tange plura de his, quæ brevibus dicit. Primo an fornicatio sit peccatum. Deinde de comparatione conjugii, et corruptionis corporalis ad speciem et ad individuum. Plura alia adde ad hæc, quia hæ conclusiones sunt positivæ et morales, et Theologicæ, et hic tractatus pro majori parte scholasticus et speculativus est : quare succinctius, quo potui, perstrinxi sermonem in istis, quia in locis suis, ut notavi, videri possunt, maxime quia junioribus hæc elementa communiter adaptantur, etsi verba Empedoclis plerumque dicent. Lector vero discretus secundum materiam subjectam se dilatet, quia præposterum est Mathematicum persuadere, et Rhetoricum demonstrare. 24.

Conjugium naturaliter non constat esse Sacramentum.

THEOREMA XV.

SCHOLIUM.

Prima petitio hujus Theorematis probata est tract. de primo principio c. 3. concl. 2. et 15. et 1. d. 2. q. 2. art. 1. a n. 11. secundum tres particulas, unitatem, primitatem et coævitatem. Secunda etiam *ibidem* probata est. Fatetur tamen Doctor etsi ipse rationes pro hoc adduxerit, omnium excellentissimas, vix ratione necessaria posse probari ; et hinc collige ipsum dum hæc scriberet non fuisse omnino alienum ab ea sententia, quæ tenet demonstrari non posse rigida demonstratione, Deum esse vivum, intelligentem, etc. de quo Theorem. præcedenti Schol. 1. quod clarius patet ex Theor. sequenti, propositio prima habetur eisdem locis, et secunda et tertia evidentes sunt, circa rationes quas movet hîc Doctor contra suas demonstratio-

nes, locis citatis factas, de primo et unico efficiente. Vide annotationes Mauritii hîc.

princip. Petitio.

1. *In essentialiter ordinatis est dare primum, quod sit unicum, et coævum illi coordinationi.*

2. *In omni genere causæ est ordo essentialis.*

1. *In omni genere causæ, ordo essentialis.*

Istæ duæ propositiones petantur : quarum prima tres partes continet, secunda est simplex : utraque licet sit probabilis, tamen difficile esset, vel forte nobis impossibile eam simpliciter necessaria ratione, et mere naturali probare.

Conclusio.

1. *In genere causæ efficientis est dare unicum primum efficiens, quod nunc est in rerum natura.*

Hujus propositionis prima pars patet ex secunda petitione, et duabus partibus primæ. Secunda pars ex tertia parte illius petitionis primæ, illud autem primum dicatur Deus. (c 9.)

Nullum efficiens imperfectius effectu.

2. *Omne efficiens perfectius effectu, vel æque perfectum.*

Quia nihil agit ultra quam est activum.

Corollarium.

3. *Deus est perfectius omni effectu.*

2. Verum, bonum, necessarium, importat perfectionem.

Ex secunda conclusione, et secunda parte primæ petitionis. Et ita perfectissimum omnium entium, et summum in omni differentia entis, quæ simpliciter importat perfectionem, cujusmodi sunt verum, bonum, necessarium, etc. quia quodlibet tale est simpliciter perfectio aliquo modo communis, tam primo quam aliis.

Hîc pone terminum cognoscibilium de Deo, per rationem naturalem necessariam, et hoc, suppositis illis petitionibus duabus : quomodo probabitur prima pars primæ, scilicet *primum* plus in essentialiter ordinatis, quam in accidentaliter ordinatis? cum utrobique causa secunda præsupponat priorem causare, et utrobique prius; igitur primum ; et tamen in accidentaliter ordinatis negant Philosophi primum et Avicenna.

Quomodo unitas, et coævitas primi efficientis probatur?

Quomodo etiam probabitur secunda pars, scilicet *unicum?* cum aliud possit poni in efficientibus uno modo productum ab isto, productione univoca, alio modo a nullo productum, cum duo talia sint magis bonum quam unicum tale, et etiam causata possint esse æqualia, ut videtur. Quomodo probabitur *coævum* primo, de aliquo eodem numero, si primum *A* possit ad *B* univocum sibi producere? tunc enim licet *A* non sit coævum, stabit tamen coordinatio propter *B* productum univocum sibi, et sic potest *B* propter *C*, et deinceps quantumcumque oportet per aliud, et aliud numero.

Et secundo, si primum efficiens secundum totam suam speciem, tantum requiratur ad *fieri* effectus, et non ad *esse*, sive conservationem; quare tota specie illius primi destructa, non poterit manere coordinatio uniformiter se habens et in *esse*, et per consequens et in *agere?* 3.

Per rationem naturalem non potest probari. Et hoc patet ex ordine causarum : quoniam si Sol iste posset facere alium Solem et desineret esse, et ita staret ordo causarum per illum alium Solem, sicut nunc stat per istum ; utrum autem contra rationem primi in specie, sit fieri, posterius dicetur.

Et non potest improbari ex ordine causarum, quia posito Solem destrui, non minus ignis maneret in propria specie, et per consequens haberet propriam rationem. Vel si hoc non sit verum, quomodo contrarium ejus posset necessario probari?

Secunda petitio non videtur necessario probari : si enim multi effectus sunt ita inter se ordinati, ut nullus respectu alterius habeat rationem effectus, ut bos, asinus; quare omnes causæ sunt ita ordinatæ, quod semper una est causa alterius? Si imponatur hoc nomen *Deus* alicui primo efficienti, eidem numero, sequitur ex secunda quod non posset probari Deum esse nunc in rerum natura, quia illo non existente, staret coordinatio per alium univocum sibi. Ex secunda sequitur plus, quod non posset probari nunc Deum esse, etiamsi hoc nomen *Deus* imponatur alicui primo efficienti in specie ; quia illo non manente, sive non existente, manet effectus in *esse*, et ita potens operari, cum Deus non probetur causa esse, nisi in *fieri*, unde sequitur Deum esse, vel fuisse, sicut ex domo concluditur ædificatorem esse, vel fuisse ; igitur hæc quæ videntur non posse probari necessario, ratione mere naturali per ordinem in conclusionibus exponantur, necnon et alia, quæ probari non possunt, sed alia probari non posse, sequitur ex hoc quod ista probari non possunt, quia alia sunt minus nota, et accipiatur *probari* ratione naturali necessaria.

Per probari intelligit demonstrari.

ANNOTATIONES.

4. Sequitur illa particula : *In essentialiter ordinatis*, etc. quam poteris legere ante præcedentes, si vis, usque ad illud corollarium commune, post propositiones creditas infra ibi : *Philosophi multa dixerunt*, etc. inclusive.

Primo præmittit duas petitiones, quæ etiam supra in tractatu de primo principio tactæ sunt, et 2. *Metaph. et* 2. *dist.* 1. *quæst.* 1. In prima tangit tria, scilicet primitatem et unitatem numeralem, et coævitatem alicujus ad quod essentialiter ordinata, ordinantur. Vide 10. *Metaph.* copiose, et ostendit difficultatem probationis harum, licet ipse et Philosophus conentur eas probare.

Deinde ponit conclusiones, quarum prima habetur ubi supra notavi copiose, et habet tres partes, sicut prima petitio quam probat ex præcedentibus. Ubi littera in aliquibus originalibus habetur superflue quantum ad secundam conclusionem, quia præmittitur petitionibus, et replicatur post primam, sed bene habes litteram, ut ordinavi eam. Multa hic pro et contra possent adduci, sed quia superius tractavi ista, festinus ad sequentia, prolixius ea prosequi hic postpono.

Efficiens univocum æque perfectum, æquivocum perfectius effectu.

Secunda conclusio est de perfectione efficientis. Nam æque perfectum si univocum, perfectius vero si æquivocum. Ubi tamen attende, quod non recte de rigore sermonis dicitur efficiens univocum, stricte loquendo de univoco specifico scilicet, sed potius producens, vel saltem agens debet dici ; quod ideo dico, quia 3. *dist.* 1. *q.* 7. *et* 25. *dist.* 2. dicit quod relatio causæ et causati importat dependentiam essentialem, et arguit distinctionem in natura. Debet ergo accipi extensive, ubicumque ponitur hujusmodi distinctio. Ulterius notandum, quod illud quod dixi de causa æquivoca, debet attendi de causa æquivoca totali et non partiali, ut in pluribus locis habet. Vide 3. *dist.* 1. *et* 2. licet forte

universaliter verum sit, ut effectus ut hujus comparatur ad hoc, ut ad causam, secus si comparantur simpliciter inter se entitates. Quære 3. *d.* 2. *q.* 10. solvendo argumenta principalia ad finem. Vide notanter instantiam et regulam communem, scilicet *Quod dependet ex pluribus*, etc. *in Quodlib. q.* 14. *art.* 1. *de fide infusa, et acquisita.* Et adde dicta hujus in primo, *dist.* 3. *quæst. in solut. art.* 1. contra Henricum moderando cuncta ut nosti. Quære *quæst.* 17. *Quodlib. art.* 3. et Franc. in Prologo *Ab oriente portæ tres*, *q.* 3. optime, ut hæc altius exequaris.

Omnis perfectio simpliciter, est aliquo modo communis Deo, et aliis ab eo.

5. Tertia est de perfectione Dei, quæ supra pertractata est copiose, ubi adverte quod illa comparatio est excessiva vel abusiva, quam probat ex præcedentibus. Corollarium infert consequenter notabile. Ubi adverte, cum dicit infra, *aliquo modo communis*, etc. quod hoc dicit, vel quia non est locus determinationis illius communitatis hic, sive scilicet sit analogiæ, sive univocationis, vel ideo, quia non est communitas nisi solius conceptus. Notanter etiam dicit in omni differentia entis, quæ dicit perfectionem simpliciter, propter ea quæ tangit 8. *dist.* 1. *quæst. finali, et* 1. *dist.* 2. *q.* 3. de causa et hujusmodi.

Deinde facit digressum notabilem in commento primo, ostendendo quantum, et ad quem terminum ultimate attingit ratio naturalis necessaria creaturæ rationalis, vel saltem viatoris de Deo. Vide in Prologo utriusque 1. et 3. *dist. ejusdem, et supra* 2. *Metaph.* et alibi sæpe, pro et contra plura addendo.

Consequenter pertractat partes illius primæ conclusionis, ostendendo difficultatem probationis earum per ordinem, sed supra de primo principio, et ubi ibi notavi conatur illa omnia probare, quæ tamen non repugnant, ut sæpe dixi. Faciliter tamen dici potest, quod in essentialiter ordinatis potius datur primum, quia nisi ibi primum, nec primum, nec ultimum in aliis, quod tamen examinabis bene.

In essentialiter ordinatis dari primum alioquin nec primum, nec ultimum in aliis.

Ultra, cum ibi allegat Avicennam, adverte quod illud habet 6. *Metaph. cap.* 5. Quære etiam Aristotelem. 2. *de Gener. text. comm.* 56. 58. et 68. et alibi ad idem, et maxime 8. *Physic.* Quomodo autem valet illa consequentia, *Datur prius, ergo primum*, vide supra 5. *Metaph. quæst.* 8.

Datur prius, ergo primum an valet?

6. Aliud quod tangit circa probationem secundæ partis, quære 2. *dist.* 1. *quæst.* 3. et supra de primo principio, et qualiter currit, et quando juxta regulam tertii Topicorum : *Duo bona sunt magis bonum uno eorum seorsum*, et quando non, ibi habes, et ubi notavi ibidem. Ibi etiam pondera duos modos ponendi duo prima, aut scilicet utrumque a se, aut unum univoce ab alio.

Quando duo bona sunt meliora uno?

Deinde ostendit circa tertiam partem, scilicet coæternitatem, valde signanter difficultatem probationis, dupliciter : aut loquendo de eodem numero, quia sic posset imaginari aliud, et aliud numero distinctum sibi succedentia : aut secundum speciem, ita quod tantum ad *fieri* rerum requireretur primum, et non ad conservationem. Ubi adverte, quod licet communiter habeatur in littera ibi ; *per rationem naturalem non potest probari*, etc. magis tamen placet ibi, *improbari*, et additur in originalibus antiquis K, ad denotandum primum dictum, quia sic Doctor signabat loca textus plerumque per litteras, sicut antiqui Bibliæ capita, et ipse Aristoteles et Avicenna, et aliquando Henricus quæstiones in processu solutionis earum, et hoc accidit sæpe in his Theorematibus et Metaphysica, et maximam generat ambiguitatem, quia vitio et negligentia scriptorum, non fuerunt appositæ marginibus hujusmodi litteræ. Si eas Doctor apposuit, vel si implicite intellexit, non ita faciliter alii capere possunt. Vult ergo Doctor, quod illa duo quæ tetigit, primum ibi : *Primo de aliquo eodem*, etc. Secundum ibi : *Et secundo si primum efficiens*, etc. non possunt improbari faciliter per rationem naturalem, nec ex ordine causarum, et ideo inferius debet esse : *Secundum non potest improbari*,

etc. uti plura originalia habent. Et nisi capiatur ly *et*, materialiter pro signo sicut K, dubium quod tangit ad quodse remittit, potest faciliter solvi, tenendo negativam, et hoc si secundum ejusdem rationis est effectibile ; de quo infra in hoc capitulo et in Sententiis, et alibi sæpe, et hoc nisi negetur ordo essentialis, de quo ubi supra in primo, et de primo principio.

7. Consequenter dat instantiam secundæ petitioni supra, sed faciliter solveretur, quia species sunt sicut numeri 8. *Metaph. text. comm.* 10. *et* 10. *Metaph. text. com.* 2. *et inde* : *In omni genere*, etc. Sed hoc tolleretur recurrendo ad ordinem perfectionis et causalitatis, ut scis, et distinguendo de mensura multiplici. Vide 2. *dist.* 2. *part.* 1. copiose, et alibi plerumque in doctrina hujus et aliorum. Pondera omnia quæ dicit, quia nihil sine ratione.

Ulterius prosequitur dicta, ponendo casum de impositione hujus nominis, *Deus*, ubi cum dicit, *sequitur ex* K, recurrit ad illud primum dictum, prius notatum, et originalia ibidem varie se habent ; in aliquibus ponitur 12. in aliquibus 2. in aliis alio modo. Postea cum dicit *ex* 2. intellige de 2. dicto prius. Ubi aliqua originalia habent *ex et*, quod bene posset stare, tenendo ly *et*, ut notavi prius materialiter, *et* pro signo, etc.

Consequenter ibi : *igitur hæc quæ videntur*, dat ordinem, rationem et modum dicendis. Unde elicere potes quod præcedentes omnes creditæ, usque ad primam petitionem supra, congrue sequerentur sequentes creditas, ut supra tractavi. Ibi etiam finaliter declarat se, qualiter intelligit non probari in his creditis per totum, unde instantiæ ubique solvuntur.

THEOREMA XVI

SCHOLIUM I.

In hoc Theoremate videtur Doctor, dum hæc scriberet, ejus fuisse sententiæ, quod istæ propositiones non essent demonstrabiles, ut sentiunt Doctores citati Theorem. 14. Schol. 1. quas tamen pro majori parte provectior factus, in Theologia demonstrare conatus est ; sed nec mihi constat, eum voluisse suas ibi probationes esse necessarias et in rigore demonstrativas. Vel dic quod hîc et Theorem. 14. nihil resolvit, sed tantum asserit sub dubio ista non demonstrari. Colligo ex commento decimæquartæ conclusionis Theorematis deciminoni, ubi dicit forte non demonstrari statum in causis, seu dari primam causam, et hîc dicit propositione prima id ipsum, sine *forte*, sed eodem sensu, ut videtur dari ordinem essentialem in efficientibus, et primum et unicum efficiens. Quæ hîc probari negat tribus primis propositionibus, fuse probare satagit 1. dist. 2. q. 2. art. 1. et 2. Metaph. q. 4. et de primo principio, cap. 1. et cap. 3. concl. 2. et 15. Quod ait conclus. 6. coactionem Dei cum causis secundis non probari, probat tamen ipse 2. dist. 37. q. 2. §. *Sed hæc via*, num. 6. contra Durandum ibi q. 1. et Aureolum ibidem, negantes Deum immediate concurrere ad materiale peccati, quos communis Doctorum reprehendit. Vide Doctores ibi citatos, ante quæst. de immensitate Dei quam tangit conclus. 7. Vide eum 1. distinct. 37. ubi docet eam non ostendi ex operatione, quod etiam habet 2. distinct. 9. quæst. 2. ex conclus. 4. Videtur etiam hîc sentire cum Doctoribus citatis Schol. 1. Theorem. 14. an demonstretur Deum esse. De conclus. 8. vide eum 1. dist. 8. q. 5. ubi tractat opinionem Philosophi et Avicennæ, quomodo posuerunt alia a primo esse necessario, et tamen ab ipso effective, quoad aliqua immediate. De quo etiam 2. dist. 2. quæst. 1.

1. *Non potest probari ordinem essentialem esse in efficientibus.* 1. 16. *pr[in]cip.*

Tum, quia tunc nulla duo inter se non ordinata, ut est in numeris, et figuris ; tum, quia nec talis ordo est effectuum ; tum, quia ratio Philosophi 2. *Metaphys.* ad hoc non demonstrat. Quære ibi. *Propositiones c[re]ditur*

2. *Non potest probari primum secundum speciem in efficientibus esse, vel fuisse.*

Non probari primum efficiens. Tum, ex prima conclusione, quia illa primitas probaretur ex ordine essentiali, tum, quare plus hîc quam in accidentaliter ordinatis?

3. *Non potest probari primum aliquod idem secundum numerum in efficientibus esse, vel fuisse.*

Tum ex secunda ; tum ex secunda supra, si aliquod primum potuit aliquod univocum sibi producere.

4. *Non potest probari aliquod idem secundum speciem, vel quasi idem secundum numerum, primum efficiens nunc esse.*

Corollarium. An probetur Deum esse? an alia conservare, vel illis coagere? Prima pars ex secunda, et secunda ex tertia, utrique scilicet *P.* et *Q.* imponatur nomen *Deus*, non potest probari quod Deus sit nunc.

5. *Non potest probari Deum esse necessarium ad conservationem naturæ creatæ in* esse.

** Corollarium.* * Per consequens nec in *operari*. Tum ex quarta ; tum ex secunda supra, ordo non requirit, sic superiorem requiri propter inferiorem.

2 6. *Non potest probari Deum coagere omni causæ secundæ aliqua actione propria sibi.*

Quæ necessitas duarum actionum, cum secundum agens sit æque actu cum producto? Similiter quomodo nobilioris agentis non est nobilior actio, et ita actum nobilius?

7. *Non potest probari Deum esse ubique secundum essentiam.*

An probetur Dei immensitas? Tum, quia non necessario conservat ex quinta ; nec necessario coagit ex sexta, ut ibi sit, ubi agit. Tum, quia ordo hoc non requirit, cum enim non sit Sol, adhuc est terra. Sol enim non est in terra; *1. Corollarium. Secundum.* igitur non potest probari quod Deus sit immensus. Et sequitur quod hoc non probatur illabi : illabi enim non est simul esse subjective, tunc enim Deus nulli illaberetur, sed quodlibet accidens subjecto : nec simul esse localiter corpus gloriosum simul, et non gloriosum, nec esse præsens per essentiam; tunc igitur creatura sibi illaberetur, et Deo, et alii creaturæ, et e converso : sed illabens *A*, est principalius ipsi *A* quam *A* sibi, et præsens secundum essentiam, et secundum causalitatem primam, quia plus causat, etc. *Quid illapsus, et an probetur.*

8. *Non potest probari Deum posse aliquid immediate producere, nisi tantum unum effectum primum.* *Deum producere immediate, an probetur?*

Tum ex sexta aliqualiter. Tum, quia ordo hoc non requirit, sed solum quod primum efficiens producat primum effectum, non quemlibet, cum Sol non possit producere hominem immediate.

SCHOLIUM II.

De conclusione nona, quomodo Philosophi negarunt Deum aliquid creare posse in tempore, vide Doct. 2. dist. 2. q. 2. et 1. d. 8. q. 5. ubi et 1. d. 39. 43. 44. et 45. de primo princ. c. 4. n. 6. probat oppositum primi corollarii hujus conclusionis, Deum scilicet libere agere omnia ad extra. De secundo corollario, an aliud a Deo possit esse ab æterno, tractat 2. d. 2. q. 3. inclinans magis in affirmativam partem, cum D. Thoma contra Henricum. De conclusione decima, quomodo potest probari omnipotentia ; vide 1. dist. 42. et Quodl. 7. ubi fatetur non posse demonstrari, si sumatur pro potentia producendi quodcumque immediate, sine ullo aliarum causarum concursu. Undecima, duodecima et decimatertia, sequuntur ad præcedentes. Quomodo Deus sit immutabilis et incorruptibilis, vide Doct. 1. dist. 8. q. 1. et 3.

9. *Non potest probari quod Deus ali-* 3.

1. *Corollarium.* *quid possit extra istum ordinem causarum.*

Tum ex octava, tum sicut sexta probatur; unde non potest probari quin agat de necessitate naturæ ; nec libere, nec voluntarie, nec aliter potest quam agit. Secundo, per consequens non potest probari quin causata sint coæva sibi, tam ante, quam post, licet non sit necesse ipsum esse coævum eis ex quarta, et tertia. Tertio, nec per consequens quod possit aliquid causare : tum ex hac nona, tum, quia ordo hoc non concludit, ita Sol supponit materiam sicut homo.

An probetur Deum libere agere, vel necessario in tempore ?

10. *Non potest probari quod Deus possit facere quidquid potest fieri ex parte sui, licet propter defectum agentis non includat contradictionem.*

Corollarium. Ex nona. Tum, quia non posset probari causas alias non superfluere, unde non potest probari, quod Deus sit omnipotens proprie.

11. *Non potest probari quod Deus ut significat Q, non incepit.*

An demonstretur Deum esse immutabilem ? Ex tertia secundum probationem secundam, tamen potest probari quod ut significat *P*, quia nec a se, patet, nec ab alio prius primo potuit produci.

Vide Mauritium. 12. *Non potest probari quod Deus sive pro P, sive pro Q, est incorruptibilis.*

De *Q* patet, de *P* probatur ex corollario, cum tamen hac adjuncta, videmus ultimos effectus omnes corrumpi, tum quia ordo hoc non concludit. Contra : *A* a quo corrumpetur? Respondeo : corruptio non requirit causam effectivam ; mors duplex simpliciter, periodo completa cadet in nihil ; nullam coordinationem videmus incorruptibilem, quia omnia senescunt et variantur, quorum tempus est mensura.

13. *Non potest probari quod Deus est immutabilis, nec immobilis.*

Ex duodecima et per consequens nec quod successione careat, nec quod sit æternus, proprie loquendo. Contra : a quo movetur, vel illuminatur, vel mutatur? Respondeo, a se. Vide quantum valeant argumenta 7. *et* 8. *Physic.* contra hoc : voluntas movet se, et animal se. *Corollarium.*

SCHOLIUM III.

De decimaquarta, decimaquinta et decimasexta quæ tangunt Dei simplicitatem, vide 1. dist. 8. q. 1. 3. et 5. et de primo princ. cap. 4. conclus. 1. et 10. de decimaseptima, vide fuse 1. dist. 2. q. 2. et Quodl. 7. ubi potentiam infinitam demonstrari docet, licet non omnipotentiam sensu Theologorum, et de primo princip. cap. 4. conclus. 9. ubi etiam agitur de decimaoctava, quæ est de illa Dei descriptione ex Anselmo, *quod sit, quo majus cogitari non potest.* De decimanona, vide eum 2. d. 3. q. ultima in fine, docentem omnem gradum possibilem, esse in ente, et 1. dist. 44.

14. *Non potest probari quod Deus careat magnitudine.* 4.

Tum, quia nullum non quantum, est nobis necessaria ratione cognoscibile, quia nec sensibile. Tum, quia ordo hoc non concludit, superiora enim non minus quanta, imo majora. Tum, quia quantitas primo advenit substantiæ.

15. *Non potest probari Deum carere omni accidente.*

Tum ex decima quarta ; tum, quia ordo hoc non concludit, imo superiora habent accidentia nobiliora ; nec videntur agere in distantia, nisi mediantibus accidentibus, tamen talem actionem non est probare de Deo ex 8.

An probetur Deum carere corpore, accidente, partibus, finitate ?

16. *Non potest probari Deum carere partibus essentialibus.*

Tum ex decimaquarta aliqualiter, licet non secundum Averroem. Tum, quia ordo hoc non concludit, nec potest probari aliquid tale posse per se esse; igitur non probatur quod est omnino simplex, nec per consequens actus purus.

Corollarium.

5. 17. *Non potest probari quod Deus sit infinitus intensive.*

Tum ex duodecima, tum ex decimaquarta secundum finem 8. *Physic.* Tum, quia ordo hoc non ostendit, cum superior possit in effectum nobiliorem, et primum in nobilissimum, tamen finitum. Item, quare magis unum infinitum quam infinitæ causæ, cum utrumque sit æque impossibile in corporalibus?

An probetur Deum esse quo majus cogitari nequit? Quæ Philosophi dixerunt de Deo, non omnia demonstrare potuerunt, Corollarium commune.

18. *Non potest probari quod Deus sit, quo nil melius cogitari possit sine contradictione.*

19. *Non potest probari quod omnis gradus perfectionis est in universo, qui posset intelligi esse sine implicatione contradictionis.*

Nec quod potest esse, quia nihil potest ipsum producere, ex decimaoctava.

Philosophi multa dixerunt de Deo, ad quæ per rationem naturalem necessariam pertingere non potuerunt, patet ex 11. et 6. sequentibus, et libris *Physic.*

ANNOTATIONES.

6. Sequitur illa particula : *Non potest probari*, ubi posset poni, quod supra posuimus tenendo alium ordinem : *Incipit tractatus*, etc. Quotatio vero particulæ ibi in margine omittatur supputationi lectoris, ut sæpe notavi. Ponit igitur propositiones creditas per ordinem, quas tamen alibi conatur probare, sed qualiter ex hoc non repugnat sibi ipsi, supra tetigi. Fortiores tamen sunt istæ præcedentibus creditis assignatis, quia etiam Philosophi conati sunt has omnes fere ostendere, igitur non excludit Doctor hîc omnimodam probationem, etiam ex naturalibus, sed necessariam, ut patet.

Prima propositio seu conclusio, est de ordine essentiali efficientium, quam probat tripliciter. Quære supra *de primo principio, et* 2. *dist.* 1. *et alibi sæpe* 2. *etiam Metaph. Arist. text. com.* 6. *et inde.* *Ordinem essentialem causarum non demonstrari.*

Secunda est de primo efficiente quoad unitatem specificam, quam ex præcedentibus probat. Quære ubi prius pro et contra, et 8. *Physic. et* 12. *Metaph.* et in Proclo et Auctore de causis.

Tertia est de primo efficiente quoad unitatem ejus numeralem, quam etiam ex præcedentibus probat. Vide ubi prius apud istum, et alios, et maxime 12. *Metaphysicæ, text. comm.* 49. et in Damasc. *cap.* 5. *et* 8. *Physicor. text. comm.* 48. Vide Varr. *lib.* 1. *distinct.* 2. *quæst.* 2. et Occham *Quodlibet.* 1. *q.* 1. pro quo faciunt dicta Doctoris in hoc tractatu, sed non simpliciter. Æstimo enim quod hinc accepit audaciam in suo processu, ubi supra notavi de primo principio, sed moderabere cuncta, ut ibi notavi et in præcedentibus hîc, et salva fundamenta hujus ubique. Cum Theologis enim summus Catholicus, et cum Philosophis ratione plusquam Græcus existit. Adverte quod in secunda probatione in commento debet esse, *tamen ex* K *supra*, ut prius declaravi, ubi tamen originalia variam litteram habent, sed sic placet et consonat dictis.

Quarta est disjunctiva de efficiente, quoad nunc existere, et dependet ex præcedentibus. Pro cujus declaratione, nota singularissime ea quæ habet 2. *dist.* 1. *q.* 2. quia nullibi melius. Ex qua infert corollarium, ubi ponuntur in originalibus communiter duæ litteræ, scilicet *P*, *Q* quarum prima denotat primam partem conclu-

sionis, et secunda secundam, quas forte apposuit in suo originali, illis partibus ut prius notavi, sed posset bene intelligi littera sine illis ; ad majorem vero expressionem forte eas addidit, sicut alibi sæpe fecit.

Conservatio primæ causæ an probari possit.

Quinta est de conservatione rerum in esse, quam etiam probat ex præcedentibus. Ex qua infert corollarium. Vide 12. *quæst. Quodl. et* 1. *dist.* 2. *q.* 4. Pro notitia terminorum quære 2. *dist. pri.* 8. *et* 39. *ejusdem*, *et* 25. *et* 37. *dist.* 2. *et alibi sæpe*, pro corollario illo explicando. Examina bene instantias hinc inde. Vide 48. *distinct.* 1. *et* 44. *secundi* ad hæc.

Sexta est de coactione Dei causis secundis, quam probat dupliciter, quarum prima potest fundari 2. Physic. et 5. Metaph. de causa, et effectu particularibus. Secunda procedit ex comparatione nobilitatis effectus ad causam, quæ tamen faciliter solvi possunt. Vide ubi supra ad conclusionem proximam notavi, et 1. *quæst.* 4.

8. Septima est de immensitate Dei, quam probat dupliciter. Vide 37. *distinct.* 1. et maxime in Reportationibus. Infert duplex corollarium, quorum secundum communiter non ponitur hic in originalibus complete, ut posuimus, sed infra post has propositiones creditas in aliquibus. In aliis vero alibi de ipso videlicet *illabi*, sed satis valet hîc, et notabilis doctrina est. Littera bene et sufficienter esset talis : *Et ex hoc sequitur quod non probatur, vel potest probari illabi* : et quod sequitur, *illabi enim*, etc. est declaratio seu notificatio termini, ubi ponit tres propositiones negativas, et quartam affirmativam. In aliquibus originalibus habetur sic : *Corollarium secundum septimæ. Quod non probatur hic illabi*, In aliis alio modo. Ubi adverte, quod communiter in originalibus corollaria ponuntur in littera sic : *Corollarium*, etc. sed placuit una cum conclusionibus notare ea in margine. Adverte etiam, quod sicut duplex ponitur influentia divina, ita duplex illapsus, generalis videlicet, et specialis. Vide in 1. *distinct.* 19. *q.* 2. *et in* 3. *distinct.* 1 *quæst.* 1. *ad fin. et quæst.* 4. Aliqui etiam describunt *illabi*, vel illapsum sic : *Illapsus est supremæ essentiæ intima præsentialitas, creaturam intellectualem vitaliter immutans ad actum contemplativum, quem viri experiuntur devoti, dum divinam intrant caliginem.* Quære Bonaventuram *in* 2. *dist.* 8. *part.* 2. *quæst.* 2. et alios Theologos, ut lubet pro ampliori elucidatione.

Illapsus duplex.

Illapsus descriptio

Immediata productio a Deo an probetur.

Octava est de immediate producto a Deo. Vide 8. *dist.* 1. *q. fin. et* 2. *dist.* 2. *q.* 2. *et prima q.* 4. *et opin. Avic. ibidem, et* 7. *quæst. Quodl.* Ad materiam hujus conclusionis examinandum bene, vide Averroem 1. *Cœl. commento* 102. *et* 12. *Metaph. commento* 18. *et* 9. *Metaph. commen.* 7. *et alibi plerumque.*

Nona est de causatione Dei de nihilo, 9.
quam probat ex præcedentibus. Et infert triplex corollarium. Pro primo vide 2. 8. 39. *et sequentibus*, et specialiter 41. *et* 15. 1. *et* 7. *quæst. quodl. et supra de primo principio, et alibi sæpe.* Pro secundo et tertio vide 1. *dist.* 2. *q.* 2. *et* 3. quære alios, et super 8. *Phys. et primo Cœli, et* 12. *Metaph.*

An omnipotentia demonstrabilis sit.

Decima est de universalitate causalitatis Dei, ex qua infert corollarium de omnipotentia. Quære 42. *dist.* 1. *et* 7. *quæst. Quolib. et* 43. *dist.* 1. *et supra de primo principio.* Ubique examinabis Nominales.

Undecima est de æternitate Dei, et ponuntur illæ litteræ quæ supra in corollario quartæ habentur. Per *Q* enim intelligit Deum, ut in identitate numerali primum, et per *P*, ut in quidditate, vel identitate specifica primum. Licet igitur illud primum secundum numerum posset plurificari et incipere per consequens, et hoc per possibile vel impossibile, non tamen ita secundum speciem, id est, a tota specie, supposito quod detur primum tale, quia ut deducit Doctor, vel a se, quod est impossibile, vel ab alio priore, et tunc negatur suppositum.

Duodecima est de incorruptibilitate seu
immortalitate Dei. Quære 8. *distinct.* 1. Et Q. 5.
nota quod iste Doctor imitatur in suis scrip-

tis illam notabilem regulam, quam ipse ponit 4. quæst. Quodlib. in principio : *Non enim,* inquit, *oportet omnia in dubium revocare*, ubi suppositis dictis communibus propositum potest declarari. Non scripsit igitur de omnibus Theologicis veritatibus seorsum extensive, sicut antiqui, licet intensive plura, pace aliorum dixerim; quare nec de æternitate, nec de immortalitate, nec de aliis hujusmodi pluribus quæstiones singulas habet, omnia tamen æquivalenter, vel elicitive seu implicite invenies in eo. Quære 6. *quæst. Quodlib.* de æternitate, et ubi prius de immortalitate, Alexandrum, Bonaventuram, Richardum et alios, vide, qui expressius de his disputarunt. Non curavit iste chartam vacuis verbis impedire. Nam qualitas præfertur quantitati, et carmen unicum (ut aiunt) unius, poemati alterius, nec quod diuturnius, et cap. 1. Ethicor. contra Platonem. Probando conclusionem pro prima parte remittit ad corollarium 9. supra, et est secundum corollarium ibidem.

Non oportet omnia in dubium vocari.

Carmen unum unius melius poemate alterius.

10. Deinde objicit contra dicta. Et solvit brevibus et subtiliter modo suo. Ubi adverte cum dicit, *mors duplex*, etc. quod ibi vult implicite quod mors accidit vel ex periodi complemento, vel ex causis illativis, et hoc vel intrinsecis, vel extrinsecis. Ad quod clarius explicandum, vide notanter ea quæ habet in 2. *dist.* 15. solvendo argumenta, *et dist.* 19. *ejusdem*, *et in* 3. *dist.* 16. *et in* 4. *dist.* 44. *q.* 1. *et dist.* 49. *q.* 13. Quære considerationes Medicorum et Philosophi, ut nosti. Simile hujus dicti de morte et causa effectiva habet de annihilatione, quæ maxime esset in proposito ponenda in casu conclusionis. Quære 1. *quæst.* 4. solvendo principalia, *et distinct.* 11. *ejusdem quæst.* 4. Vide etiam 12. *q. Quodl. et* 1. *dist.* 2. *et alibi* ad propositum, bene ponderando. Quod dicit consequenter de generali corruptione omnium, considera plura. Quære ubi supra. Maxime habet veritatem, si ponatur materia in omnibus, ut aliqui volunt. Vide supra 7. *Metaph.* 22. *distinct.* 3. Tange etiam cùm Theologis, quod mors accidit ex conditione naturæ, sicut accidit Virgini, et in statu innocentiæ accidisset, nisi præveniretur, et in Christo etiam. Accidit etiam demeritorie in pœnam peccati, sententia Pauli. Notanter etiam dicit *incorruptibilem,* et non *incorruptam :* unde cœlum est corruptibile, quia materiale. Vel generalius capiendo *corruptibile* pro *annihilabili*, vel *destructibili.* Sequitur, est corruptibile, quia creatum vel creabile.

Mors duplicitur contingit.

Mors Beatæ Virginis non ex peccato, sed ex conditione naturæ.

Cœlum est corruptibile.

Quod ulterius ibi habet de tempore et mensuratis tempore, quære 2. *dist.* 2. copiose, et 4. *Phys.* vide ibi specialiter, *text. com.* 117. propter verba litteræ de *senescere,* etc. Et notanter dixit, *quorum mensura est tempus*, ad differentiam ævi et æternitatis, de quibus ubi supra in secundo.

Decimatertia est de immutabilitate Dei. 11.
Quære 8. *dist.* 1. *q. fin. primo Anglico, et q.* 2. *in primo Reportationum*, et in aliis Theologis; ibidem et alibi 8. *etiam Physicor. et* 12. *Metaph.* habet Philosophus ex intentione ad hæc quæ omnia concordabis, et infert corollarium notabiliter. Deinde objicit ubi communiter non habetur ly *illuminatur*, sed satis valet. Quære 9. *dist.* 2. Consequenter respondet, et quia aliquis diceret quod Philosophus 8. *Physicor. text. comm.* 21. *et inde ad longum*, *et* 7. *text. comm.* 2. probat oppositum; ideo dicit, *Vide quantum valeant argumenta* 7. *et* 8. *Physicor. contra hoc;* et ibi debet esse punctus et littera continua. Ulterius cum addit, *voluntas movet se*, etc. ostendit oppositum eorum quæ dicit Philosophus, et notanter ponit, *voluntas movet*, etc. quia Philosophus concedit animal movere se, eo quod dividitur in duo, *ibidem in* 8. *text. com.* 28. *et* 30. *et circiter*, sed de voluntate magis dubium est ex ejus simplicitate, et ita hic ad propositum valet. Hæc vide bene examinata in 2. *dist.* 2. *q.* 10. *et dist.* 25. *ejusdem, in primo etiam dist.* 3. *q.* 7. Aliqua ad hæc habet super 7. et 8. Physicorum, etiam disputatur com-

muniter, et supra 9. *Metaph. q.* 14. patet, ubi omnia ponderavi.

Dei simplicitas an probetur. Decimaquarta est de magnitudine molis non ponenda in Deo, quæ pertinet ad simplicitatem Dei. Vide etiam 8. *dist.* 1. et alibi in antiquis et modernis Theologis. Quære *q.* 5. *Quodlib.* probat conclusionem tribus rationibus quæ satis claræ sunt, et quantum valeant bene discutiatur. Quære etiam 8. *Physic. text. com.* 78. *et inde, et* 12. *Metaph. text. comm.* 41. fundamenta Aristotelis et alibi ad hæc, et concordabis cuncta, semper sustinendo Scoticam sinceram veritatem.

An probetur Deum incapacem esse accidentium ? Decimaquinta est de simplicitate Dei, quoad accidentalem compositionem. Quære etiam 8. *dist.* 1. et ubi prius quam probat notabiliter : sed qualiter procedunt probationes et quantum, dijudicet lector bene. Quod tangit ibi de superioribus agentibus in distantia, quære 9. *dist.* 2. optime, et 14. *dist. ejusdem quæst. ultima.* Finaliter instat contra probationem ex dictis prius, et solve si placet.

12. *Omnis compositio longe a Deo.* Decimasexta est de simplicitate Dei, quoad essentialem compositionem. Quære etiam 8. *dist.* 1. optime, et ubi supra notavi in Philosopho, et specialiter 12. *Metaph. text. comm.* 30. *et circiter*; et non solum de compositione physica, sed etiam metaphysica, habet hæc conclusio ponderari pro et contra. Probat conclusionem, primo *ex decimaquarta, aliqualiter* inquit, ubi notanter dicit Doctor *licet non ;* vel, ut alii habent, *sed non secundum Averroem,* hoc ideo dicit, quia Averroes negaret hanc consequentiam : *In Deo est magnitudo molis, ergo compositio essentialis,* vel sic : *Non potest probari quod in Deo non sit magnitudo molis; ergo nec quod non compositio essentialis,* quia ipse *in de Substantia orbis,* negat in cœlo materiam, et tamen cœlum ponit quantum et magnum. Vide 14. *dist.* 2. *q.* 1. optime, ubi, quod contingens in paucioribus est, commendat Averroem quantum ad hoc imitantem Aristotelem, licet oppositum verum sit secundum veritatem Theologicam, sed de mente hujus videtur valere hoc argumentum : *Est compositio accidentalis, ergo essentialis,* quia secundum ipsum 3. *dist.* 1. *q.* 7. potentia ad accidens nunquam fundatur nisi in substantia in actu ; quod intelligo loquendo de subjecto ultimato seu substentificante ex 1. *Metaph. text. com.* 14. Vide 3. *dist.* 2. q. 4. Hoc tamen licet excludat materiam primam esse subjectum accidentis, et forte formam materialem educibilem de potentia materiæ : et ex hoc, illa fatua fabula viæ communis, de quantitate interminata nulla est, nisi imaginatio somniantium, et protervientium. De aliis tamen non compositis, utpote de Angelis esset dubium nisi ponantur componi ex materia, et similiter de anima separata, et accidentibus ejus; sed propositio Doctoris potest sane glossari, distinguendo de ente actu, ut nosti. Alia probatio conclusionis, et corollarium sequens satis patent, ubi plura adde.

Ex mole non sequitur compositio essentialis secundum Averroem.

Compositio accidentalis, an infert essentialem?

Decimaseptima est de infinitate Dei intensiva, et qualiter non repugnat processui istius, supra *in de primo principio, et* 2. *dist* 1. *q.* 1. Ponderabis bene, ut supra sæpe notavi. Vide Reportationes *ibidem ad fin. quæst.* de infinitate signanter, qualiter etiam non contradicat sibi *hic, et* 42. *dist.* 1. *et q.* 7. *Quodlibeti,* ubi videtur velle quod quamvis omnipotentia Dei, ut eam ponunt Theologi, non possit demonstrari, licet in se demonstrabilis sit, infinita tamen potentia demonstrari potest, considera diligenter ex dictis. Hanc conclusionem probat ex præcedentibus, scilicet, 12. vel 13. potius et 14. *Secundum finem inquit* 8. *Physicor.* hoc est dictu, quod si non potest probari Deum carere magnitudine molis, et virtus infinita non potest esse in magnitudine ; nec infinita, quia non datur, ut in 3. ostendit Aristoteles; nec finita, ut ibi consequenter probat, licet tamen probatio non procedat, nisi ut eam colorat iste, 2. *dist.* 1. *q.* 1. *et melius* 8. *dist. ejusdem quæst.* 1. sequitur igitur ista, quod videlicet non potest probari Deum es- 13.

Potentia infinita demonstrari potest licet omnipotentia non possit.

se virtutis infinitæ, seu infinitum intensive Aliæ probationes quæ sequuntur, satis claræ sunt. Hæc conclusio prima facie videtur facere pro Averroe, qui ex intentione, perversa tamen, vult Deum esse finitum intensive, ut 8. *Physic.* 12. *Metaph. et* 2. *cœli, commento* 63. expresse et alibi sæpe habet: et si aliqui imitantes ipsum nitantur eum exponere, et violenter trahere ad oppositum, æstimo tamen quod penitus pejorem partem elegit. Rescindatur et ipse cum impio Satana. Aristoteles tamen salvetur ubique, qui bene sentit, maxime in proposito.

Deus secundum Averroem finitus.

14. *Dei infinitas an demonstretur?*

Non facit autem hæc conclusio pro Averroe, nam etsi demonstratione simpliciter necessaria, ut supra tactum est, non possit infinitas Dei demonstrari, imo forte per se nota est hæc, *Deus est infinitus*, est saltem vera et credita, et efficacius potest probari quam ejus oppositum. Unde Rich. *de Trinit.* 1. *cap.* 3. *Ad omnia quæ fide tenemus non solum habemus rationes naturales, sed necessarias,* quod tamen intelligatur, ut exponit iste 42. *dist.* 1. Quære Expositores et Quæstionistas in Aristotelem, ut scis, ad hæc. Vide 8. *dist.* 1. *q.* 3. *et* 5. *quæst. Quodlib.* ad hanc infinitatem exprimendam profundius, et considera an sit modus intrinsecus, an certe de ratione formali Deitatis, et si ponatur modus, an possit demonstrari. Plura alia hîc adde ex sequacibus hujus, et aliis antiquis et modernis. Quære Ocham ubi sup. tract. de primo principio, quotavi eum ad hæc, et alios sequaces, sed ligabis te aquilæ ad alas.

An infinitas sit modus intrinsecus?

Decimaoctava est de probabilitate illius descriptionis famosæ Anselmi prosol. 2. de summo cogitabili, quam exponit iste, 2. *dist.* 1. *q.* 1. *et* 2. et supra *de primo principio* pertractata est. Quæ conclusio posset ex præcedentibus probari satis efficaciter, ut patet speculanti, et maxime ex proxima. Nam quocumque finito potest sine contradictione cogitari majus. Quare autem additur *sine contradictione* ibidem: quære ubi supra. Addat ibi lector plura propositum explicantia.

Deus est, quo majus nequit cogitari.

Decimanona est de perfectione universi. Quære optime *dist.* 44. 1. et alios Theologos ibi, et alibi investigabis ad hæc. Auctores etiam plures de perfectione specierum. Vide Philosophum primo Cœli copiose. Quære hunc 13. et 14. *dist.* 3. et alibi sæpe ad hæc, Franciscum de Mayr. et alios sequaces hujus, inquire supra etiam 2. Metaph. et alibi, ut nosti.

Infert corollarium, quod appellat *commune* ex his conclusionibus, de quo supra feci mentionem ubi pondera cum dicit *rationem naturalem necessariam,* et probat eum specialiter ex undecima supra, et ex aliis sex conclusionibus quæ sequuntur illam, licet ex aliis præcedentibus et sequentibus sequatur idem. Et si voluerit lector ordinare post hoc corollarium alias propositiones creditas supra, ibi: *Non potest probari Deum esse vivum,* et quæ sequuntur usque illuc; *In essentialiter ordinatis*, etc. poterit rationabiliter facere. Nam minus videntur illæ probari posse ratione naturali necessaria, quam prædictæ jam, cum Philosophi plures harum, vel omnes in suis scriptis conati sint probare. Advertat quoque sive sic, sive alio modo ordinaverit, qualiter quotationes in commentis hinc inde assignatas accommodabit.

15. *Q.* 4.

Theorem. 14.

Hæc pauca circa has creditas hîc curavi notare: quia alibi eas diffusius videbis, et parcant provecti prolixitati, si quæ sit, et simplicitati declarationis, juniores quoque brevitati et obscuritati, nam utrisque hîc accommodare decrevi; sed scio quod quocumque modo disposuero a cœli ductus vicissitudine, a sibi solis placentibus calumniabor, dum tamen Pharisæorum scandalum fuerit, quid inde?

FINIS TRACTATUS DE CREDITIS.

THEOREMA XVII.

SCHOLIUM I.

Conclusione secunda quod ait, instrumentum non habere propriam actionem, alioquin esset causa principalis, docet 4. d. 1. q. 1. n. 9. et q. 5. n. 14. ubi de variis *instrumenti* acceptionibus. Vide eum ibi. q. 1. n. 26. et dist. 6. q. 5. n. 6. Quod *ait* concl. 4. *quo,* esse posse compositum, intellige de *quo* remoto, ut in exemplo ejus de oculo, quia ratio formalis ultima videndi simplex est. Quod tangit de calore, qui est quodammodo instrumentum; vide 8. Met. q. 1. ubi tractat fuse, an accidens sit compositum ; sed calor non est instrumentum proprie, sed causa dispositiva 4. dist. 1. q. 5. n. 14. De conclus. 9. vide eum 1. dist. 3. q. 7. n. 39. et q. 8. ad 2. ubi explicat utramque ejus partem, et experientia constat, æquivoca tamen est perfectior, univoca concurrente 4. dist. 12. quæst. 3. num. 13.

17. princip. 1. Conclus. 1. *Agens secundum habet operationem propriam ; instrumentum, nullam.*

1. Non eamdem quam principale : quia una operatio unius operantis ; non aliam, quia in illa non est instrumentum : aut agit illam principale ipso, et sic ut prius. Similiter quidquid fit instrumento, fit a principali agente, non sic de agente secundo.

Instrumentum non habet propriam actionem. 2. *Instrumentum non habet operationem propriam, priorem operatione principalis agentis.*

Quod agit non in virtute alterius, in illa est principale, non instrumentum. Exemplum illorum non valet : serra non dividit sine motore.

3. *Quo elicitive, de necessitate est simplex.*

Quia actus primus.

4. *Quo instrumentum, potest esse compositum.*

Patet quomodo oculo aliter videmus, et potentia visiva.

5. *Cujuscumque forma elicit, ipsum totum agit, si est per se unum ens.*

Ens enim per accidens sicut non per se fit, ita nec per se agit. Contra : quid per se calefacit ? non calor, quia est forma elicitiva, non est autem aliquod compositum cujus sit hæc forma pars, nisi ens per accidens ; nullius instrumenti forma est elicitiva actionis. Respondeo, sicut instrumentum est *quo*, ita forma ejus elicitiva instrumentaliter, ut acuties cultelli. *Ens per accidens an agit per se ?*

6. *Idem respectu formæ ejusdem speciei producendæ, potest esse principalep agens et instrumentum, respectu diversorum passorum.*

Sigillum figurat aerem, vel aquam cum quo figuratur cera. 2.

Contra : unus actus secundus est unius actus primi elicitive, per consequens ejusdem agentis ex tertia. Exemplum non valet, imo aer et aqua ex natura sua replent foramina sigilli, non actione sigilli ; partes elevatæ repellunt aerem, sed concavæ non sibi imprimunt, sed ipse aer vel natura universi, salvans plenum, et refugiens vacuum. *A quo replentur foramina sigilli ?*

7. *Agens illimitatum producit diversas actiones specie.*

Ut si idem esset unitive habens calorem et colorem, calefaceret, et visum immutaret.

8. *Agens illimitatum si diversas actiones non producat, nisi diversis instrumentis, vel in diversis passis : differentia tamen non erit actionum ex instrumentis vel passis.*

Sicut nec diversa agentia consimiles operationes facerent, tantummodo consimilibus instrumentis, vel in similibus passis ; sed tantum est differentia ex differentia perfectionum unitive habitarum in agente, quæ ita sufficit, sicut si realiter differrent. Minor enim differentia sufficit in eliciti- *Differentia actionum non est ex instrumentis, vel passis.*

Quid est unitive habere varias virtutes, vide 2. d. 16. n. 17. et 4. d. 46. q. 3.

vis ad majorem in actibus : istud est contra Arcelinum de una actione illimitata, qualis est forma. Contra eum est etiam, quia tunc genitio et spiratio essent in Deo una actio illimitata.

Causæ æquivocæ minus similatur effectus tamen perfectius agit.

9. *Agens principale æquivocum, sive illimitatum, minus assimilatur formaliter effectui, quam univocum, sive limitatum.*

EXTRA. *Contra : igitur Deus per causam remotam magis facit scire effectum. Respondeo, dicitur si diversas.*

Et tamen perfectius producit quando producit, sicut forma perfectius, ubi est illimitate.

SCHOLIUM II.

De conclusione decima vide Doctorem locis citatis. Pro conclus. 9. concl. 11. quod ait eumdem effectum fieri a diversis causis ordinatis, bene tractat 1. dist. 3. q. 7. §. *Qualiter autem*, num. 22. et 2. dist. 3. quæst. 8. n. 12. conclus. 12. docet ambas causas ordinatas, excedere alteram tantum; sed fallit loquendo de causa prima cum 2. cujus optimam assignat rationem, de quo vide eum de primo princ. c. 4. n. 20. et 1. dist. 2. q. 2. et q. 3. ad ult. Ultima concl. eadem causalitate causam superiorem respicere primum causatum, et sequentia, intellige si producit sequentia causata, quod de causa prima certum est. De materia prima, an primam et secundam formam immediate materiat, dubium est, de quo infra Theor. 19. n. 13. et Theor. 20. n. 9. vide Mauritium, qui obscuram Doctoris litteram hîc declarat.

10. *Agens principale quandoque minus assimilatur formaliter effectui, quam instrumentum, et tamen non minus agit, nec formaliter est actio hæc talis ab instrumento. Tamen principale plus assimilat effectum sibi quam instrumento, et plus instrumento quam instrumentum sibi assimilet.*

3. Contra : quomodo magis *producere* sumitur in conclusionibus istis, cum effectus sit unus in secunda, et æqualis in prima? Respondeo, determinat actionem, non passionem, nec effectum.

Idem effectus a diversis causis.

11. *Idem totum producitur ab agentibus ordinatis, vel alterum in producendo præcise partem, non est in hoc agens ordinatum.*

12. *Non omne agens aliquid totum, sic se habet ad illud, quod non perfectius aliquid sunt ambo quam agens, ex undecima ; nec omne habens aliquod totum in virtute activa sic se habet, etc.*

Duæ causæ ordinatæ perfectiores altera tantum.

Contra : quare igitur non aliquid magis creatura et Deus, quam Deus tantum? Respondeo, non quia Deus hoc habet in vi activa, sed in perfectione formali unitiva, et totaliter, quia illimitate.

13. *Causa superior nullam causalitatem habet respectu causati remoti, aliam quam habeat respectu causati proximi.*

Prima causa causatum primum, et secundum, eodem modo causat, et idem de aliis causis.

Contra : finis ultimus alia motione movet appetitum, quam intermedius. Similiter alia est prioritas ad causatum proximum et remotum, quia aliud extremum. Pari ratione alia causalitas : similiter quomodo octava vera? Respondeo, glossa quando producit. Sed probatur hæc decimatertia, quia alioquin ex octava et undecima videretur sequi quod causa secunda non esset necessaria ; similiter videtur prior non necessaria, nisi quatenus dedit secundæ formam qua agit, sicut de generante grave, ubi prior sit causa conservans secundæ, sicut Deus. Nec tunc habet a se aliud agere a conservari. Hæc decimatertia videtur manifesta de materia et forma intrinseca ; illa tantum uni substat, ut perfectibile, hæc tantum

unius perfectibilis est perfectio, ubi multæ sunt materiæ et formæ ordinatæ.

ANNOTATIONES.

4. Sequitur illa particula : *Agens secundum*, etc. in qua prosequitur considerationes metaphysicales et naturales, et incipit a communioribus, suo modo. Nam agens est communis causa, stricte loquendo, et maxime extendendo *agens* ad producens. Hoc vero potest accipi pro efficiente ; nam hìc prosequitur de 4. causis in speciali, et in universali, ut patet. Et licet hæc particula posset locari cum aliis conclusionibus infra de modo agendi et agentibus, sic tamen communiter seorsum habentur, sicut supra de conceptibus habet, aut ergo communes animi conceptiones sunt, aut conclusiones, aut petitiones, non refert, valde saltem utiles et universales proportiones sunt, ideo examinentur bene.

Instrumentum 5. modis sumi 4. d. 1. q. 5.

Prima est comparando causam secundam ad instrumentum, et est notabilis et multum singularis, quam probat satis clare et copiose. Vide in 4. *dist.* 1. *q.* 1. *et* 4. melius, seu diffusius *dist.* 6. *ejusdem art.* 3. *q.* 1. Et hìc accipit *instrumentum* proprie. Nam quinque modis potest accipi, scilicet vel pro causa secunda, vel pro dispositione ad principaliter intentum, vel pro activo tantum in *fieri*, vel in motione activa aliunde, vel pro parte totius, vel pro instrumento artis. Exemplum primi, ut rana in generatione ranæ cum Sole ; secundi, ut calor in generatione ignis, vel carnis; tertii, ut species sensibilis in medio ad actum videndi ; quarti, ut organum nutritivæ in nutritione animalis ; quinti, ut securis in factura scamni, et sic de aliis, sive attingatur ipso principalis terminus, sive tantum dispositio ad ipsum. Hìc igitur maxime habet locum instrumentum quinto modo acceptum, licet ad quartum modum posset extendi, ut ubi supra habet. Hæc propositio est contra multos antiquos et Thomam maxime. Tange instantias pro et contra.

Secunda est de ordine operationis principalis et instrumentalis ; nam ut est instrumentum, non habet propriam ; ergo nec priorem operationem principalis. Ubi adverte cum dicit : *Exemplum illorum*, etc. quod est exemplum Thomæ. Quære eum in 4. *dist.* 1. *q.* 4. *et* 1. *p. Summæ, quæst.* 45. *art.* 5. et alibi pluries. Quære hunc ubi supra in 4, et sequaces ejus bene ponderando.

Tertia est de *quo* elicitivo. Ubi adverte, secundum Boetium de hebdomadibus, quod in omnibus citra primum, differunt *quo* et *quod*. Sicut ergo duplex est *quod* agens, ita duplex *quo*, de quibus in his propositionibus mentionem facit, elicitivum videlicet, et instrumentale. Et cum dicit, quod debet elicitivus esse simplex, intellige caste, distinguendo de multiplici simplicitate. Tange opinionem de materialitate omnium entium limitatorum, de qua supra 7. et 8. Metaph. et alibi sæpe, ut ibi notavi. Quomodo etiam sequitur, est actus primus; ergo simplex, considera. De multiplici etiam actu primo pertractabis. *Duplex quo, et quod.*

Quarta est de *quo* instrumentali, ubi dicit notanter, *potest esse compositum* : et nota quod semper de facto est, et ponit exemplum de utroque *quo*, et ibi potest extendi *instrumentum* multipliciter, ut supra notavi. Multa addat lector hic, ubi nolo immorari, quia satis communia.

Quinta est de comparatione *quo* ad *quod*, in elicitivis, et potest confirmari ex proœmio Metaphysicæ, et primo de Anima, *text. com.* 64. et alibi sæpe. Et notanter dicit, *si est unum per se*, ut postea exponit. Vide 6. *dist.* 4. *art.* 3. *q.* 1. optime. Vide etiam 9. *quæst. Quodl.* et alibi. Objicit contra, et non solvit expresse, licet solutio sequens posset quodammodo applicari ad propositum ; posset ibi dici sequendo ea quæ dicta sunt sup. 7. *Metaphysic. q.* 10. *et* 8. *Metaph. quæst. fin.* quod calor est compositum per se, etc. Vel se- *An accidens sit compositum ?*

quendo communem modum dicendi, posset concedi quod infertur, ita quod ignis calefaciens per accidens calefacit calore, nisi dicatur quod forma sua, et non calore calefacit, vel quod in calore possunt reperiri *quo* et *quod*, nam si esset separatus, calefaceret. Considera tamen an de facto, et potentia propinqua.

6. Illa littera quæ sequitur ibi : *Nullius instrumenti*, etc. licet communiter non ponatur conclusio, posset tamen recte poni, et eset sexta ; et tunc quotationes per ordinem transmutarentur augendo numerum, et sequitur ex prima et secunda supra ; vel posset referri ad præcedentem objectionem, tanquam instantia, ita quod calor diceretur instrumentum ignis in calefaciendo, et non forma elicitiva ; et esset evasio bona ad argumentum, quia præsupponit falsum. Et responsio quæ sequitur, esset declarativa utriusque ; sed primus intellectus litteræ satis placet, ita quod sit conclusio, vel propositio per se, vel saltem pars illius quintæ, quod magis placet, propter verba Doctoris infra, conclusione ultima hujus particulæ in commento, et tunc illa responsio sequens est moderativa ejus ; sed exemplum est caste intelligendum, si intendat acutiem esse formam activam, ut optime habet in 4. *dist.* 1. *q.* 4. Utraque declaratio potest stare, eligat lector quod magis placuerit. Ubi attendendum pro majori declaratione horum et sequentium, quod proponit plerumque propositiones famosas, et ex Aristotele, et ex antiquis auctoribus ; et quia videt eas, vel aliquas saltem earum, non necessario veras, seu absolute concedendas, ideo nunc objicit, nunc respondet, nunc prosequitur respondendo, vel defendendo. Qui vero voluerit veritates earum tenere simpliciter, respondeat vel objiciat consequenter.

An acuties sit forma activa?

Deinde in sexta comparat agens principale et instrumentale ad diversa objective, et ad idem subjective, ibi : *Idem respectu formæ*, etc. quam, licet notabilis sit, impugnat, et bene correspondenter dictis : quia tamen illa propositio, *unus actus secundus*, etc. est dubia, ut patet 5. *Phys. com.* 38. et alibi sæpe, et 2. *q. Quodl. art.* 1. et alibi pluries, examinabis bene ipsam, ponderando actum primum limitatum, et actum secundum ejusdem rationis, vel alterius, et multa alia ibi addantur ad propositum. Impugnat consequenter exemplum positum pro conclusione singularissime. Ubi nota ad finem cum dicit : *sed ipse aer, vel natura universi*, etc. quia secunda pars videtur verior. Quære optime 27. *dist.* 3. et alibi sæpe in doctrina hujus.

Septima est de agente illimitato, ubi plura naturalis considerationis addantur. Exemplum generale est de Sole constringente lutum et dissolvente glaciem. Quod addit in exemplo de unitive habere, vide notanter in 4. *dist.* 46. *q.* 3. *et* 8. *dist.* 1. *et* 16. *dist.* 2. *et alibi pluries*, de illimitato etiam multiplici pertractabis ut nosti. Vide 9. *dist.* 2. *et* 13. *dist. ejusdem* ad hæc. 7.

Sol indurat lutum, et solvit glaciem.

Octava est de causa diversitatis actionum procedentium ab eodem agente illimitato, quæ valde singularis est, multas quoque instantias habere posset. Valet pulchre ad declarandum operationes et productiones divinas ad intra. Valet etiam pro materia 16. *dist.* 2. optime, et ad multa alia in doctrina hujus. Quære 5. Physic. et 8. Metaph. et alibi pluries in Aristotele ad hæc. Nota valde illam propositionem de differentia minori in elicitivis quam in actibus expectanda, quam habet in commento. Adverte tamen quod multipliciter potest attendi diversitas actionum. Hic videtur loqui de intrinseca et formali ratione diversitatis, vel saltem radicali et principiativa. Vide 3. de Anima et alibi. Ibi infert consequenter applicando dicta esse contra quemdam Arcelinum de quo fecit mentionem 5. *Metaphysic. quæst.* 9. ubi etiam originalia diversimodo habentur, ut ibi notavi. Nam aliqua habent *Anselmus*, aliqua alia aliter, motivum autem clarum videtur. Nam volebat agentis illimitati esse unicam actionem, sicut et uni-

Minor differentia in elicitivis, quam in actibus.

Agentis illimitati actio non est una.

cam formam, sed altius Doctor investigat. Æstimo hunc fuisse Anglicum ex cognomine. Quære consequenter. De verbis non est vis facienda. Videtur etiam quod illius opinionis fuerit Thomas et alii de via communi, ponentes tantum differentiam rationis inter potentias vitales Dei, sed forte ipsi negabunt hanc conclusionem modo suo.

8. *Assimilatio formalis ad causam univocam virtualis ad æquivocam.* Nona est comparando agens illimitatum æquivocum ad univocum in ordine ad assimilari effectui utriusque. Ubi notanter dicit *assimilatur formaliter*, ad differentiam assimilationis virtualis, quæ est causæ æquivocæ ad effectum, ita quod assimilatio formalis ad univocum est, virtualis ad æquivocum. Quære 3. *dist.* 1. *q.* 7. *et* 8. Nam quod plus dat formam, plus dat similitudinem secundum eam, æquivocum autem plus causat, libro de Causis. Quære etiam 3. *dist.* 2. et alibi sæpe ad hæc. Minus igitur formaliter Sol assimilatur ranæ quam rana ranæ, quia non nisi in forma generica remota, rana vero in specifica; magis autem virtualiter e contra, et sic de aliis ponderabis. Communiter ibi inseritur quædam objectio et aliqualis ejus responsio, quam notavimus *Extra*. Responsio tamen non ita communiter ponitur in originalibus sicut objectio, quam etiam infra conclusione universali 21. in commento tangit. Aliqui assignant, ibi *vacat*, aliqui *Extra*. Æstimo quod non sit de principali littera Doctoris, sed potest applicari ad propositum sic : *sicut in actionibus naturæ causa principalis, vel agens principale*, etc. quæ sequuntur in conclusione, ita videtur quod in actione rationali, vel intellectus, cujusmodi est demonstratio. In demonstratione vero causa immediata, videtur magis et evidentius inferre conclusionem quam causa mediata, quia demonstratio ex immediatis est potissima, et eo modo quo ibi potest poni assimilatio formalis, videtur esse ad propinqua magis et ab ea causari, cujus oppositum videtur ex conclusione ista, unde melius valet littera sic : *Contra : ergo demonstratio*, etc. quam sicut multa originalia habent, *Contra : ergo Deus magis*, etc. Illa responsio quæ sequitur in aliquibus est satis brevis, et mirabilis et obscura, scilicet responsio : *si diversitas ;* vel, ut alii habent, *si diversas*. Quod potest intelligi, vel comparando præmissas mediatas ad immediatas quæ non sunt simpliciter diversæ, quia immediatæ includunt mediatas et sunt perfectiores eis, ideo conclusio ista non habet locum, nec instantiam ibi. Vel aliter, comparando præmissas ad conclusionem; vel *scire* præmissarum, seu notitiam, ad notitiam conclusionis, ubi etiam non est simpliciter diversitas, ut 8. *dist. prim. q. fin.* habet iste : quia veritas conclusionis et veritas præmissarum non differunt, nisi sicut partiale et totale ; præmissæ ergo immediatæ complete continent illam veritatem, quia continent vel virtualiter, vel formaliter omnia continentia eam. Unde non est dependentia essentialis, et si forte ordo talis, inter præmissas immediatas et mediatas, sicut est inter causam æquivocam, et univocam in causando. *Veritas conclusionis, et præmissarum quomodo differant ?*

Posset etiam dici, vel quod præmissæ hujusmodi, sive mediatæ, sive immediatæ se tenent uniformiter, vel ex parte causæ æquivocæ, vel univocæ, et ita non est instantia ad propositum. Quære ubi supra 3. *dist.* 1. *q.* 8. *ad finem. et q. de praxi, ad finem, et q.* 13. *quodlib.* ad hæc discutienda. Quomodo etiam præmissæ sunt causæ conclusionis, vel *scire* ejus, tange hic ut supra notavi, et 1. Posterior. copiose habetur. Adverte etiam, quod aliud est loqui de causa remota naturaliter causante, et aliud de contingenter tali. Ad propositum plura alia adducat hic lector, sed potest illa objectio omitti si vis. Illa alia pars textus, quæ additur ibi, *Et tamen perfectius*, etc. potest poni pars textus, vel ut commentum ut volueris, et contra eam potius currit illa objectio quam contra primam, quare posset littera transmutari, forte tamen in margine primo erat, ut notavi prius.

10. *Effectus minus similis instrumentali quam principali causæ.* Decima est de comparatione principalis ad instrumentale, quoad assimilari effectui, ut in præcedente, quæ satis singularis est; et notanter dicit *quandoque*, quia non semper est verum, ut patet in multis. Quomodo enim incisio ligni magis formaliter assimilatur securi quam manui? Potest tamen habere veritatem de instrumento monetarii, vel sigillo et hujusmodi. Vel si extendatur *instrumentum* ad alios modos, de quibus supra, ut calefacere ad calorem in ordine ad ignem, ut ad principale, oppositum conclusionis esset verum, ut patet plerumque. Pondera etiam ibi ly *formaliter*, ut in conclusione præcedente notavi, alia pars ibi : *Nec formaliter est actio*, etc. habet confirmari per dicta prius in conclusionibus supra. Quod sequitur ibi : *Tamen principale magis*, etc. non habetur communiter in omnibus originalibus, potest tamen intelligi de assimilatione virtuali et quandoque formali ; ultima particula patet ex dictis in præcedente.

Objicit notanter contra has duas conclusiones ponderando ly *magis*. Dictum enim fuit prius, quod æque primo concurrunt ad effectum, agens principale et secundarium, et quod instrumentum non habet aliam actionem a principali actione, ideo quomodo potest intelligi magis etc. *Quomodo instrumentum determinat actionem ?* Respondet suo modo expedite et subtiliter, quod determinat actionem, etc. hoc est quod debet referri ad principium agendi et ad actionem ut egredientem, seu elicitam, vel ut ab hoc, non autem ad effectum vel passionem, aut actionem ut in hoc. Exemplum de tractu navis a duobus, quorum unus esset fortior alio, utroque agente secundum totum conatum. Exemplum etiam in divinis de essentia et intellectu, vel voluntate concurrentibus ad productionem suppositi. *Quomodo causa prior prius causat ?* Quære 2. *q. quodlib.* et hoc est quod solet dici communiter : *causam scilicet priorem in essentialiter ordinatis prius causare.* *Causa superior non causat prius natura inferiore.* Quod non debet intelligi, nec de prioritate durationis, nec naturæ proprie, sed tantum perfectionis. Quære 37. *dist.* 2. non ergo alietas est in effectu, nec in passione, sed majoritas perfectionis in actione, licet non proprie alietas actionis, quæ omnia bene masticabis, quia licet subtilia, sunt difficilis tamen digestionis, et pluribus cavillationibus subjecta. Videtur enim difficile quod illa majoritas non habeat verificari, et de effectu et de passione, sed tu moderabere cuncta.

Undecima est de identitate producti, non obstante diversitate agentium, dummodo in agendo inter se sint ordinata, et confirmat præcedentia et maxime solutionem objectionis jam pertractatam, ubi plura adducuntur pro et contra. Multum in his propositionibus et sequentibus recurrendum est ad Proclum, et David Judæum, et ad suos expositores. Avicenna etiam et alii antiqui quærantur. Calculator quoque et moderni Nominales examinentur. 11.

Duodecima est de comparatione agentis et ab eo producti, vel virtualiter in ipso contenti, quoad perfectionem majorem et minorem simul, vel seorsum acceptorum, et est pulchra valde ; et potest exemplificari comparando Solem ad ranam, ubi Sol et rana dicunt majorem perfectionem etiam intensive, quam Sol tantum. *Duæ causæ subordinatæ dicunt majorem perfectionem, quam unam tantum.* Et hoc intellige eo modo, quo ex his duabus perfectionibus potest fieri una intensa ; vel melius, comparando Solem ad lumen seu radium, vel calorem productum a Sole, ubi Sol est causa totalis effectus, licet forte respectu ranæ, etiam ita posset poni stante influentia generali Dei, aliter non habetur aliqua causa totalis in universo, quia cum quacumque necesse est ut concurrat prima. Ubi notanter dicit : *Non omne agens*, etc. propter instantiam quam adducit de Deo, quæ in illis verbis satis solvitur, quia non universaliter loquebatur. Objicit consequenter, etsi, ut dixi, evacuatur in principio solutionis, ut tamen causam diversitatis assignaret, merito objicit, ubi solutio singularissima est, quam infra, particula sequenti iterum specificat : *Non inquit, quia Deus*, etc. quia si sic, sequeretur eodem modo de quo-

cumque agente, quia posita causa præcisa in quocumque, ponitur et effectus, vel illatum, vel prædicatum. Sed faciliter diceretur, quod vis activa totalis solum est in Deo et non alibi; licet ergo vis activa absolute, hoc non arguit, vis autem talis sic. Quære supra in tractatu de primo principio, et 2. *d.* 1. *q.* 1. et 3. ad hæc. Quære etiam 3. Topicorum. Sed eleganter et expedite ad hoc, vide intentionem ejus *in quodl. quæst.* 5. *art.* 2. et infra *ad finem hujus tractatus*, et pondera singula verba litteræ hic.

Deus et causa secunda, an aliquid perfectius causent quam solus Deus?

12. Decimatertia et ultima est de comparatione unius causæ primæ ad plura causata ordinata, et est specialior præcedentibus, sicut causa agente ; sed unum plerumque ponitur pro alio, ut scis, quam etiam infra habet, sicut nonnullas alias dictarum. Contra quam primo objicit et solvit, et consequenter eam probat. Ponatur quod in isto instanti producat Deus Solem et hominem mediante Sole ; vel pone exemplum de Intelligentia prima producente secundam, et movente mediante illa cœlum ; vel pone exemplum de productione compositi habentis plures formas ; vel de processu medendi per plura media ; vel de productione intellectuali, inferendo plures conclusiones ordinatas, et sic de aliis, bene tamen ponderando instantias. Objicit tripliciter : Primo, ex diversitate motionis finis ultimi et intermedii, exemplum in sanatione et ejusmodi, secundum autem diversitatem motionis et finis diversimode operatur agens. Secundo arguit ex diversitate prioritatis causæ ad diversa causata, de quibus est sermo, quia variatur relatio, cujusmodi est prioritas ad diversitatem extremi Causa enim ut infra habet, semper prior est causato ; ergo varietas prioritatis arguit varietatem causalitatis. Tertio, arguit ex octava præcedente, quæ potest poni illa : *Agens illimitatum*, etc. quæ ponitur septima, sed addendo aliam ut notavi, erit octava. Posset etiam loco octavæ poni sexta supra. Aliqua etiam originalia habent septima, sed tenendo quotationem, ut ordinavimus, dic quod ista octava, est illa : *Agens illimitatum si diversas*, etc. quæ bene est ad propositum. Deinde respondet mirabiliter. In aliquibus habetur tantum : *Respondeo glossa*, in aliquibus additur, *quando producit*. In aliquibus illa verba, præcedunt ly *glossa*. In aliquibus ponitur ly *quando* præcise, nunc ante, nunc post ly *glossa*.

An varientur causalitas ad primum, et secundum causatum.

Breviter potest esse sensus iste, quod propositio debet glossari quando producit; 13.
et potest addi, supple causatum proximum et remotum, ita scilicet quod eadem intentione intendit finem ultimum et media omnia, et similiter eadem executiva actione causatum proximum et remotum, licet forte non indivisibili. Vel secundum aliam litteram potest dici sic absolute, *glossa quando* dimittens in arbitrio lectoris, quasi vellet dicere, quod non semper est vera propositio, sed aliquando, utpote quando ad causalitatem proximi, sequitur necessario potentia remoti ; vel si volueris verificare ipsam de contingenter causante, et maxime prima, dic consequenter. Sed quomodocumque dicatur, videtur habere instantias multiplices. Doctor tamen videtur hic accipere *causatum proximum* pro causa secunda, ut hic in commento et infra habet, ita quod intendit ultimum principaliter, mediante tamen proximo, vel quod terminetur actio ejus in proximo, et illud producit ultimum, ut Philosophi dicerent de causa prima respectu aliarum: quære Platonem et Avicennam et Averroem, ut nosti.

Ad objectiones autem faciliter respondebis ex dictis. Vel si volueris referre ly *glossa*, etc. ad objectiones illas, quod forte verius est, dic consequenter. Deinde probat conclusionem dupliciter de agente, et applicat eam ultimo ad causas intrinsecas notanter. In secunda probatione ad finem est varietas in originalibus ; quædam habent *aliud a conservari* ; quædam *aliud a conservabili*; quædam addunt *nisi a conservabili*, et omnia possunt recte intelligi.

14. *Materia eodem modo suscipit formam primam et secundam.* Quod addit ulterius de causis intrincecis, ponderabis valde propter positionem de pluralitate formarum. Quære supra 7. Metaph. et 11. *dist.* 4. et alibi ut scis : materia enim prima concurrentibus omnibus aliis, usque ad ultimam specificam formam, est potentiale, et unica potentia absoluta saltem, et eadem causalitate causat suo modo proximum et ultimum compositum, ut ibi potest elici. Similiter de actu dicendum. Sed est ibi difficultas, quis actus debet poni primus, et quæ materia, considera. Videtur enim quod velit Doctor aliter hîc, quia famose loquitur, ut patet, ita quod materia prima tantum habet causalitatem suam respectu primi compositi, puta concurrente forma corporeitatis, illud vero est potentiale ad sequentem per ordinem. Ita hîc, quod prima causa tantum producit proximum, et si est Deus, vel aliud habens vim conservativam causati, conservat ipsum tantum, et illud prosequitur productionem ulteriorem, ubi non alia ponitur causalitas primi, nisi tantum conservare secundum, stante sola influentia generali primi, et hoc intendunt probationes in littera. Et instantiæ habent glossari, quando plura talia essent ab eadem causa prima, quod forte negaretur hîc nisi in his quæ non habent talem ordinem, vel quæ non subsunt causalitati inferioris prima. Hic locus valde obscurus est et hîc ponderari habet alietas opinionum Theologorum et Philosophorum, plura addendo. Ex verbis Doctoris hîc, cum dicit in commento *hæc* 13. etc. habetur quod illa controversia quotationis conclusionum istarum quam supra tetigi, faciliter tollitur, quare tene quotationem ut posuimus.

THEOREMA XVIII.

SCHOLIUM.

Vide de variis *finis* acceptionibus, et quomodo est prima causarum, et qualiter causat 5. Met. q. 1. et locis ibi Schol. 1. citatis ; per *finem intra,* intelligit operationem, quæ est finis *quo* ; et cum dicit cum eo perfectiorem esse, quo est pauciorum, puto loqui de operationis objecto, et juxta hoc operatio immediate Deum attingens, est perfectissima' quia ipse est maxime unus. *Forma intra,* id est, intrincece perficiens, eo perfectior quo pauciorum, qua ratione forma ultima compositi, est perfectior aliis, quia maxime unius per se : aliæ autem etsi unum per se constituant, tamen in ordine ad ultimam id faciunt,. unde sunt suorum compositorum et ultimi compositi. *Forma extra,* id est, species superior vel idea, quo plura mensurat, vel repræsentat eo perfectior est. Quod forma cœli non tollat omnium formarum privationem a materia, quodque hæc sit ejusdem rationis cum materia sublunarium, docet bene 2. d. 14. q. 1. ubi etiam habet cœlum non esse absolute incoruptibile, quia ejus materia capax est alterius cujuscumque formæ, si agens naturale posset eam introducere.

1. *Finis intra, et extra.* 1. 13 princip.

2. *Extra quanto perfectior, tanto plurium.*

3. *Intra quanto perfectior, tanto pauciorum.*

4. *Forma intra, et extra.*

5. *Intra quanto perfectior, tanto pauciorum.*

6. *Extra, plurium.*

7. *Hæc duplex, exemplaris et realis unitiva.*

8. *Hæc duo concurrunt in Deo, tamen alibi separantur.* *Finis, et formæ opposita comparatio.* Corollarium.

Ars artificiatorum et albedo colorum, neutra est virtus activa de se; unde Deus tripliciter habet omnia in se, effective, unitive et exemplariter ; propter medium est, quod non est plus perfectionis in ipso, et in creatura quam in ipso tantum.

9. *Materia et efficiens quanto priora, tanto plurium materiatorum et effectuum.*

10. *Forma et finis extra, plurium, patet.*

11. *Intra, plurium in eodem ordinatorum ad finem.*

Et informatorum, sive perfectorum, non plurium suppositorum.

Quæ forma facit incorruptibile. 12. *Forma auferens omnem privationem a materia constituit compositum incorruptibile.*

2. Verbi gratia de cœlo. Nota si materia non est nata recipere aliam formam nisi *A*, *A* potest tollere omnem privationem talis materiæ, quia suam tollit, et non potest ibi esse alia, nisi apta esset recipere aliam, tunc compositum est incorruptibile sic per transmutationem materiæ ad aliam formam. Si autem materia sit apta nata recipere tam *B* quam *A*, *A* quantumcumque sit perfecta, non potest tollere privationem *B*, nisi quatenus habeat in se perfectionem *B*, et hoc non potest esse secundum actum proprium *B*, neque perfectiori modo ; solum enim infinitum in perfectione potest habere totam perfectionem alterius in se excellentius quam alterum habeat in se, alioquin entia formaliter differrent per privationem. Igitur nulla forma causata potest a materia apta nata aliam recipere, omnem privationem tollere simpliciter; igitur nec simpliciter auferre corruptibilitatem compositi, ex parte mutabilitatis materiæ. Tamen forma aliqua secunda potest tollere corruptibilitatem talis compositi ex parte formæ, quia scilicet, non est aliud agens quod possit super hoc compositum vincere, et ita nec ipsum corrumpere. Similiter aliquo modo ex parte ordinis materiæ ad formam, nam materia ad talem formam maxime naturaliter inclinatur, ad alias minus naturaliter, ita quod naturalius quiescit sub hac, cum privatione aliarum quæ sunt minus malæ quam sub aliis, et ad ques minus inclinatur, et cum quibus est privatio hujusmodi, quæ est majus malum. Tamen istud secundum licet concludat corruptionem compositi talis, esse corruptionem simpliciter, ut dicitur primo de generatione, sive tristem, propter hoc non concludit eam esse impossibilem; quia tunc nunquam corrumperetur homo in cadaver. Ista videntur ostendere quod materia cœli non est nata aliam recipere, si cœlum est naturaliter incorruptibile secundum 12. præsertim cum anima intellectiva sit perfectior forma quam forma cœli, et magis habeat in se perfectiones aliarum unitive, licet non effective; et tamen animæ intellectivæ propter operationes, quarum est principium, congruit talis materia quæ sit nata recipere aliam formam, unde materia cœli non congrueret ejus operationibus.

Nullum finitum continet in se perfectionem alterius, perfectius quam alterum habet eam.

Nulla forma facit absolute incorruptibile 2. d. 3. q. 1.

An materia inclinatur magis ad unam formam, quam ad aliam ? an ad formam cœ magis ...

ANNOTATIONES.

Sequitur illa particula : *Finis intra*, etc. in qua prosequitur de causa finali principaliter, et aliis intercalariter. Inferius iterum in speciali prosequitur seorsum de materia et forma, et ratio ordinis hic (licet processus Doctoris voluntarius sit, sicut communiter in aliis Auctoribus in materia indifferenti habetur) potest assignari talis. Nam primo ponit specialia documenta generaliter, tamen de causis seorsum, deinde de omnibus conjunctim prosequitur in particula sequente. In speciali vero prius de efficiente quam de fine, sermonem fecit, quia etsi causalitas finis sit pri- 3.

ma, quod tamen problema est, diminuta tamen est respectu efficientis, et quoad *esse* posterior. Ideo nedum in causando, sed in essendo et prosequendo Doctor causas hîc considerat. Collige ergo simul esse et causare, et sic efficiens primum et finis sequitur. Nam ipsius causalitas est movere metaphorice efficiens, præsupponitur igitur mobile, et maxime cum motivum tale dependet a mobili tali; causæ vero extrinsecæ præcedunt intrinsecas, maxime in causando, etsi non semper in essendo omnes, quare patet ordo. Intrinsecarum vero inter se nunc materia prior, nunc forma, secundum diversas considerationes de eis, et secundum hoc patet processus Doctoris. Quære 2. Phys. et 5. Metaph. De ordine causarum vide Albertum et alios antiquos. Vide etiam supra 5. Metaph. et alibi apud istum ad hæc. Istæ propositiones possunt appellari, vel petitiones, vel conclusiones, vel aliter ut placuerit, communiter enim non assignantur conclusiones, nec aliquis apponitur numerus ad ipsas. Numerus etiam earum poterit assignari, vel major, vel minor quam posuimus, quia non refert, dummodo veritas habeatur, paucitas vel pluralitas numerorum, vel sectionum, quas etiam faciles satis, breviter pertransibo.

Ordo causarum inter se.

4. Prima est de duplici fine : sed videtur quod male dicit aliquem finem esse intra, cum de ratione finis sit esse extra. Hic introducatur multiplex acceptio *finis*. Quære 2. *de Anima text. c.* 37. *et* 5. *Metaphys. text. com.* 5. Vide supra 5. Metaph. copiose in hoc et in aliis, et 2. *Physic.* Vide etiam *in prolo. q.* 1. 3. *et* 4. *et prima dist.* 1. *q.* 2. *et* 48. *dist.* 4. *q.* 2. *et* 49. *dist. ejusdem. q.* 8. de modis variis capiendi finem. Breviter, finis extra potest intelligi vel in causando, vel in terminando, vel utroque modo. Finis intra potest appellari operatio, vel forma rei. Vide 2. *Physic. text. com.* 12. *et inde, et specialiter text. com.* 23. Posset etiam finis propinquus appellari *intra* respective loquendo.

Finis varie sumitur.

Deinde comparat hoc fines inter se, ubi assignavimus duas propositiones, quæ tamen possent poni partes primæ, ut volueris, quarum prima clara est, discurrendo in universo. Secunda vero, loquendo de forma, patet, quia formæ communiores perficientes, et communitates prædicationis imperfectiores sunt, ut patet de generica, specifica et numerali ; sed accipiendo pro operatione, posset habere instantiam, nisi intelligatur objective, sed ibi etiam pateretur instantiam in divinis, et ubique si æque perfecte, vide 1. *d.* 2. *q.* 6. ad hæc, et considera pro et contra.

Finis intra quomodo eo perfectior, quo paucio-rum ?

Deinde ponit uniformem distinctionem de forma, et comparat membra eodem modo, ubi ut prius potest ponderari instantia, quomodo recte dicitur forma extra, cum forma sit causa intrinseca, ubi adde multiplicem acceptionem *formæ* ut nosti : unde Grammatici ponunt versus quosdam differentiales tales.

Semper inest forma, verbis tamen appropriatur.

Nec non nominibus forma trahit esse figuram.

Quære supra 7. Metaphys. t 5. ejusdem, et 2. Physicor. et alibi plerumque in antiquis et modernis, et specialiter apud Formalistas. Breviter, forma intra est forma perficiens, vel partis, vel forte quidditatem declarans, seu totius. Forma vero extra est duplex, ut consequenter dicit, et quinque propositiones, quas ibi distinctas ordinavimus, habent inter se dependentiam, et possunt reduci ad unam, vel ad duas, vel poni seorsum, ut volueris. Formæ enim extra possunt dici species superiores, mensurantes inferiores in universo. Vide 8. *Metaphys. text. com.* 10. *et* 12. *Metaph. text. com.* 52. *et inde.* Ideæ rerum etiam possent poni forma extra, secundum aliquos, ita quod finis extra, et forma extra, aliquando coincidunt pro substrato, vel materiali saltem, sicut proportionabiliter intra suo modo, ubi plura addat lector solers.

Forma intra et extra.

Quid forma extra

5. Vide supra in *tract. de Primo principio, et* 2. *dist.* 1. *quæst.* 1. ad hæc plura, ubi

Uterque modus fi-

nis extra convenit Deo.

attende consequenter, quod addit qualiter concurrunt in Deo, illi duo modi accipiendi finem extra, secus in creaturis. Exemplum de anima unitive continente potentias suas et de arte, quæ est accidens ejus et forma exemplaris, et sic in aliis ponderabis, sed Doctor exemplificat infra in littera de arte et colore. De alia parte, qualiter scilicet in Deo concurrunt, clarum est : imo videtur quod non sunt in Deo aliud, vel quod forma exemplaris ibi reducitur ad causalitatem effectivam. Vide 2. *dist.* 1. *q.* 1. in principio solutionis, optime ad propositum. Communiter tamen Theologi ponunt in Deo triplicem causalitatem. Vide *in* 2. *in principio. et* 35. *dist.* 1. *et alibi sæpe.* Deinde exemplificat in creaturis de forma exemplari et reali unitiva. Caste tamen declarabis illam continentiam unitivam, quia dissimile potius. Exempla tamen ponimus, stricte enim loquendo, aliud est esse mensuram, aliud continere unitive, extensive loquitur.

An ars sit activa ?

Deinde cum dicit, quod neutra est virtus activa, instantia posset esse de arte, quia ponitur pertinere ad idem genus causæ cum artifice. Et similiter posset argui de forma unitive continente plerumque. Sustinebis tamen id quod dicit, quia singularissimum. Licet enim albedo possit poni activa, respectu immutationis sensus, vel generationis speciei sensibilis, non tamen respectu nigredinis, et sic de aliis. Similiter de arte dicendum, ubi nota valde id quod dicit ex se, et applica ad artem, et artificiata, et artificem, et sic solve consequenter instantiam supra. Quod addit postea de modo triplici habendi omnia in Deo, declara ut prius notavi, moderando, et quære ubi supra remisi. Cum ultimo addit *propter medium*, id est, secundum modum habendi omnia in Deo, scilicet unitive. Declara sicut supra conclus. 12. in commento notavi, et ibi expresse ponit.

6. Deinde comparat materiam et efficiens ad materiata et effecta, ubi assignavimus nonam propositionem, ubi alio modo supputando poteris aliter ponere. Et hoc secundum prioritatem et posterioritatem, pluralitatem et paucitatem hinc inde proportionaliter, et de se clara littera et ad experientiam communis.

Consequenter redit ad formam et finem extra et intra, per comparationem ad formata et finita, hinc inde proportionabiliter plurificata. Ubi breviter differentia est, quod hujusmodi *extra* respiciunt pluralitatem suppositorum seu naturarum, *intra* vero pluralitatem partium potentiarum, seu virium ejusdem suppositi, ubi tange instantiam ex commento ultimæ conclusionis, particulæ præcedentis, ubi adverte, quod nunc famose, nunc propriis fundamentis adhærendo, plerumque in hoc tractatu loquitur.

Ultimo ponit singularem propositionem de forma constituente compositum incorruptibile, et videtur famosa secundum opinionem communem concedentem materiam esse in cœlo, et cum hoc cœlum esse incorruptibile, unde exemplificat de cœlo. Declarat consequenter singularissime quando forma tollit omnem privationem materiæ, et quando non. Et licet Ægidius Romanus in tractatu de materia cœli, voluerit quod forma cœli tollit omnem privationem materiæ cœli, de mente tamen hujus hoc non est verum. Quære *in* 2. *d.* 14. *q.* 1. cui sententiæ hîc concordat, nisi dicatur, ut Godfred. *Quodl.* 5. *q.* 2. et Henricus *Quodlib.* 4. *q.* 16. et Thomas 1. *part. scil. q.* 66. dicunt, quod materia cœli est alterius rationis a materia horum inferiorum, quod *ibidem* impugnat iste, *et in q.* 15. *de Anima.* Vide eum in Quodlibeto *q.* 2. contra Henricum aliqualiter ad propositum.

Forma cœli non tollit ab ejus materia privationem omnis formæ.

Materia cœli ejusdem rationis cum aliis.

Adverte notanter in littera, quando aliquid potest continere perfectionem alterius in se, et quale sit sic continens, et quomodo corruptibilitas et incorruptibilitas intelliguntur advenire alicui ratione materiæ et formæ, et quando non, optime. Ubi attende in textu cum dicit, *Tamen forma aliqua secunda potest tollere,* etc. quod ly *secunda*, non habetur com- 7.

Materia un naturalius appetit quasdam formas ?

muniter in originalibus, nec est necessarium ; potest tamen intelligi per comparationem ad formam primam infinitam.

Pondera ulterius, quod addit de ordine et inclinatione materiæ ad formam nobiliorem, quod satis ambiguum est et examinabis diligenter. Quære 1. *et* 2. *Physicor. et* 1. *et* 2. *de Generatione, et primo cœli, et alibi sæpe.* Ubi consequenter attende cum dicit, *cum privatione aliarum, quæ sunt minus naturales sibi.* Et ut quædam originalia habent, vel ut habetur in aliis, *quæ sunt minus malæ*, etc. quod utraque littera potest stare, si secundum leges, quæ magis placet, loco *privatione*,

8. *Materia an maxime inclinatur ad animam rationalem.* pone *privationibus.* Deinde limitat ultimo dicta de inclinatione materiæ, et infert inconveniens notabile de corruptione hominis, si dicta essent simpliciter vera, eo quod anima intellectiva est nobilissima forma, inter omnes perficientes materiam, supposito quod cœlum non sit animatum, et si esset etiam, nisi poneretur alteritas rationis in intellectiva. Igitur maxime inclinatur materia ad animam intellectivam, *Quare perfectior forma non est plurium effectiva ?* sed nihilominus corrumpitur homo. Ubi pulchre nota differentiam inter continentiam animæ intellectivæ respectu aliarum formarum et formæ cœli, quia hæc unitive ad bonum intellectum, ut supra notavi, illa vero effective. Sed posset quis dubitare, quare perfectior forma non est plurium effectiva, ut *quo*? et esset bona difficultas et argumentum apparens pro anima cœli, ut quidam tenent. Ad quod solvendum, recurrendum est ad influentiam partium et corporum cœlestium varietatem, et extensivam potius perfectionem quam intensivam. Quære considerationes Philosophorum et Theologorum ut scis, ut ubi. Ad motum etiam multi currunt hîc, sed parum valet. Non semper perfectus est plurium productivum, patet de Angelo et rana. Quære altius.

9. De causa incorruptibilitatis cœli, vide *primo Cœli text. com.* 101. et sequentibus, sed caste declarabis. Quære 3. *dist.* 2. *q.* 7. *et* 22. *dist.* 3. et alibi in doctrina hujus, ad hæc.

Adverte etiam cum dicit in littera, *si cœlum incorruptibile*, quod in aliquibus sequitur in textu *secundum K* et communiter, et posset referri ad ea quæ supra exposui in illa particula, *In essentialiter ordinatis*, etc. ubi fuit sermo de isto K, vel potest referri ad hanc conclusionem supra hîc, *Forma auferens etc.* quæ potest dici K, supponendo quod essent tantum decem propositiones in hac particula, quæ notantur per decem primas litteras alphabeti. In aliquibus vero ponitur ibi duodecim, et hoc potest bene stare, referendo ad eamdem conclusionem, sustinendo assignationem numeri conclusionum, ut posuimus esse convenientem. Posset etiam referri illud *K* ad primum dictum, in hoc commento, de causa incorruptibilitatis ex parte materiæ, sicut ut supra notavi, posuit *K* ad primam probationem, ibi et *vel.* 2. ad aliam; forte habuit aliquam phantasiam specialem ad hujusmodi characteres plusquam ad alios, ut convenit. Quod ultimo addit de materia hominis et cœli, declara ut nosti. Vide 2. *de Anima*, et alibi sæpe. Quære in dissolutione duarum quæstionum difficilium, 2. *Cœli text. com.* 60. *et inde.*

Ibi etiam tangit quotationem ex Philosopho 1. de generatione. De corruptione simpliciter, quære *text. com.* 11. *et sequentibus* ; et additur (licet non communiter) *sive tristem*, et est magis ad propositum quam illud de corruptione simpliciter, non tamen habetur primo de Generatione, *Quæ est corruptio tristis ?* sed posset elici in 2. de Gen. *text. com.* 59. melius tamen 3. Ethicorum. *cap.* 11. sed ad propositum bene est, 2. Topicorum. *cap. finali.* et 5. Metaph. *text. com.* 6. Aliqui vero habent loco *tristem, secundum quid*, quod bene habetur primo de Generatione, sed alia littera magis placet. Ista digressio licet brevis, est valde fructuosa, et nullibi ita ad unguem dixit.

THEOREMA XIX.

SCHOLIUM I.

Nota ideo causam ut sic, æquivocam dici, quia finis non est causa realis, reliquis tribus causa est univoca. De divisione causæ in quatuor genera, vide eum de primo princ. cap. 1. et 2. et 1. d. 3. q. 7. num. 3. alia divisio causæ in modos, clara est. Prima conclusio evidens est, quia nihil realiter dependet a se, vel refertur a se. Quomodo causa sit prior et simul cum effectu, vide Doctorem fuse hoc tractantem 5. Metaph. q. 2. conclus. 7. Bene explicat in commento, quando causa est perfectior causato; juxta hoc ergo explica quod dixit cap. 2. de primo princip. Post conclusionem nonam, nullam causam totalem esse æqualem causato, sed forte id est de additione ibi posita, ut in Scholio 3. notavi, concl. 8. et 9. docet quando causæ sunt, et non sunt sibi invicem causæ, de quo 2. Physic. text. 30. et 5. Met. text. 2. Optime explicat concl. 10. quando causæ coincidunt ex Phil. quod ait efficientem et materiam non coincidere, intellige de materia prima, quia cum secunda coincidit, ex ipso 1. dist. 3. q. 7. num. 29. Undecimam, scilicet oppositorum oppositas esse causas, puto locum tantum habere in forma et efficienti naturali, quia eadem materia, efficiens liberum et finis, possunt habere oppositos effectus. Conclusione duodecima, quod causa indeterminata naturalis, debet ab alio determinari, secus de voluntate : hîc nota ubique Doctorem aversari prædeterminationes physicas, vide eum 9. Met. q. 12. et ultima et ibi Scholium ultimum, de quo etiam theoremate sequenti in fine.

19. princip. definitio. 1. *Causa est per quam aliud, ut causatum est.*

Non est definitio, quia æquivocum est causa, sed notificatio. Nota quod præpositiones diversæ appropriate significant circumstantias diversarum causarum, *ex* materiæ, *per* formæ, *a* vel *ab* efficientis, *propter* vel *pro,* finis.

Quatuor sunt genera causarum, materia, forma, finis et efficiens.

Nota, materia et forma sunt principia intrinseca et partes causati, et ita nullius simplicis sunt tales causæ; finis et efficiens extrinseca, et sunt cujuslibet alterius a Deo ; quomodo tamen finis sit causa 5. Metaph. quæst. 1. Prima divisio et partitio. 1. *Materia et forma intrinsecæ, finis et efficiens extrinseca principia.*

* *Causa dividitur in modos, actu et potentia, universale et singulare, per se, per accidens, simplex, compositum.* * 2. divisio et partitio.

Nota pro solutione quæstionis motæ in commento conclusionis 6. si relatio causæ præcederet causationem, non videretur dividi per actum et potentiam, de differentia 5. Metaph. quæstio est. EXTRA

Nihil est causa suiipsius. Conclus. universalis.

Ex definitione causæ probatur.

2. *Causa naturaliter est prior causato.* 2. *Quomodo causa prior effectu?*

Non intelligitur de relationibus, quæ simul sunt natura, sed de his quæ subsunt.

Contra : finis posterior. Item, ista relatio prior in quo fundatur? non in relatione causæ ; igitur, etc. Nota quod in productis per motum materia et efficiens tempore præcedunt, forma nunquam sed simul; finis quandoque simul; quandoque posterior. EXTRA

Probatur per argumentum divisivum, aut sic, aut simul, aut post. Secunda duo membra improbantur ex definitione naturaliter dupliciter, sicut natura duplex, vel secundum materiam, sic imperfectiora priora secundum naturam, vel secundum formam, sic perfectiora priora.

3. *Causatum dividitur in quatuor genera, et in modos tot, quot et causa.* Divisio causati in 4. genera.

Patet ex definitione causæ, quia correlativa similiter multiplicantur; ergo causæ communis causatum commune, propriæ proprium, Corollarium. *Causæ communi causatum commune.*

et e converso, et sic de aliis differentiis.

4. *Causa non dicitur per se ad effectum.*

Ex definitione, similiter ex tertia conclusione, sed ad causatum. Efficiens vero ad effectum, sicut materia ad materiatum, forma ad formatum, finis ad finitum.

5. *Est alia relatio causati ad quatuor causas.*

3. *Relatio causati ad singulas causas sui.* Sic de toto et parte, forte probatur, quia e contrario cujuslibet causæ ad ipsum, est alia relatio, patet ex quarta ; tamen una relatio non potest esse sine alia, non enim potest esse materiatum, nisi sit formatum, nec est effectum nisi sit finitum.

6. *Relationes causæ, et causati sunt transcendentes.*

Probatur : quia non fundantur super rem alicujus generis determinati, ideo non reducuntur ad aliquem modum 5. *Metaph. text. com.* 20. præceditne relatio causæ ipsam causationem fundatam super essentiam quæ causat?

7. *Causa perfectior est causato.*

Falsum est in materia, in aliis verum, ubi causalitatem concomitatur perfectio ; et forte falsum est de forma, quia pars ; et fine intrinseco, quia accidens ; et efficiente univoco ; igitur falsum simpliciter ; sed accidentaliter verum in efficiente æquivoco, et fine extrinseco.

Causæ sibi invicem causæ.

8. *Nihil est causa et causatum respectu ejusdem, in eodem genere causæ.*

Probatur ex petitione prima.

9. *Causæ possunt sibi esse invicem causæ in diverso genere causalitatis, non in eodem.*

Prima pars probatur ex definitione : quia per efficiens est finis, et e converso ; per materiam est forma, et e contrario, hoc dubium, per finem est quælibet aliarum. De hoc post. Secunda pars probatur ex octava.

10. *Causæ non coincidunt necessario, possunt tamen coincidere aliquæ aliquando.* Causæ coincidunt.

Prima pars probatur inductive. Secunda pars exponitur 2. *Physic. text. com.* 70. *et circiter*, nunquam materia inquantum materia coincidit cum aliis ; nec aliæ inquantum aliæ : sed aliæ tres possunt, forma et finis in idem numero, finis inquam motus, non finis formati. Unde non ejusdem est forma et finis ; nec intrinsecus, nec extrinsecus efficiens tamen eisdem in idem specie.

11. *Oppositorum oppositæ sunt causæ ; alterius, altera causa ; perfectioris, perfectior causa.*

Intellige in causis præcisis, nunquam verum est in materia, nisi forte de proxima, in qua est dispositio, quæ est necessitans ad formam talem et sic necessitans, ut sit ipsa causa materialis, talis compositi constituendi, per talem formam. *An eadem causa sit oppositum*

12. *Causa indeterminata ex se, nunquam est causa alicujus determinati nisi aliud sibi addatur.*

Non per extrinseca, quia determinatio causati est per determinationem in causa, sicut causatum per causam. Ratio intelligitur de indeterminata contingentia nata, oritur 35. sub. sed contingentia infinita, contra voluntas.

SCHOLIUM II.

Decimatertia conclusione patenter ostendit, nullam causam simpliciter necessario causare, de quo agit 1. dist. 8. q. 5. In commento decimæquartæ fatetur non demonstrari statum in causis, vel saltem hoc dubium esse, de quo Theor. 16. concl. 1. 2. 3. ex quo collige quod asseruit Theor. 14. et 16. hoc, et similia non demonstrari, non resolute, sed dubitative dixisse. In decima quinta, nota effectum posse esse coævum causæ, de quo Doctor 2. dist. 2. q. 2. et 3. nec hoc obstat libertati effectus, ut ibi convincit, et d. 5. q. 2. probans Angelum potuisse primo instanti sui *esse*, peccare. Quod ait in decima nona puto intelligendum, quando causa secunda elevatur ad eliciendos actus supernaturales, vel quando dantur ei concursus speciales, etiam intra ordinem naturalium : ad illos autem effectus, quibus est omnino disproportionata, non plus potest virtute causæ primæ quam propria : unde aqua non potest elevari (idem de aliis Sacramentorum materiis) ad causandum Physice gratiam de quo Doct. 4. dist. 1. quæst. 45. In vigesima secunda bene explicat illud, *causa causæ est causa causati*, et causatum causati est causatum causæ, ita quod causatum in quolibet genere causæ, est a causa prima illius generis ; sed hoc locum habet tantum in efficiente et fine, non vero in materia, vel forma prima. Per hanc intelligit ultimam compositi, quæ non est causa priorum formarum, nec materia prima, id est omnino nuda, causa materiæ secundæ, id est, formatæ forma incompleta. Vide Mauritium. In vigesimaquarta, nota quod ait causam primam plus causare quam posteriorem, intelligi debere quod perfectius et independentius, quia tota entitas effectus, est ab utraque causa, ita Doctor 2. d. 37. q. 2. §. *Ad solutionem* n. 15. Neque putandum est, quod prima causa aliquid ponit in causa inferiore, quo determinetur vel applicetur ad effectum, unde ejus motio non recipitur in ea, ita Doct. 4. d. 13. q. 1. n. 37. et d. 43. n. 11. de objectione Doctoris ibi, vide Maurit. Theor. 16. concl. 9.

13. *Causa non simpliciter necessaria, quocumque amoto extrinseco, non fit necessaria.*

Igitur nulla causa impedibilis, necessario causat, amoto impedimento. Probatur propositio, quia nihil est necessario causa, nisi propter perfectionem intrinsecam sibi. Similiter aliter, nulla esset causa, ut in pluribus, nam *A*, causa impedibilis non causat nisi quando non est impedita, et tunc necessario ; igitur similiter amotio impedimenti, si est *B*, per naturale agens est per ipsum non impeditum, et ita tunc necessario. Similiter si *B* non est impeditum, necessario agit, et sic usque ad primum omnia necessaria. Nulla demonstratio naturalis effectus est ex necessariis, de hoc oritur 35. sub. 5. Corollarium.

14. *In omni genere causæ est status, et inde.*

Aliquod primum 2. Metaph. Nota, hoc ibi non demonstratur forte, ut habetur hîc ante 1. 2. 3. tamen probabiliter ostenditur et satis rationabiliter, non protervo. Hoc intelligatur sic, primum efficiens non proximum, ultimus finis non proximus, prima materia non proxima, sunt ad quæ est status, in istis tribus generibus causæ, quæ tamen 9. Metaph. c. 6. ponitur proprie materia, et simpliciter in potentia ad formam intelligitur de potentia propinqua. De forma est dubium, utrum stetur ad ultimam in resolvendo, quæ scilicet est proxima materiæ, vel ad ultimam in componendo, quæ est remotior a materia, sed cum causalitas formæ sit actuare et perficere, ultima autem magis actuat secundo modo ; primo modo minime statur ad ultimam, sed secundo modo. T c. 5. et inde. Theor. 16. T. c. 12. inde.

15. *In simul existentibus tempore non potest probari, alterum esse causam alterius.*

6. EXTRA. Quod est : quia non potest probari per quod illorum, aliud est, unde non valet : illud quo posito, ponitur aliud, quo amoto, amovetur aliud, est causa illius, potest enim poni. Vel e converso, quod illud per hoc, vel quod ambo sunt per tertium, quod est necessaria causa amborum ; ergo nullus sciens, scit se scire : similiter nec de non simul existentibus, quia alterum prius tempore respectu posterioris, potest esse tantum sine quo non.

16. *In omni genere causæ est aliquid non causatum in illo genere.*

Ex decima quarta cum prima.

17. *Causa quanto prior, tanto pauciora præsupponit, in illo genere causæ, in alio genere hoc accidit.*

Quando causa prior, pauciora supponit. Prima pars probatur : quia non præsupponit nisi priora ; pars secunda forte vera est, in fine et efficiente, quod priora secundum ultimum sui, non oportet tot in aliis causis præsupponere, quot oportet posteriora, et hoc loquendo de priori et posteriori, de natura et arte. In materia non tenet. In forma falsum est. Breviter non videtur probari alicui per se, ex ratione prioritatis.

18. *Causa quanto prior, tanto perfectior.*

Quando quo prior eo perfectior est causa ? Hæc dependet ex septima aliquo modo : ubi enim causalitatem concomitatur perfectio, ibi in ordine causalitatis concomitatur ordo perfectionis : hoc non est in materia, nisi sit perfectius in potentia, non propinqua, sed remota, et hoc est simpliciter imperfectius.

19. *Causa secunda aliquid potest in virtute causæ primæ, quod non potest in virtute propria.*

20. *Nihil potest in se habere causalitatem alterius, nisi in se habeat perfectionem secundum quam causat in tali genere.*

Hoc ideo additur : aliter homo posset esse materia, vel forma corporis simplicis. 7.

21. *Omnis causa pro tanto tollit privationes aliarum in illo genere, pro quanto habet in se causalitatem illarum.*

Hæc propositio dupliciter potest intelligi : vel quod prior causa tantum facit sine secundis quantum cum illis ; iste intellectus est dubius, nisi forte de secundo efficiente in illo genere. Vel quod nobiliori modo causat quam illæ, quia sic causalitatem aliarum habet in se, *Forma causæ extrinsecæ tollit privationem.* *Iste intellectus, etc.* nihil tollit proprie privationem, nisi forma causæ extrinsecæ, non ideo primum efficiens et primus finis, non prohibent idem esse ad alium finem, et ab alio agente. Prima etiam materia non prohibet compositum fieri ex alia materia propinqua. Ultima forma non prohibet formas priores informare : sed non est idem compositum ex materia prima et proxima, ut ex materia ; nec ex forma ultima et priori, ut ex forma, unde illud videtur Sophisticum.

22. *Quidquid est causa causæ, est causa causati.*

Intellige causam mediam in eodem genere, causam causati, et causatum primæ causæ, et convertitur, quidquid est causatum causati, est causatum causæ. Et ita quodlibet causatum in aliquo genere, est causatum a causa prima illius generis, et non convertitur, quia non quidquid est causa causati, est causa causæ. Probatur ex prima conclusione. Hoc 8. *Causa causæ, et causati : causatum causati, et causæ.*

verum est de efficiente et fine; de materia et forma, falsum : de primo, simpliciter, sed verum de primo in hoc; non enim in quolibet composito ex materia et forma, est prima forma simpliciter ex conclusione decima quarta; igitur nec prima materia simpliciter, cum magis dependeat materia a forma quam e converso. Similiter quare non posset resolutio eundo versus potentiam stare ad aliquem actum, qui tamen est prior respectu alterius actus, cum ille sit perfectior materia prima? Similiter potentia ad accidens est posterior potentia ad substantiam, et tamen illa est sine hac, in Angelis.

23. *Causa prior et posterior ejusdem totius causati sunt causæ.*

Causa prior et posterior sunt respectu ejusdem.

Si alia causalitate, dicet vigesima quarta, quia si secunda nullius totius est causa, nullius est causa : si prior non ejusdem, in hoc non est causa prior, quia immediate illud producit, nec respectu illius habet secundum; igitur respectu illius non est causa prior.

24. *In omni genere causæ primum plus causat quolibet posteriore.*

9. Prima de causis. Contra, igitur per causam remotam magis cognoscitur res, quam per propinquam contra Aristotelem 1. Posteriorum.

Text. c. 30. et circiter. 25. *Non est alia causalitas causæ prioris, respectu causæ secundæ, et respectu causati ultimi.*

26. *Causa prior est causa plurium causatorum.*

Accidit quantum ad plura supposita, sicut exponitur ante de materia et forma, sed verum est quantum ad plura causata, ut probatum est ex secunda part. 22. ex negativa, scilicet *non convertitur, etc.* cum prima parte scilicet affirmativa ejusdem 21.

EXTRA. *De ordine conclusionum et theor.*

Nota pro ordine ab illo loco, *causa est per quam aliud ut causatum est,* est talis processus, primo, et in primo articulo sive §. ponitur definitio cum duabus petitionibus, quæ sunt cum duplici causæ divisione. In secundo §. ponuntur undecim conclusiones pertinentes ad causam absolute in communi consideratam, prout extenditur ad omne genus. In tertio ponuntur tres conclusiones comparando causam ad necessitatem. In quarto septem de causis ordinatis inter se. In quinto quinque de ordinatis comparatis ad effectum.

ANNOTATIONES.

Sequitur illa particula : *Causa est per quam*, etc. in qua conjunctim de causis sermonem facit, notabilem valde et multum correspondet dictis auctoris de Causis, et Procli, et Avicennæ, et Aristotelis, et aliorum antiquorum. Ubi præmittit primo definitionem seu notificationem generalem causæ, et duas consequenter divisiones, seu petitiones : et deinde addit conclusiones quas universales appellat, quia de causa communiter sumpta plerumque verificantur. Et licet plures particulæ possent assignari in hac digressione, omnia tamen sub una posuimus. Ubi adverte quod littera usque ibi : *Materia est ex qua*, etc. varie habetur in originalibus secundum ordinem et præposteritatem conclusionum : ordinavimus tamen eam, melius quo videbatur, si alius ordo placuerit sagaci lectori, prosequatur suo modo, quia nil aliud quam rei perfectionem desideramus. 10.

Æquivoci non est definitio.

Primo ergo notificat causam, et est antiqua notificatio. Quære Plinium et Avicennam, et Tullium, et Grammaticos. Et addit excludendo cavillationem, quod ista non est definitio, quia æquivoci non est definitio 6. *Topicor.* c. 2. sed quædam

notificatio. Colligitur ergo hinc quam æquivoci potest esse notificatio, unde Philosophus 5. *Metaph.* notificat multa nomina multiplicia, et alibi sæpe. Adverte etiam quod ly *per*, non accipitur ibi appropriate, sed communiter, vel proprie, ut patet ex sequentibus. De pluribus interpretationibus vocabuli, quære in auctoritatibus supra notatis : hic contenti sumus Aristotelis determinatione et Scoti.

Præpositiones significantes diversas causas.

Deinde ponit quoddam notabile de præpositionibus diversis, circumstantias diversarum causarum importantibus. Ubi notanter dicit *appropriate*, quia aliquando una pro alia ponitur, et forte proprie. Quære 5. *Metaph. text. com.* 29. de multiplici acceptione hujus præpositionis *ex*, et ita posset in aliis inveniri, hîc autem ut recte loquitur, appropriate capiuntur.

11. Consequenter addit primam divisionem vel petitionem, de numero causarum, quæ patet 2. *Physicor. text. com.* 28. et 5. *Metaph. text. com.* 2. et addit notabile de causis intrinsecis et extrinsecis, ubi tange quæstionem contra illud quod dicit, quod causæ extrinsecæ sunt cujuslibet alterius a Deo ex 3. *Metaph. text. com.* 3. et alibi sæpe ex considerationibus Philosophorum saltem, et maxime Averrois, sed ad hoc patet ibi in quodam dubio litterali, et supra sæpe ut nosti. Quod ultra tangit de causa finali posset poni *extra*, propter allegationem quæstionis nisi alium allegat, tenendo quod supra probabiliter dixi, de ordine hujus tractatus ad Metaphysicam, aliqua autem originalia ibi habent *cap.* 2. conclus. 1. sed si ponatur quæstio posset exponi, ut alibi allegat vel remittit ad nondum scripta, considera.

An Theoremata ante metaphysicam scripsit.

Deinde ponit secundam divisionem seu petitionem, de modis causarum, quos octo ponit. Quære copiose 2. *Physicor. text. com.* 31. et *inde*, et 5. *Metaph. text. com.* 3. ubi omnia quærantur. Ibi additur quædam littera, quam *extra* assignavimus, satis tamen bona, quæ probat etiam ordinem, quem assignavi esse convenientem. Nam secundum alium ordinem illa conclusio sexta quam allegat, est decimaquinta in ordine. Quod addit ibi de differentia causæ in actu et potentia, et allegat 5. Metaph. quæst. dic ut prius, videtur enim toties in hoc tractatu remittere ad Metaphysicam, unde dubium est quod prius edidit, sed dic consequenter.

Prima conclusio est manifestissima apud Philosophos, et Theologos. Quære 2. de Anima, *text. com.* 47. et primo de Trinit. *cap.* 1. et probat eam ex definitione causæ, cum dicitur ibi, *per quam aliud*, etc. 12.

Secunda est de proprietate causæ respectu causati, quæ debet intelligi saltem natura, et exponit de se causis pro substrato et non formali, debere intelligere. Quære 5. *Metaph. quæst.* 2. et *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. *et* 3. *et in quodlibeto*, *quæst.* 4. *et dist.* 26. *primi*, et alibi sæpe. Adduntur ibi quædam objectiones, quas *extra* assignavimus et totum sequens, usque ad probationem conclusionis ibi : *probatur per argumentum divisivum*, etc. In aliquibus tamen originalibus illa probatio præcedit objectionem et satis bene. Prima objectio clara est, sed faciliter solvitur de distinguendo de fine in re, vel in intentione. Quære ubi supra in 5. Alia objectio videtur facere pro conclusione, et sic poneretur una ejus probatio ; vel si volueris applicare eam contra conclusionem, infert sic : si tantum substratum est prius; ergo causa ut causa non est prior : vel si sic, videtur quod fundatur illa relatio prioritatis in relatione causæ, contra expositionem tuam. Potest concedi quod relatio causalitatis non est ratio prioritatis naturæ, licet forte bene originis, et tunc cum infertur : *ergo causa, ut causa*, etc. concedo si tenetur ly *ut*, proprie reductive, nisi reduplicetur fundamentum relationis. Vide notanter 1. *dist.* 2. *quæst.* 2. et 35. *dist. primi*, et 43. *dist. ejusdem*, et alibi sæpe.

Finis in intentione prior, in executione posterior effectu.

Quod additur in notabili de productis per motum, nota singularissime. Vide 1. *dist.* 2. *quæst.* 3. *et.* 43. *dist.* 4. *quæst.* 5. et alibi sæpe rationem hujus. Adde tamen 13.

Prioritas durationis accidit causæ.

quod prioritas durationis accidit causæ, ut causa. Et quod additur de fine, habet intelligi de fine *intra*, vel *quo*, ut videtur, et in *esse* reali. Argumentum divisivum pro conclusione est satis clarum : prius enim non est per suum posterius, nec per illud quod est simul natura, licet aliquando sine illo non possit esse, ut patet in relativis, et sic ex definitione causæ duo membra ultima excluduntur, primum ergo dabitur. Nota signanter ibidem illam distinctionem, *naturalitatis*, sive hujusmodi adverbii *naturaliter*, quæ in aliquibus originalibus alibi locatur, ibi tamen satis bene currit, et examinabis ex 9. Metaph. et alibi, ut nosti. Dubium tamen est ex parte formarum inter se comparatarum in eodem composito, nam tunc forma imperfectior videtur prior perfectiore, ut patet ex definitione prioris. Talis 5. *Metaph. text. com.* 16. potest dici, quod ut est prior, habet se in ratione potentialis respectu posterioris, et non in ratione formæ. Considera tamen, bene ponderando.

Forma prior an potentia respectu posterioris ?

Tertia est de plurificatione causati in genera et modos proportionaliter causæ, quam probat clare, et videtur inferre corollarium ibi : *Ergo causæ communis*, etc. Hæc tamen conclusio habet ponderari diversimode secundum varietatem opinionum de tertia entitate, quod considerabis diligenter.

14. Quarta est de referibilitate causæ, non ad effectum, sed ad causatum. Ubi adverte, quod melior continuatio litteræ esset ponere illam particulam : *sed ad causatum*, quæ est pars conclusionis, immediate post ly *ad affectum*, et addere : *Efficiens vero*, etc. et in fine subjungere, *Ex definitione*, etc. satis tamen currit littera, ut habes. Et ibi pondera ly *per se dicitur*, ubi forte bene intelligeretur, *per se primo*. Si tamen accipitur *causa* pro una significatarum tantum, primo pro efficiente, videtur dubium, quare sicut efficiens refertur ad effectum, non sic causa. Similiter si accipiatur *causa* in communi pro æquivoco, dubium est quomodo possit referri, cum sic non habeat conceptum unum, ut patet. Responsionem quære.

Quinta est de alietate relationum causati ad diversas causas, quæ patet ex præcedente et ex natura correlativorum mutuorum, quæ est commultiplicari. Pondera similitudinem de toto et partibus, et quare dicit *forte*. Declara etiam caste illam inseparabilitatem talium relationum, ut caute loquitur Doctor, aliud est enim comparare intrinsecas inter se, et extrinsecas, similiter aliud has ad illas, et e contra.

Sexta est de illimitatione relationum causæ et causati. Quære supra 5. Metaph. copiose et alibi pluries : sed quod addit ibi, quod scilicet *non reducuntur ad aliquem modum*, etc. videtur dubium, imo non videtur sequi, maxime ex fundamentis hujus, quia relationes divinæ sunt transcendentes secundum eum, cum omne prædicatum formaliter dictum de Deo sit transcendens, et tamen non negat eas reduci ad aliquem modum. Vide 4. *quæst. quodlib. et* 27. *et* 28. *dist* 1. et alibi sæpe, similiter *dist.* 30. *primi* et alibi, multoties habet quod relationes Dei ad creaturam pertinent ad tertium modum, quæ tamen sunt transcendentes ut videtur, et maxime creaturæ ad Deum, quia in re cujuslibet generis fundantur, ut hic arguit. Ad hæc posset dici uno modo, quod loquitur Doctor hic famose. Vel aliter, quod modi relativorum et relationes eorum possunt accipi dupliciter, proprie videlicet et extensive. Primo modo loquitur Doctor hic. Secundo modo alibi. Vide 5. *Metaph. et* 19. *dist.* 1. *quæst.* 1. *et in* 1. *dist.* 6. *art. finali quæst.* 2. *in simili.* Movet consequenter quæstionem quam non solvit, sed supra, post secundam petitionem habetur sub *Extra.* Ubi adde plura de gradibus et ordine causandi. Vide 1. *dist.* 2. *quæst.* 4. *et* 9. *Metaph. et* 13. *quæst. Quodlib.* 5. etiam Metaph. et 2. Phys. quære plura.

Omne dictum de D[eo] est transcendens

Relation[es] Dei ad creaturam, transcendentes.

Septima est de perfectione causæ respectu causati, quam limitat egregie, ubi notanter dicit, *ubi causalitatem concomitatur perfectio*, etc. quia tantum causis 15.

Causæ e[x]trinsec[æ] sine im[]perfectione cau[]sant.

extrinsecis convenit sic causare, maxime sine imperfectione annexa. Quod addit de forma cum *forsan*, est pulchrum problema. Vide 7. *Metaph. quæst.* 6. et alibi sæpe in doctrina hujus, et instantias hinc inde. Quære 8. *dist.* 1. *et* 1. *dist.* 3. *quæst.* 1. de causalitate materiæ et formæ ad hoc. Adverte etiam, quod ibi declarat se de fine *intra*, de quo supra sæpe, videtur enim appellare ipsam operationem, vel actum secundum. Vide 2. *dist.* 1. *quæst.* 1. *et* 49. *dist.* 4. et alibi pluries. Concludit ergo conclusionem esse veram accidentaliter, et falsam simpliciter.

Nihil est causa et causatum secundum idem. Octava est de incompossibilitate causæ et causati, quam probat ex petitione prima, quia tunc materiæ esset materia ipsa causa, et efficientis efficiens etc. Sed bene posset probari ex conclusione prima, ut patet ; videtur enim vera immediate, per se et directe loquendo, secus opposito modo, verbi gratia forma dat *esse* composito, et *esse* compositi est *esse* formæ participative; ergo forma causat *esse* sui, et sic de aliis. Considera tamen cuncta caste, vide 9. *quæst. quodlib. et alibi.*

16. Nona est de compossibilitate earum, et habet duas partes. Secunda ibi : *non in eodem*, quæ patet ex præcedente, et est Philosophi 2. *Physicor. text. com.* 30. *et* 5. *Metaph. text. com.* 2. quam probat ex definitione causæ inducendo. Et notanter dicit *hoc dubium*, ubi loquitur de causalitate materiæ et formæ mutua, quia non de *esse* primario est verum, sed secundario, et quodammodo originativo, per accidens tamen : forma enim dat actum formalem materiæ, non entitativum, et materia dat *esse* subsistentiæ formæ, non entitativum, nec formale, vel formalitate ; compositum dat utrique *esse* complete et ultimate, licet originative sit ab ipsis, ut dictum est. Pondera etiam quomodo per finem sunt aliæ, de quo fine loquitur, et in quo *esse* consideratur, et quod *esse* dat. Remittit se ad dicenda infra in sequentibus et alibi.

Causæ sibi invicem causæ.

Decima est de coincidentia causarum omnium vel aliquarum de *necessario*, vel de *possibili*, quæ habet duas partes. Secunda ibi ; *Possunt tamen*, etc. ubi pertractat verba Aristotelis 2. *Physicor. text. com.* 70. ubi tamen non expresse loquitur de materia, sed omittit eam tacite, vel textus deficit communiter. Ubi pondera cum dicit : *materia inquantum materia* ; quia forte materia unius posset esse forma, vel efficiens seu finis alterius, loquendo de materia secunda. Materia etiam prima est terminus creationis, ut patet per Augustinum 12. Confessionum. Posset hìc objici ex illo *Extra* supra notato : *Materia est finis*, etc. sed dic consequenter, ut patet ibi. Similiter etiam nota cum dicit : *nec aliæ inquantum aliæ*, eo quod forma unius potest esse materiale alterius, non tamen inquantum forma. Videtur etiam quod eodem modo posset dici de aliis tribus inter se comparatis. Adverte etiam ibi de duplici fine, scilicet generationis et geniti, vel motus extensive, vel extrinsece et formati, et applica plerumque. Cætera quæ sequuntur, satis patent. *Causæ an coincidunt.*

Undecima, ut assignavimus, est de proportione causarum, et causatorum in oppositione, alietate et perfectione. In aliis originalibus est alia continuatio conclusionum hìc. Similiter tantum ponitur communiter in hac conclusione illa prima pars, scilicet *oppositorum oppositæ sunt causæ*, reliquum in aliquibus non habetur. In aliis vero ponitur conclusio seorsum, sed satis bene sic currit ut ordinavi, et additur ad finem conclusionis ; *Communis communis, proprii propria.* In aliquibus limitat conclusionem de causa materiali, quæ est unica omnium *primo de Generatione, et alibi sæpe.* Ubi notanter tangit de materia proxima, et ejus dispositione necessitante, ubi plura adde Physicæ et Theologicæ considerationis. 17.

Duodecima est de reductione causæ indeterminatæ ad determinatam, quæ est satis singularis, quam probat brevibus et obscure. Ubi tangit determinationem per extrinseca et per intrinseca possibilem fieri,

et removet a proposito primam. Ubi etiam addit quoad intellectum conclusionis, de qua indeterminatione loquitur, et duplicem modum continentiæ adducit. Ubi aliqua originalia habent *in fieri*, alia *infinita*, et inseritur communiter quædam quotatio, ubi videtur remittere se ad dicta infra, ideo dicit *sub*, ut communiter habetur, licet alii *G. B.* litteras habent, posset tamen omitti ut in pluribus originalibus omittitur. Quære in particula sequente de agente ad hoc. Forte etiam particulas principales multiplicavit plusquam ordinavi. Breviter particula, seu principalem conclusionem cum sequentibus partialibus ibi quotat, quod dispone ut volueris. Vel ibi remitit se ad ea, quæ habet infra sub illa additione quam notavi post propositiones de materia, ibi : *Nota, conclusio generalis* 12. *probatur*, etc. ubi quinque probationes hujus propositionis ponit, et ostendit quod non procedunt de voluntate.

18. Attende quod *contingens natum*, appellatur ad quod est major inclinatio quam ad oppositum, et nisi impediatur communiter evenit, ut canescere in senectute. *Contingens infinitum*, ad quod non est major inclinatio seu determinatio, quam ad oppositum, ut loqui, vel non loqui et hujusmodi, quod vocatur *ad utrumlibet* communiter. Dicit ergo Doctor quod conclusio intelligi debet de contingentia secundo modo. Et in fine additur objectio brevis : *contra voluntas*, quasi vellet dicere, quod voluntas sic indeterminata, se et alia sibi subjecta determinat, ut patet 9. *Metaph. text. comm.* 10. De hoc tamen infra erit specialis sermo et conclusio notabilis ibi : *nullum agens se applicat*, etc. vel ibi infra sub additione : *Nota, conclusio est falsa de voluntate*, etc. ad quæ loca remittit se hic in illa quotatione dicta. Et potest dici, quod illa instantia non est contra conclusionem, quia tunc additur aliquid voluntati. Quære ad hæc 2. *Physicor. et* 5. *Metaph. et supra de primo princip. et* 39. *dist. primi, et in* 2. *in materia de lib. arbitrio, et in quodlib. quæst.* 16. *et inde, et* 9. *Metaph.* ex intentione copiose.

Voluntas sine ullo supra lidito se determinat.

Decima tertia est de causa necessaria, ubi tangit notanter necessitatem simpliciter, et infert corollarium, licet non communiter ponatur, ut corollarium, videlicet de causa impedibili. Vide 8. *dist. primi, quæst. fin.* ad hæc, et alibi sæpe in doctrina hujus, utpote *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. *et.* 7. *quæst. Quodlib.* Probat conclusionem consequenter dupliciter, et in secunda probatione aliqua originalia habent, *nulla esset causa impedibilis*, sed ut plurimum ponitur loco *impedibilis, ut in pluribus*, et utraque littera currit. Infert in fine corollarium de demonstratione naturalis effectus, et est valde notabile. Vide *super* 1. *Physicor. et primo de Generatione, et* 1. *de Anima*, et alibi sæpe et maxime acutos Parisienses et Oxonienses. Vide hunc *in prolog. quæst. de praxi ad fin. et* 3. *dist. primi, quæst.* 4. *et* 1. *Metaph.* Addit ultimo eamdem quotationem, ut supra. Quære ibi notavi. In aliquibus libris habetur *sub*, in aliis loco *sub*, ponuntur *G, B*, ut prius dixi, sed prima littera melior. Secundum quod particulas dividis principales, seu Theoremata, sicut a principio notavi, ita hic dispone numerum, et principalis, et sequentium hic ad propositum ad libitum. Quia tamen communiter habetur littera sic, ut jacet, ideo eam non mutavimus, forte etiam per litteras, et forte per numeros hujusmodi, particulas signabat, quare attendat curiose in similibus ubique lector.

Nulla demonstratio naturalis effectus et necessariis.

Decimaquarta est de statu in causis, ubi notanter addit, quod Philosophus hoc non demonstravit, et remittit se ad propositiones creditas, supra, ubi assignavi 16. principalem. Unde sequitur, quod illas creditas in his Theorematibus ordinavit, et communiter quotatio est intricata, ut tamen varie ordinabis, ita pone numerum. Conclusiones 1. 2. et 3. ibi, sunt hic ad propositum, ut patet. Consequenter exponit conclusionem, ad quos videlicet terminos intelligit hunc statum, et maxime in extrinsecis et materia. Et excludit ta- 19.

citam objectionem ex 9. Metaph. Deinde de forma dubium proponit, ubi distinguit de forma ultima; aut scilicet via compositionis, ubi plures concurrunt; aut via resolutionis. Et concludit valde notanter, conformiter dictis supra in commento secundæ conclusionis, quod ultima, ad quam est status in causa formali, est ultima in componendo, ut in homine, intellectiva. De hoc tamen quære *supra* 2. *Metaph. quæst.* 4. et alibi sæpe, quære 11. *dist.* 4. *et* 7. *et* 8. *Metaph.*

Resolutio fit ad formam ultimam in componendo.

20. Decimaquinta est de simul duratione existentibus, super qua posui *Extra*, quia raro habetur hîc, et propter numerum harum conclusionum, varie assignatum, ut patet infra. Posset convenienter poni supra, inter creditas. Est tamen notabilis valde, et multum in doctrina hujus currit. Nam famosa sententia Thomæ et aliorum communiter loquentium, est, quod est prior natura et duratione causato. Unde dicunt, quod omne coævum causato, est a causa illius causati, et non ab ipso effective, quod tamen iste impugnat plerumque. Vide *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. *et* 3. *et* 5. *dist. ejusdem. quæst.* 2. quæ tamen pertinet ad materiam 4. *dist.* habet expresse ad hoc *et* 3. *dist. ejusdem, et* 12. *dist. 4. et alibi sæpe.* Licet igitur illud verum sit, dicit Doctor quod non potest probari. Quod intellige ut supra de creditis exposui. Efficacius tamen potest probari quam oppositum. Et declarat optime in commento, quare et quomodo non potest probari illa propositio. Vide 3. *dist.* 1. *quæst.* 4. *et super.* 4. *Metaph.* ad hæc. Ubi adverte quod illa littera : *Ergo nullus sciens, etc.* videtur esse instantia contra dicta. Quod sic deducitur : Qui scit se scire, scit conclusionem scitam sequi ex præmissis, vel ex principiis demonstrationis tanquam ex causis 1. Poster. sed præmissæ vel principia sunt simul tempore cum conclusione, maxime quantum ad materialia, seu significata ex parte rei, et simul tempore etiam possunt sciri 1. Poster. Nunc vero, per te, non potest probari, sic simul esse causam alterius, quod autem non potest probari, non potest sciri, ergo, etc. Hæc deductio videtur esse ad propositum. Qui vellet aliter imaginari ibi, quod intendit videlicet inferre quod non simul tempore posset quis scire et scire se scire, quia ille actus reflexus causaretur ab ipsa scientia, quæ in casu est simul tempore, quod non potest probari per te. Primus intellectus satis placet, sed ad utrumque posset responderi, sustinendo veritatem conclusionis et probationis ejus, *supra* 1. *Metaph. et* 3. *dist. primi, ubi sup. et* 1. *et* 2. *Posterior.* Instantia tamen videtur pulchra, et ideo forte conclusio famosa, ut sæpe prius notavi. Posset enim dici, quod notitia, qua scio me scire, est experimentalis et forte intuitiva, et non ratiocinativa. Si volueris illud consequens ponere *Extra*, poteris rationabiliter, vel esse corollarium conclusionis, vel aliter exponere, considera. Et ultimo fortius dicit, quod non potest probari, *in non simul duratione existentibus*, etc. et est secunda pars conclusionis.

Effectus potest esse coævus causæ.

Scientia qua scio me scire, est experimentalis.

21. Decimasexta est de incausalitate primi, in omni genere, quæ clara est ex dictis, ut patet. An autem possit probari evidenter, vide supra propositiones creditas.

Decimaseptima est comparando causas inter se quoad prius et posterius, et præsuppositionem plurium vel paucorum, sui vel alterius generis, et habet duas partes. Secunda ibi : *In alio genere*, etc. prima probatio est clara. Motivum secundæ habet *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. comparando artem, naturam, et Deum inter se respectu præsuppositorum plurium vel paucorum, etc. Idem tangit 1. *quæst.* 4. Quære antiquos, qui ibi quotantur. Dicit quod in materia et forma fallit, verbi gratia, plura efficientia requirit materia prima, aut compositum saltem mixtum, vel perfectum, ex ipsa fiat, quam materia proxima, ut patet inducendo, et hoc stante communi cursu naturæ. Similiter etiam forte verum est de finibus maxime *intra*, vel propinquis. Eodem modo dicendum

Materia quo prior non eo pauciora supponit.

est de forma priore secundum perfectionem et compositionem, maxime comparando ipsam ad materiam, et forte ad efficiens et finem. Instantia posset esse de forma quoad primam partem conclusionis, sed accipiendo uniformiter prioritatem, et præsuppositionem patet solutio. Vide infra, particula de *forma, conclusione* 23. ubi hanc destruit, et considera.

Decimaoctava est de perfectione causarum inter se comparatarum, et remittit se ad septimam conclusionem hujus partis, et probat per regulam Topicam, *sicut simpliciter ad simpliciter*, etc. et excipit materiam notanter. Ubi pondera plura de potentialitate materiæ, et an dentur gradus etc. Vide *in quæst. lib. de Anima, et supra* 7. 8. *et* 9. *Metaph.*

Causa secunda plus potest in virtute causæ primæ quam propria.

Decimanona est comparando causam secundam ad primam, et est famosa apud Philosophos, et Theologos. Pro cujus ampliori declaratione quære hunc in primo, *dist.* 3. *quæst.* 7. *et* 8. *dist.* 17. *quæst.* 1. *et* 2. et in 2. *dist.* 3. *quæst.* 8. *et dist.* 9. *quæst.* 2. *ad tertium principale, et dist.* 37. *ejusdem*, et supra in tractatu de primo princ. Ubique hic videatur auctor de Causis.

22. Vigesima est de continentia causalitatis alterius causæ in altera, quam supra aliqualiter tractavit, et est notabilis, propter ordinem causarum necessarium in causando, ut patet supra sæpe. Unde forte posset elici, quod nulla causa in creaturis continet causalitatem alterius respectu tertii, quod tamen bene considera. Vide *supra in tractatu de primo princ. et* 2. *dist. primi, quæst.* 1. et alibi sæpe in doctrina hujus. Quod ibi addit de materia et forma corporis simplicis, pondera, plura addendo ut vis. Attende etiam hic, quare Deus non habet in se causalitatem materiæ et formæ, sicut efficientis et finis, quod scilicet non accidit, eo quod non continet earum perfectionem, sed quia ei repugnat earum imperfectio annexa.

Quare Deus non habet causalitatem materiæ et formæ.

Vigesimaprima est de quadam alia ratione continentiæ causalitatis unius causæ in alia, quæ fuit supra tacta *particula præcedente ad finem*. Et dat duplicem intellectum conclusionis, et dicit utrumque esse dubium, nisi limitando se. Vide *supra de primo princ. et* 2. *dist.* 1. *quæst.* 1. et alibi plerumque. Est enim propositio famosa apud Theologos, quod *Quidquid potest Deus mediante causa secunda per se, potest sine illa.* Est tamen credita et non naturali ratione probata, ut habet iste plerumque. Vide 7. *Quodlib. et* 42. *dist.* 1. Deinde declarat cui convenit proprie tollere privationem, quia formæ, ut patet supra. Privatio enim dicitur per se principium transmutationis, licet per accidens producti.

Quæ causa toll. privationes aliorum? Privatio per se transmutationis per accidens producti.

23. Aliud est enim tollere privationem, aliud supplere alterius vicem extrinsece. Cætera quæ dicit in commento sunt clara, valde tamen notanda. Ubi ad finem attende ad alietatem materiæ, formæ et compositi, in ordinatis via compositionis, ut supra dictum est, et hæc confirmant dicta supra. Consuetudo enim solertiæ Scoticæ est, quod in uno loco breviter, vel dubie, vel problematice dicit, in alio distincte, enucleate, ut expedit. In fine ergo concludit hanc conclusionem. Et quodammodo ejus probationem esse Sophisticam, et ratione æquivocationis et fallaciæ consequentis considera.

Vigesimasecunda est illa maxima communis de identitate causæ causæ, et causæ causati, et habet duas partes. Secunda ibi : *et non convertitur*, etc. quam declarat singularissime ut 5. *Metaph. quæst.* 1. et alibi sæpe exponit et convertitur, inquit, uno modo, non tamen alio modo, ubi Logice pondera illas conversiones ut scis. Et videtur inferre corollarium ibi : *Et ita quodlibet causatum in aliquo genere*, etc. Deinde limitat hoc corollarium et conclusionem ad causas extrinsecas tantum, sed de causa finali prima, est difficultas si loquatur de fine ultimo simpliciter, de quo *supra in tractatu de primo princip.* patet. Sed quod sit vera de tali fine potest probari. Cum enim

prima causa, utpote Deus gloriosus, sit primum efficiens in omni effectu producendo, et sit agens propter finem, non sui, sed effectus, et nedum propter proximum, sed remotum, videlicet seipsum, ad quem omnia ordinat, ordinabilia saltem, et primo via intentionis, licet ultimo via executionis, ergo conclusio, seu corollarium est verum de primo simpliciter, in causis extrinsecis.

24. *Quæ est forma prima?* De causis intrinsecis secus est, inquit, et hoc loquendo de primo simpliciter, non de primo in hoc. Ubi habet considerari, quæ sit forma simpliciter prima et materia, de quibus hîc loquitur : sed breviter posset dici conformiter dictis supra, quod forma prima, simpliciter est perfectissima materialis. Nam licet Deus posset dici forma, ut supra notavit, non tamen est proprie in genere causæ formalis, quod limitetur ad perficiendum formaliter materiam, et ad componendum intrinsece, et sic patet, quod dicit de forma. Quod vero infert de materia, non videtur bene sequi, et quod assignat pro causa illati, videtur valde extraneum, et nisi caute exponatur, ad oppositum potius quam ad propositum. Sed hoc modo intellige : Doctor vocat *materiam simpliciter primam*, ipsum materiale, præscindendo ab omni forma. Tale inquit simpliciter primum non videtur componere omne compositum materiale. Ubi nota ly *omne*, et videtur loqui hîc conformiter dictis Averrois et Alberti, et aliorum plurium de forma corporeitatis, quæ inseparabilis est a materia prima secundum eos ; vel saltem ut componit perfectiora entia, oportet quod sit sub formis imperfectioribus concurrentibus cum ea, in ratione potentialis, et ita differt *prima* in hoc, et *prima simpliciter*. Et hîc semper imitatur opinionem de pluralitate formarum, ut patet. Non tamen ex hoc sequitur quod Doctor negaret resolutionem fieri usque ad materiam primam, saltem mediate, ut habet *in* 4. *dist.* 11. *et super* 8. *Metaph. in expositione ;* nisi forte loquatur hîc famose, quod videtur probabile ex quibusdam dictis consequenter. Ulterius cum reddit rationem illati, dicens : *cum magis dependeat materia*, etc. intellige sic : quia forma prima simpliciter non potest informare materiam quamcumque, sed determinatam quam sibi determinat, et a qua dependet quodammodo in subsistendo. Igitur materia prima simpliciter, quæ est minoris entitatis, et majoris per consequens dependentiæ, non potest sic nuda concurrere indifferenter ad quamcumque compositionem immediate cum quacumque forma. Sic potest exponi iste locus, si habebis meliorem, adde ut vis.

[Margin: Causa cau-…, etc. …rrit tan-…m in ex-…rinsecis.]

Aliæ persuasiones ad probandum idem illatum de materia, satis claræ sunt, et licet apparentes sint, possent tamen faciliter solvi. Prima procedit de resolutione non ultimata, vide infra, *particula de forma in commento conclusionis secundæ, et seqq.* secunda non currit multum, quia æquivocat de materia et potentia, ut patet. 25.

Vigesimatertia est de identitate causati causæ prioris et posterioris in essentialiter ordinatis, conformiter dictis *supra in tractatu de primo princip. et* 2. *dist. primi, quæst.* 1. et alibi sæpe. In commento remittit se ad vigesimam quartam, quæ est secunda sequens, ut ordinavimus, tamen est vigesimaquinta ; sed ponendo ad illam 15, *Extra* feci, motus maxime hac remissione, tunc 25. erit 24. ut patet, et probat clare et subtiliter conclusionem. Quære supra, particula *de agente*, ad hæc. *Causa prior et posterior respectu ejusdem.*

Vigesimaquarta est illa famosa prima Auctoris de Causis, de principalitate causalitatis et influentiæ primæ causæ. Objicit ibi consequenter, quam objectionem et ejus evasionem pertractavi supra, particula *de agente* sub quodam *Extra*, propositione 9. in commento quære ibi. Hîc non ponit aliquam responsionem, sed tu dices, ut ibi notavi, et plura considerabis hîc. Vide 37. *dist.* 2. et ubi supra allegavit sæpius et apud antiquos expositores, ad hæc, bene enucleando. Causæ primæ ad inferendum, sunt quæ perfectius constuunt intrinsece, hujusmodi sunt ultimæ Theor. 17. concl. 9.

et immediatæ, et ideo refert dicere causam *remotam*, et *primam*, nisi æquivocando de *prima*. De extrinsecis vero, si concurrant ad inferendum, posset dici e contra. Et infra nihil contra Aristotelem ex his dictis, si bene discutiantur præcedentia et sequentia. Hæc omnia probabiliter.

Vigesimaquinta est 13. supra, in particula *de agente*, quam expone, et declara, et defende ut ibi. In aliquibus originalibus ponitur ibi quædam quotatio, et est remissio ad illam particulam supra, et numerum conclusionis corrige, secundum quod supputabis consequenter.

26. Vigesimasexta est de causalitate causæ prioris in comparatione ad posteriorem in ordine ad pluralitatem causatorum, et declarat se notanter correspondenter dictis in particula *de materia et forma* prius, et recurrit ad dicta in 21. præcedente, quam tamen 22. notavimus, sed corrigendo ut dixi supra, erit 21.

Deinde ad finem harum conclusionum ponitur in aliquibus originalibus quædam littera, quæ *Extra*, vel additio potest dici. Æstimo tamen quod sit Doctoris quam ideo posuimus, et etiam quia confirmat ordinem quem tenui in transmutando laboriose has conclusiones; nam quarta hîc erat penultima in aliis, et aliæ de cæteris. Ubi pulchre dat ordinem harum conclusionum, et assignat §. ut etiam ordinavi, et ita est intelligendum in aliis locis hic ipsum velle, ubi est connexio in materia conclusionum ; et quia non observabatur hoc, vitio scriptorum, remissiones et allegationes in his rebus, remanserunt valde intricatæ, signavit etiam loco et §. varie et forte chartas, et columnas in originali suo, quod non fecerunt alii, unde multum hîc turbant originalia. Sententiæ tamen in se integræ sunt, et absque omni tali allegatione intelligi possunt.

THEOREMA XX.

SCHOLIUM I.

Sequuntur sexdecim axiomata seu propositiones famosæ, de materia, ex Philosopho omnes : quarum exactam expositionem videre potes apud ipsum Doctorem, in locis ad singulas citatis. Prima est ex 5. Metaph. sequentes tres ex lib. 7. reliquæ ex lib. 8. Circa decimamquintam propositionem, scilicet ex materia et forma fieri per se unum, in littera quæ secundum Mauritium additio est, ponuntur quatuor objectiones, quas idem Mauritius solvit num. 10. Quomodo fiat unum per se ex materia et forma, vide Doctorem 2. *dist.* 12. *quæst.* 1. *et fuse* 8. *Metaph. q.* 4. Tangitur objectione quarta, an anima habeat materiam, de quo Doctor *quæst.* 15. *de Anima*, ubi in commentario de hac re egi.

1. *Materia est, ex qua fit aliquid in existente.* 1. 20. principio.

Quinto Metaphys. cap. 2. *A.* Text. c 4

2. *Materia est, qua res potest esse, et non esse.* Text.c.2

Septimo Metaph. c. 5. *B. Impossibile est aliquid factum esse, si nihil præexistat, quod quidem pars palam, materia utique pars.* Ibidem : *pars etiam pertinens ad essentiam,* ut videtur 7. Metaph. cap. 8. et lib. 8. cap. 1. Text.c.2 Text.c.2 Text.c.3 Text. c. et inde

3. *Materia neque quid, neque quale, etc.* 7. *Met.* c. 2. *Et materia secundum se ignota est.*

Septimo Metaph. 8. et 1. Physic. est scibilis secundum analogiam ad formam. Text. c. Text.c.3 Text.c.6

4. *Materia alia sensibilis, ut quælibet mobilis.*

Alia intellectualis, ut Mathemat. 7. ibid. Text.c.3

5. *Materiam dico, quæ non est hoc aliquid, neque ens actu, potestate est hoc aliquid. Ex eodem primo omnia, aut ex eisdem primis.* Text.c.1

Octavo Metaph. cap. 3.

6. *Est tamen aliqua propria materia cujuslibet.*

Text.c.11. Ibidem post.

7. *Quorumdam altera materia ex necessitate.*

2. Text.c.11. 8. *Fiunt plures materiæ ejusdem, quando altera alterius fuerit ibidem. Contingit una existente materia, fieri diversa propter moventem causam.*

Text.c.11. Ibidem.

9. *Si ex altera materia convenit idem facere principium, quod est ut movens.*

Text.c.11. et 12. Idem ibidem.

10. *Si altera materia et movens, et quod factum est.*

Text.c.12. Ibidem.

11. *Forsan naturalia sempiterna non habent materiam, aut non talem, sed solum secundum locum mobilem.*

Text.c.12. Ibidem.

12. *Quæcumque sine transmutari sunt et non sunt, non est eorum materia.*

Text.c.14. Ibidem.

13. *Quæcumque sunt a natura non substantiæ, non est in his materia, secundum quod subjicitur.*

Text.c.14. Ibidem.

14. *Quæcumque sic transmutantur, ut ex mortuo vivum, ad materiam oportet redire primam.*

Text.c.14. Ibidem.

15. *Quæ causa existendi unum ex materia et forma? hoc quidem potentia, illud vero actu.*

Text.c.15. Ibidem.

16. *Quæcumque enim nullam habent materiam, statim unumquodque unum aliquid est.*

Text.c.16. 3. Ibidem, non est alia causa essendi unum, nulli illorum nota, causa scilicet intrinseca, quæ sit aliquid ejus. Contra : forma tantum inexistente materiæ et non informante, adhuc esset potentia et actus, et tamen non unum; quid igitur in composito præter hoc? Si ponis tertium, idem argumentum de isto quod de forma. Item, in subjecto est potentia ad accidens, quare ex eis non est unum per se? Quando hoc fit ex *A*, per *B* agens, si aliud agens ageret ex *A*, numquid idem produceret? quare enim magis est unitas numeralis a materia quam efficiente, a quo plus estesse? si etiam *B* producetur ex alio quam ex *A*, numquid idem faceret? Quare etiam eadem forma non potest aliam materiam informare, sicut e converso de materia? *Quare materia et forma faciunt per se unum?* Respondeo : materia simpliciter quæ scilicet per se subsistit, et nihil informat, quia quidquid est in accidente informat subjectum, sicut si materia sit in anima, non tamen simpliciter per se ens, ita quod nullius informativa, sed tamen una pars est potentialis receptiva alterius, quæ est ejus actus, et illa potest dici materia. Contra : tunc materia accidentium erit perfectior, quam materia substantiæ corporeæ, quia est actus alicujus, et illa non. Respondeo, hæc est per se ens, et illa dependens.

SCHOLIUM.

Circa conclusionem secundam præcedentis Theorematis, ponitur sequens littera, quam Mauritius notavit additionem, infert ad illam conclusionem, causam nihil perfectionis accipere a causato ; unde cognoscens conclusionem, non ideo perfectius cognoscit principium, ex doct. 3. dist. 14. quæst. 2. num. 11. Vide ipsum 1. dist. 8. quæst. 5. Similiter ex volitionibus mediorum, non intenditur volitio finis, de quo Doctor 1. dist. 1. quæst. 4. contra D. Thom. pulcherrime disputat. Conclusione 7. bene docet rationem causæ dicere perfectionem quam non dicit

causatum, et hac via omnis causa est perfectior causato. De conclus. 11. vide cum cap. 3. conclus. 16. de primo princip. et locis ibi in Scholio citatis, quibus docet unum effectum non posse dependere ad plures causas totales ejusdem generis. Sequuntur aliæ optimæ regulæ de ly *inquantum*. Circa conclusionem duodecimam ejusdem Theor. hîc ponit quinque rationes suadentes causam indeterminatam non posse agere, nisi ab alio determinetur ; quod in voluntate locum non habere optime declarat, solvens illas rationes, quia tantum currunt de causa indeterminata non sufficiente ad effectum, sine concursu alterius, non vero de indeterminata per se sufficiente, cujusmodi est voluntas.

4. Additio. Conclus. 2. Theorem. præced.

Juxta conclusionem secundam generalem, corollarium, quod impossibile est causam inquantum talis, aliquam perfectionem, vel intensionem recipere a causato, quia ejusdem rationis intensior gradus, et alius, vel intensior perfectior; igitur si ille ab effectu, et tota entitas causæ. Corollaria : igitur cognoscens conclusionem, non perfectius intelligit principium, licet extensius, quia in pluribus. Sic voluntas ex volitionibus entium ad finem, non crescit in volendo finem ; igitur semper summo conatu vult illum, vel sibi subest illa volitio sicut aliæ.

Nihil perfectionis accipit causa a causato.

Juxta septimam conclusionem nota, quod causa in genere dicit aliquid simpliciter perfectionis, quia semper alterum dividentium ens, est tale, quia alterum convenit Deo, tamen sicut unum in aliquo inferiori, ut in continuo, non est simpliciter perfectio; sic causa in inferiori, non dicit aliquid simpliciter perfectionis, quia secundum tertiam, duo genera causæ includunt rationem partis, et ita potentialis, et limitati, et imperfecti, unde non transferuntur ad Deum. Duo alia genera sunt simpliciter perfectionis. Juxta conclusionem 11. *nota conversam, scilicet quod altera causa est alterius, sive quod impossibile est duas causas per se, et sufficientes in eodem genere causæ et ejusdem ordinis, esse ejusdem effectus, quod probatur ex definitione causæ : Quia etiam sequitur unam superfluere, imo nihil facere, et ita non esse causam, quia si per hanc sufficienter est, non igitur per aliam. Confirmatur : si per hanc sufficienter est in hoc genere et ordine causæ, quocumque alio amoto, adhuc sic per hanc est, et ita illo alio amoto, quo autem amoto, res sufficienter est illud non est causa. Probatur etiam tertio modo, quia idem non refertur primo ad diversa. Contra : de Patre et Filio respectu Spiritus sancti, et universaliter quando duo agunt, et alterum posset per se. Valet instantia objecti* 13. 3. sub.

Voluntas, libere vult finem 1. d. 1. q. 4. Alterum dividentium ens dicit perfectionem.

Unius effectus non possunt esse duæ causæ ejusdem generis.

5. Inquantum nota causæ præcisæ.

Inquantum cum sit nota causæ per se, stricte tamen accipitur, inquantum pro causa præcisa et proxima.

Sic videtur idem cum primo, quod addit super per se.

Inquantum communiter potest esse nota cujusque causæ secundum genus, et cujuscumque differentiæ in quolibet genere.

Puta proximæ remotæ, etc. sed non causæ per accidens.

Inquantum nunc partem, nunc totum reduplicat.

Sequens *inquantum* non semper accipitur pro suo formali, nec illud non ita est causa, sed totum.

Et hoc potest esse vel primo, vel secundum partem, et hanc vel illam.

Quod quid per se inest superiori et inferiori, et ita *inquantum*.

Sed non inferiori primo, nec per se, ratione formalis ejus, sed materialis ejus.

Sicut causa dividitur in necessariam in pluribus, et contingentem ad utrumlibet, sic *inquantum* potest notare quamlibet.

Unde ratio sequitur; ergo omnis nec necessario. Contra : primo Priorum, in-

quantum bonum; ergo omne bonum. Item 1. *Posterior.* per se, *præsupponit* de omni, *et id includit necessario.*

Respondeo, omne bonum, bene sequitur intelligendo sic consequens, scilicet potest esse per se causa in demonstrativis, includit necessario non omne de omni.

6. Quando quis quæsiverit quid causa, oportet omnes dicere, et proximas, et circa substantias generabiles.

Text. c. 12. Text. c. 10. *Oportet omnes cognoscere* 8. *Metaph* c. 3. *Nota, conclusio generalis* 12. *probatur: tum per Aristotelem* 9. *Metaphysic.* c. 4. *potentia rationalis, quia est una contrariorum, non necesse est quod faciat, quia tunc simul faceret contraria, quare necesse alterum esse, quod proprium est, dico hîc appetitum, aut prohæresim. Tum, quia quare magis fieret quam quiesceret? Quare etiam magis fieret hoc quam illud? Tum, quia si communis est, oportet quod habeat in se virtutes contrarias, quia eadem virtus non est ad opposita. Tum, quia si non est dare, quare magis faciat quam quiescat, non est dare quare magis dat* esse *effectui quam non, et ita nec quare effectus magis est quam non est, cum ideo sit, quia causa dat. Tum, quia plus dicit esse causam in actu quam in habitu, et prius est in actu quam effectus sit. Nota, conclusio est falsa de voluntate, et probationes non valent, quia ad faciendum aliquid, non oportet dare causam, nisi per se sufficientem. Et si quæritur, quare de effectu sufficienter respondetur per talem causam? voluntas autem est causa sufficiens omnis actus sui, et quasi illimitatæ virtutis, quia libera virtualiter respectu actus et ejus oppositi, et respectu actuum oppositorum, et ita causa communis, tamen sic communis, quod etiam propria, quia immediata.*

Voluntas determinat se. Voluntas illimitatæ virtutis.

7. *Ad primam propositionem negatur, si loquitur de voluntate: si autem de scientia, vel arte, potest exponi quod illa est oppositorum, sed insufficiens causa, quia tantum directiva: directio autem non sufficit sine imperio et executione; causa autem indeterminata, quia est insufficiens nunquam alterum producit nisi aliud addatur, sic potest intelligi conclusio principalis. Causa autem indeterminata, quia plus quam sufficiens, plus potest sine altero quam determinata, vel limitata; unde forte simpliciter est magis nobilitatis in causa, contingentia in causando, quam necessitas.*

Causa indeterminata, alia insufficiens, alia sufficiens.

Contra: effectus necessarius est nobilior contingente; igitur et causa. Respondeo, antecedens est verum cæteris paribus, præcise autem effectus in se necessarius, non autem ad quem causa necessario determinatur. Similiter causa contingens propter defectum actualitatis ad causandum, est minus nobilis causa necessaria, non contingens propter dominium super opposita. Similiter contingentia in causando est magis nobilitatis quam necessitas, præcipue respectu causati non adæquati suæ virtuti, sicut et causare multa quam unum tantum in hujusmodi.

Causa contingens, nobilior necessaria et quando?

Ad secundum, non est aliud quare nisi causa sufficiens, non quia determinatur volendo, tunc enim vellet hoc, quia vult hoc.

Ad tertium, habet unam virtutem illimitatam respectu contrariorum.

An plus dicat causa in actu, quam in habitu.

Ad quartum, non est causa quare dat nisi natura ejus, quæ est immediata causa dandi cum dat, et non dandi cum non dat, et tamen est causa quare effectus est, quia scilicet causa dat esse, *sed illud* dare *non habet causam determinatam.*

Ad quintum, nihil plus est in causa nisi quod una relatio consequitur, quæ non consequitur, quando non præcedit causationem; tum, quia fundatur super

eam ; tum quia est ad terminum productum per actionem.

ANNOTATIONES.

8. Sequitur illa particula : *Materia est, etc.* ubi specialem digressum facit de materia, sed omnia sunt ex sententiis Aristotelis hinc inde ut Doctor allegat, et loca assignavimus. Ubi advertat lector, quod non curavi in his quotationibus, ut aliqui hujus ætatis curiosa superfluitate et ostentatione frivola, modo Legistarum, descendere in allegando particulas commentorum et capitulorum, et §§. etc. hujusmodi ; hoc enim est perdere tempus in legendo, in conferendo vero fuga et fumus. Græci namque rationem quærunt, teste Paulo, et non signa, nec testimonium, nisi raro , vide Aristotelem 2. *Metaph. t. c.* 14. *et inde*, ubi reprehendit hunc modum. Qui ergo voluerit sic descendere, descendat ipse. Ego vero ascendere intendo, et cum Platone quiescere in specialissimis, vel saltem cum Scoto in individuis. Paucis ergo in hac parte me expediam. Computum propositionum, quarum aliquæ sunt definitiones, aliquæ petitiones vel conclusiones, consideret lector, et majorem vel minorem numerum, ut placuerit, adinveniat, vel contentus numero assignato procedat ; quantum enim ad hoc magistraliter omnia sentio, et non authentice vel assertive. Examinabis omnia quæ dicuntur hic de materia, ut copiose habes in doctrina hujus. Quære 7. *et* 8. *Metaph. in quæstionibus et expositione.* Vide 12. *dist.* 2. *et* 14. *ejusdem.* 3. *etiam dist.* 2. et maxime in antiquis, specialiter in Bona. Quære et 12. *dist. ejusdem* 43. *et* 44. *dist.* 4. Vide verbum Aristotelis, *Forsan naturalia sempiterna*, etc. Extende etiam dicta ad varietatem expositionum auctorum in Aristotelem. Hic si volueris, imitabere Averroem ubicumque non digreditur a verbis Aristotelis, et intellectu sincero Scotico; ubi vero per se vadit, penitus omittatur, nisi in materia indifferenti. Sermo de materia est satis difficilis, quia objectum incertum et minime entitatis, et fundamentum debile, licet omnium radicale. Quod autem materia est hoc aliquid, et ens actu, et intelligibilis per se, et quomodo non principium individuationis primum, et qualiter debet intelligi illa ultima de immaterialibus, habes ubi supra, salvando semper Philosophum. Cætera relinquo lectori in hac particula, angustia temporis præpeditus.

Materia est hoc aliquid, ens actu, intelligibilis.

Sequitur ibidem quædam littera, vario tamen modo in originalibus situata, quæ potest poni *Extra*, vel additio, ibi : *Contra, forma tantum inexistente*, etc, usque illuc : *Juxta conclusionem secundam, etc.* Prima objectio est contra illud, quod dicitur de unitate compositi ex materia et forma, in propositionibus ultimis de materia, et potest solvi, vel quod casus est impossibilis, ita quod materiam informari, est formam inexistere, saltem concomitanter de necessitate. Sed pondera bene an informare dicat actionem. Vide *infra, in commento* 19. *particulæ sequentis.* Vel detur secundum, scilicet quod sit tertia entitas, non tamen sine informatione materiæ a forma. Licet enim prima causa possit suspendere causalitatem extrinsecam inferioris causæ, non tamen intrinsecam, facta tali approximatione, cum cæteris dispositionibus requisitis assistentibus. Vide tamen *infra particula sequente in commento* 13. ad hæc notanter, *et in commento* 19. Ulterius, potest negari quod infertur de tertio, quod non est informans, sed totius formæ quidditatem declarans. Ad secundam objectionem respondet Philosophus *in littera* 8. *Metaph. ad finem*, et iste plerumque, quia scilicet hæc potentia, et hic actus sunt tales, et illi tales. Quære 12. *dist.* 4. *et alibi ut* 7. *et* 8. *Metaph. supra.* Sed plures aliæ declarationes possent addi, licet radicalis causa sit illa. Considera an forte velit has objectiones currere, vel saltem quod Philosophus dicta non probat, licet communia et vera sint ubique. 9.

An forma inesse possit non informando ? Non potest Deus impedire effectum causæ intrinsecæ approximatæ debitæ.

Deinde ibi : *Quando hoc fit ex A*, etc. 10.

movet quædam dubia, et non est dependentia ex dictis, et sunt tria vel quatuor, quæ tamen non solvit hîc, et possunt applicari ad propositiones supra de identitate, vel alietate materiæ et moventis, et proportionaliter ejus quod fit. Pro primo dubio vide *in* 2. *dist*. 20. *quæst*. 2. *et* 43. 4. *quæst*. 3. *art*. 1. *et* 2. egregie.

Unitas per se an magis a materia, quam a forma, vel agente?

Ad secundum, videtur quod Philosophus velit unitatem utriusque requiri, ut patet in littera 8. *Metaph*. ubi supra in propositionibus. Sed quod a materia magis quam ab efficiente sit unitas, potest esse ratio, quia intrinsece constituit entitatem, et ita dat unitatem. Et quod dicitur quod magis ab efficiente est *esse*, potest negari. Vel aliter, quod comparatio debet esse in univoco, alia et alia est habitudo, ad aliam et aliam causam, ut supra dixit. Secus etiam est de *esse* formæ et de *esse* totius. Ad idem potest dici quod non, quia requiritur identitas materiæ. Illi tamen qui formam dicunt esse totum *esse*, haberent aliter dicere.

Ad quartum videtur responsio sequens declarare intellectum dubii, de qua videlicet materia debet intelligi, licet non multum ad propositum apparet esse. Sed ad aliud, quomodo videlicet in accidentibus est materia, cum accidens et intrinseca omnia sibi, sint actus et forma? Potest ergo dici, quod major est indifferentia materiæ quam formæ: *Nam activorum actus*, etc. *et membra leonis*, etc. quærit ergo forma dispositionem in materia determinata, non e contra, maxime loquendo de prima simpliciter, stante etiam unitate prioris, fit plurificatio in posteriori. Illa vero responsio sequens est valde notabilis de materia accidentis et animæ intellectivæ, ponendo ibi materiam. Vide *supra* 7. *Metaph. et* 8. *et super lib. de Anima* 15. *quæst. hujus*. Et replica sequens et ejus solutio, comparando materiam accidentis ad materiam substantiæ corporeæ, sunt notabiles et satis claræ. Adde plura hîc, ut volueris.

Nota pro materia asserenda in anima rationali.

11. Consequenter additur ibi quædam longa littera, quam additionem notavimus; communiter tamen ponitur in originalibus, et plura subtilia et utilia continet, quare si lectori videbitur ad sua loca applicetur diligenter. Transmutavimus autem litteram ibi, aliter quam communiter habetur, propter convenientiam ad ordinem conclusionum quæ quotantur. Infert ergo primo corollarium ex secunda conclusione generali, vel universali, supra ibi, scilicet, *Causa naturaliter est prior*, etc. ubi comparat notanter perfectionem causæ ad perfectionem causati, quod bene examinabis. Ex quo aliam corollariam propositionem infert de cognitione conclusionis et principii, valde notanter, et potest confirmari ex dictis ejus 8. *d*. 1. *q*. *fin*. et applicat singularissime in simili ad actus voluntatis circa finem et media ad ipsum, conformiter dictis *in primo d*. 1. *q*. 4. *et in* 4. *d*. 49. *q*. 10. *et in quodlib. quæst*. 16. et littera satis clara est, sed bene ponderanda.

Deinde circa dicta in septima conclusione generali, ut ordinavimus, ponit aliud 12.
notabile de perfectione causarum, et habet ponderari, 2. *et* 8. *dist*. 1. *et* 1. *dist*. 2. *et supra in tractatu de primo principio*, et alibi sæpe. Ibi nota et pondera exemplum, quod adducit de uno, et cum dicit, *quia secundum tertiam*, etc. ut communiter textus habetur, si referatur ad tertiam conclusionem ut eam ordinavimus, non videtur ibi expresse, nec implicite, nisi multum remote posse sic scribi, quia secundum commentum, scilicet ejusdem 7. conclusionis, et in notabili quodam, post primam divisionem supra ante conclusiones generales habetur. Vel pone *septimam* loco *tertiam*, vel *primam*, juxta alium ordinem. Posset etiam inveniri in sequentibus conclusionibus de forma. Tange consequenter ibi plura pro et contra de attributis, et quomodo accipit *genera causarum*, cum dicit quod duo alia sunt simpliciter perfectionis, quia instantia est *prima quæst. quodlib. art*. 1. *par*. 2. ubi dicit quod nulla relatio est simpliciter perfectionis, sed pondera bene.

Duo genera causarum dicunt perfectionem.

Unius effectus unica causa totalis ejusdem generis.

Consequenter circa dicta in undecima conclusione generali, de correspondentia alietatis causæ, et causati, quod intelligi debet de causa totali ejusdem generis, et ejusdem ordinis. Vide 5. *Metaph. et* 2. *Physicor.* et supra *in tractatu de primo princip. et* 2. *dist.* 1. et alibi sæpe in doctrina hujus. Probationes, quas hic adducit in fine contra 3. probationem, ex 5. *Metaph. implicite, text. com.* 20. quamdam instantiam, qualiter, scilicet Pater et Filius referuntur æque primo ad Spiritum sanctum, et e contra : *et universalius*, inquit, *quando duo agunt*, etc. et additur ibi communiter quædam remissio seu quotatio, et posset poni 23. sub scilicet particula *de forma*. Vel forte enumerat conclusiones a principio. Posset etiam supra particula conclusionum universalium assignari, et ita loco *sub* poneretur *supra*. Ne forte etiam remittit se plerumque ad conclusiones Physicorum, et Tractatum de primo principio. Ad objectionem tamen in se, potest dici quantum ad primam partem, quod non sunt duo spiratores, sed unus. Patet 12. *dist.* 1. est enim unitas fundamenti et principii, et terminus etiam formalis. Posset etiam ponderari ibi ordo originis in spirando, et ita negari assumptum. Quod universaliter tangitur, patet quod sunt tanquam unum in tali casu, scilicet totale, et sic loquitur Philosophus.

Pater et Filius sunt unus spirator.

13. Ulterius sequuntur ibi propositiones quædam de ly *inquantum*, et aliis signis seu dictionibus reduplicativis, eodem modo, et varie situantur in originalibus. Nam in aliquibus ponuntur inter illas conclusiones generales ad finem, in aliis vero immediate post illas propositiones de materia, in aliis, ut ordinavimus, in aliis quoque totaliter omittuntur. Sed quomodocumque ordinentur, satis pulchræ sunt et ad propositum in materia de causis, ideo hic sub additione eas ordinavi. Legantur quia sapiunt, et posset assignari particula per se, ista in qua tractantur, ut voluerit lector. Prima clara est et communis distinctio de ly *inquantum* et *causa;* et secunda similiter, si ponantur duæ, nam secunda posset poni pars prioris. Tertia est notabilis : nam aliquando sequens ipsum *inquantum*, potest accipi pro se toto, ut homo inquantum homo, tristatur vel generatur; vel pro ejus formali, ut homo inquantum homo intelligit, vel est risibilis; vel pro parte materiali, ut homo, inquantum homo est ex terra, vel elementis, vel corruptibilis, vel mortalis, etc. Quarta propositio est valde singularis. Ubi adverte quod Doctor, ibi capit materiale in inferiori, pro quidditate vel natura contracta, et ita differentia individualis diceretur formale Socratis, ratione cujus non est risibilis, sed ratione humanitatis. An propositio possit converti, considera ut scis. Quinta propositio etiam est pulchra. Ubi adverte quod tota littera in his usque ibi : *unde non sequitur*, potest poni textus, vel dividi, ut ordinavi in textum et commentum. Dicit in fine illius 5. quod non sequitur, verbi gratia, ignis inquantum ignis comburit; ergo necessario, etc. vel ergo omnis ignis, etc. Similiter exemplifica de causa contingenti ad utrumlibet, vel sub alia forma et aliis verbis, pone exemplum.

Inquantum, appellat quandoque totum, quandoque partem.

Conveniens per se superiori, et inferiori.

Et instat contra se brevibus ex 1. Priorum *text. c.* 35. et 1. Posterior. *text. c.* 8. *et* 11. *et circiter*, et respondet signanter et breviter, exponendo utrumque locum. Primum de possibilitate. Secundum, faciendo differentiam inter necessitatem causalitatis principii, respectu conclusionis, et universalitatem illationis, et pondera valde. Vide super 1. Posterior. Posset tamen faciliter dici ad illud primi Posterior. quod ibi est necessitas simpliciter, non tantum ut in pluribus, et sic non est contra dicta. Sed nota valde responsionem Doctoris, quia singularis et sustentabilis. Pro his explicandis altius, vide Logicos in materia de reduplicativis ut nosti, et declarationes istius *in primo dist.* 1. *quæst.* 2. *et in* 3. *dist.* 6. *et* 11. *quæst.* 2. *et primo Reportationum, dist.* 21. sed clare et doc- 14.

trinaliter *in quodlib. quæst.* 3. *art.* 2. *part.* 2. plura ponderando.

Deinde ibi : *Quando quis quæsierit*, etc. ponitur quædam alia propositio *ex* 8. *Metaph. t. c.* 12. quæ varie situatur in originalibus, pertinet tamen ad materiam de causis in generali ut patet, et concordat sententiæ Aristotelis 1. *Phys. t. c.* 1. et alibi.

Consequenter ibi : *Nota, conclusio generalis* 12. *etc.* redit ad propositionem 12. universalem supra probandam, illam videlicet, *causa indeterminata ex se*, etc. et adducit pulchre quinque probationes ejus. Quære in 9. Metaph. copiose, et alibi in doctrina hujus, utpote 2. *dist.* 2. *et* 39. *et* 28. *et* 7. *dist. ejusdem.* 2. *etiam Physicor.* et plerumque alias in antiquis et modernis. Adverte ad ultimam probationem ibi : *Tum quia plus dat, vel dicit causam esse*, etc. quia ibi intendit quod causa in actu plus habet rationem causæ, quam causa in habitu; et non est in actu quamdiu est indeterminata, et prius est in actu causa, quam effectus sit, quod verum est, loquendo de absoluto causæ, secus de respectu, ut 2. *quæst.* 1. *dist.* 2. habet, et ubi ibi notatur.

Quomodo causa indeterminata ex se, determinatur ab alio?

15. Addit consequenter aliud notabile, ostendendo quod non procedit conclusio de voluntate, sed de aliis a voluntate ; ubi ostendit illimitationem, et sufficientiam, et communitatem, et determinationem, et proprietatem ejus in causando. Quære ubi prius in conclusione illa 12. et alibi ante et post notavi. Deinde respondet ad illas probationes per ordinem, ostendendo quod non procedunt de voluntate, ubi exponit in prima responsione, quæstionem illam. Et distinguit de causa indeterminata duplici, et qualiter aliter ars vel scientia est indeterminata, et aliter voluntas ; et ultimo quomodo contingentia est nobilior conditio causæ quam necessitas. Et licet loquatur cum *forsan* hîc, alibi tamen hoc asserit, ut 8. *dist. prim. quæst. finali.* et 39. *dist ejusdem*, et 1. *dist.* 2. et 3. optime.

Aliter ars, aliter voluntas indeterminata. Contingentia nobilior, quam necessitas in causa.

Deinde replicat contra responsionem, comparando proportionaliter effectus et causas inter se : sed breviter ibi posset dici, quod sicut necessitas repugnat causæ, ita et effectui, et hoc loquendo de necessitate nedum immutabilitatis, sed inevitabilitatis. Responsio tamen Doctoris est valde notabilis, ubi omnia verba ruminabis bene, quia plena succo.

Ad alias quatuor probationes respondet consequenter, quæ valde notabis ubique, quia nullibi ita resolute dixit, omnia sunt satis clara. Vide 5. *dist.* 2. *quæst.* 2. et alibi ubi supra.

THEOREMA XXI.

SCHOLIUM I.

Prima propositio quoad primam partem, habetur Theor. 17. concl. 3. et 8. Metaph. quæst. 1. et 3. ubi fuse agit Doctor, an sit simplex, et an suscipiat magis et minus. Quod sit perfectior quam materia, habet c. 2. de primo princ. num. 6. et 2. dist. 3. quæst. 6. et dist. 12. quæst. 2. num. 6. Tertia pars propositionis est clara. Circa secundam, tangit in commento tres modos dicendi de causalitate formæ ultimæ compositi, an scilicet immediate informet materiam primam, an vero compositum ex materia prima et forma priori, et hoc dupliciter, sed nihil resolvit. In tertia tamen propositione tenet formam priorem esse receptivam posterioris. Quod ait, formam exemplarem magis spectare ad genus efficientis, tenet 1. dist. 2. q. 2. n. 10. et dist. 36. n. 5. Sequuntur aliæ maximæ ex Philosopho, de forma, de quibus vide Doctorem optime explicantem singulas, in expositione textus Metaphysicæ. Vide eum etiam de 6. lib. 7. Metaph. quæst. 9. et de aliis, quæst. 6. et 10. et lib. 8. quæst. 3. et 4.

1. *Forma est essentia simplex, perfectior pars compositi, et propria sibi.* 21. Princip.

2. *Forma est forma, vel actus materiæ, non causa formalis, quia nec pars compositi est forma et causa formalis.*

Contra; igitur universalis. Res- 1.

Forma cujus est actus? pondeo, si concedatur oppositum conclusionis, tunc forma est causa duorum causatorum et informati, extra quod est essentialiter, et informati, cujus essentiæ aliquid est : si tamen illud possit dici informatum, cum nunquam sit informabile proprie, et tunc vigesima quarta inferius cum tribus sequentibus intelligendæ sunt de causato formæ, quod est compositum, non quod est materia prima. *An plures immediate materiam informent?* Si teneatur quod omnes formæ ordinatæ perficiunt materiam primam, secundum enim aliquos, posteriores formæ magis sunt interminatæ materiæ, et penetrantes potentialitatem ejus, et majorem stabilitatem dant tam materiæ quam toti enti ; unde se habent ad alias sicut radix ad ramos, et sicut agens principale ad instrumentum. *Quomodo se habet forma ultima compositi ad præcedentes?* Hæc positio ultra dicit formam ultimam actuare tantum unum, scilicet materiam primam, et tunc compositum non videretur unum nisi aggregatione ; cum nulla formarum ordinatarum sit in potentia ad aliam, nec aliqua actus alterius, aut cum hoc quod actuat etiam formam quamlibet intermediam, et etiam compositum quodlibet intermedium, et tunc videtur idem esse actus multorum, etiam totorum et partium eorum, tamen ordinatorum multorum. Secundum hanc viam locum habent in formis ordinatis, illæ quæ excluduntur in vigesimaquarta et tribus sequentibus, et hoc loquendo de causato formæ, sicut materia est ejus causatum, non sicut compositum. Secundum hanc etiam videtur poni posse ubi terminatur ordo formarum substantialium, et incipit accidens, quia illud non perficit materiam primam secundum substantiam compositam, in specie constitutam. Sed hæc via videtur esse contra octavam.

An forma prior sit ratio receptiva posteriorum? Si teneatur alia via, secundum quam currunt vigesima quarta et tres sequentes, scilicet quod forma perfectissima tantum perficiat proprium perfectibile, compositum scilicet ex materia et formis præcedentibus, ubi incipit accidens, cum forma specifica sit per se ratio receptiva propriæ passionis, sicut forma prior respectu posterioris.

Item, quare non dicetur quod primum receptivum simpliciter est forma, non tamen informans, sed subsistens, sicut nunc?

3. *Forma prior est propria ratio receptiva posterioris, et esset si per se esset ut videtur.*

4. *Forma exemplaris non est forma illius, cujus est exemplar, sed magis pertinet ad genus causæ efficientis.*

5. *Si forma est magis ens materia, erit et composito, propter eamdem rationem.*

Septimo Metaphysicæ, et juxta septimam conclusionem universalem. Text. c. 2.

6. *Forma non generatur.*

Ex prima, quia non est divisibilis, sed fit in alio, et compositum per se, ibid. c. 6. Text. c. 22. et inde.

7. *Forma est in omni composito ex partibus materialibus possibilibus manere divisis, aliud ab illis, nec ex illis.*

Ibidem ult. cap.

8. *Forma est principium essendi et distinguendi.*

Octavo Metaph. c. 1. *Sumenda*, etc. Tex. c. 5. et inde.

9. *Alterius materiæ alius est actus.* Text. c. 8.

Ibidem, *Palam*, etc. convenit cum illo primi de Anima commento 53.

10. *Quod quid est formæ idem sibi existit, non sic compositi.*

Text. c. 8. Ibidem c. 2. a.

3. 11. *Definitio non est nisi substantiæ compositæ, cujus est hoc materia, illud forma.*

Text. c. 9. Ibidem D. *Quare Antisthenici*, etc.

SCHOLIUM II.

Circa duodecimam, de eo *quod quid est*, vide Doctorem 7. Metaph. quæst. 7. et 2. dist. quæst. 6. ad 3. et quomodo formæ sunt sicut numeri, vide eum ibi quæst. 7. et 10. De conclus. 13. de simplicitate accidentis vide eum 8. Metaph. quæst. 1. et de 14. quod unum per se fit ex materia et forma, vide 8. Metaph. quæst. 4. et 2. dist. 12. quæst. 1. num. 12. et Theoremate præced. Conclus. 15. habes de primo princ. cap. 2. concl. 7. et est evidens ; 16. etiam patet, quia materia non est activa : et idem est de quantitate et relatione, quod intellige quoad actiones similium generativas, quia efficiunt partialiter actiones intentionales, saltem materia et quantitas, de quo Doct. 9. Metaph. quæst. 6. et 7. Nota Mauritium aliter numerare has conclusiones quam notantur in margine, una unitate minores.

12. *Quod quid est, si est, aliqualiter numerus hoc est.*

Quomodo formæ sunt sicut numeri? Quia juxta decimam quartam universalem ad indivisibile statur, quia species per additionem variatur, quia aliquo alio ab elementis est unitas, quia non est magis, etc. Non adducuntur istæ similitudines de forma, cum non sit sermo de illa, sed de substantia, quæ potest dici essentia rei, cum hoc probant omnes similitudines : non enim forma resolvitur in indivisibilia, nec definitur, nec ei aliquid additur, inquantum forma, quia respectu additi fieret materia, nec unitas formæ est ab aliquo alio ab ipsa, sicut unitas numeri est ab aliquo alio præter unitates. Nec valet, forma non recipit magis secundum speciem, id est, secundum formam.

13. *Accidentia sunt puræ formæ, non habentia materiam ex qua sunt, sed tantum in qua.*

Octavo Metaph. c. 3. Contra : Text. c. 12. *Accidentia non sunt composita.* accidentia conveniunt realiter et differunt, non eodem ; igitur ita definiuntur, sicut substantiæ ; igitur ita composita. Contra : nec ita diversas operationes habent, nec transmutatio possibilis per specificam, manente alia, alioquin proximum subjectum motus esset actu per formam generis.

14. *Non est dubitatio quare ex materia, et forma fit unum, nec propter aliud nisi propter efficiens.*

8. 4. Hîc est quæstio bona mota 4. Text. c. 15. inferius in 19. quæ enim differentia est accidentis non informantis subjectum, sed in existente subjecto, et accidentis informantis subjectum? et formæ substantialis inexistentis materiæ non informantis et informantis ipsam? cum in secundo membro et quarto sit potentia et actus actuans, in tertio et primo, actus non actuans.

15. *Quæcumque carent materia, carent et forma, ac ideo se totis sunt una.* *Carens materia, et forma.*

8. 4. c. Text. c. 16.

16. *Per formam est compositum potens ad agendum, non tamen per omnem quantitatem relationi, etc. non igitur ad recipiendum.*

Contra secundam : quia forma *Corollarium.* prior est propria ratio receptivi respectu posteriorum, sumitur forma specifica respectu propriæ

passionis. Require sup. E. F. in commento 2.

17. *Cujuslibet actus primi est aliquis actus secundus proprius, aut talis forma videretur otiosa.*

Quælibet forma habet suam operationem. Hæc videtur falsa propter instantias in 15. positas propter probationem. Nota quod aliæ actiones ab immanentibus, non sunt propter se, sed propter terminos; si igitur illi aliunde habeantur, sicut si per tales formas haberentur, nihil est otiosum.

SCHOLIUM III.

Vide Doctorem in expositione textus pro concl. 18. Juxta 19. videtur materiam ponendam esse in accidente, alioquin non haberet Propriam, sed Doctor in textu 20. salvat Philosophum, quod per materiam intelligit subjectum; et sufficit quod reductive sit in eodem genere, quatenus perfectibile per accidens, esto ipsum non sit accidens, quod probat esse de mente Philosophi per exempla quæ adducit, vide eum. In vigesimatertia vult formam posteriorem in composito perficere compositum prævium, non tantum materiam, de quo concl. 2. tactum est. In vigesimaquarta forma superveniens, non dat perfectiones præcedentium formarum, quatenus ordinatæ sunt, alioquin Deus posset informare. Non instes de anima rationali comparata ad sensitivam, quia non dat perfectionem ejus per modum sensitivæ, sed eminentius. De quinque sequentibus conclusionibus, cape earum sensum et non cures ordinem, vel quid significent illæ litteræ, lege si vis conjecturas Mauritii.

5. 18 *In omni genere est unum primum.*

Text. c. 2. et inde. 10. Metaph. cap. 2. In quo genere causæ est illud primum? Respondeo, in genere causæ formalis, non informantis, nec existentis, sed unitive continentis : nec istud tertium pertinet ad genus efficientis, sicut exemplaris, album non causat effective nigrum.

In quo genere causæ est primum in quolibet genere?

19. *In omni genere est propria forma, propria privatio, proprium subjectum.* Text. com. 19. et inde.

12. Metaph. 2. cap.

20. *Juxta secundam universalem, si relatio formæ fundetur super actionem; igitur forma agit in materiam propriam.*

Quid est formam informare materiam.

Contra : quid igitur est formam informare materiam, si nihil ultra essentiam hanc et illam? quomodo fit aliquid tertium ex istis unum, nisi aggregatione, sicut si anima in corpore ens non animaret? quare non fieret ex materia et forma, nisi unum aggregatione.

21. *Juxta septimam nota, oppositum est verum de prima forma informativa, licet non de exemplativa, nec unitiva.*

Causa formalis non coincidit cum aliis.

22. *Juxta nonam, nihil quod est causa formalis alicujus, est aliquo alio genere causalitatis causa ejusdem.*

An forma informat aliam formam?

23. *Forma prior adveniens posteriori dat perfectionem, non tantum sibi propriam, sed etiam posteriori propriam, aliter non fieret unum ex materia et forma, nisi aggregatione.*

Hæc probatio non videtur bona : quia compositum informatum posteriori forma antequam priorem recipiat, est in potentia propinqua ad illam priorem, et tunc adhuc non est in se perfectius se : idem autem quod primo est in potentia, postea in actu, recipit illud, aliter non esset prius in potentia propria, ex 9. Metaph. text. com. 15. ex hoc autem quod hoc potentia, illud actus fit unum per se ex eis 8. Metaphysicæ conclusio videtur falsa infra, *perfectum concl.* 4. Quare forma ignis quæ est perfectior, non potest perficere informatum forma aquæ, si tot formæ ordinatæ quot differentiæ, et prædicata ordinata in genere? inter sensiti- 6. Theor. ult.

vam et specificam asini, erunt tot formæ in asino quot sunt species animalis, si genus unica divisione tantum in duas species dividitur, quarum sola altera potest esse specialissima; igitur reliqua erit genus intermedium, et ita quot species animalis specialissimæ, tot divisiones, et tot genera, inter animal et asinum. Item ordo formarum non videtur juvare ad remanendum idem, specifica abjecta : illa enim non abjicitur, saltem ab homine, nisi per destructionem formæ mixti, quæ ad ipsam disposuit, maxime si fuit dispositio necessitans ; si etiam maneret materia disposita ad formam corruptam, per agens naturale posset illa induci.

Non sunt tot formæ quot prædicata.

24. *Juxta vigesimam, nunquam aliqua forma informans potest habere perfectiones aliarum ordinatarum, inquantum ordinatæ.*

7. Quia tunc haberet in se præcedentem, non per modum sui, sed per modum præcedentis, sic Deus posset informare materiam, ut sufficienter secundum unam perfectionem disponat ad se, secundum aliam; ergo, etc. Igitur decimasexta nihil valet.

25. *Juxta A. B, hic non habet locum, quia formæ nihil est creatum, nisi cujus illa est pars immediate constituens : sed sic non est de alia forma, quia illa est simplex.*

Forma prior, imperfectior.

26. *Juxta A. C, non habet locum hîc, quia forma prior non est pars perfectior illius compositi, cujus pars est forma posterior.*

27. *Juxta A. D. plus causat non idem causatum juxta prædicta secundum aliud, quod actuare, est magis causare.*

28. *Juxta A. E, illa videtur hîc manifesta, cum nullum sit informabile prima forma, nisi proprium dispositum ad ipsam.*

29. *Juxta A. F, intelligatur sicut exponitur quartadecima ante in conclusionibus universalibus.*

ANNOTATIONES.

Sequitur illa particula : *Forma est esse simplex*, etc. ubi prosequitur de causa formali in speciali, ponendo propositiones singulares et communes, ex fundamentis antiquorum, et propriis, sale Scotico conditas, quas etiam brevibus discurram, quia alibi sæpe habentur ; et sicut prius in aliis, ita hîc advertendum duco de numero et ordine harum tantum Topice, et ut congruentius magis videbatur determinasse. 8.

Prima propositio, quæ est notificatio formæ, habet tres partes, quarum prima est auctoris, et supra particula *de agente*, propositione 3. tacta est. Secunda pars est Philosophi 7. *Metaph. text. com.* 7. *et inde.* Tertia est supra sæpe pertractata, et infra etiam tangetur, quæ omnia examinentur, ut plerumque habet iste.

Secunda propositio est valde notabilis, quæ etiam habet tres vel quatuor partes, et fere omnia tacta sunt supra in conclusionibus generalibus, et infra magis explicantur. Objicit consequenter contra secundam propositionem, satis mirabiliter ; sed videtur inferre hoc, quod tunc scilicet sequeretur formam esse universalem, vel, ut alia originalia habent, universalissimum, hoc est dictu, cum compositum sit tanquam commune, ideo causavit sic, erit communis. Et videtur declinare ad communem viam, quæ ponit materiam esse causam individuationis et determinationis in rebus materialibus. Vel sic et magis ad propositum : si omnis forma tantum informat materiam, et nunquam est pars materiæ, ut informetur totum, per formam perfectiorem advenientem ; igitur tantum

Si forma tantum informat materiam, est universalis.

materiam primam informabit : sed talis forma quæ immediate advenit materiæ primæ, est universalis, ut patet de forma corporeitatis, ergo, etc. considera altius, si nosti ipse.

9. Ad hoc respondendo, introducit pulchra fundamenta. Primo, declarando quid sequeretur ex opposito illius conclusionis, si daretur. Ubi tangit duo causata et duplicem informationem formæ. Et notanter dicit quod compositum, de cujus essentia est materia, non proprie dicitur informabile, sed est potius forma ipsa totius, ut 2. *dist.* 3. *q.* 2. habet. Qui tamen teneret oppositum conclusionis, posset ad hæc respondere, si compositum ex una forma et materia, esset potentiale respectu secundæ formæ, ideo hoc excludit, cum dicit *si omnes formæ ordinatæ*, etc. ubi non debet esse §. principium, sed littera continua, et remittit se ad vigesimamquartam infra, et sequentes tres. Illa vigesimaquarta est ista : *Juxta* F. A. B. *hic non habet locum*, etc.

Duplex informatio formæ ?

10. Deinde ibi ; *secundum aliquos*, etc. tangit tres modos dicendi de formis ordinatis, et primus habet duo dicta. Secundum ibi : *Hæc positio ultra dicit*, etc. et infert inconveniens ibi : *Et tunc compositum non videretur unum*, etc. quære Thomam et Henricum et alios antiquos, ut nosti. Secunda positio est ibi : *Aut cum hoc quod etiam formam quamlibet intermediam*, etc. Et infert quod videretur ex hoc sequi inconveniens ibi : *et tunc videtur idem esse*, etc. et applicat illum modum dicendi ad vigesimamquartam et sequentes infra, et declarat ulterius ubi incipit accidens, quia est totius et non materiæ primæ. Et nota quod loquitur de accidente per accidens. Ibi etiam declarat esse terminum formarum substantialium, ubi videlicet incipit accidens. Quære hunc 12. *dist.* 4. *et* 3. *dist. prim. et* 2. Et ostendit consequenter quod hæc via repugnat octavæ conclusioni infra. Tertiam opinionem explicat ibi : *Si teneatur alia via*, etc. quæ videtur magis sua ut supra, in conclusionibus generalibus et alibi sæpe tangit. Vide ante particulam illam : *Finis intra*, etc. in commento et *in* 4. *distinct.* 11. Quære alios plerumque, et maxime Varronem et sequaces hujus. Et objicit contra illam viam dupliciter. Primo interrogative, ibi : *ubi incipit accidens.* Secundo, ibi : *Item, quare non dicetur*, etc. quæ tamen faciliter solvuntur sustinendo illum modum. Incipiet enim accidens coævum subjecto, posterius natura passione, aut ratione formæ, aut materiæ, aut compositi, aut ab intrinseco, aut ab extrinseco causetur, nisi forte dicas aliqua accidentia convenire prius tempore illi materiæ totali, quod verum est ; et tunc aliqua accidentia præcedunt passionem specificam, licet non prius dicantur de specifico toto.

Quando accidens incipit in materia ?

11. Quod quærit de forma priore, patet 8. Metaphysic. non enim ut forma est, perficitur, sed ut pars totius perfectibilis : et ita potest negari, si per se esset, quod informaretur, vel perficeretur, seu reciperet aliam formam. Vide supra, particula conclusionum universalium, conclus. 22. in commento ad hæc. Ubi adverte, quod littera illa, sicut nunc debet commutari, tamen illa forma prior usque, ibi : *Forma exemplaris*, etc. ubi incipit conclusio 3. vel 2. si primam propositionem ponis definitionem et non conclusionem : et tota illa littera pertinet ad commentum, in quo varie habentur originalia, et ita computabis conclusiones per ordinem, et erunt tantum viginti octo, vel viginti septem, non connumerando primam. Examinabis optime omnia verba Doctoris, in hoc digressu, ubi illas tres vias sub dubio reliquit.

Quomodo forma perficitur.

Deinde prosequitur propositionem tertiam, vel secundam, ut notavi de forma exemplari, et notanter conformiter dictis *in primo dist.* 2. *quæst.* 1. *in principio solutionis*, ut supra, in illa particula : *Finis intra*, etc. declaravi. Unde forma exemplaris potest comparari, vel ad illud in quo est ; vel ad illud ad quod est, seu subjective, et objective, vel terminative. Primo modo potest recte dici forma, maxime in

Forma exemplaris quomodo est efficiens

creaturis, et sic loquuntur communiter Doctores : secundo modo reducitur ad efficiens, ut hîc recte dicit Doctor et alibi. In divinis forma exemplaris potest dici idea, ut communiter ponitur, quæ tamen Deo non est forma, quia tantum objective habet ibi *esse*, nisi ponatur respectus quidam rationis. Potest etiam Verbum divinum appropriate appellari talis forma, sicut ars, vel sapientia, licet non æque recte. Essentiale etiam scientiæ, vel artis, potest sic nominari, et ipsa essentia Dei radicaliter, et voluntas seu intellectus praticus formaliter seu propinque.

12. Propositiones quæ sequuntur usque ad nonam, claræ sunt ex determinatione hujus 7. *et* 8. *Metaph.* et ubi ibi notavi copiose in doctrina hujus. Quod addit infra in commento 9. ibi : *convenit cum illo primi de Anima*, ubi originalia communiter discorrecta erant : adverte quod recitat ibi dictum Commentatoris commento 53. *Membra leonis non differunt a membris cervi, nisi propter diversitatem animæ ab anima*, quod est contra Thomistas, ponentes materiam esse primam rationem diversitatis in formis, quia tunc circulus. Sed expone nihilominus ibidem ly *propter* in auctoritate Commentatoris, nam neque materia formæ, nec e contra, est prima ratio diversitatis.

Quod sequitur de *quod quid est*, et definitione, quære supra 7. Metaph. et 8. et considera. De compositione illa, de qua loquitur decima, et fundamenta Aristotelis ibidem pertractabis, posuit enim immaterialia necesse esse, etc.

Species sunt sicut numeri, quomodo ? Tangit consequenter in undecima notabiliter, quomodo *quod quid est*, seu species sunt numeri, pertractando similitudines, quas adducit Philosophus 8. *Metaph. text. com.* 10. inter species et numeros. Conveniunt enim quoad resolvi in indivisibilia, quoad non pati divisionem, quoad habere per se unitatem, quoad non suscipere magis et minus. Quære *in* 2. *dist.* 1. *q.* 7. *et* 10. *et in primo. dist.* 17. *q. fin. et supra* 8. *Metaph.* Hæc quatuor tangit hîc breviter, et ostendit quod non intelliguntur de forma partis, sed de forma totius seu essentia, vel substantia cujuslibet, ubi plura possunt ponderari, et specialiter de graduatione formarum.

Similiter quod sequitur in duodecima, de simplicitate accidentium, patet *supra* 7. *et* 8. *Metaph. et* 8. *distinct. primo.* Quære Avicebron et Bonaventuram et alios, ut nosti. Objectiones ad utramque partem, quas adducit, faciliter solventur. Prima enim procedit Metaphysice, et ad mentem hujus et secundum veritatem. Secunda vero Physice, ut patet, et quod ibi infertur ad finem, considera an currit. Similiter in substantiis, ponitur pluralitas formarum, ibi tamen non additur ad finem, *per formam generis*, in aliquibus originalibus, et satis recte, sed terminatur sic : *esse actu*, vel sic : *esset actus*. Hoc est dictu, ponatur albedo composita ex *A* et *B*, transmutetur *B* in *C*. manente *A*, tanquam forma communi generica, vel tanquam materia, cum tamen *A* sit actus formalis, sequitur, subjectum transmutationis esse actu formali, vel actum talem, hoc dicit supra 7. Metaph. omnia videbis, sed bene examinabis cuncta. 13. *Accidentia sunt simplicia 8. Met. quæst* 1.

Sequens de compositione materiæ et formæ, et resultatione tertiæ entitatis tacta est supra, particula *de materia* ad finem, et in sequentibus dubiis. Et quod ibi tangitur in quæstione habente quatuor membra, potest dici ut dixi supra : videtur enim quod primum membrum et tertium sint impossibilia, nisi *informare* dicatur *efficere*, quod non videtur, ut supra in universalibus conclusionibus dictum est, quære hic Formalistas, et Nominales. Vide super primo Physicor. et 2. et 5. Metaph. bene ponderando.

Quod additur in 15. de quantitate et relatione, quod non sint activæ, limitabis ut scis, bene examinando, et pondera ly *omnem*, ut nosti. Objectio sequens contra secundam partem conclusionis, quæ posset poni corollarium, qualiter currit vide ubi se remittit, et sustineri potest tan- 14. *An omnis forma activa ?*

quam conclusionis in multis. Patet de quantitate respectu qualitatis, et de utraque respectu relationis; limita igitur dictum, ponderando ly *compositum,* et ly *formam.* Quære ubi supra et 12. *dist.* 4. *et in q. Prædicabilium q.* 6. et distingue de multiplici receptione, in commento etiam sequentis 16. declarat se Doctor hic.

An quantitas et relatio sint activæ ? Nota valde ea quæ dicit in commento 16. Vide 7. *q. Quodl. et alibi sæpe*, illa fundamenta, et pondera egregie distinctionem illam de actionibus immanentibus et transeuntibus. Et adverte quod illæ instantiæ, de quibus loquitur in 15. sunt istæ : *non tamen per omnem quantitatem*, etc. quære Averroem et alios antiquos hic.

Quomodo est unum primum in quolibet genere ? Deinde quod tangit, in commento 17. pondera optime, et caste de illa continentia unitiva pertractabis. Vide 8. *dist. prim. quæst.* 2. *principali* optime. Supra etiam in particula illa : *Finis intra*, etc. habet de hac duplici forma. Adde multa hic de perfectione, et gradibus, et excessu entium.

15. Illam 18. sequentem expone ut supra 7. et 8. Metaph. habet. Vide Averroem et alios antiquos 12. *Metaph.* Imaginationem Nicolai Turonensis examinabis de materia prima et compositione accidentium.

Deinde ponit alias conclusiones, utpote 19. et sequentes, referendo vel præsupponendo conclusiones quasdam universales supra. Ubi adverte, quod illa objectio post 19. * potest evadi sustinendo, ut dixi prius, illam relationem fundari super absolutum causæ, licet Doctor supra dixit hanc quæstionem esse bonam, non tamen insolubilem. Vide ubi ibi notavi et considera diligenter instantias, et replicas ut scis, hic. In aliquibus originalibus signantur hic illæ conclusiones per litteras, in aliquibus per numeros consuetudine Doctoris, ut notavi sæpe.

* *Alias post* 18.

In quo fundatur relatio causæ ?

16. Consequenter in 22. pertractat de formis ordinatis in eodem composito singularissime. In aliquibus originalibus habetur in principio commenti sic : *hæc propositio non videtur vera*, etc in aliis sic : *hæc probatio non videtur bona*, et utraque littera potest bene stare. Aliqua etiam non habent illam primam impugnationem usque ibi : *Quare forma ignis*, etc. examinabis illum digressum de pluralitate formarum : sed illa difficultas de forma ignis comparata ad formam aquæ faciliter solvitur, quia istæ sunt specifice disparatæ, ut patet. Prima impugnatio intendit, quod illud quod est in potentia propinqua ad actum, perfectionem actus accipit, hujusmodi est compositum ex forma priori et materia ut dicit, et satis recte.

Est 23.

Quare forma ignis non informat formam aquæ in formatum ?

Deinde remittit ad particulam ultimam infra de perfecto, conclus. 4. Unde etiam potest confirmari illud, quod supra de divisione hujus tractatus in particulas principales §. seu capitula, ut Theoremata notavi, et non habetur in omnibus communiter illa remissio. Vult etiam, quasi alio medio arguendo, quod illa conclusio 4. est contra istam, quia ex sola relatione ad perfectius, minus perfectum perficitur ; ergo non recipit propriam ejus perfectionem in se formaliter, sed tantum terminatur ad ipsam, quod infra ibidem in commento nono declaratur optime. Arguit consequenter contra Nominales, ponentes tot formas, quot prædicata in genere Substantiæ, satis notanter ; sed quod infertur de asino, oportet limitare, scilicet quod velit asinum esse ultimam speciem sub animali. Vel quod loquitur de specialissimis animalis supra asinum dumtaxat, et non absolute. Ultima ratio ibi notabilis est, sed limita eam, ut 11. *dist.* 4. exponit. Quære ad idem *dist.* 43. 4. *q.* 3. optime. Nam hic plerumque utitur fundamentis communis viæ, maxime arguendo. Non intendit ergo quod non sint ponendæ plures formæ in eodem, sed quod non tot, quot prædicata, nec universaliter perfectior est forma imperfectioris, nec formam ut talem, sed compositum perficit et informat superveniens perfectior.

Forma posterior compositum perficit.

Sequitur 23. conclusio quæ conformis 17.

Quomodo intellectiva continet sensitivam est 20. universali supra licet in illa quotatione communiter originalia sunt discorrecta, et est multum notabilis et valde examinanda, in materia de pluralitate formarum, et pondera cum dicit, *inquantum ordinatæ*, et considera quomodo intellectiva continet sensitivam et vegetativam. Nota etiam cum dicit *forma informans,* ad differentiam formæ eminentis, vel unitive continentis, et probationem expone ad unguem. Infert corollarium destructivum 16. universalis supra. Ubi semper adverte, quod illa super qua ibi posui *Extra,* non debet numerari inter illas universales, nam ista 16. est 17. ut habes quotationem, illa scilicet, *causa quanto prior*, etc. Alia multa ibi addat lector.

Vigesimaquarta et quatuor sequentes, de quibus fecit mentionem prius in commento secundo, in quibus posuit litteras, ut *A. B. A. C*, etc. satis difficulter applicari possunt, eo quod illæ litteræ vel omissæ fuerunt negligentia scriptorum, si Doctor eas in originali suo in margine, vel in principio propositionum posuit, aut certe si implicite eas intellexit, ab aliis intelligi non curavit, sed primum credo verius. Unde breviter videtur mihi, quod hic excludit, vel pertractat et exponit quinque ultimas conclusiones universales supra, ita quod 22. appellat *B.* et sic per ordinem. Per *A.* vero in omnibus potest intelligi, vel 21. universalis supra, vel prima conclusio hujus particulæ, *de forma,* aut secunda. Vel forte illa via ultimo recitata, supra in commento 2. conclusionis hujus particulæ. Vel si volueris imaginari has litteras, et propositiones per eas assignatas in commento illius secundæ conclusionis, ubi recitat diversas opiniones et impugnat, poteris probabiliter. Sententia tamen propositionum in se satis clara est. Quærat curiosus lector altius, si potest, ne forte, licet minime reor, Hesiodi vel Empedoclis sermonibus Doctor voluerit hic uti. Hic prolixius immorari in applicatione varia harum, non finit temporis angustia. Unde in summa notandum, quod inter alia valde varie in hoc problemate procedit hic per totum, qualiter videlicet forma prior se habet ad posteriorem, vel potentiale ejus et ad materiam primam ; sed huic ultimæ viæ magis adhærere videtur, ut supra in commento 2. et alibi dixit, omnes tamen viæ sustentabiles sunt.

THEOREMA XXII.

SCHOLIUM I.

Circa tertiam, nota eam intelligi de agente quod repatitur, acceptis in eo aliquibus dispositionibus ei non convenientibus : unde cœli non repatiuntur, nec fatigantur agendo in inferiora. Quod tangit de potentiis animæ quæ fatigantur, locum habet per se in corporeis tantum, spirituales enim per se infatigabiles sunt; hinc post excellentia sensibilia minus bene sentimus, sed non sic post excellentia intelligibilia, in 3. de Anima, text. 7. Vide Doct. 2. dist. 9. quæst. 2. n. 26. Quinta, quod agens sit præstantius passo, habet 1. d. 3. quæst. 8. num. 2. et d. 44. quæst. 2. ad primum, et 2. d. 2. q. ult. in fine, bene ibi respondet ad replicam. Conclus. 6. optime explicat, quomodo agens tam æquivocum quam univocum assimilant sibi passum, de quo Theor. 17. concl. 9. et 10. Vide Doct. locis ibidem in Scholio citatis. Explicat bene quando forma inducta præsupponit contrariam, vel incompossibilem, nempe quando fit per motum, secus quando per mutationem, et explicat claris exemplis. Vide eum 2. dist. 1. quæst. 4. ad 5. De quatuor conclusionibus, quarum mentionem facit in fine, vide Mauritium. De instrumento, de quo est 7. concl. dictum est Theor. 17. concl. 2. vide ibi Scholium.

1. *Omne agens agit aliquo, quod est forma ejus.* 1. 22. princ.

Per hoc probatur definitio animæ 2. de Anima, text. com. 5. et inde. Item 3. Physic. text. com. 17. species aliqua æstimabitur movens. Instantia de intellectu se-

cundum Commentatorem; de caritate secundum Magistrum Sententiarum; de visione beata secundum Thom. 1. part q. 12. art. 2.

2. *Illud quo agens agit, licet sit forma agentis, est tamen in genere causæ efficientis respectu effectus.*

Quo multiplex, instrumentum; forma agentis, et hæc elicitiva determinativa, et hæc imperativa, regulativa.

Agens agendo debilitatur, quando?

3. *Agens naturale per continuationem, vel frequentiam actionis debilitatur.*

Falsum est per se, verum per accidens quando repatitur. Instantia de luminoso illuminante. Similiter agens morale, vel intelligens, fortificatur per frequentiam actionis. Quare etiam potentia una agens intense impedit aliam, 6. Naturalium part. 5. cap. 7. in animatis, et non ita in naturalibus aliis, lux et color? Respondeo, quia in animatis actionem utriusque potentiæ concomitatur actio alicujus tertii, quod non potest ubique intense agere. Contra: sic substantia ignis agit quando color, et quando lux, etc. ergo eadem causa ibi: similiter quomodo semper est sic in potentiis animæ?

Quare agentia naturalia non fatigantur: animata sic?

4. *In artificialibus, ad genus causæ efficientis concurrunt imperans, dirigens et exequens.*

Imperans, dirigens, exequens, sunt efficientes.

Sed per tertium per se est efficiens proximum, per alia duo non: sed quia habens virtutem superioris agentis, sicut Deus se habet respectu naturæ, cui et imperat et eam diritgi. Quis ordo istorum dirigentis et imperantis respectu actionis 8. si tantum esset in isto directio, sine imperio? numquid artifex *O.* 36. scilicet:

5. *Omne agens est præstantius patiente.*

Augustinus 12. super Genes. et Philosophus 1. de Generatione: agere est formæ, pati materiæ, id est, alicujus inquantum habet formam vel materiam; forma nobilior 7. Met. sic igitur sequitur *Omne agens præstantius,* etc. Contra ibidem cap. de Actione: contrarietas requiritur inter activum et passivum, illa est ratione formæ in utroque, non ratione materiæ. Respondeo, requiritur ut quo patitur materia, ut sine quo non in passo unum contrarium, sed aliud in agente requiritur, ut quo agat: similiter loquitur ibi de mutua actione et passione, ubi activum etiam est passivum.

2. Cap. 29. Text. con 53. et circiter. Text. c. Text. con 50. et inde.

6. *Omne agens agit sibi simile, vel assimilat sibi passum.*

Primo de Generatione cap. de Actione. Probatur ibi: quia faciens est contrarium patienti, et generatio est in contrarium; igitur patiens transmutatur in faciens. Hæc probatio non videtur bona, cum generatio possit esse in medium; igitur ex hoc quod generatio in patiente est ad contrarium illius formæ præhabitæ, non sequitur passum assimilari agenti.

Text. con 52. et circiter.

Notandum, quod hîc est ordo conclusionum istarum. Prima est, *agens agit sibi simile.* Hæc est vera simpliciter in univocis, quia simile formaliter; aliquo modo in æquivocis, quia simile sibi secundum virtutem, qua agit. Ex hac sequitur, si simpliciter univoca; igitur et patiens receptivum formæ inducendæ, est ejusdem rationis cum materia agentis. Ultra ex ratione motus sequitur contrarium ter-

Assimilatio formalis et virtualis.

mino *a quo* præesse, extendendo *contrarium* ad omnem formam ejusdem generis naturalis, scilicet ad contrarium proprie, et medium. Si autem actio illa est sine motu, cum mutatione sola, tunc non sequitur contrarium præesse, sed tantum privationem. Difficile tamen et rarum videtur, susceptivum formarum alicujus generis naturalis, nullam illarum actu habere, quia quomodo una abjicitur, nisi alia inducatur, cum natura non intendat privationem per se? Istud verum est in omnibus formis forte inducibilibus per motum, quia sicut sic inducuntur, ita sic abjiciuntur, et motus habet utrumque terminum positivum, sed in formis inductis per mutationem, fallit. Patet de lumine in medio, de specie sensibili et intelligibili, de anima hominis secundum plures formas; igitur redeundo ad primum membrum, patet, quomodo ex univocatione actionis, et ratione terminorum motus, sequitur tertia ultra passum contrariari agenti, et quarta ultra agens repati, in actione cum mutatione non sequitur tertia nec quarta.

Quæ formæ supponunt contrarias?

7. *Instrumento datur forma, qua est instrumentum, et ipsum habens eam cum principali agente, agit sine alia ejus motione, ambo enim sunt una causa efficiens.*

Effectus 24. et 26. generalis et in tabula ad agens de influentia, quia requiritur præsentia amborum, ut sint unum agens, sicut de materia et forma supra 11. quære.

SCHOLIUM II

Hæc concl. 8. tractat de libertate, cujus tres gradus assignat. Primus, quando actio naturalis unius subest voluntati alterius, quomodo omnis actio creatorum, est libera Deo. Secundus, quando libertas est tantum in applicatione, ut in apertione palpebrarum, vel comestione cibi in ordine ad digestionem. Tertius, est etiam quoad continuationem, sed in solis actibus voluntatis, elicitis immediate; mediate autem in aliis, quatenus voluntas potest alias potentias avertere, de quo 2. dist. 42. q. 4. §. *Respondeo ergo* n. 10. De hac materia libertatis, vide Doct. 1. d. 1. q. 3. 4. 5. et 2. dist. 6. q. 2. et d. 7. et 25. et 9. Met. q. 12. 14. 15. Replica, quam facit, satis facile solvi potest ex rationibus præmissis. Quod ait in fine, visionem impediri, etiam recepta in oculo specie, propter nimis intensas actiones aliarum potentiarum, experientia patet. Nec obstat quod dicat 2. d. 42. q. 4. n. 10. actus aliarum potentiarum intendi, quando voluntas tendit in earum objecta complacendo in eis, quia id etiam experientia constat : sed si actibus nimis intensis voluntas sibi complaceret in illis objectis, diminuerentur aliarum potentiarum actus, vel omnino cessarent, ut contingit forte in raptis. De libertate in quo consistat, et an sit in omni actu voluntatis, vide in nostro supplemento de Anima, disp. 3. sect. 14. et 15. Conclusionem decimam habes explicatam Theor. 19. concl. 13. et similiter undecimam ibidem, et concl. præced. 12. vide Doct. 1. d. 39. num. 15. Sed hîc locum habet sensus compositus et divisus, quia pro instanti, quo vult voluntas in sensu composito, non potest non velle. Quod ait 12. concl. solam voluntatem se applicare ad agendum, habes supra Theor. 19. concl. 12. et Theor. 20. et 9. Met. q. 15. Applicatio autem non est aliud ab actu voluntatis, ut ibi habet, et alias passim.

8. *Actio naturalis potest subesse imperio voluntatis.* 3.

Sicut omnis actio naturæ subest voluntati Dei. Similiter voluntarie quis se præcipitat, vel cadit, et tamen naturaliter. Similiter naturaliter quisvidet præsente objecto, et medio illuminato, et tamen voluntarie. Hîc sunt tres gradus. In primo actio naturalis unius, licet

Triplex gradus libertatis.

necessaria respectu ejus, et nullo modo sub ejus potestate, est sub voluntate alicujus superioris. In secundo idem voluntarie imperat, et naturaliter exequitur, ita quod non exequi non est in potestate sua, cum incepit exequi. In tertio semper actus, et continuatio est in potestate volentis. Nota, actio naturalis dicitur naturalis a forma executiva, per accidens est libera, si subest imperio liberi. Nota etiam, quod nulla actio quomodocumque omnino subsit voluntati, non necessario imperanti eam, est necessaria; ergo naturalis actio, quæ subest voluntati mutabili tantum, est ut in pluribus impedibilis. Nota, actio naturalis, quæ subest voluntati, non sic est libera, sicut velle; non enim potest impedire voluntas illam actionem activo et passivo non impeditis, et approximatis quantumcumque tunc imperet oppositum.

Unde actio est naturalis.

Sed potest facere imperando agens non esse approximatum patienti, vel alterum impediri, et per hæc actionem illam impediri; suum autem actum proprium potest emittere voluntas non tantum sic, faciendo agens non approximatum patienti, vel alterum impediri, sed sine utroque istorum: sic salvatur illud Augustini 1. Retractationum cap. 9. et 22. *Nihil in tam potestate volentis, quam velle*, et illud 14. Civit. cap. 23. *Animus imperat corpori facilius quam sibi.* Primum intelligitur quantum ad actum in se, secundum quantum ad præcedentia actum. Facilius enim animus palpebras imperat claudi, ac sic rem non videri, quam imperet sibi non amare quod amat, vel e contra: magis tamen est in potestate ejus non amare, quia illa actio semper dum est, est in potestate volentis in se, ita ut objecto approximato, puta actu intellectivo, et nec ipso, nec voluntate impedita, dimittatur amatio, non sic visio stantibus omnibus præexactis ad *videre*.

Libertas actus eliciti et imperati differunt.

Potest etiam primum intelligi de *velle* quod inest, non de illo quod non inest, quia concupivit anima 4. Psalm. 11
mea desiderare, quod non desideravit. Secundum verum est antecedenter, tam de *velle* quod inest, quam quod non inest, volitio tamen impeditur, et propter impedimentum intellectionis, et sine impedimento. Sic voluntas copulat intelligentiam memoriæ, et convertit cum imperat uti forma in memoria, vel cum imperat omnia impedimenta amoveri, quibus impediebatur talis visus, qualia potuerunt esse intensæ operationes aliarum virtutum, sicut est in dormiente. Sicut etiam species oculo raptim imprimitur, nec tamen videt, quia licet visio sit actio naturalis, et specie recepta, agens et patiens approximentur, tamen visus impeditur agere propter fortem actionem alterius potentiæ quam oportet amoveri, et sic intentione visum copulari rei. Nota, hîc videtur dare voluntati actionem naturalem, sicut datur arti, per quam potest convenientia activa adhibere passivis, ut sic aliquid naturaliter producatur; igitur cum sic sit actio in potestate, sicut et modus agendi, vel intense vel remisse, et e converso: sicut actio

Specie recepta in oculo, quo modo visio impeditur?

talis termini non est in potestate volentis nisi antecedenter, sic nec ejus intensio; igitur oculo non impedito, adhibito visibili non impedito, intensissime videbit, et sic de aliis potentiis, quantumcumque voluntas imperet hoc, vel oppositum. Falsum est igitur, quod dicitur de voluntate, Civit. 14. Ideo probatur, quia si potest minus, et minus potest continue diminuendo nihil agere. E converso probatur, quia plus repugnat principio activo omnino cessare, quam minus agere.

5. 9. *Agens naturale non impeditum agit secundum ultimum suæ potentiæ.*

Sicut enim agere non est in potestate sua, sic nec intense, nec remisse agere.

10. *Agens naturale (multo magis de voluntario) non impeditum, non necessario agit.*

Nullus actus creatus simpliciter necessarius.

Tunc ex octava, tum septima similiter ex decimatertia universali, tamen pro tanto necessario; quia non est tunc in potestate sua non agere, et ideo ipsum necessitatur, non est necessitas simpliciter. Tamen naturalis tunc determinate semper aget, voluntarium non; neutrum tamen necessario agit nisi in sensu composito.

EXTRA. *Contra hanc* 10. 9. *Metaph. c.* 4. T. c. 10.

11. *Agens non necessarium simpliciter, etiam quando agit, non necessario agit nisi in sensu composito.*

Ubi est *necessitas* concomitantiæ non concomitantis : nam in illo *nunc*, prius est natura potens agere quam agit, et in illo priori naturæ, est potens non agere, et inquantum sic, prius causat actionem, non inquantum agens, quia idem causa sit.

Sola voluntas se applicat ad agendum.

12. *Nullum agens se applicat ad agendum nisi voluntas, sed aliunde applicatur, aut quando agit, aut in productione agentis.*

Quid est ista applicatio? et destructo generante quid facit ipsum ad istam applicationem?

SCHOLIUM III.

Explicat conclus. 19. quomodo actio est causa passionis, de diversis actionis acceptionibus, vide eum de Anima, quæst. 7. ubi in commentario plura de hoc dixi. De 14. ubi dividit potentiam in essentialem, et accidentalem, vide eum 2. d. q. 10. num. 3. et d. 3. q. 8. ad 1. In 16. loquitur de agente principali, ut opponitur instrumentali, large sumendo *instrumentum*, pro causa dispositiva, unde objectio de voluntate et charitate non currit. Vel dic objectum voluntatis esse nobilius, quia latius patens. 19. concl. de instrumento tractata est Theor. 17. concl. 2. vide ibi Scholium. Ad primam instantiam sufficit quod habeat motionem passivam, ut in serra. Ad secundam, illa concl. 24. est 25. Theorematis 19. cui non contradicit hæc, quia catenus causa secunda non movet nisi mota, quia dependet a prima cui subordinata est, sine cujus concursu nihil potest, non quod aliquam mutationem præviam, in se recipiat. Vide Doct. 2. d. 37. q. 2. num. 15. et supra Theor. 19. concl. 12. et ibi Scholium. Ad tertiam, secunda non est immediatior effectui quam prima; instrumentum quandoque immediatione suppositi, non virtutis, immediatius est causa secunda. De 19. quomodo agitur in distans, vide 1. d. 37. et 2. d. 9. q. 2. n. 16. et d. 14. q. 3. In 21. per causam *promptoriam* intelligi puto executivam vel instrumentalem.

13. *Actio est causa passionis, vel motio motus.*

Ut quia movens movet, ideo mobile movetur, falsum videtur, si est idem re, actio et passio, tamen pro tanto accipitur; quia virtus 6.

activa quod est unum extremum, prius est natura ipso effectu, quod est aliud extremum, ideo intellectus accipit prius relationem agentis ad effectum quam e contrario; unde per hoc intelligitur, quod mobile recipit moveri a vi motiva, non e contrario.

14. *Divisio potentiæ in essentialem et accidentalem, non est nisi comparando ad secundum actum.*

Potentia essentialis et accidentalis.

Unde non datur nisi de potentia activa, et dicit defectum alicujus circumstantiæ necessariæ ad producendum effectum, quæ si est tota virtus activa vel pars ejus, tunc tale est in potentia essentiali ad agendum: si extra, sicut in aliquo impedimento amovendo, tunc dicitur agens in potentia accidentali.

15. *Nulla potestas est plene activa, si per suam essentiam in nullum actum, et in nullum objectum potest.*

An agens principale habet nobilius objectum?

Intellige sine aliquo actuante ipsum, non per se, id est, sine instrumento, vel sine passo, vel sine actione alterius prioris agentis, voluntas respectu intellectus.

16. *Agens principale habet superius objectum, ac actum nobiliorem.*

Instatur: Voluntas non habet objectum nobilius, quam habitus charitatis.

7. 17. *Instrumentum vel causa secunda non movet, nisi mota prius naturaliter.*

Igitur recipit actionem prius principalis agentis, quæ non videtur nisi applicatio ejus ad agendum, et ita nullum instrumentum, nullum etiam secundum agens, erit ex se sufficienter determinatum ad actum suum Contra, tunc instrumentum habet actionem propriam contra septimam, de agente secundo, videtur oppositum vigesimaquarta universali conclusione. Item magis videtur instrumentum, 25. Theor. 19.
vel causa secunda esse determinata ad effectum quam agens principale, quia immediatior effectui.

Corollarium.

18. *Nullum agens cujus omnis actio manet in se, agit aliquid per instrumentum.*

Hoc non videtur verum de instrumento conjuncto sicut potentia respectu essentiæ, sicut habitus respectu potentiæ: nec generaliter verum in instrumentis agendi, sed formaliter movendi forte, quia motus instrumenti est formalis ratio movendi aliud, sicut baculus per naturam suam non movet aliud localiter, sed formaliter, quia movetur, tunc instrumentum non movet.

An baculus movet pilam effective?

19. *Non omne agens est præsens suo patienti, vel effectui primo secundum substantiam, nec secundum aliquod esse, sic nec finis illi cujus est finis, sed tantum efficaciter vel virtualiter.*

Ita quod ibi causat, ubi non est, 8.
prout determinat ibi terminum causationis, sicut ibi video, ubi non sum, cum passum non possit esse immediatum agenti, nisi tantum secundum superficiem. Si enim non ageret primo, nisi in immediatum terminum, ageret in superficiem, et illa in proximam, et sic superficies esset sibi immediate in passo, et infinita in actu, quia movens et motum oportet esse actu distincta. Sicut igitur non tantum una pars agentis primo agit secundum totum, sic habet aliquod totum passum proportionatum sibi, quod primo patitur ab ipso, et illi toti est præsens efficaciter, si-

Agens corporale est sufficienter passo præsens, ad aliquam distantiam, licet illud non tangat.

ve in ratione agentis licet non localiter, alias magno agenti, et parvo virtuoso et debili, idem esset proportionatum passivum. Tamen distantia localis dupliciter consideratur : uno modo absolute : alio modo quantum ad ordinem partium. Primo modo impedire potest propter suum excessum, actionem omnis creaturæ. Secundo modo dupliciter, aut quod actio non sit in distans nisi sit in propinquum, sic pertinet ad omnem actionem corporalem, quæ nunquam agit in distans nihil agendo in medium.
9. Alio modo quod actio sit secundum ordinem partium, ut scilicet prius naturaliter transmutetur quod propinquius, et sic nihil transmutabitur primo, et hoc negat decimanona conclusio. Sic ergo distantia nullo modo requiritur ad actionem Dei, qui si non ubique esset, adhuc forte omnipotens esset, et ita posset causare in terra, et non per transmutationem intermediorum, quia tunc non causaret cum distantia omni modo ad actionem corporis, sicut quod determinationem requirit, et ordinem partium ejus ; sic quod semper localiter est immediate præsens suo proximo alterabili secundum ultimum ejus ; sic quod tactus virtualis, non est ibi sine tactu corporali, sicut virtus est corporalis in tactu, inquantum totius secundum aliquid ejus, sic quod propinquiores sunt transmutabiles ab ipso, alias nunquam transmutabit remotas, quia actus ejus est per lineas rectas.

Si Deus non esset ubique, an ideo omnipotens non esset ?

Angelus potest aliquid agere in remoto, nihil agens in medio.

Ad actionem Angeli requiritur determinata, sed non ordo partium, vel non inquantum habens talem ordinem ; potest enim agere forte in distans, nihil agendo in propinquum, sicut in locutione et illuminatione : non enim agit per lineas rectas, sed per conversionem spiritualem intelligendo et volendo, quod enim est approximatio in corporibus, est conversio in spiritibus.

20. *Causa originans non est aliud nisi efficiens, tamen forte tale efficiens, quia consubstantiale, non materia.*

Originans non est causa intrinseca.

Quia tunc aliquid ejus esset pars constituens originatum, et tunc in omnibus præterquam in divinis aliquid substantiæ originantis, auferretur ab ipso per hoc quod actu originat.

21. *Causa promptoria videtur efficiens, non principalis, sed disponens ad hoc.*

Similiter alliciens, vel inducens, similiter consulens in voluntariis, et coadjuvans, multa sunt alia.

SCHOLIUM IV.

Vigesimasecunda conclusio explicat bene quid sit creatio, et quomodo differat a generatione, et quod forma est per se terminus ejus, non compositum. Vide eum 2. dist. 1. q. 2. et 4. et dist. 9. q. 2. et 4. dist. 1. q. 1. fusc. Habet optimam doctrinam in solutione instantiarum. De conclusione vigesimatertia, quæ est potius petitio, dicendum juxta septimam et octavam Theor. 17. quod ad diversas actiones non requiritur diversa virtus, verbi gratia, in Sole ad indurandum et emolliendum. In vigesimaquarta puto eum dicit unam actionem specie convenire potentiæ superiori, loqui de specie subalterna, non infima, et sic ejus exemplum suadet de *intelligere*, respectu intellectus. Vigesimaquinta optime explicat id, *actionis non datur actio*, scilicet quæ sit terminus productus per eam. Quando vero ait quod actio est terminus intrinsecus actionis non productus, sumit

actionem terminantem, pro respectu agentis ad passum,qui resultat ex termino producto. Vide conclusionem primam hujus. In vigesimanona tenendum est plures actus simul esse posse in potentia, saltem si unus non sit perfectissimus, quem elicere potest, ita Doctor 2. dist. 42. quæst. 4. §. *Respondeo,* et 3. distinct. 26. ad quartum pro opinione num. 21. et 4. dist. 49. quæst. 10. in fine. Si tamen actus sit perfectissimus, difficile est quomodo elicere potest alios. De trigesima, vide Theor. 19. conclusionem undecimam. Quod ibi tangit de minimo sensibili, quo scilicet minus non moveret seorsum, vide apud ipsum 2. dist. 2. quæst. 9. num. 30.

Quid creatio?

22. *Creans non est nisi mere de nihilo nullo præsupposito.*

10. Transmutans autem materiam ad formam inquantum talis, non creat, sed generat, etiamsi formam de nihilo produceret : sed si utrumque facit, ita quod formam producat, materiam non transmutando (cujus productionis per se terminus, erit forma non compositum, quia tunc primæ impressiones omnium agentium, erunt creationes, secundum primam opinionem) forte ibi sunt duæ mutationes, una creatio, alia generatio, sicut est in anima intellectiva. Si autem aliud producat et aliud uniat; sive quod idem est, materiam transmutat ad formam; sive quod idem est, compositum producat, uniens dicetur generans, licet non sit forma ab ipso. Forma enim est per accidens terminus generationis, compositum autem per se. Aut nihil omnino novum est, aut tantum a Deo immediate, et ita nulla creatura aliquid operatur, aut aliquid producitur per creationem, cujus nihil præfuit. Et si creatura habet causalitatem super aliquam partem formæ, cujus nihil præfuit, pari ratione super totam, cum tota sit ejusdem rationis, et agens totam habeat in se ; nec tamen creatio, quia non est inter nihil et ens, sed inter privationem et formam, quia creatura inquantum talis absolute fit ens, non alicujus forma, nec materia, illa productione ; quod autem producitur primo per generationem, compositum est et forma per accidens, inquantum aliquid ejus.

Compositum est per se terminus generationis, forma creationis.

Contra : igitur nulla necessitas ponendi animam rationalem creatam, cum ibi compositum per se producatur, et tunc non est creatio, per te. Item, prius naturaliter videtur, quod oportet formam esse quam materiam informare. Item, non magis potens est virtus agentis, super id quod per accidens, vel secundario attingit quam esset si primo attingeret, quia virtus in propinquius magis agit; igitur super formam primo posset agens naturale. Item, si actio est idem cum termino, et prius naturaliter est actio quam ipsa producitur compositum; igitur prius naturaliter est forma quam compositum.

Unde colligitur animam creari.

Ad primum ex his, quæ apparent circa transmutationem corporis humani a privatione ad formam, ubi compositum primo generatur, non oportet forte ponere creationem animæ : sed hoc aliunde probabitur, scilicet quod aliquid nunc est de novo, quod nullo modo cadit sub causalitatem agentis creati. Unde ex medio, quod accipitur de forma ignis, quia aliquid est ejus, cujus nihil præfuit, non sequitur ipsam generari. Ad secundum *falsum est prius,* etc. sed 11.

Anima rationalis prius natura est, quam unitur, e contra de aliis. è converso : ubi tamen creatur, ibi producitur absolute inquantum ens, et postea natura unitur alia mutatione forte. Sic ad quartum, prius enim terminus actionis est compositum, non forma. Ad tertium, bene potest aliquid in aliud per accidens, in quod per se non potest, sicut qualitas activa in aliquam formam alterius generis consequentem qualitatem productam. Contra primum : Deus potest causare aliquid nobilius continens in virtute formam, quæ nullo modo causatur ; igitur illud posset per transmutationem materiæ producere talem formam. Item : modo anima intellectiva est qua homo agit ad dispositionem necessitantem ad ipsam. Item, unde scietur compositum esse primum terminum ? Ad primum : sicut non semper æque nobile potest esse agens univoce, sic nec semper nobilius æquivoce, si talis forma non sit activa : aut igitur forma de qua arguitur, habet de ratione sua, quod quandocumque de novo est, est per se producta de nihilo, et tunc non potest fieri aliquod continens ipsam in virtute activa ; aut non, et tunc potest et conceditur conclusio. Ad secundum : aliquid potest super dispositionem, licet non super formam. Ad tertium : compositum per se ; igitur ab aliquo primo est, de forma non ponetur, nisi necessario concludatur, quare inest isti possibilitas sine necessitate.

Non semper æque nobile potest esse agens univocum.

12. *An ad diversas actiones diversa requiritur virtus ?*

23. *Numquid duæ virtutes activæ ad duas actiones specie, concludunt duas formas realiter, vel tantum duas rationes reales in una forma ?*

Pro primo Damasc. est 3. lib. c. 1.

24. *Superioris formæ et perfectioris, non est nisi una actio specie.*

Sed illa est perfectior, et ad plura se extendens quam actio inferioris, sicut intelligere quam sentire.

25. *Actio est terminus actionis intrinsecus.* *Quomodo actio terminus actionis ? T. c. 20.*

Ut mutatio terminus motus, et sic passio passionis. sed non terminus productus per ipsam, sic intelligatur illud, *actionis non est actio, nec mutationis mutatio* 5. Physicorum.

26. *Actio cujuscumque quando ipsum fit instrumentum, variatur specie ab actione ejus, ut principalis agentis.*

Patet de calore, quando est instrumentum animæ.

27. *Actio non tantum assimilatur principio agendi, sicut terminus actionis.*

Patet in naturalibus, per consequens contra Henricum de assimilatione intellectus, per actum non erit, sicut esset per speciem.

28. *Si formæ sint plures in esse perfecto, et actiones, quia forma est principium sufficiens actionis.*

Propositio videtur falsa, quando forma non est totale eliciens actionis, sicut habitus vel species, sed aliud, ut potentia agit mediante illa, quia potentia deficit. *Quando plures formæ plures habent actiones ?*

29. *Potentia habens actionem coæquatam sibi, sive secundum totum vigorem, sive secundum ultimum potentiæ, non potest simul alium actum habere.* 13.

Probatur de movente aliquod mobile secundum ultimum potentiæ suæ, non potest simul aliud movere. Respondetur, nisi altera illarum actionum alteram regulet, vel ordinet, vel perficiat. Contra : semper arguitur eodem modo, ad

illum alium actum requiritur aliquis vigor potentiæ; ergo non totus exhauritur circa primum actum. Respondetur aliter, glossando propositionem secundum omnem rationem potentiæ, vel secundum formam, quæ mediante potentia agit. Deus videtur tantum secundum portionem superiorem, et tantum per suam speciem, restat portio inferior et alia species. Contra primam glossam : Deus videtur ab intellectu secundum omnem rationem intellectus, alioquin non omnis beatificaretur, et secundum totam virtutem omnis rationis. Contra secundum, si operando per hanc speciem exhauritur totus vigor potentiæ, nihil potentiæ restat ad operandum secundum aliam speciem. Aliter propositio negatur, ignis secundum ultimum sui calefaciendo *A*, potest simul calefacere *B*. Contra : ista virtus *A* sphærice multiplicatur in diversas partes, pone totam secundum unam lineam multiplicari ad unum secundum totum vigorem, nihil restat. Aliter propositio falsa est. Instantia, intellectionem Dei adæquat essentia divina in ratione objecti, et tamen simul aliud intelligit. Contra : hîc non est alius actus, sed idem actus in aliud objectum mediatum.

An potentia possit duos actus simul habere ?

30. *Omnes formæ ejusdem rationis, sunt principia actionum ejusdem rationis.*

Causæ oppositæ habent effectus oppositos, et eædem eosdem.

Aliter minima charitas non sufficeret ad actum suum, nec fides minima. Contra : est minimum sensibile, minus si potest esse per te, non potest agere in sensum, quia tunc sensus posset crescere in infinitum in acuitate. Item, motus tardus ferri ad lapidem non generat ignem, velox generat ; similiter de sono et corporibus sonoris applicatis. Item, minima charitas nullo modo beatificat, nec inseparabiliter unit objecto.

SCHOLIUM V.

Tertiam non asserit, sed in commento pro et contra disputat : quodnam agens agit in se et quod non, late tractat 9. Met. q. 14. Vide ibi Scholium, et secundum et sextum, et loca ejus ibi citata. Additio est subtilis et pulchra, de forma, an illa sit agens primo, et compositum mediante ipsa, et tandem inclinat quod sic. Videtur additio concernere conclusionem secundam Theorematis, seu particulæ 17. licet aliter Doctor hîc citet, quia ordo variatus videtur. Reliquæ citationes hujus additionis difficillime accommodari possunt, forte ideo, quia ordo textus in istis quoad aliqua mutatus est, habet pulchram etsi obscuram doctrinam ; si lector non sistat pedem, nec cerebrum aliquantulum fatigari patiatur, forte ex hac additione parum proficiet.

31. *Nihil agit in se.*

Quia vel idem opponitur sibi, actio enim est ratione contrarietatis : similiter agens est in actu, patiens in potentia respectu ejusdem, similiter quare non quælibet in se? Respondeo, in quadam actione, scilicet æquivoca sufficit contrarietas virtualiter contenti in agente, ad illud quod est in patiente : Sol enim non est contrarius formaliter frigido ; actus primus in quo virtualiter est secundus, et potentia ad secundum, formaliter non opponuntur. Ad tertium, non quilibet actus primus habet virtualiter quemcumque actum secundum, qui inesse potest. Contra primum, actus virtualis stat cum carentia actus formalis ; igitur non 14.

Quæ contrarietas requiritur inter agens et patiens ?

opponitur illi carentiæ. Contra secundum : si actus formalis opponitur potentiæ formali ; igitur multo magis virtualis, quia ille continet actum formalem perfectius quam sit in se. Aliter, quomodo Deus ad nihil est in potentia, tamen tantum virtualiter, etc. Contra tertium, quælibet substantia est perfectior quolibet suo accidente; igitur se movebit. Item, unde probabitur aliquid ab extrinseco moveri ?

ADDITIO. *Juxta conclusionem secundam 22. nota quod quando forma est* quo, *est causa effectus, non alia quam efficiens ; igitur falsum est, quod illud* quo *est instrumentum agentis. Ultra, si compositum non primo efficit, quia aliquo sui ; igitur illud prius, vel ad nullum primum erit hic reductio. Respondeo, reducitur ad primum agens, non ad aliquod primo, quod sit intra. Et ad primum dicitur, quod non est causa, quia non est.*

Contra hoc : tunc non tantum erit non causa effectus, sed nec etiam compositi agentis, quia non est. Contra aliam responsionem : omne prædicatum dicitur de aliquo subjecto primo, quia per accidens, ad per se, et illud ad primum, sicut omnis veritas mediata, ad immediatam; ergo actio specifica ipsius A *de aliquo dicitur primo, non de Deo, patet.*

15. *Duplex primitas 9. Met. q. 14.* *Ad primum istorum : efficiens debet esse ens per se, quia agere præsupponit esse, et quia actio est suppositi. Ad secundum, æquivocatur de* primo *contra partem et contra* secundario, *sive immediate ;* immediate *enim dicitur de composito. Item tertio, ad conclusionem illam : compositum sic patitur per partem, quod sola materia recipit in transmutatione substantiali, in transmutatione accidentali totum primo patitur, quia totum primo factum est tale ; igitur similiter de actione et forma. Item, quæcumque forma separata a materia, est causa propriæ operationis ita perfecte, sicut in materia. Patet de anima respectu* intelligere *et de accidentibus ; igitur inquantum sunt causæ, accidit eis materia. Item, accidens et subjectum non faciunt unum per se ens ; ergo nec per se agens ; igitur si aliquid est ibi per se agens, erit accidens tantum. Respondeo : concedi potest quod accidens est causa efficiens respectu sui effectus, et accidens tantum effectus, quia accidens est per se ens habens suam entitatem complete, et non est essentialiter aliquid alicujus, non sic de forma substantiali, unde simile non concludit. Tamen propter alias duas rationes præcedentes, scilicet tertiam et quartam, potest concedi quod similiter sola forma substantialis primo efficit realiter. De modo loquendi non est disputatio : compositum autem per se, quia per aliquid ejus, et est unum.* *Totum est subjectum accidentium.* *Forma primo efficit non totum.*

EXTRA. *Maxime habent concedere, qui dicunt formam agere in materiam primam.*

Sed compositum ex substantia et accidente per accidens, quia per aliquid sui, sed ipsum non est aliquid, sed aliqua ; quod si materia, nec accidentaliter per accidens, multo magis nec subjectum, sicut universaliter est, comparando partes habentes oppositas conditiones ad totum inquantum denominatur a proprietate unius partis, caput, pes, homo respectu crispi. Tunc confirmantur duæ primæ rationes, quod ad rationem causæ efficientis non requiritur, quod sit ens subsistens, sed actu existens pro accidente vel actu, alias nec essentia divina, inquantum hujusmodi primo causaret. Unde non oportet quod sit actu per actum, qui sit aliquid ejus, forma autem primo est actus, non compositum. Confirmatur : *Efficiens non necessario subsistens.*

quia sicut notatur secundo 20. supra, juxta conclusionem septimam universalem, causalitas efficientiæ est simpliciter perfectionis, non sic causalitas formæ, actus inquantum actus perfectio est.

16. *Et si arguitur, quidquid per se requiritur ad* esse *et ad* agere, *materia requiritur ad* esse *formæ et subjectum ad accidens. Non valet per se causa ; igitur ipsum et effectus, sunt causæ per se ordinatæ* 16. A. *Confirmatur secundo : quia cui immediate inest etiam primo, id est, totaliter inest, alias passio superioris primo inesset inferiori. Linconiensis :* Nihil non causans, etc. neque similiter in habitibus, etc. *observantia* 16.

Theor. 19. *Juxta* 19. 22. et 24. *universalem, et primam et secundam* 17. *possunt esse causæ per se ordinatæ, licet nulla sit causa alterius, faciunt enim unam causam respectu tertii, ita quod prior est perfectior, quasi pars illius totius causæ, secunda imperfectior, et quasi prius sive magis est illud tertium a priori, licet a neutro sine alio, inquantum sunt causæ ordinatæ ; sicut materia et forma causant compositum, et forma magis et perfectius, tamen non sic prius quod possit intelligi causatum ab ipsa, et non causatum a materia. Intelligendo enim ipsum causatum ab ipsa, intelligitur habens actum, et non actus ; igitur habens aliquid aliud quam actus. Sic igitur non sequitur formam habere aliquam causalitatem respectu materiæ, licet sint causæ quasi ordinatæ respectu compositi : sic enim sequitur, priorem causam aliquam causalitatem habere respectu posterioris ; igitur si habet, hoc accipit inquantum est causa superior. Videtur igitur* 24. *universalis neganda, quia causalitas prioris respectu posterioris, facit priorem esse per se causam ejus, non tamen per se*

Ut causæ sint ordinatæ, non requiritur unam esse ab alia.

ordinatam ; etiam dato quod secunda non tantum in fieri, *sed etiam in* esse *dependeat a priori, sicut accidens a subjecto quod tamen non est causa per se ordinata respectu accidentis, vel effectus accidentis quæst.* 16. F. *Universaliter quidquid* A *causaret, si* A *maneret, amoto per possibile, vel impossibile, quolibet alio, et non esset nisi* A. *Hoc dico, quia si maneret sine alio, esset Deus, et ita posset in* C ; *igitur nunc non est causa secunda respectu* C, *non sequitur propter istud si esset tantum* A, *non enim posset* C, *quia* A, *sed quia Deus, in quo includitur, ei accidit, in hoc* A *non est causa.*

Igitur quantumcumque B *sit necessarium, necessitate opposita impossibili, vel incompossibili ad esse* A, *non sequitur* B *esse causam priorem ipso* A, *comparando utrumque ad* C, *nisi* B *ultra hoc, sit necessarium propter actionem* A, *sic quod* C, *sit ab* A *et* B, *ut ab una causa integra et ab* A, *minus et imperfectius, quam ab ipso* B, *non solum intelligitur hoc de* esse *simpliciter ipsius* A, *sed de quocumque* esse *per quod ipsum* A *causaret, quia semper* B *esset causa* esse A, *scilicet quod* esse *causat ; multo igitur magis non oportet in causis ordinatis priorem esse causam alicujus* esse *in posteriori, quod omnino sit accidentale posteriori ad causandum ; igitur influentia causæ prioris in posteriorem respectu tertii, per se loquendo, non est aliqua transmutatio posterioris, nec ipsa aliquid recipit, quia ut arguitur, aliud agens, quidquid esset illud, amota causa priori, et illo manente, posset secundum per se producere effectum, quod est impossibile. Sic licet posterior, isto non recepto indiget priori : et tunc cum non esset, nisi receperit illud, quando causaret, non esset dependentia a prima, imo prima nihil faceret in effectum. Oppositum creditur propter movens et* 17.

Influentia causæ prioris, non est transmutatio inferioris causæ, sed ordo causarum.

motum, quod moveri sit ratio formalis movendi, sed tantum est ordo hujus ad hoc in essendo, a quo tertium, qui ordo communiter est secundum ordinem essendi absolute, nisi quandoque, propter modum essendi A *per transmutationem, sicut Angelus dicitur non causa formæ materialis, cujus Sol est causa.*

An requiratur determinata distantia ad causandum? *Si iste ordo sufficeret, tunc quæcumque distantia localis non impediret. Respondeo : distantia localis hujus causæ prohibet productionem effectus, quia oportet causam præsentem esse virtualiter effectui, similiter illius causæ ; oportet igitur ambas prope esse, non propter se invicem,*
18. *sed propter tertium. tunc* 19. *falsa. Conceditur nisi sicut exponitur ibi, ubi motus est forma instrumenti ; sed prima et secunda* 17. *salvantur, accipiendo* operationem *pro proprio effectu. Unde quod prima sic accipit propriam secundo agenti, falsum est. Unde ista opinio non distinguit inter instrumentum et causam secundam. Si autem* operatio *accipiatur proprie, prout denominat operantem, sic primum habet propriam et secundum propriam. Nota* 9. *Metaph. quæst.* 1.
Potentialitas, potentia, potens quomodo differunt? potentialitas, potentia, potens, *primum mere importat respectum : secundum est denominativum respectu ejus, sed abstractum respectu tertii, quod tertium denominat compositum, medium partem compositi, sicut* principiatio, principium, principians, causatio, causa, causans : *sed non sunt ista propria nomina hîc, sicut in potentia, quæ tamen in illo sensu significant principium ; igitur eadem relatione denominatur immediate pars compositi, et primo mediante parte, et per partem compositum. Exem-*
Quo eadem relatione, qua compositum, principiat. *plum* beatitudinitas, beatitudo *quæ denominat actionem, ut visionem vel dilectionem, cujus essentiam non dicit, sicut nec prædicando finem de ipsa, ultimum denominativum est* beatus. *Tenes igitur, quod* quo *est primum principium, et eodem genere* quo *compositum principiat imo eadem relatione numero cum illa, quæ dicitur de composito, cujus est* quo ; *igitur, etc.*

Contra : igitur per solam relationem A *causat, quia per influentiam ipsius* B, *sive in virtute ejus, quod idem est. Per hoc patet* 18. *universalis : quia posse in virtute est posse, ut pars totalis causæ et conjunctæ alteri parti principaliori, quod non potest sine tali conjunctione. Respondeo : sicut arguitur contra* 14. 20. et 13. 21. *essentia materiæ et formæ non sufficiunt ad hoc, quod compositum sit unum, sed necesse est ipsa intelligi uniri ; et tamen ipsa unio non est aliquid intra essentiam ipsius compositi, quia tunc non esset præcise compositum ex materia et forma. Et de essentia absoluti esset relatio, imo ultima forma ejus : sed tantum materia et forma sunt causæ intrinsecæ, nunquam tamen causant sine relatione unionis, sicut nec causant sine relatione causæ, quæ tamen non est de essentia compositi ; sic hîc prior causa et posterior, nunquam causant sine ordine, nec tamen ille est formalis ratio causandi in altero, sed absolutum, non tamen sine tali relatione, nec dependet inferior a relatione, sed a superiori ad quam habet relationem.* *An unio sit de essentia compositi?*

Contra : igitur compositum est formaliter illud, quod est per relationem ; igitur materia et forma sunt relativa 7. *Met.* G. *Respondeo : sit essentia materiæ* C, *formæ* D, *compositi* E, *dico quod est formaliter per* D, *sicut intelligitur* 14. *et* 20. *et integraliter ex* C D, *non tamen sine relatione, sicut efficienter lignum est calidum per calorem ignis, non tamen nisi sub relatione, quia et ignis primo fuit calidus ; igitur nunc formaliter calefit per relationem, non sequitur. Elementa* 19. T. c. 60. *An compositum constituitur per relationem?*

vero aliqua perfectione absoluta egent, quæ est de essentia compositi. Contra : separatis C D, manent ipsa, et non E ; igitur aliquid est in essentia præter ipsa, ita videtur argui 7. Metaphysic. 6. Item, T. c. 60. *unio C D prior est naturaliter unitate E ; ergo et entitate. Confirmatur : quia non causant nisi ut unitæ, causa prior. Respondeo : separatis separabilibus naturaliter manentibus, ut ibi exemplificat, ipsa manent naturaliter, hæc non, quia separatio hæc est corruptio alterius extremi.*

Quomodo unio prior composito?

Ad secundum, unio prior, ut sine quo, non sit relatio causæ, forte tamen accipiendo E, inquantum compositum, sic refertur ad C D inquantum componentia E, sed compositum est ens per accidens. Contra primum, de anima intellectiva. Item, naturaliter quid valet? quomodocumque enim hoc sunt, et illud non, hæc non sunt tota essentia ejus, quia tunc idem simul esset et non esset. Item ista unio, aut mutatur sine mutatione extremorum, aut in illa separatione oportet ponere materiam mutari, vel formam ; igitur aliquod absolutum prius quod non nunc. De ista materia quære 8. Metaph. quæst. ultima.

An in composito sit tertia entitas ?

ANNOTATIONES.

20. Sequitur illa particula : *Omne agens agit aliquo*, etc. ubi originalia varie habentur quantum ad ordinem propositionum, ut supra in illis universalibus contingebat, transmutavimus litteram melius, quo videbatur ad propositum, ut vides ; si alius ordo convenientior apparebit, eligat discretus lector. Ponitur enim primo loco ab aliquibus illa quam infra 13. quotavi, et sic de aliis. In hac parte regreditur ad agens seu causam efficientem, licet supra in generali pertractavit de ipsa sicut ibi notavi, et nimirum, quia maxime auctores loquuntur varie de agente. Secundum ergo sententias diversas diversimode de eo sentiri potest. Forte etiam ibi magis transcendenter, hic vero limitate vel in speciali, et Physice magis, ut patet in processu. Habito enim sermone de causis in generali, prosecutus est de omnibus in speciali, ut vides ordinate. Omnia tamen ad agens pertinentia, possent sub una particula locari. In hac etiam plures §§. ordinari possent secundum quod diversimode de agentibus, actionibus et modis agendi pertractat, quæ omnia relinquo lectori. Maxime in his propositionibus loquitur assertive, et secundum propriam opinionem, et ubique in via ejus currunt.

Prima est famosa apud eum. Vide in 1. *dist.* 17. *q.* 1. *et* 2. *et in* 2. *dist.* 1. *q.* 1. *et dist.* 8. *q.* 8. et alibi pluries, quam probat ex Philosopho notanter. Et instat contra conclusionem ex Commentatore 3. *de Anima, commento* 5. *et inde*, et alibi sæpe, in fictione illa de intellectu, et non solvit, quia nihil videlicet non meretur aliud, nisi quod primum principium negantes, sententia Avicennæ quod jam experitur in adeptione intellectus agentis cum possibili ad tormenta. Deinde 2. instat ex Magistro Sententiarum *d.* 17. qui posuit Spiritum sanctum esse charitatem nobis assistentem, qua diligamus Deum et non tenetur communiter, licet exponatur curiose ab isto *ibidem*. Tertia instantia est ex Thoma, ubi in littera allegatur, qui negat Deum posse videri per aliquam similitudinem creatam. Quære in 3. *dist.* 2. *q.* 8. ubi impugnatur, et ejus motiva solvuntur.

Agens agit per formam, et instantiæ solvuntur.

Secunda est de *quo* agendi, et est clara et supra tacta, ubi consequenter tangit multiplex *quo*, ut supra etiam de agente habet et posset poni 3. propositio. In originalibus etiam antiquis habetur sub quadam resoluta forma ad modum arborum, sed ad longum ordinavi propter facilitatem impressionis omnia membra declarabis, ut nosti in isto plerumque. 21.

Principium quo agendi multiplex.

Tertia est famosa apud Philosophos.

Quære Aristotelem 1. *de Generatione*, *text. comm.* 51. et alibi sæpe. Et maxime est vera propositio apud ipsum, quando agens et patiens communicant in materia, et hoc est, quod addit Doctor in littera cum dicit : *Falsum est per se, verum per accidens, quando repatitur*, etc. hoc est, ratione materiæ secundum Philosophum et Commentatorem, ubi supra. Deinde instat contra se : sed prima faciliter solvitur ex dictis Commentatoris ubi supra, si vero ponatur materia in cœlo vel corpore luminoso, non tamen suscipit peregrinas impressiones, 1. *Cœli*, *text. comm.* 21. *et*

Quare luminosum non fatigatur agendo ?

22. Vel forte secundum veritatem recurrendum est ad continuationem causæ primæ simpliciter in omnibus, et quoad esse, conservare et agere. Aliam instantiam de agente mobili, *ex* 2. *Ethicor. cap.* 1. *et* 2. *et* 3. *de Anima*, *text. comm.* 7. adducit, et faciliter solvitur, quia intellectus et vo-

Quomodo anima fatigatur ?

luntas sunt potentiæ non organicæ. Et refert fortificari, quoad virtutem et animam, et quoad corpus. Forte enim in eliciendo actus maxime exterius debilitatur totum, licet non anima, nisi inquantum dependet in agendo a potentiis organicis. Plura hic Physicæ considerationis addantur. Movet postea unum dubium notabile de impedimentis potentiarum inter se. Et respondet notanter satis, sed replicat optime. Ad cujus solutionem pondera primo, hinc argumentum ad probandum identitatem realem potentiarum animæ, secus in accidentibus ignis. Deinde tange diversitatem organorum, et ligamina membrorum animalis, et admirationem, et stuporem in animalibus, et imperium potentiæ superioris in agendo, et plura alia, ut scis.

22. *Imperans, dirigens, exequens, quomodo se habent inter se ?*

Quarta est de tribus ordinatis in efficiendo. Primum voluntas ; secundum intellectus practicus ; tertium potentia executiva, et declarat optime, quomodo se habent inter se et respectu efficientis. Ubi ad finem ponitur quædam quotatio communiter, tamen non habetur in omnibus originalibus, forte est ad primum Sententiarum, in materia de ideis : sed quære in tabulis et supra in tractatu creditorum. et in tractatu de primo principio et infra hic *conclusione* 8. et alibi. Quære in materia de praxi in *Prolog. et* 38. *dist.* 1. Bene valeret ibi 38. vel 39. ut applicaretur ad primum Sententiarum, sed reputo quod alio direxit. Pondera quomodo dirigens, nunc præcedit, nunc sequitur imperans.

Agens præstantius passo.

Quinta est famosa de præstantia agentis respectu passi, quæ est Augustini et Philosophi 3. *de Anima*, *text. comm.* 19. quam declarat et probat ex fundamentis Aristotelis, sed plene et resolute 3. *dist.* 1. *quæst.* 7. *solvendo argumenta primæ opinionis.* Tangit etiam idem in 2. *dist.* 3. *q.* 8. *et dist.* 9. *ejusdem*, *et in* 4. *dist.* 41. *q.* 2. Quære alibi sæpe, ut scis. Objicit consequenter ex Philosopho, et solvit singularissime, ubi littera satis clara est.

23. *Duplex assimilatio, et actio.*

Sexta est de similitudine agentis ad passum ex Philosopho, ubi allegatur, et 2. *de Anima*, *text. comm.* 62. et 3. *de Anima*, *text. comm.* 37. *et inde*, et alibi sæpe. Adducit probationem Philosophi, et instat notanter contra. Deinde declarat egregie ipsam, et quomodo ordinate dicta Aristotelis ibidem procedunt. Ubi adverte de duplici assimilatione, formali videlicet et virtuali, de qua etiam supra pertractavi, et duplici actione per motum videlicet, et mutationem, et terminis utriusque, et tange ibi de terminis motus et mutationis, ut habet in 2. *dist.* 1. *quæst.* 3. *solvendo* 3. *principale*, *et dist.* 2. *ejusdem*, *q.* 7. *ad finem. et in* 4. *dist.* 10. *q.* 1. *et* 2. *et in Quodlib. quæst.* 10. Addit etiam notanter de facto saltem, et naturaliter de possibili, quomodo susceptivum formarum ejusdem generis, naturalis seu Physici, est sub una vel alia earum semper, et infra in motu naturali, concomitantur se termini post, et termini concomitantes, non posito miraculo, secus in mutationibus, ut exemplificat tripliciter notanter. Ibidem etiam tangit triplicem contrarietatem conformiter dictis Philosophi 5. Physicorum. Attende optime ad id, quod dicit de anima

Triplex contrarietas.

hominis. Nam si ponatur forma corporeitatis alia ab intellectiva in homine, tunc inductio intellectivæ non est mutatio ; si non, est, et est singulariter advertendum, et potest applicari aliqualiter contra Thomistas. Vide in 4. *ubi supra, et distinct.* 1. *quæst.* 1. *et* 43. *distinct. ejusdem, quæst.* 2. *et* 5. *et in* 3. *distinctione* 2. *quæst.* 3. *et distinct.* 7. *ejusdem, quæst.* 2. *et in* 2. *distinct.* 17. et nota quod illæ quatuor conclusiones, quas recitat in littera, sunt ista 6. et præcedens tertia, et aliæ duæ in probatione istius ex Philosopho.

Septima de instrumento patet supra de agente, et ubi remisi ibidem, et de multiplici acceptione *instrumenti*. Illæ quotationes ibidem 24. etc. usque ad finem, non habentur communiter in originalibus, sed satis bene currunt. Cum dicit in fine, *supra* 11. adverte, quod est 11. principalis supra, ut litteram ordinavi, et satis recte per totum. Credo, quod affuit numen Scoticum ubique, sed communiter in omnibus originalibus, non ponitur ista hic.

24. Octava est valde notabilis de imperio voluntatis, ubi probabiliter posset poni principium particulae, nisi propter dependentiam et allegationes sequentes, quam declarat tripliciter, ex quibus infert triplicem gradum actus naturalis, sub imperio voluntatis, et totum clarum, sed maxime notandum.

Deinde ponit pulchra notanda per ordinem. Primum est, a quo dicitur actio naturalis. Quod tamen limita et declara, ut in 2. *dist.* 2. *quæst.* 10. *et dist.* 18 *ejusdem, et in* 4. *dist.* 43. *quæst.* 4. *et alibi*, sæpe habet, et pondera quod dicit de libero per accidens.

A quo actio dicitur naturalis?

Secundum notandum, quod aliqui conclusionem assignant, est de impedibilitate actionis naturalis talis, ubi tange plura de libertate voluntatis creatæ et increatæ, ut scis.

Tertium notandum est, quod etiam aliqui conclusionem assignant, de comparatione actus liberi naturalis eliciti a voluncate, et imperati ab ipsa, et est merito notandum, quia singularissimum et in multis locis applicabile. Ubi duo dicta Augustini exponit et declarat, et inter se comparat, et originalia fuerunt ibi vitiata communiter, bene tamen ordinavimus cuncta. Quære 3. *dist.* 1. *q.* 4. et in materia de lib. arbitr. in 2. et alibi sæpe, ut 2. *Physic. et* 9. *Metaph.* De motu etiam gravium et levium, et projectorum et hujusmodi potes hic pertractare, et e contra.

De actu libero elicito, et imperato.

Quartum notandum, quod similiter conclusio ponitur ab aliquibus, est impugnativum quodammodo præcedentium, sed patet quod non est simile de arte et voluntate, sicut nec de intellectu, apparenter tamen arguit. Ex præcedentibus tamen de gradibus illis, et tertio notabili patet ejus solutio. Illa quotatio in fine varie habetur, nam aliqua originalia videntur quotare illam conclusionem 8. vel 7. supra : *Actio naturalis*, etc. sed satis bene applicatur ad illud Augustini *de Civitate* 14. ut ordinavi. Ultimo arguit pro veritate notabilis 3. et illius dicti Augustini, satis efficaciter. 25.

Nona conclusio procedit ex 9. *Metaph. text. com.* 10. *et* 1. *Cœli, text.* 116. limita tamen ut supra in 9. Metaph. habet. Vide 1. *dist.* 1. *quæst.* 4. 8. *et* 10. *dist.* 1. et alibi sæpe ad hæc, ut supra plerumque notavi.

Decima videtur contraria 9. sed non est, si recte advertes. Ponderabis propter ly *necessario* additum in 10. quod non habetur in 9. et remittit se ad præcedentia, ubi varie originalia quotant, sed satis bene habes. In dies omnes istæ quotationes litteram intricantes depurabuntur, quia humana ingenia ad micrologiam inclinantur, utinam potius veritatis subtilius cribrandæ, quam æris abundantius cumulandi zelo, considera. Declarat satis abundanter non repugnantiam hujus conclusionis ad præcedentem tacite. Illa objectio ad finem ex 9. Metaph. non habetur communiter in originalibus, ideo *Extra* notavimus ipsam ; solvitur tamen faciliter ex

Nulla actio creat simpliciter necessaria.

dictis, quia tantum de necessitate secundum quid, et de facto procedit. Adde ad hæc plura, ut expedit. Aliqua originalia habent ibi : *contra hanc* 12. ubi habes 10. forte propter alium ordinem conclusionum, ut prius notavi.

26. Undecima satis copiose supra in universalibus conclusionibus 12. et 13. pertractata est, ad quam se remisit ibi et ad alias hic circiter. Quære in doctrina hujus, ut ibi notavi. Ubi adverte in commento de duplici necessitate, ut sæpe habet iste, et maxime 39. *distinct.* 1. *et* 1. *distinct.* 2. ad propositum, et potest vocari necessitas concomitantiæ, vel consequentiæ indifferenter.

Quid est applicatio causæ ad agendum? Duodecima est de applicatione agentis ad agendum : et est singularis et bene examinanda, de qua etiam supra fecit mentionem, saltem implicite. Movet dubium in commento de ista applicatione, de qua loquitur conclusio, et non solvit. Et ibi multa possent adduci. Vide 2. *dist.* 2. *q.* 10. *et super* 7. *et* 8. *Physicorum*, de motu gravium, etc. posset breviter dici, quod est in applicatione seu in conjunctione causarum, vel ordine sive dependentia, nam omnia diriguntur et applicantur a prima per cognitionem, et voluntarie causante et applicante. Sed hoc pateretur instantias in doctrina hujus. Quare dic altius, distinguendo de applicatione, et investigando utriusque causam, et totalem, et partialem.

De distinctione actionis, et passionis. Decimatertia est de actione et passione, ubi posset etiam principium particulæ poni, et accipitur ex 3. Physicorum, et primo de Generatione, et Auctore sex Principiorum, quam egregie declarat, dando instantiam ex communi modo dicendi. Examinabis cuncta ex Logicalibus, et Physicis et Metaphysicis considerationibus. Quod tangit de relatione actionis et passionis, ubi notanter dicit : *Ideo intellectus accipit*, etc. Pondera, ut habet 1. *distinct.* 2. *quæst.* 2. et alibi, ut ibi quotatur, et supra sæpe tetigi. De distinctione harum vide in 5. *Met. q.* 6. et adde plura hic.

Decimaquarta est de illa famosa divisione potentiæ in essentialem et accidentalem, quæ valde singularis est et examinanda. Quære 8. Physicorum *text. com.* 32. *et* 2. *de Anima*, *text. comm.* 2. et aliqualiter *text. comm.* 55. *et* 60. *et* 3. *de Anima*, *text. com.* 8. 5. *et inde*, quam probat et declarat mirabili solertia. Vide supra *in* 9. *et* 3. *dist.* 1. *quæst.* 7. *et* 2. *dist.* 2. *quæst.* 10. *et* 3. *et* 25. *dist. ejusdem*, *et in quodlib. quæst.* 15. et alibi sæpe ad hæc. Adde instantias ex considerationibus Physicis, ut scis. Pondera ibi duplicem circumstantiam necessariam ad agendum, et similiter duplex impedimentum. 27. *Potentia essentialis et accidentalis explicantur.*

Decimaquinta est de potentia plene activa, ubi nota ly *plene* quam egregie exponit. Ubi etiam attende cum dicit, *non per se actuante*, etc. In fine in aliquibus originalibus habetur, *voluntas respectu intellectus*, et sic posuimus. Quod applicabis, vel ut exemplum ultimi membri in declaratione conclusionis, vel tanquam objectionem contra activitatem voluntatis; et sic, considera quid juris, et an faciat pro opinione Thomistarum de prærogativa intellectus. Vide 4. *dist.* 49. *quæst.* 4. et alibi pluries. Vide Var. et sequaces hujus. *De potentia plene activa.*

Decimasexta comparat agens principale ad secundarium, vel instrumentum. Et instantiam adducit, comparando voluntatem ad charitatem, præsupponendo voluntatem esse principale agens, in eliciendo actum. Et licet posset solvi distinguendo de agente secundario, vel instrumento, conjuncto videlicet, vel separato, altius tamen investigabis veritatem præsuppositi ex 17. *distinct.* 1. ubi habet, quod charitas est principale uno modo, licet voluntas sit tale alio modo, et potest ponderari, quia valde sapit. Quære alia ad hæc. 28. *An voluntas sit causa principalis actus charitatis?*

Decimaseptima est de motione vel determinatione instrumenti, vel causæ secundæ ad agendum, et est notabilis et supra sæpe tacta. Ex qua infert corollarium duplex. Et objicit quantum ad instrumentum

ex dictis supra 7. hujus particulæ. Unde infert, quod illa est de numero conclusionum hujus partis, et etiam quod continuatio conclusionum bene ordinata est. Quantum vero ad causam secundam, recurrit ad universalem 24. quæ tamen 25. est, ut supra ordinavi numerum, propter illam quam superaddidi, quæ est *Extra*. Secundo directe objicit contra dicta et non solvit hîc, quia consuetudo ejus est, ubi non tangunt argumenta, et ex aliis jam declaratis faciliter solvi possunt, non amplius de eis curat, et in hoc sollicitum reddit lectorem. Sed istæ objectiones faciliter solvuntur ex dictis. Vide 1. *quæst.* 4. *et* 37. *dist.* 2. *et supra de primo princ. et* 5. *et* 2. *Met. et* 2. *distinct.* 1. et alibi sæpe ad hæc. Unde non valet, est immediatior effectui; ergo determinatior ad agendum. Ubi tamen potest distingui de immediatione entitativa, vel virtuali, et de determinatione multiplici, ut prius notavi. Plura hîc adducat ingeniosus lector.

An causa immediatior effectui, est magis determinata?

29. Decimaoctava, quam tamen in aliquibus originalibus corollarium præcedentis assignant aliqui, et præcedit objectiones præcedentes, et littera varie sequitur hîc. Nam illa septima supra ponitur post istam ad finem commenti, ibi : *tunc instrumentum non movet*, etc. sed ordo iste placet, licet alius esset satis conveniens ; est de agente actione immanente, a quo negatur instrumentum, quam tamen singularissime limitat, distinguendo de instrumento conjuncto et separato, et agendi atque movendi. Ubi pondera ly *formaliter*. Paucis multa dixit et exemplificat clare. Quære ubi supra notavi, ut 1. *et* 6. *dist.* 4. ad hæc. Multa hîc pro et contra, adducat diligens lector, quia capit instantias et plures pulchras subtilitates hæc materia. Quære antiquos, ut vis.

Quæ præsentia agentis ad passum primum requiritur?

Decimanona est de præsentia et immediatione agentis ad passum primum, ubi pondera ly *primo*, et est multum notanda in considerationibus Physicis transmutationum et motuum, et hujusmodi. Quam declarat mirabili discursu. Ne tamen videatur repugnare fundamentis Aristotelis 7. *Physicor. text. comm.* 8. *et inde*, et alibi sæpe, distinguit de præsentia locali et virtuali, et de distantia locali suo modo, et qualiter impedit, et quando, et cujus actionem, loquendo de Deo, Angelo et corporali agente. Ubi introducit de omnipotentia Dei et ejus immensitate cum *forsan*, quoddam notabile dictum, ad quod determinate intelligendum, vide in 1. *dist* 37. et maxime in Reportatis. Consequenter ibi pertractat qualiter distantia requiritur in agente corporali, et cum quibus conditionibus, egregie. Deinde qualiter requiritur in Angeli actione, breviter et Scotice.

Ad quod copiosius considerandum, quære in 2. *dist.* 9. ad longum, et 14. *distinct. ejusdem*, *quæst.* 3. 2. *etiam dist. ejusdem*, *quæst.* 5. Vide etiam in 4. *dist.* 45. *et* 49. *et* 50. *quæst.* 3. *et in* 3. *distinct.* 14. *et super.* 4. *Physicorum.*

Attende insuper ibidem ad illam quotationem, cum dicit : *et hoc negat*, ubi habes 19. et debet referri ad hanc eamdem. Alia originalia habent 20. et ita forte supputando alio modo ista, esset 20. Alia etiam habent 29. et posset referri ad illam infra hîc quotatam 29. vel forte voluit intelligi supra, quære curiose ibidem, sed satis bene jacet littera. Quære specialiter ad propositum hujus conclusionis in 2. *distinct.* 2. *quæst.* 9. *solvendo* 2. *principale ad finem.* Quod ibi ultimo tangitur de locutione et illuminatione Angelorum, et actione per lineas rectas et per conversionem, vide in 2. *distinct.* 9. *et* 13. et in Perspectiva, ut volueris 30.

De locutione, et illuminatione Angelorum

Vigesima est de causa originante, quam dicit reduci ad efficiens. Unde elici potest, quod in hac particula, ut prius notavi, agit de efficiente. Ubi adverte, quod originans aliquando est alterius naturæ ab originato, et communiter in omnibus ita est, præterquam in divinis, et hoc vel alietate numerali, vel essentiali. Aliquando vero est ejusdem naturæ in numero et consubstantiale, ut in divinis Vide 5.

Originans semper in creatis, alterius naturæ ab originato

distinct. 1. *quæst.* 2. Adde multa Physice et Theologice ad hæc. Attende etiam caute, quo modo in divinis potest dici efficiens, juxta ea quæ habet iste 3. *dist.* 1. *q.* 7. *et* 25. *dist.* 2. *et supra* 9. *Metaph. q. penult.* de relatione efficientis : sed dic, ut supra dixi, quod extensive accipit *efficiens* pro *producente.*

Vigesimaprima est de alio modo causandi, ubi aliqua originalia habent *promptoria*, alia *instrumentalis*, breviter vult quod omnia hujusmodi reducuntur ad efficiens. Exemplifica in artificialibus, et naturalibus, et politiis et hujusmodi ut nosti.

31. Vigesimasecunda est de alio speciali modo efficiendi, saltem extensive loquendo, qui est creare, quem modum ponunt Theologi, et negant communiter Philosophi. Ubi investigat optime quid sit terminus creationis, et a quo potest produci, scilicet quod a solo Deo. Ponitur in aliquibus originalibus ibi quædam littera, quam non habes, nec refert, quia non est necessaria, quæ sic incipit : *Philosophus videns*, etc. Vide copiose ad hæc in 2. *dist.* 1. *q.* 2. *et* 4. *et dist.* 9. *et* 17. *dist. ejusdem*, pro opinionibus quas recitat, maxime cum dicit *secundum unam opinionem*, etc, et 1. *q.* 4. Vide etiam in 3. *dist.* 11 *q.* 1. optime, et in 1. *dist.* 17. Quære supra in 7. *q. de rationibus seminalibus, et* 18. *dist.* 2. *et alibi pluries.* Vide antiquos Philosophos et Theologos. Attende quod illa littera, *sive quod idem est, materiam transmutet ad formam*, non ponitur communiter, nec necessaria est. Ibi etiam habes qualiter homo generat hominem, licet anima creetur quod bene notandum est, sed instantias considera, qualiter potius potest creatura attingere ad unionem formæ, quam ad ejus productionem primam originem, sed hoc infra Doctor non omisit. Ibi etiam est via impugnandi positionem de inchoativis formarum. Ibi etiam notabiliter habetur, quod terminus creationis non est forma, ut forma, sed ut tale ens, ubi instantias diligenter exclude, ut etiam Doctor ipse in sequentibus tetigit. Multa alia ibi paucis tetigit Aquila per prope Solem. Breviter, vult quod transmutans materiam ad formam, inquantum tale, non creat formam, nec etiam non transmutans, si producendo formam, simul natura uniat eam; nec uniens ut tale, est creans; nec ideo non creat, quia aliquid formæ præsupponit; nec si totam producat materia privata concurrente, quia termini non sunt purum nihil reale et ens, sed privatio et forma. Relinquitur ergo cum creatura non possit aliter producere, quod solus Deus creat. Vide 1. *q.* 4. resolute et ubi supra, et tange instantias Philosophorum.

Creationem aiunt Theologi et negant Philosophi.

Quis creationis terminus?

Termini creationis purum nihil, et ens.

32. Consequenter contra dicta objicit tripliciter. Primo, quod sequeretur animam intellectivam non necessario creari, cum ad ipsam transmutetur corpus, et totum cujus est pars, generatur, et est efficax satis argumentum, ut patet. Secundum, et quartum argumenta ostendunt ex dictis posse inferri omnem formam creari, si illa est ratio, quod productio animæ, quia prior natura productione compositi, ideo non est generatio, sed creatio. Tertium est notabile, ut tetigi prius, quare scilicet agens creatum unire potest formam a Deo immediate creatam, vel productione totius ipsam producere, et non per se, vel seorsum ipsam creare? Ad primum singularissime respondet, declarando, unde probatur animam intellectivam creari, et unde non, vide in 4. et alibi ubi supra. Illa littera sequens, ubi declarat solutionem et confirmat, potest bene intelligi, ut jacet, referendo ly *ejus* ad materiam ignis, vel ad tertiam entitatem, vel alio modo posset sic stare, quia aliquid est ejus, vel præfuit, excludendo videlicet opinionem de inchoatione formarum, vel loco ly *generari*, ad finem pone ly *creari.* Ad 2. et 4. respondet optime, ponendo differentiam inter productionem formæ creatæ et generatæ, quoad prioritatem naturæ respectu totius productionis, et est ubique notabilis, et sic Philosophus negaret animam creari, quia non prius, etc. ubi notanter redit ad prius dic-

Unde constat animam rationalem creari?

tum de forma ut forma, et de forma ut ens, quæ sunt valde notanda.

33. Ad tertium solutio clara est : sed exemplum examinandum, si loquatur de forma alterius generis, utpote substantiæ, sed exempla ponuntur famose : considera omnia diligenter et instantias exclude. Replicat dupliciter specialiter contra primam solutionem, et tertio contra solutionem quartæ objectionis, et alias sæpe dictum de termino primæ actionis. Ad primum respondet valde eleganter. Quære in simili *quæst.* 1. *Prolog. et* 3. *dist.* 1. *q.* 1. *et* 3. *et* 14. *quæst. Quodl. et* 3. *distinct.* 2. *quæst.* 7. *et in* 4. *quæst.* 1. *et alibi sæpe.* Ad 2. et 3. satis patet, et clare, et notanter, ubi adverte in responsione 3. quod intendit Doctor breviter ponere differentiam inter *esse* per se, perseitate tertii modi compositi et *esse* formæ, quia primum est verum de facto et possibili : secundum, et si de possibili, non tamen de facto, nisi tantum de intellectiva, quod multi negarent. Et quod ibi finaliter tangit de possibilitate et necessitate, examina et adde ut expedit. Ex his enim resolvuntur multa, alias sub dubio omissa consuetudine Scotica.

Deinde prosequitur notanter de actione per totum, ubi etiam conclusiones notavimus ordinate. Vigesimatertia est tanquam quæstio, vel dubium, aut petitio, quæ tangit duo membra, et est problema satis commune. Vide de potentiis animæ 16. *dist.* 2. sed considera quid dicendum de Sole constringente et solvente, vide supra particula 17. conclusionibus 7. et 8. ad hoc expresse allegat Damascenum in 3. libro, et quotatio C, nunc omittitur, nunc alio et alio modo habetur. Quære eum c. 3. et 14. sed expresse 15. facit sermonem pulchrum de actione.

34. Vigesimaquarta videtur repugnare 7. supra particula 17. sed considera bene qualiter hinc inde loquitur, et de qua forma, et de qua specie ; ibi enim loquitur de agente illimitato, hic de forma, quæ multum differunt. Exemplum de *intelligere* posset impugnari, si intendat omnes actiones intellectus esse ejusdem speciei. Nam *dicere* et *intelligere*, sunt alterius rationis, ut patet. Ideo aliqui, et probabiliter, volunt quod intellectus non habet aliquem unum actum adæquatum ejusdem rationis, nisi actus intellectus vocetur actus indifferens ad *dicere* et *intelligere*, sed forte loquitur extensive de *intelligere*, vel loquitur de actionibus absolutis proprie immanentibus. Plura hic adjungat diligens veritatis inquisitor.

Vigesimaquinta est valde singularis et notanda optime. Vide in 2. *dist.* 2. *q.* 4. *ad finem solutionis*, expresse ad propositum, et *q.* 9. *ejusdem*, *dist. et super* 5. *Physic.* et pondera duplicem terminum actionis, et qualiter exponit dictum famosum Aristotelis.

Vigesimasexta videtur repugnare 6. particulæ 17. Ibi tamen satis correxit illam in commento, patet, quod hic accipit *instrumentum* extensive. Examina etiam bene illud exemplum, quod adducit de calore, ut prius notavi. Quid etiam requiritur ad specificam differentiam actionum, considera.

Vigesimaseptima comparat actionem et terminum ejus secundum assimilationem ad principium agendi. Exemplum de calefactione et calore comparatis ad principium calefiendi, sive sit calor, sive forma calefacientis. Infert corollarium contra Henricum. Vide 3. *dist.* 1. *q.* 1. 3. *et* 6. *et* 3. *dist.* 2. *q.* 8. *et* 9. *et inde, et alibi sæpe*, considera ubique quomodo accipit *actionem* hic : de similitudine etiam, vel formali, vel virtuali, potest fieri vis, alia multa adde.

Terminus similior causæ, quam actio ejus.

Vigesimaoctava varie habetur in originalibus, sed satis bene ordinavimus eam, ut hic habes. Vide quæ faciunt ad propositum 3. *dist.* 1. *q.* 7. *et* 15. *dist.* 4. et alibi plerumque. Non obstante enim quod plures species vel habitus, ponantur in intellectu vel voluntate, non tamen tot actus, vel actiones simul. Quære 2. *Topicorum.* c. 25. ubi etiam pondera ly *perfecto* et ly *sufficiens*, et quomodo potentia deficit, et

alia multa 17. hîc. Vide *dist.* 1. *et in moralibus.*

35. *An actus adæquatus excludit omnem alium?* Vigesimanona videtur currere juxta dictum Philosophi 2. *Topicorum, ubi supra, et* 1. *Cœli, text. com.* 116. *et* 7. *Physicorum*, *et* 2. *Cœli*, et alibi plerumque de potentia habente actionem adæquatam, intensive et extensive, quam probat et instat, seu limitat, et impugnat limitationem, et consequenter glossat dupliciter, et impugnat utramque glossam. Deinde adducit duas alias evasiones falsificando propositionem, et utramque impugnat, et ita finaliter tenet veritatem ejus. Ubi totum processum valde notabis, quia multa difficilia et ardua elici possunt. Vide 24. *dist.* 2. *et* 15. *dist.* 3. pro his, quæ tangit de portione inferiori et superiori. Quære etiam 3. *dist.* 1. *part.* 2. et specialiter in *Reportationibus, et* 2. *et* 5. *quæst. Quodlibeti, et* 13 *et* 14. *dist.* 3. *et* 49. *et* 50. *dist.* 4. *et* 14. *et* 15. *quæst. Quodlibeti*, ad hæc. Tange etiam ibi, an alio actu videtur essentia, et alia in ipsa ab intellectu creato. Pondera instantiam de intellectu animæ Christi.

Trigesima est de propositione, seu uniformitate formæ et actionis, quæ etiam notabilis altercationis est, contra quam instat pulchre. Primo vero brevibus eam probat, inferendo ex ejus opposito inconveniens. Quod tangit in prima instantia de minimo sensibili, quære copiose in *de Sensu, et Sensato*, sed ad unguem in isto
Num. 30. 2. *dist.* 2. *quæst.* 9. et cum dicit *per te*, ubi bene staret *per se*, considera an aliorum opinione, an ad seipsum loquatur.
36. Potest solvi argumentum, recurrendo ad actionem objecti in se, et potentiæ perceptibilitatem, et partialem activitatem si ponatur. Aliud quod tangit de motu, est examinandum bene. Vide 2. *dist.* 1. *p.* 2. de productis univoce et æquivoce, et Aristotelem, et Commentatorem. Quære ubi ibi quotantur, et similiter de charitate minima, ubi ponderandum, an magis et minus variant speciem actus beatifici et viatoris, et quæ ibi concurrunt, et quid facit approximatio talis et talis objecti. Vide 17. *dist.* 1. *et* 49. *dist.* 4. Quære in 3. in materia de spe et charitate plura ad hæc. Forte vult omnino impugnare propositionem, sed videtur bene sustinenda; quare breviter dicendum, quod est uniformitas rationis actionis, sicut et formæ ubique, inquantum entitas actionis habet attendi præcise in ordine ad formam, licet possit variari propter variationem concurrentium cum forma, quæ et quot sint, considera. In aliquibus originalibus additur quædam remissio adducta supra ad finem hujus, sic: *Item* 6. 133. *improbatur.* Ubi nota, quod aliquando quotat omnes conclusiones a principio, aliquando particulas principales et certas earum, recurrit etiam ad alias dicta. Quære tabulas Physicorum, et quæstiones ibidem plura addendo.

Trigesimaprima, et ultima est famosa apud Philosophos et Theologos de via communi, saltem de actione, videlicet ejusdem in seipsum. Ubi adverte, ut prius notavi sæpius, quod nedum famosas in via sua veras, sed in via communi, hîc inservit et coloravit, et impugnavit aliquando et aliquando problematice dimisit, ut videantur motiva utriusque viæ, tu vero perpendiculum stabili digito oppone, et moderabere omnia recte. *An aliquid in se agere possit?* Quære *supra lib.* 9. *quæst. penult.* et ubi ibi quotavi copiose pro veritate hujus. In præcedentibus etiam sæpe idem tetigi. Arguit pro veritate conclusionis inferendo tria inconvenientia ex opposito ejus quæ consequenter solvit, duo prima sub una solutione, tertium vero seorsum infra cum dicit: *Ad tertium, non quilibet*, etc.

Primum inconveniens est, quod idem opponeretur sibi ipsi. 37. Secundum, quod idem esset in potentia et in actu respectu ejusdem. Tertium, quod eadem ratione quodlibet ageret in se, quod est contra experientiam: vel si non, ergo nec aliquid, aut redde rationem diversitatis. Solutiones claræ sunt ex supra dictis. Replicat singularissime contra solutiones,

et nullibi altius ; solve tamen omnia ut nosti, prius bene ponderando. Unde inferre potes id, quod jam notavi, quod hic videlicet fundamenta, pro et contra stabilivit, et postmodum ut apis argumento-

Actus virtualis, et potentia formalis non opponuntur.

sa subtiliora et saniora elegit. Ad primum dic breviter, quod refert loqui de oppositione actus virtualiter continentis, et virtualiter contenti ad carentiam seu potentiam formalem passi et formalem actum quem concomitatur, si inest.

Ad secundum, negatur consequentia, licet aliquando sit minor convenientia, non tamen major repugnantia. Et quod addit, quod continet formalem perfectius, hoc forte posset negari in continente finito. Vel hoc concesso, dicendum ulterius quod nedum virtualiter, sed eminenter Deus omnia continet, qui est alius modus continendi. Vel breviter dico, quod non eo quod virtualiter continet, non est in potentia formali, sed propter aliam causam, quia videlicet summe simplex, sicut Sol respectu caloris, non quia continet, non formaliter recipit, sed quia non receptivus peregrinarum impressionum, 2. *Cœli*, *text.* 21. *et inde.*

38. Ad tertium posset concedi, quod infertur loquendo de motu ad *Ubi*, de aliis vero non sequitur, nisi forma inclinetur naturaliter ad illas, et non dependeat ab aliis in agendo. Vide 1. *Phys corum*, *text. com.* 80. Vocat illud argumentum Achillem alibi ironice, ut scis. Quod finaliter dicit, *quomodo probabitur*, etc. quære responsionem Aristotelis 8. *Physicorum*, *text. comm.* 26. 4. *etiam*, *et* 5. *Metaphysicæ*, *quærere omnium causas*, etc. Plura hic ingeniosus moderator addat, et garrulantium proterviam suffocabit. Numerum vero prædictarum conclusionum, si placuerit alio modo supputare, ordinabit, sed satis recte ordinantur, licet in dies spero si quid deest, supplere.

Deinde sequitur illa littera, super qua additionem posuimus, et satis recte, quæ in omnibus originalibus ponebatur supra immediate ante propositiones creditas, scilicet ante 14. particulam eo modo, quo divisæ sunt, quia vero tanguntur dicta in præcedentibus, ut vides in illa littera, convenientius visum est, quod sequeretur ea quæ recitat et quæ supra dicta appellat, quam præcederet. Aut ergo vitio scriptorum, aut Doctoris originalis transmutatione, aut in marginibus ejus additione hujus litteræ, aut oppositione quoquo modo, ibi communiter habetur : hic nihilominus legatur, si placuerit lectori. Multa notanda continet, fere tamen supra omnia tacta sunt. Pulcherrime ibi se resolvit de ordine causarum requisito in causando, et de unione tam extrinsecarum quam intrinsecarum. Littera satis correcta est per totum, sed bone Jesu cum quanto labore, et mentis angustia, et cerebri infestatione, et maxime circa quotationes quas tangit? Divinatus sum etiam nescio quo spiritu illud dictum Linconiensis quod tangit, ubi omnes libri corrupti fuerunt, et ita in pluribus aliis. Tantum hæsitavi in quotatione illius 16. quam tangit sæpe, sed lector investiget cuncta alte. Remissiones ad quæst. 8. et 9. Metaph. ibi, non te moveant, ut supra notavi, cuncta bene declarando. Ponitur ante illam particulam : *Perfectum est*, etc. in aliquibus originalibus quædam littera longa quam omisimus, quia non communiter habetur, nec necessaria hic, quæ sic incipit : *Dicitur quod finis*, etc.

THEOREMA XXIII.

SCHOLIUM I.

Affert pulcherrimas regulas de ratione perfecti, partim ex se, partim ex Philosopho, cujus loca citat. Vide eum Quodlib. 5. art. 1. ubi declarat descriptionem *perfecti*, et de primo principio cap. 4. num. 3. et 44. et aliis locis, ibi in Scholio citatis, quibus Doctor agit de perfectione simpliciter, conclusiones sunt satis claræ per se, et sua Commenta, de quibus vide notas Mauritii.

23. princ. 1. *Perfectum dicitur, cujus non est extra aliquid accipere.*

1. Hæc communis est ratio, sive in substantia, sive in virtute, sive in quantitate durationis, vel permanente; et hoc sive perfecto simpliciter, ut Deo; sive creata simpliciter perfecto, ut universo; sive hoc, ut speciei certæ, et hoc sequitur.

Quid est esse perfectum?

2. *Perfectum est, quod potest facere sibi simile.*

T. c. 54. et circiter. Quarto Meteororum, glossatur in Prooemio Metaphysicæ, hoc est perfectio virtutis.

3. *Similiter perfectum est, quod habet finem studiosum.*

T. c. 21. Quinto Metaph. hæc est perfectio aliquo modo virtutis, per quam acquiritur finis.

4. *Unumquodque perfectorum, a meliore ipso perficitur relatum ad ipsum.*

Ethicorum 6. commento 9. post.

5. *Qualiter perficientur deteriora, ad melius ipsis, non relata.*

Post.

6. *Unumquodque natum est suscipere melius seipso.*

Hoc suscipiens melius et perfectius fit, non sucipiens manet in imperfecto. Ibidem ante sententialiter.

7. *Non omnis potentia perfectior fit ex operatione sua propria intensa.*

Patet de actu appetitus sensitivi in nobis.

T. c. 64. 8. *Totum et perfectum idem 3. Physicorum.*

2. Quare infinitum, ut est possibile in quantitate, non est perfectum.

9. *Bonum et perfectum idem.*

Quare omnes considerationes tertii Topicorum de meliori et de perfectiori intelliguntur cæteris paribus. Nota quod suscipiens illud, si est ejus perfectio perfectius fit secundum illam perfectionem, non perfectius secundum suam essentiam; materia enim ita perfecte est materia, quando non habet formam, sicut quando habet, non tamen ita perfecta perfectione formæ, quæ est aliquo modo etiam ejus perfectio, sicut forma informati, non sicut intrinseca perfectio intra essentiam ejus. Adhuc minus est subjectum perfectum recipiens accidens. Juxta hoc, nota quod numquam minus nobile propter conjunctionem cum nobiliori, nobilitatur in se, nec materia propter conjunctionem cum forma, nec sensus propter conjunctionem cum intellectu, nec intellectus propter conjunctionem cum voluntate, plusquam sine illis essent. Tamen dupliciter nobilitatur aliquid: uno modo nobilitatione illius cui conjungitur, quæ nobilitatio est ejus aliquo modo, eo scilicet modo quo illud nobilius est causa, vel perfectio minus nobilis. Secundo modo natura facit dispositiones, vel minus nobilia propter nobiliora, et ideo facit ea, sicut congruunt conjunctioni cum perfectioribus; non congruerent, nisi in se fierent perfectiora, quam si deberent remanere sola; ideo sensus etiam in se nobilior in homine quam in pecore.

Materia in se non perficitur per formam, nec subjectum per accidens.

Quomodo aliquid nobilitatur per conjunctionem ad alia?

An sensus hominis perfectior sensu bruti?

10. *Perfectio participata quanto simplicior, tanto perfectior.*

3. Ut esse, quam vivere, Dionysius de divinis nominibus, cap. 1. Sed ens est perfectius, quod plures perfectiones participat, hoc secundum ipsum, ubi est est compositio ag-

gregationis, nec quantitatis, nec distinctionis.

11. *Non simpliciter perfectius est, quod per se, quam quod per aliud.*

Quia creatura perfectius intelligitur a Deo (et tamen non per se, sic quod ipsa sit ratio intelligendi se, sed essentia divina) quam si intelligeretur ab alio, ita quod ipsa esset ratio intelligendi se, ut mens a se secundum aliquos. Tamen in actionibus videtur perfectius per se agere quam per aliud, sicut Deus per se intelligit. Nota, prima instantia videtur deficere, quia in ratione objecti melius est intelligi per se, quam per aliud.

Perfectius per se agere quam per aliud.

Contra : de visione rerum in Verbo, et in se. Respondeo, tam ad hoc quam ad primum, per aliud non extrinsece continens.

SCHOLIUM II.

Quo magis aliquod absolutum est necessarium, eo nobilius, quod intellige, cæteris paribus, alioquin materia esset nobilior forma et composito ; aut forte loquitur in opinione Philosophorum ponentium Intelligentias ita effici, ut a prima sit secunda et ab hac tertia, etc. Sed juxta exemplum, primo sensu locutus videtur. Quod addit, in nullo respectu esse perfectionem simpliciter, verum est, etiam loquendo de relationibus originis in divinis quæ non dicunt perfectionem, ut habet Doctor 1. dist. 13. num. 9. 10. et dist. 26. num. 35. et alibi sæpe, maxime quodlib. 5. Quod ait de simplicitate, quod sit perfectio simpliciter, vide tract. de primo principio, cap. 4. num. 3. et loca ibi citata in Scholio pro declaratione perfectionis simpliciter. De simplicitate, vide 1. di t. 8. quæst. 1. simpliciter nulli creaturæ convenit, ideo in ea perfectio simpliciter esse nequit, cum ejus naturam destruat, in se tamen perfectio simpliciter est.

Scholia hactenus elaborata, magno certe labore et cerebri vexatione, textui in multis satis intricato inserere sategi. Nec pœnitet susceptæ molestiæ, quam spes fructus inde excerpendi, abunde recompensavit. Si quas peragravi difficultates, in initio prævidissem, perterritus forte destitissem, sed quo rudiores reperi litteræ cortices, difficilioresque ejus ingressus, eo delicatiores profundioresque, cum sudore tamen, occurrerunt sensus, minore sane labore et fatigatione in aliquem Doctoris Subtilis librorum, integra edidissem commentaria ; sed malui hunc subire, quo ut spero aliis, quibus plus est ingenii et otii, viam aperui, inoffenso pede, metaphysicalia, hujus Doctoris, qui altius omnibus speculatus est, percurrendi, et si Deus dederit, fructuosius doctrinam ejusdem suis commentariis illustrandi : excuser quæso, si multa pertransierim intacta, scholiasten egi, non commentatorem.

12. *Necessarium in omni absoluta perfectione, est nobilitatis majoris, quam possibile, in nulla respectiva est simpliciter perfectionis.*

Sic intelligendo, quod illud sit perfectius, in quo est respectus necessarius quam possibilis, imo si est ad aliud, semper est imperfectionis, quia ponit aliquam necessariam dependentiam ad aliud, unde nulla talis est in Deo. Potest tamen aliquid esse nobilius in sua natura, quod habet respectum necessarium, alio quod non habet, ut terra tota in gravitate perfectior uno lapide ; hæc necessario deorsum, ille possibiliter, respectus tamen ipse si in se aliqua res est, et perfectio alia a fundamento, nobilior est si est necessaria quam si est possibilis.

4. *Quomodo respectus est perfectio.*

13. Nota, simplicitas absolute est perfectio, sic quod simpliciter melius est ipsum quam non ipsum, sicut quasi est universaliter de omnibus attributis. Quod debet sic intelligi, quantum est ex parte ipsorum, non quantum est ex parte

Quid perfectio simpliciter.

illius, cui comparantur, quod forte destruunt, sicut sapientia repugnat cani.

Simplicitas non semper melior.

14. *Non omne illud, cum quo stat simplicitas in creaturis, est melius illo cui opponitur, nec cui convenit major simplicitas, est melius illo cui convenit minor.*

5. Aliter materia prima esset perfectior composito, et punctus perfectior omni continuo, et unitas numero, et ita universaliter pars toto, quia totum compositum, et tamen totum et perfectum idem,
T. c. 64. tertio Physicorum, tamen inquantum simplicius est melius : sicut non omne incorruptibile, sicut materia prima est simpliciter melius omni corruptibili, puta homine, licet in hoc sit melius, et ideo quia non est tantum una catena in mundo 2. 8. 9. 55. sub.

Simplicitas non est perfectio simpliciter creaturis.

15. Nota, simplicitas non est perfectio simpliciter in creaturis, quia quibusdam repugnat, sicut et sapientia, si tamen posset stare cum natura earum, esset perfectionis in eis.

16. *Eodem modo judicandum est de simplicitate et compositione in spiritualibus, et corporalibus.*

Quantum ad *A B C*, quia ubicumque potest stare simplicitas, cæteris paribus, perfectior est illa natura, sicut est in spiritibus, de simplicitate opposita compositioni ex diversis rebus ; non autem de opposita compositioni intentionum, sive rationum formalium realium et similium talium, quia talis simplicitas cæteris paribus non potest esse in creatura.

ANNOTATIONES.

Sequitur illa particula : *perfectum est*, etc. ubi vir perfectus in perfectione perficere suum laborem recte voluit, ubi pulchras propositiones ex Philosopho et ingenio proprio collegit, quas in plerisque locis tangit et declarat. 6.

Prima ex 3. *Physicorum, text. comm.* 63. *et* 5. *Metaph. text. comm.* 21. *et* 10. *Metaph. text. com.* 13. Quære expositores ibidem, et hunc maxime et specialiter in quodlibeto, *quæst.* 5. *art.* 1. Declarat illam descriptionem seu conclusionem inducendo in pluribus modis, seu speciebus *perfecti*. Ubi adverte caute, cum dicit, *creato simpliciter perfecto* ; videtur enim ibi accipere *simpliciter perfectum* pro universali perfecto, non eodem modo, quo in membro præcedente accepit, scilicet Deo, ut nosti. Unde breviter tangit triplex perfectum, scilicet simpliciter, ut est Deus; creatum, ut est mundus cum omnibus creatis ; particulare creatum seu specificum, ut homo, etc. Quæ perfectio potest considerari, vel in substantia, vel virtute, vel quantitate durationis, vel permanente. Vide supra tractatu de primo princ. de perfectione simpliciter, maxime quære in Quodlibeto *quæst.* 5. *art.* 2. *ratione* 2. optime. Quære Franc. in primo Conflat. *distin.* 34. *et* 35. copiose.

Triplex perfectum, Deus, mundus, particulare. *C. 4. n. 3. 44.*

Secunda propositio, quæ videtur quasi corollarium præcedentis, sed est conclusio : est etiam Philosophi in multis locis, et specialiter ubi allegatur 4. Meteororum ad finem. Quære 7. *Physicor. t. com.* 18. *et* 2. *de anima. t. c.* 34. *et* 49. *et alibi sæpe.* Primo etiam Metaphysicæ in proœmio in 6. conditione sapientis, elicitur. Ubi cum dicit Doct. *glossatur*, considera an suam, an aliorum glossam recitat, verum enim est, quod ipse hoc tetigit optime. Quære *ad finem quæst.* 1. *Metaphysic.* Declarat consequenter, de qua perfectione debet intelligi hæc conclusio.

Perfectum quod generat sibi simile.

Tertia conclusio est ex 5. Metaph. ubi allegatur. Expone, plura addendo, vide 2. *de Anima*, *t. com.* 49.

7. Quarta quæ fuit etiam supra recitata, est notabilis, ubi quotatur communiter lib. Ethicorum, sed varie : quære Eustathium in commento, quem communiter allegat iste, et non Averroem, in moralibus enim minime valuit. Quære 19. *et* 30. *dist.* 1. *et* 12. *Metaph. et* 3. *dist. primi. et* 2. 49. *dist.* 4. *et alibi sæpe.* 9. *et* 10. *Ethicorum* habetur bene ad propositum, sed instantias considera.

Quinta propositio ex eodem commento colligitur, et dependet ex præcedenti, quære 1. *et* 10. *Ethicor.*

Sexta ex eodem commento etiam colligitur, quæ supra in tractatu de primo principio fuit pertractata aliqualiter, quam etiam limitabis, ut nosti copiose ubique, dicta Aristotelis et hujus pro et contra ponderando ; hæ propositiones infra pertractantur post 9. conclusionem.

Quomodo potentia perficitur per operationem ? Septima notabilis est, quæ habet instantias plures in Aristotele et dictis hujus, ubi tamen pondera ly *omnis*, propter potentias defectibiles et deficientes, oportet enim quod sit circa objectum conveniens, et sic de aliis circumstantiis, quia bonum ex causa integra. Vide 2. 3. *et* 10. *Ethicorum.* Declarat propositionem exemplariter, ubi tange de multiplici perfectione, ut nosti, et similiter in præcedentibus.

8. *Totum idem quod perfectum.* Octava propositio est nota, et locus ejus. Vide ubi supra in Quodlibeto notavi, quo modo totum et perfectum aliter in quantitate molis, aliter in quantitate virtutis. Unde Philosophus ubi allegatur, dicit quod infinitum habet rationem partis et materiæ, et hoc ut ipse posuit infinitum, scilicet in potentia tantum, cujus scilicet quantitatem accipientibus, etc.

Nona etiam est famosa, quære ubi prius. Arist. 1. etiam Ethicorum et Politicorum. Ubi attende quod ly *quare*, in hac propositione et præcedente posset assignari corollarium convenienter.

Deinde ponit quædam notanda, quæ sunt declarativa 4. propositionis supra et sequentium, optime, ubi tota littera satis clara, sed valde notanda ubique. Ubi tangit de perfectione duplici, scilicet intrinseca et extrinseca, et dantur gradus in utraque, ita quod eo modo, quo varie dicitur totum, ita perfectum, et perfectio. Qualiter etiam ignobilius nobilitatur ex conjunctione, vel referibilitate ad nobilius dupliciter, et omnia verba mensurabis diligenter, ut scis. Posset illa littera convenienter poni supra post 6. vel assignari additio, optima tamen ubique.

Denique est ex sententia Dionysii ubi in allegatione varie quotatur. Vide in originali cap. illud, quære 1. *quæst.* 4. ad propositum. et 8. *dist.* 1. *alibi plerumque* 3. *etiam dist.* 1. *et* 2. *e'* 14. *quæst. Quodlibeti*, de veritate in communi, etc. Attende ad litteram commenti, quæ varie habetur in originalibus. Aliqua habent *compositio*, alia *comparatio ;* similiter aliqua habent *distractionis*, aliqua *distinctionis:* quære Dionysium et expositores. Ubi tange de multiplici compositione, ut scis, supra sæpe ad hæc plura tacta sunt, instantias ubique ponderabis.

Undecima est singularis : contra quam possent adduci instantiæ ex 2. et 8. Physicorum, sed faciliter solvuntur. Ea quæ tangit de cognitione rerum ab intellectu divino, sæpe prius tetigi. Limitat notanter qualiter nobilius est intelligi per aliud, et per quod aliud, ubi loco *extrinsece*, bene staret *eminenter*, vide 3. *quæst. prologi.* Tange hic multa de cognitione Dei, et aliorum in Deo, et quod aliud est intelligi per aliud, aliud intelligi per accidens.

Duodecima est multum ponderanda, et 9.
maxime in doctrina hujus, nullibi ita expresse declaravit. Pondera ly *simpliciter perfectioris* propter multas instantias evadendas. Quære bene *in* 8. *dist.* 1. *quæst. finali. et* 7. *quæst. Quodlib. et* 1. *dist.* 2. *et* 39. *dist.* 1. et alibi plerumque. Habet duas partes hæc propositio, ut patet. Prima pars de se nota est, secundam vero declarat egregie. Tange fundamenta Philosopho-

rum hîc de necessaria causalitate Dei ad extra. Non obstat huic conclusioni, quod personæ divinæ sint relativæ, quia talis respectus necessarius non est ad aliud, scilicet in natura, licet bene ad alium, vel aliam personam. Pondera de respectu necessario et possibili, et exemplum de tota terra et uno lapide, et instabis ex primo Cœli, *t. c.* 19. *et inde.* Ad finem etiam commenti, ubi de respectu in se, duo sub dubio tangit more suo, ut a principio notavi, scilicet de realitate ejus, et perfectione distinctis a fundamentis declarabis, ut ex dictis hujus alibi scis. Unde breviter aliud est considerare aliquid ut includens perfectum necessarium ad aliud; aliud ipsum in se et natura sua; aliud ipsum respectum in se. Adverte etiam, quod necessitas essendi non videtur arguere perfectionem simpliciter, aliter proprietates hypostaticæ in divinis essent perfectiones tales, ideo notanter dicit Doctor in 2. part. conclusionis *simpliciter perfectionis*, propter perfectionem hypostaticam, si quæ sit ut nosti. Vide 5. *quæst. Quodlib. et* 1. *dist.* 1. *quæst.* 1. *et* 2. Adde hîc plura bene speculando.

Bonum. - perfectum idem.

Personæ divinæ relativæ.

Necessitas, essendi, an arguat perfectionem.

10. Deinde ponit notabile de simplicitate, ubi potest assignari conclusio ut habes, vel omitti ut notabile, et tangit descriptionem Anselmi in Monol. 15. et addit notanter in littera, *sicut quasi est universaliter de omnibus attributis*, quod dicit propter essentialia ad extra. Vide 1. *quæst. Quodlib.* Declarat consequenter aliqualiter descriptionem perfectionis, sed vide ad plenum, ut prius notavi 5. *quæst. Quodlib. art.* 2. *ratione* 2. *principali.* Adde hîc multa ex 8. *dist.* 1. et ex dictis *supra* 7. *et* 8. *Metaph. et in tractatu de primo princ.* quære pro et contra, ut scis.

Consequenter addit aliam, quam 14. notavimus de simplicitate in creaturis, et est notabilis ubique, quam declarat et probat optime. Vide supra, ubi comparatur qualitas ad quantitatem, et ubi ibi quotavi ad propositum. Pondera valde quod ibi tangit de materia prima et homine, et de catenis variis in mundo. Et ponitur ibi communiter remissio et quotatio quædam intricata ubique quæ varie habetur. Considera an summam Henr. quærit, vel Thom. aut Alex. ut notavi supra, an certe ad alia sua dirigit ; sed omittere illa totaliter parum refert, volui tamen omnia apponere pro nunc, in dies depurabuntur singula. Octava etiam dist. 1. tangitur hæc propositio, et alibi in doctrina hujus sæpenumero.

Addit quoddam aliud notabile de simplicitate creaturarum, et potest poni 15. hujus particulæ, et littera satis clara est. De gradibus simplicitatis, et aliis ad propositum necessariis, lector curiosus ubique tractabit : An creaturis conveniat aliqua perfectio simpliciter, considera.

Ultima propositio est comparativa compositionis et simplicitatis proportionaliter in spiritibus et corporibus. Ubi aliqua originalia habent *quantum ad dicta*, alia et communiter, *quantum ad A B C*, per quas litteras intelligit propositiones tres præcedentes de simplicitate. Ubi notanter tangit de duplici compositione rerum, scilicet et realitatum, seu rationum formalium. Quære 3. *et* 8. *dist.* 1. *et dist.* 2. et alibi sæpe apud istum, et pondera notanter cum dicit, *cæteris paribus.*

Duplex compositio.

Hæc sunt quæ ad minus provectorum introductionem, in hoc brevi elucidario digessi. Qua in re si quid perperam dictum est, non ita sum amator mei, ut ea quæ semel effuderim, meliori sententiæ anteferre contendam. Si enim nihil est ex nobis boni, nihil est quod in nostris sententiis amare debeamus. Quare si quid boni, utilitatis et fructus collegi, id ei a quo omne emanat bonum, attribuatur ; minus vero mature dicta, et hujus viri sententiis non consentanea, imbecillitati mei ingenioli adscribantur. Rei etiam difficultas, temporis angustia et curarum, utriusque hominis varietas excusabunt. Facilius (ut verum fatear) aut in unum Sententiarum scriptum, aut in Aristotelis aliquem librorum scripsissem, quam hujus miranda fragmenta, speculationis arcana ac ænigmata plerumque cas-

tigare, concordare ac declarare ausus fuissem. Sed qui pro pane, ut aiunt, lucrando, quid denique pro animæ finali salute? Conceptuum scandere montes, causarum, ordinum, entium varietates, naturas et conditiones, confusa quadam speculatione ac problematica utcumque venari, nisi veritatibus in ænigmate fidei, quas Philosophi tantum opinative, et qui adepti, succedat clara visio, et *propter quid*, atque perfruitio illius objecti, eminenter omnia continentis, et voluntarie ad extra repræsentantis in superna civitate, ubi Rex est Virginis Filius, eritque gaudium sempiternum, delectatio, cibus, opus, laus perpetua Creatoris. Cui omne genu flectatur in ævum ævorum.

Amen.

FINIS

R. P. F. JOANNIS
DUNS SCOTI

DOCTORIS SUBTILIS, ORDINIS MINORUM,

COLLATIONES SEU DISPUTATIONES SUBTILISSIMÆ

SCHOLIIS ILLUSTRATÆ PER FR. HUGONEM CAVELLUM HIBERNUM, IN COLLEGIO S. ANTONII PADUANI MINORITARUM HIBERNORUM, REGULARIS OBSERVANTIÆ, APUD LOVANIENSES SACRÆ THEOLOGIÆ LECTOREM EMERITUM, ET EJUSDEM ORDINIS HUMILEM DEFINITOREM GENERALEM.

R. P. F. LUCÆ WADDINGI CENSURA.

Opusculum hoc inter reliquas Scoti elucubrationes reponunt Henricus Willotus, et Antonius Possevinus. Miror Joannem Pitsæum, sollicitum Scoti operum indagatorem, neque inter tot codices MSS. scriptorum hujus Doctoris, quos in Anglia, Lotharingia et alibi se offendisse narrat, reperisse, neque inter alia a se recensita numerasse. Ab initio prodierunt cum reliquis Scoti operibus, sed inculta et corrupta. Correxit primus sub annum 1510, Antonius de Fantis, vir doctissimus in Scoti operibus ultra omnes versatus. Secundus paulo post Romulus Laurentianus Servita Florentinus, dedicavitque suo Generali Præfecto Angelo Morellio Aretino, quem ob Scoticæ disciplinæ peritiam Scoti animam *appellabant. Tertius Paulinus Berti Lucensis, Eremita Augustinianus. Quartam et potissimam editionem reliquis cultiorem, et Scholiis illustriorem adhibuit Illustriss. Dom. Cavellus, ipsius opusculi commendatione præfixa, quam hîc subjungo.*

Porro Collationes has seu Disputationes, habuit Doctor Parisiis, unde et Collationes Parisienses *vocat Possevinus, et codex MSS. Vaticanus, infra a me sub finem hujus opusculi citandus. Docta sunt, et maturum fœcundumque redolent ingenium. Etsi vero plerasque habeant quæstiones Theologicas aliasque morales, intermixtæ tamen sunt et Philosophicæ ; qua de causa hic inter alios Physico-Theologicos tractatus reposuimus, ut ejusdem generis opuscula in unum excrescerent volumen.*

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Tractatus Collationum, seu Disputationum Doctoris Subtilis vere aureus, inutilis hactenus extitit et paucorum manu tritus, unde a paucissimis, iisque Scotistis tantum, citatum reperies. Causa hujus duplex fuit, mendarum et errorum multitudo, et resolutio passim omissa. Utrique malo hac castigatione occurrimus ; mendas, quibus ubique scatebat opus detersimus, et resolutionem ex Doctore, maxime in scripto Oxoniensi apposuimus, loca e quibus deprompta est fideliter citantes. Ubi etiam materiam argumentorum, quibus singulas quæstiones in utramque partem agitat, sedulo movemus, nihil hîc omittentes eorum, quæ in castigatione reliquorum Doctoris Subtilis operum præstita sunt. Argumenta contra illam partem, quam alibi Doctor assertive habet quandoque solvimus, non semper, quia cum brevitate Scholiastis id male cohæreret. Habet in hisce Collationibus Doctor selectas quæstiones in utramque partem acutissime ventilatas, quasi quodlibetice, alteri, ut resolvantur, propositas. Habent hîc juniores Theologi quasi armarium bene instructum, unde sine labore in Scholasticis dissertationibus, et veluti ex opere (ut aiunt) operato disputent ; habent etiam promptuarium difficultatum et objectionum, quibus Doctoris Subtilis opiniones impugnari possint, quarum perpensis solutionibus ipsius doctrina, solida et perspicua apparet. Lege attente, experieris vera me loqui. Vale.

COLLATIONES SEU DISPUTATIONES SUBTILISSIMÆ.

COLLATIO PRIMA.

An tantum sit una prudentia respectu omnium agibilium, ita quod ad dirigendum omnes actus morales in suos fines sufficiat una prudentia specie?

D. Thom. 1. 2. *quæst.* 60. *art.* 1. Henric. *quodlib.* 9. *quæst.* 4. Scot. 3. *dist.* 36. *num.* 21. Occham. 3. *quæst.* 12. *art.* 3. Bassol. 2. *dist.* 35. *quæst.* 2. Rubion 3. *d.* 36. *q.* 2. Gabr. *q. unic. art.* 3. Alm. *tract.* 5. *moral. c.* 4. Assor. *tom.* 1. *lib.* 3. *c.* 29. q. 4.

1. Videtur quod sic, quod declaratur tripliciter. Primo ex parte objecti sic, quoniam ex parte objecti habentis unam rationem formalem objectivam, est tantum unus habitus; sed ratio objectiva objecti prudentiæ est tantum una, quæ est bonum humanum ordinabile secundum rationem rectam in finem debitum; ergo prudentia est tantum una specie, dirigens circa omnes actus virtutum moralium.

Secundo ex parte principii practici : quoniam prudentia præsupponens ipsum primum principium practicum agibilium, ad tot secundum unitatem suam se extendit, ad quot se extendit illud principium practicum, quia intellectus secundum habitum prudentiæ elicit syllogizando ex primo principio practico omnes conclusiones agibilium ; sed primum principium agibilium se extendit ad omnes conclusiones agibilium; ergo respectu omnium agibilium sufficit unam prudentiam specie ponere.

Tertio ex parte unitatis attributionis, quoniam quamvis sint diversa agibilia, circa quæ dirigit prudentia monastica, tamen omnia habent attributionem ad unum finem ; nam in agibilibus est aliquid unum quod est aliorum finis, propter quem omnia alia agibilia sunt, et ad quem ordinanda sunt; ideo propter hanc unitatem attributionis ad aliquod, una prudentia unitatem specificam sortitur.

SCHOLIUM.

Refutat primam rationem pro sententia D. Thomæ, dicentis unam prudentiam respectu omnium agibilium, quia est unica ratio objectiva : contra arguit Doctor, primo, quia esto sit una ratio communis, sicut diversæ speciales, verbi gratia, temperantiæ, fortitudinis, etc. Secundo, alius est habitus de corpore mobili ut sic, et alius de corpore locabili, vel mobili ad formam ; ergo idem de bono humano ut sic, et de hoc bono, nempe temperantiæ. Tertio ex Philosopho. Quarto, quot sunt conclusiones diversæ specie, tot habitus. Quinto, cum notitia alicujus in universali, stat ejus ignorantia in particulari, et adducit exemplum ex Philosopho.

Sed contra rationem primam arguitur sic : Quandoque aliqua plura habent aliquam unam rationem ad quam conveniunt, et diversas rationes formales, quibus in speciali specie differunt, sicut de illis est unus habitus, ut una scientia secundum illam rationem communem in qua conveniunt, ita de illis sunt diversi habitus, ut diversæ scientiæ, prout formaliter et specifice differunt, sicut de omnibus scibilibus in quantum con- 2.

veniunt in ratione entis, est una scientia communis, ut Metaphysica ; ita etiam de scibilibus diversis, prout differunt secundum rationes suas formales, sunt diversæ scientiæ et diversi habitus particulares ; sed agibilia, circa quæ sunt virtutes morales, quamvis conveniant in ratione aliqua communi, ut in ratione boni humani, tamen differunt per rationes suas formales, quibus specifice differunt ; aliud est enim bonum humanum in quod inclinat temperantia, et aliud ad quod inclinat fortitudo, aliter enim non essent diversæ virtutes specie ; ergo licet respectu omnium agibilium, ut conveniunt in ratione boni communis, ponatur una prudentia, tamen respectu agibilium, prout specie differunt secundum rationes formales agibilis, oportet ponere diversas prudentias.

Diversa specie agibilia, petunt diversas prudentias.

Præterea ad confirmationem istius rationis arguitur sic : ubi minor diversitas objectorum sufficit ad variationem habitus, ibi major diversitas sufficiet ad diversificandum habitum ; sed minor est diversitas totius universalis a parte subjectiva, quam totius integralis a sua parte ; sed diversitas prima sufficit ad diversificandum habitus formaliter, sicut alius est habitus de corpore mobili simpliciter, et alius est habitus de corpore mobili ad locum, vel ad formam ; igitur cum bonum speciale, ut bonum unius se habeat ad bonum commune, sicut pars integralis ad totum integrale : (diversa enim agibilia sunt partes unius boni totalis humani, alia est prudentia formaliter respectu objecti particularis agibilis, et respectu boni humani singularis, vel saltem cum plus differat unum bonum ab alio quam totum universale a particulari,) alius est habitus prudentiæ respectu unius boni agibilis, et respectu alterius.

Præterea, si bonum agibile secundum rationem rectam sit objectum prudentiæ ; ergo ubi est aliud objectum formale prudentiæ, ibi erit alia prudentia specie : sed secundum Philosophum 6. *Ethicorum* comparantem prudentiam ad artem et scientiam, ipsa est præceptiva respectu artis et scientiæ ; objectum vero scientiæ quantumcumque (quidquid sit de factibili, quod est objectum artis) est aliud objectum formaliter ab objecto agibili, quod habet rationem oppositam, quoniam agibile est contingens, objectum vero scientiæ est necessarium ; ergo non respectu omnium diligibilium est una prudentia specie.

3. Quomo[do] differa[nt] agibile et object[um] scienti[æ].

Præterea, sicut prudentia est habitus inclinans ad consiliandum de vero agibili complexo contingenti, ita scientia est habitus ad speculandum de vero complexo necessario non agibili ; sed sub scientia considerante de quo objecto in communi, de quo ostendit passionem in communi, sunt diversæ scientiæ et diversi habitus, respectu diversarum conclusionum specie differentium, ut quot sunt diversæ conclusiones, tot sunt diversi habitus specifici respectu earumdem, ut probabo ; igitur cum sub bono uno agibili humano in communi sint diversa agibilia

Quot s[un]t conclu[sio]nes di[ver]sæ spe[cie], tot su[nt] habitus [di]vers[i].

specie differentia, respectu eorum erunt diversæ prudentiæ differentes. Minor probatur per hoc, quia cum scientia unius conclusionis in scientia naturali, stat ignorantia dispositionis de alia conclusione. Unde cum scientia de corpore mobili ad formam, stat ignorantia de corpore mobili ad locum, ut de corpore cœlesti. Unde etiam Philosophus bene tradens scientiam circa aliqua naturalia, erravit, et erat in dispositionis ignorantia circa quædam alia, ut Averroes circa animam humanam, sed ad hoc quod sit ignorantia dispositionis de aliqua conclusione amota ab intellectu alicujus, oportet quod hoc fiat per habitum scientiæ incompossibilem ei. Si igitur habitus scientiæ de aliqua vera conclusione sit idem cum habitu scientiæ de conclusione, de qua habebatur ignorantia dispositionis, sequitur quod idem habitus sit compossibilis, et incompossibilis ignorantiæ dispositionis unius conclusionis, quod est impossibile, quia tunc idem posset esse, et non esse.

4. Cum notitia alicujus in universali, stat ignorantia ejus in particulari.

Præterea, cum notitia alicujus in universali stat ignorantia ejusdem in particulari, quoniam secundum Philosophum, *contingit scire omnem mulam esse sterilem,* et *tamen ignorare in utero hanc habere;* si igitur prudentia, quæ habitus est cognitivus, habeat pro suo primo objecto bonum humanum agibile in universali, cum habitu talis prudentiæ stabit ignorantia in dirigendo hoc bonum agibile, ut circa bonum temperantiæ. Cum ergo non sit aliquis prudens, nisi qui bene agere habet in dirigendo *A* bonum in particulari, circa quod habere potest aliquis habitum prudentiæ, et tamen non recte dirigit circa agibile *B* in particulari, sequitur quod non est unus habitus prudentiæ respectu omnium particularium agibilium.

Dicitur quod de scibilibus, ut inter se distinguuntur formaliter, et ut conveniunt in ratione objectiva scientiæ communis ex una parte, et agibilibus diversis secundum speciem, et ut conveniunt in ratione boni communis ex alia parte, non est simile ; quia objecta specialia specifice differentia præter hoc, quod conveniunt in una ratione objectiva communi, secundum quam de eis est una scientia communis, habent diversas rationes objectivas formaliter diversas, propter quas de eis possunt esse diversæ scientiæ speciales præter communem ; sed agibilia specie diversa præter hoc, quod conveniunt in ratione boni humani, non habent diversas rationes objectivas respectu prudentiæ, quia ex hoc est aliquod objectum prudentiæ, quia habet rationem boni persuasibilis a ratione. Et hæc ratio ejusdem rationis invenitur in objecto temperantiæ, sicut in objecto fortitudinis. Unde agibilia diversa inquantum specifice differunt, tantum sunt diversa objecta materialia, et respectu prudentiæ, et non formaliter diversa ; et ideo sicut una Logica potest dirigere syllogizationem circa materiam Grammaticæ, et Geometricæ, et circa objecta omnium scientiarum, quæ non sunt nisi materialia

respectu Logicæ, sic una prudentia potest dirigere circa omnia agibilia in actibus virtutum moralium, quæ omnia ut conveniunt in una ratione boni humani, sunt objectum formale ipsius prudentiæ.

4. Contra : objectum temperantiæ secundum quod est objectum ejus, est agibile formaliter distinctum ab objecto fortitudinis ut objectum ejus est, aliter enim temperantia et fortitudo non essent diversæ virtutes formaliter distinctæ ; si igitur per comparationem ad prudentiam non essent formaliter distincta objecta, sed tantum materialiter, sequeretur quod sub alia ratione esset aliquod agibile objectum prudentiæ et temperantiæ, et per consequens ex directione prudentiæ circa objectum temperantiæ nunquam temperatus recte per se eligeret per virtutem temperantiæ ; sed si directe eligat, hoc erit per accidens, cum prudentia non dirigat circa agibilia, ut sunt objectum formaliter temperantiæ, sed tantum materialiter.

SCHOLIUM.

Contra secundam rationem, ex unitate principii practici, concludentem unitatem prudentiæ ad omnia agibilia ; objicit primo, quia sic ponenda erit una scientia omnium scibilium. Secundo, ex principio practico, ex fine temperantiæ, potest quis syllogizare de iis quæ sunt ad illum finem, et repetendo actus, acquirere habitum prudentiæ, quoad agibilia temperantiæ, sed non fortitudinis, adducit et refutat solutiones aliorum ad has rationes.

5. Contra secundam rationem positionis arguitur sic : si propter hoc est tantum una prudentia secundum speciem respectu omnium agibilium, quia est unum principium practicum circa finem ultimum, ex quo deducuntur per habitum prudentiæ conclusiones circa omnia agibilia, tunc tantum erit una scientia de omnibus scibilibus, quia est tantum unum primum principium, a quo dependent omnes conclusiones omnium scientiarum.

Sed dicitur, quod non est simile : quia primum principium in scientiis speculabilibus particulatur, et quando sic particulatur, unum non dependet ab alio, et ideo sunt diversæ scientiæ ; nunc autem licet primum principium practicum circa finem communem particuletur a prudentia syllogizando, et considerando circa ea quæ sunt ad finem hujus virtutis ; hoc tamen est cum prudentia ad principium particulatum circa finem alterius virtutis, cum virtutes sint connexæ in prudentia, ita quod impossibile sit habere prudentiam circa ea, quæ sunt ad finem hujus, vel unius virtutis, quin etiam circa ea quæ sunt ad finem alterius virtutis simul habeatur. Et hoc ideo est, quia quidquid prudentia syllogizat, aut consiliatur circa materiam unius virtutis, aut circa materiam temperantiæ, hoc est propter bonum rationis, ut si concludat, quod temperate comedendum sit propter sanitatem corporis, aut propter aliquid aliud, et non propter bonum rationis, non est actus prudentiæ, aut virtutis ; bonum autem rationis est similiter in materia alterius virtutis, et ideo per prudentiam non potest quis se habere bene circa mate-

riam virtutis, nisi etiam bene se habeat circa materiam alterius virtutis.

7. Principium in materia unius virtutis non dependet ab alia.

Contra : ex principio practico sumpto ex fine unius virtutis, ut temperantiæ, sufficienter potest practice syllogizari, et concludi illud quod est ad finem temperantiæ, sed principium sumptum ex fine temperantiæ non est principium ad concludendum illud, quod est ordinatum ad finem fortitudinis; igitur principium particulatum circa materiam unius virtutis non dependet a principio particulato alterius, nec ex principio sumpto circa finem unius virtutis potest argui aliquid circa materiam alterius virtutis.

Ex hoc arguitur propositum principale ; quia si ex principio practico ex fine temperantiæ potest recte syllogizari et consiliari de his, quæ sunt ad finem temperantiæ, ex tali actu frequenter elicito potest generari prudentia dirigens in actibus temperantiæ, quia nullus actus est actus prudentiæ ; cum igitur principium sumptum ex fine temperantiæ non sit principium, ex quo potest recte syllogizare circa ea, quæ sunt ad finem fortitudinis, sequitur quod potest acquiri prudentia perfecta dirigens circa agibilia temperantiæ absque hoc, quod acquiratur prudentia dirigens objectum fortitudinis, per consequens tot oportet ponere prudentias, quot virtutes morales.

Dicitur quod ex fine temperantiæ inquantum habet rationem boni secundum rationem, sumitur principium, ad concludendum ea quæ sunt ad finem temperantiæ ; et quia bonum secundum rationem invenitur in fine alterius virtutis, ideo non potest quis exercere se in acquirendo prudentiam circa unam virtutem, nisi circa omnes se exerceat, antequam habeat perfectam prudentiam.

Contra : aut intelligitur, quod ratio boni secundum rationem sit formalis ratio objectiva cujuslibet virtutis moralis, et finis virtutis moralis; aut quod virtutes morales habeant propria objecta formaliter distincta, quæ tamen conveniant in communi ratione boni secundum rationem. Si primo modo, tunc sequitur quod non sit nisi una virtus moralis formaliter, eo quod tantum unam rationem formalem objectivam habent ; si autem præter communem rationem boni secundum rationem habeant propria objecta distincta formaliter secundum suas rationes formales objectivas, tunc sequitur propositum, quod principium sumptum ex fine unius virtutis non est medium ad concludendum ea, quæ sunt ordinata ad finem alterius virtutis. 8.

Præterea, habitus prudentiæ non est augmentabilis in infinitum ; igitur cum prudentia augmentatur ex actibus dictandi, et dirigendi circa ea, quæ sunt ad finem temperantiæ, toties actus hujusmodi elicit, quod prudentia sit in termino suo ; igitur, etc.

SCHOLIUM.

Contra tertiam inferentem unitatem prudentiæ, ex attributione omnium dirigibilium ad unum finem, arguit primo, quia sic una tantum esset virtus moralis ex attributione mnium operabilium ad unum finem, quod

falsum est. Confirmat hoc et refutat solutiones pro adversariis. Secundo, quia virtus habet esse per conformitatem ad prudentiam, ut late probat 1. distinct. 17. quæst. 3. a num. 1. et hîc ex Philosoph. vide eum 3. d. 36. num. 5. ergo si prudentia esset una, omnes virtutes morales essent una virtus. Tertio, prudentia sub eadem ratione dirigit, qua appetitu per virtutem in objectum inclinatur, si ergo diversificatur virtus, ita et prudentia, quia eadem ratio est de intellectu et voluntate, quantum ad hoc. Quarto, actus prudentiæ circa fortitudinem et temperantiam, sunt diversi specie; ergo et habitus quos gignunt. Hanc rationem fuse et pulchre prosequitur, refutans solutiones et replicas aliorum et ostendens clare duos actus specie distinctos, non posse esse causam per se unius habitus specie, nec potest dici quod per diversos actus haberet habitus certos gradus, quia Thomistæ cum D. Thoma negant hujusmodi gradus in habitu 1. 2. quæst. 52. art. 1. et 2. et 2. 2. q. 24. art. 5. quos refutat Doctor late, 1. dist. 17. quæst. 5. a num. 3. et 3. physic. quæst. 3. et 4. Quinto, non est una ars specie omnium factibilium; ergo nec una prudentia agibilium. Sexto, in speculativis alius est habitus de principiis, alius de conclusione; ergo alia prudentia circa finem, et alia circa media.

9. Si prudentia erit una virtus, ex attributione omnium dirigibilium ad unum finem virtus moralis erit tantum una.

Contra rationem tertiam positionis arguitur : sub eadem ratione sub qua prudentia dictat de agibili, sub eadem ratione virtus moralis inclinat in illud ; si igitur prudentia dirigit circa omnia operabilia, ut habent attributionem ad finem unum ultimum ut ad felicitatem, virtutes morales eodem modo inclinabunt in sua objecta, ut attributionem habent ad unum finem; igitur si prudentia habeat suam unitatem ex prima attributione, inquantum scilicet omnia agibilia habent attributionem ad unum finem; ergo similiter virtutes morales dicentur una virtus specie propter eamdem unitatem attributionis, inquantum scilicet fines virtutum moralium habent attributionem ad ultimum finem moralem.

Confirmatur ista ratio : nam in intellectu tantum una fides ponitur, quia licet sit respectu omnium credibilium temporalium, tamen propter unam rationem, quæ est de illis respectu primi credibilis, ad quod alia attributionem habent; similiter in voluntate est tantum una charitas, quia licet sit de diversis diligibilibus, hoc tamen est ut ordinetur ad primum diligibile; ergo similiter si virtutes morales inclinant appetitum in diversa agibilia bonorum humanorum, ut ordinantur ad unum principium agibile, sive ad ultimum finem moralem, sequitur quod sit tantum una virtus moralis, quod falsum est; igitur virtus moralis absolute inclinatur in unum bonum agibile absolute, non formaliter sub ulteriori respectu; igitur similiter prudentia diriget contra talia agibilia absolute, non per rationem formalem alicujus respectus, et per consequens prudentia habebit diversa objecta formaliter sine attributione ad aliquid unum, et ita erunt plures prudentiæ.

Ad primum istorum dicitur, quod licet prudentia sit tantum una secundum speciem propter unitatem illius attributionis, non tamen erit tantum una virtus moralis ex eadem attributione, quia aliud est, quod formaliter et necessario diversificat virtutes morales, eo quod sunt in diversis potentiis, ut irascibili, concupiscibili : similiter quia virtutes mora- 10.

les auferunt diversas difficultates potentiæ respectu diversorum actuum, et ideo oportet quod distinguantur specie, sicut et illæ difficultates et actus consequentes, et non sic est ex parte prudentiæ, et ideo sufficit una prudentia specie.

Diversitas potentiæ non diversificat habitus.

Contra : certum est, quod quamvis virtutes morales ponantur in diversis potentiis partis appetitivæ sensitivæ, ista tamen diversitas potentiarum non facit formaliter diversitatem habituum moralium, sicut nec unitas potentiæ unitatem habitus. Unde si sola diversitas potentiæ secundum genus arguit diversitatem habituum, nunquam tamen formaliter et causaliter diversitas potentiarum arguit diversitatem habituum, quia materia est propter formam, et non forma propter materiam, ex secundo de Anima. Unde materia habet diversificari propter formam, et non e converso, sicut ibidem patet.

Item, quod dicunt de amotione difficultatis potentiæ respectu actuum, non videtur valere ad causandum diversitatem virtutum, quia ista amotio difficultatis est consequens virtutem moralem ; prius enim virtus habet esse, antequam faciliter potentiam, amovendo difficultatem.

Facilitas non est de ratione virtutis.

Item, facilitas non est de ratione formali virtutis : tum, quia est communis virtuti morali et scientiæ, utraque enim facilitat potentiam amovendo difficultatem respectu actus; tum, quia hoc non apparet in definitione virtutis, quæ est quod *sit habitus electivus determinatus recta ratione*.

11. Præterea ad propositum arguitur sic : ab eodem a quo virtus habet suam entitatem formaliter, ab eodem habet suam unitatem : sed cum virtus sit habitus electivus determinatus recta ratione, habebit virtus suam entitatem formaliter ex determinatione rationis; ergo et unitatem formalem habebit ex determinatione rectæ rationis. Cum igitur determinatio rectæ rationis sit a prudentia, sequitur quod virtus moralis habebit suam unitatem ex prudentia, sive ex respectu ad determinationem prudentiæ; igitur si sit tantum una prudentia secundum speciem, est tantum una virtus moralis secundum speciem.

Confirmatur istud : quamvis virtus materialiter sit quædam qualitas animæ, formaliter tamen virtus moralis respectum dicit, scilicet ad determinationem rationis rectæ, quæ est a prudentia, sicut patet ex definitione ejus. Et ideo dicit Philosophus 7. Physic. quod *in habitibus virtutis non est alteratio, nec motus ;* virtus igitur moralis formaliter respectum dicit ad prudentiam, sed impossibile est quod ad eumdem terminum specie sint diversæ relationes differentes specie; ergo virtutes morales non erunt diversæ specie, si prudentia non sit diversa specie.

In virtute non est alteratio, nec motus.

Præterea, sub eadem ratione formali, sub qua appetitus inclinatur per virtutes morales ad eligendum, intellectus per prudentiam dirigit in eligendo, et in idem formaliter in quod virtus inclinat, prudentia dirigit, quia si prudentia non in idem formaliter dirigit in quod virtus inclinat, nunquam ex 12.

Prudentia dirigit, sub illa ratione, sub qua ap-

petitus per virtutem inclinatur in objectum.

directione prudentiæ sequeretur recta electio secundum virtutem, cum prudentia dirigat in aliquid, et dictet de aliquo secundum unam rationem, et virtus inclinat in idem secundum aliam rationem ; sicut igitur virtutes inclinant appetitum in diversa objecta formaliter, ita oportet quod prudentia sit circa eadem, ut sunt objecta diversa formaliter, et non secundum aliquam rationem unam; igitur sicut in appetitu sunt diversi habitus virtutum, propter diversitatem objectorum in quæ inclinat, ita oportet in intellectu ponere diversos habitus prudentiæ correspondenter propter diversitatem formalem eorumdem objectorum in quæ dirigunt.

Item, si in intellectu sufficiat ponere unam prudentiam dirigentem et regulantem circa omnia operabilia, quare in voluntate non sufficit una virtus ad inclinandum in ea, cum ab una regulare regulante non sit nisi una regulatio passiva formaliter?

13. Actus prudentiæ circa objecta temperantiæ ac fortitudinis, sunt diversi specie.

Præterea, actus generativi habitus diversi secundum speciem, sunt diversorum habituum secundum speciem ; actus prudentiæ circa objectum fortitudinis sunt diversi secundum speciem; igitur prudentia dirigens in actibus prudentiæ, erit alia specie a prudentia dirigente in actibus fortitudinis. Major probatur per hoc, quod impossibile est, quod duæ causæ secundum speciem diversæ, sint causæ proximæ per se unius effectus secundum speciem; ergo cum actus sint per se generativi habitus, impossibile est, quod diversi actus secundum speciem sint causa unius habitus secundum speciem. Minor probatur per hoc, quod respectu objectorum diversorum secundum speciem, sunt diversi actus secundum speciem; sed finis, sive objectum temperantiæ et fortitudinis sunt diversa secundum speciem; ergo actus prudentiæ dirigens circa objectum unius et alterius erit diversus specie. Et ad clariorem intellectum illius minoris, est sciendum secundum istos, quod prudentia non est habitus primi principii sumpti ab ultimo fine morali, licet forte secundum hanc opinionem hoc esset dicendum, ita quod virtualiter contineret directionem circa alia posteriora, sed secundum eos est habitus conclusionis practicæ conclusæ ex principiis practicis, eo quod prudentia est habitus consiliativus secundum Philosophum, qui includit discursum. Fiat ergo syllogismus practicus secundum actum prudentiæ circa actum, vel materiam temperantiæ sic : Honeste est vivendum ; sed honesta vita haberi non potest sine castitate ; ergo caste est vivendum. Et ulterius ex ista conclusione accepta pro principio potest argui, quod caste est vivendum, non potest quis caste vivere nisi moderando passiones, ergo passiones sunt moderandæ, et sic de aliis. Fiat etiam syllogismus in materia fortitudinis, sic verbi gratia : rempublicam sollicite et cum omni virtute custodire oportet, hoc autem non potest fieri, nisi aggrediendo et bellando; ergo pro

Varii syllogismi practici, variis virtutibus.

republica bellandum est, et mors aggredienda est.

14. Prudentia igitur est habitus unius conclusionis et alterius, sed actus directivi et consiliativi respectu istarum conclusionum, sunt diversi specie, quod patet, quia sunt circa objecta formaliter diversa specie; ergo habitus conclusionum sunt diversi specie, principia enim ex quibus procedunt, sunt diversa specie.

Et ut videatur melius ista ratio, potest aliquis statim dicere, quod sicut arguitur, quod prudentia istius conclusionis, passiones sunt moderandæ, est alia specie a prudentia istius conclusionis ; bellum pro republica est aggrediendum, quia principia ex quibus procedunt sunt diversa specie ; ita potest argui, quod prudentia de ista conclusione, caste est vivendum, et de ista conclusione, juste est vivendum, sint eadem secundum speciem, quia principium ex quo procedunt, est idem, scilicet illud, honeste est vivendum.

Sed nota, quod licet illud principium sit idem, utrobique tamen medium quod est minor, variatur, quia ex una parte subjicitur, quod non potest quis honeste vivere sine castitate. Et ex alia parte, quod non potest quis perfecte, vel honeste vivere sine justitia, et ideo sicut justum et castum specie differunt, ita actus prudentiæ directivus et consiliativus circa unum, et circa aliud respectu conclusionum, quarum est prudentia, sunt diversi specie, et per consequens prudentia, quæ causatur ex istis actibus erit diversa et diversa specie.

Sed dicitur hîc, quod diversi actus secundum speciem non sunt diversorum habituum secundum speciem generativi, sed possunt esse generativi ejusdem habitus secundum speciem, quoniam intellectiones albi et nigri sunt diversæ intellectiones secundum speciem, sicut objecta sunt diversa secundum speciem, et tamen habitus scientiæ de albo et nigro, est unus secundum speciem, quia eadem est scientia contrariorum, et potentia rationalis valet ad opposita, ex 9. Met. Ad probationem dicitur, quod duæ causæ diversæ secundum speciem, possunt esse unius effectus, quia illæ causæ in agendo habent diversa objecta specie. 15.

Omnia individua ejusdem speciei possunt fieri ab una causa secundum speciem.

Contra prædicta arguitur, minor probatur sic : omnia individua ejusdem speciei possunt produci ab una causa tantum secundum speciem, sicut quicumque calor potest produci ab uno agente secundum speciem. Omnis igitur effectus unus secundum speciem producitur ab una causa secundum speciem proximam ; igitur impossibile est, quod duæ causæ proximæ et per se diversæ secundum speciem sint unius effectus secundum speciem.

Præterea, effectus essentialiter dependet a sua causa, sed impossibile est, quod aliquid per se essentialiter dependeat ab aliquo inferiori, quo non causante, nihil minus fit, aut nihil minus habet *esse;* sed si duo actus diversi secundum speciem sunt generativi unius habitus prudentiæ, non existente uno

actu, nihil minus prudentia habet *esse* ex alio actu; similiter non existente alio actu, nihil minus prudentia habet *esse* ex isto actu; ergo neuter est per se causa actus.

16. Præterea, si actus sit per se generativus habitus, reliquit suam similitudinem in passo; ergo si duo actus secundum speciem diversi, generant unum habitum secundum speciem, unus habitus secundum speciem erit duo secundum speciem.

Si dicitur hîc quod non sequitur, nisi quod unus habitus habeat diversos gradus secundum speciem, quod non est inconveniens; sicut sensitivum, vegetativum, et intellectivum sunt diversi gradus secundum speciem in una forma, ita quod per unum actum generatur unus gradus in habitu, et per alium actum alterius speciei, generatur alius gradus secundum speciem.

Contra istos, qui tenent istam viam, arguitur sic: Secundum gradus habitus est omnino simplex, nec est in eo additio gradus ad gradum, nisi tantum secundum rationem; igitur per alium actum non generatur alius gradus.

Intellectivum, sensitivum et vegetativum, quomodo differunt.

Præterea, prima ratio stat, quia aut per secundum aliquid producitur, aut nihil. Si nihil; ergo habitus non augetur. Si aliquid, et alterius speciei a priori; ergo habitus ille continebit in se essentias duarum specierum, et ita non erit una essentia secundum speciem; nec valet exemplum de intellectivo, sensitivo, et vegetativo, quia non sunt diversæ essentiæ in eadem forma, sed tantum differunt in forma secundum virtutem, et virtualiter.

Scienti albi et n gri non e eadem sp cie.

Sed etiam quod adducitur pro opinante, quod scientia albi et nigri est unus habitus specie, dicendum quod non valet; nam cujuscumque conclusionis, in qua ostenditur passio diversa secundum speciem a subjecto diverso secundum speciem a subjecto, et passione alterius conclusionis, est alius habitus specie; unde tantum est unus habitus in virtute alicujus principii, aut connexione alia.

Aliter dicitur ad rationem priorem, quod actus respectu productionis habitus est causa æquivoca, quia actus et habitus non sunt ejusdem speciei specialissimæ, quia tunc actus esset habitus; nunc autem non est inconveniens, quod unius effectus specie, sint duæ causæ differentes specie, non agentes modo univoco, sed æquivoco, sicut mulus generatur ab asino et equa differentibus specie. 17.

Contra, quicumque habitus habens terminum suæ augmentationis, si augmentatur ex aliquo actu, potest augmentari usque ad terminum suum ex actibus ejusdem speciei cum priori actu, quia qua ratione augmentatur ex uno actu, augmentari potest ex alio ejusdem speciei, et tamen illi actus ejusdem speciei possunt sibi invicem succedere in infinitum, vel augmentabitur ille habitus in infinitum, vel per frequentationem istorum actuum tandem deveniet ad terminum; igitur prudentia, si augmentatur ex actu circa objectum temperantiæ, et ex actu circa objectum fortitudinis, quæ sunt

Potest ac quiri pru dentia ci ca temp rantiam perfecte, licet nulli acquiratu circa fort tudinem

diversarum specierum, poterit ex solis actibus circa objectum temperantiæ augmentari usque ad terminum suum, et per consequens prudentia dirigens circa objectum temperantiæ perfecte acquiri potest sine actibus elicitis circa objectum fortitudinis ; et ita potest esse prudentia dirigens circa actus temperantiæ, licet non sit aliqua dirigens circa actus fortitudinis, et per consequens cuilibet virtuti morali correspondet sua prudentia, et habetur propositum.

18. Unde mirabile est, quod dicunt, cum aliquis prudenter possit agere circa actus fortitudinis, et dictare secundum rationem rectam, quod propter rempublicam bellum sit aggrediendum, et tamen sequi passiones delectationis, et esse Epicurus.

Aliter dicitur, quod dirigere circa objectum temperantiæ, et fortitudinis, sunt actus prudentiæ et ejusdem speciei, quia sunt circa ista objecta, ut habent unam rationem formalem objectivam, ut rationem boni humani ; et hoc sufficit ad hoc, quod sint unius speciei, et sic visio albi et nigri est ejusdem speciei, quia visio est eorum sub ratione coloris. Et quod sit verum hoc, probatur : nam sub eadem ratione, sub qua potentia respicit objectum, actus tendit in illud, quia potentia non unitur objecto, nisi per actum : sed primum objectum, et formale potentiæ visivæ est color; ergo actus videndi non est ratio albi et nigri, nisi inquantum sunt colorata ; ergo visio respicit album et nigrum sub una ratione formali; ergo sunt unius speciei, cum habeant unam rationem formalem objectivam.

Contra : adhuc ratio stat, quia probatur, quod actus dictandi circa diversa objecta virtutum sunt alterius speciei, quia sunt objectorum per se, et primo differentium specie, sicut et virtutes, aliter non sub eadem ratione dictaret prudentia de illo, ad quod inclinat virtus.

Præterea, albedo inquantum albedo immutat visum ; ergo albedo sub ratione albedinis videtur non tantum sub ratione coloris : unde cum color sit genus, et dicat aliud quam unam formam realem, illud autem quod est principium immutandi visum, oportet quod dicat unam aliam formam, non videtur quod color sit ratio immutandi, nisi ut habet esse in aliqua forma specifica. Quomodo color mutat visum.

Item, Metaphysica est unius habitus secundum speciem, et tamen ejus sunt diversi actus secundum speciem, ut considerare substantiam, et considerare accidens. Quod si dicatur, quod non considerat hoc, nec illud nisi sub ratione entis, tunc sua consideratio imperfectissima erit, et imperfectissimam cognitionem faceret. Etiam determinat de substantia, ut distinguitur ab accidente. 19. Non negat in Metaphysica plures habitus specie.

Ad illud quod adducitur de visione albi et nigri dicitur, quod licet videantur sub colore, ut sub proprio objecto, tamen per se videntur, et ideo visiones sunt specie differentes. Visiones albi et nigri diversæ specie.

Contra : tunc eadem ratione est dicendum de habitu prudentiæ,

quod licet ipsa habeat pro objectiva ratione formali rationem boni humani, tamen quia per se dirigit circa objectum temperantiæ, et circa objectum fortitudinis, quæ differunt specie, erit alia prudentia specie.

Non est una ars specie omnium factibilium.

Præterea arguitur ad principale sic : sicut ars se habet ad factibilia, sic prudentia ad agibilia, quia ars est recta ratio factibilium ; sed respectu omnium factibilium non est unus habitus artis secundum speciem, sed diversus specie, sicut habitus navis factivæ non est ejusdem speciei cum habitu artis domus factivæ ; ergo similiter respectu omnium agibilium non erit una prudentia specie.

De hoc quodlib. 16. n. 6. et 1. dist. 1. q. 4. num. 16.

Præterea, sicut principium se habet in speculabilibus, ita finis in operabilibus, sed in speculabilibus alius est habitus secundum speciem de principio, et conclusione ; ergo similiter in operabilibus et agibilibus alius erit habitus secundum speciem de fine, et de his quæ sunt ad finem, ut sic alia sit prudentia circa finem, et alia de his, quæ sunt ad finem, ut præstituat finem secundum unam prudentiam, et secundum aliam dirigat virtutes in finem præstitutum.

SCHOLIUM.

Conclusio Doctoris, in hac disputatione, plures dari prudentias, juxta pluralitatem virtutum, quarum actus prudenter dirigitur; constat enim ut hîc docet n. 18. aliquos esse, qui prudenter valde agunt in materia fortitudinis, pro reipublicæ defensione, et tamen in materia delectationum esse Epicuros, conclusionem hanc tenet 3. dist. 36. num. 21.

COLLATIO II.

Utrum voluntas possit amovere intellectum habituatum ab uno ad aliud dictamen ?

Alens. 1. *p. q.* 107. *mem.b.* 1. 2. Scot. 2. *d.* 42. *q.* 4. D. Thom. 1. 2. *q.* 20. *art.* 1. Bonav. 2. *dist.* 42. *art.* 1. *q.* 1. Rich. *art.* 1. *quæst.* 2. August. 1. *contra duas. cap.* 31.

Videtur, quod sic : quia illa po- 1.
tentia quæ secundum actus suos subjicitur imperio voluntatis, potest ex imperio voluntatis mutari de uno actu ad alium actum ; sed intellectus, et aliæ potentiæ animales omnino secundum actus suos subsunt imperio voluntatis ; ergo ex imperio voluntatis potest intellectus, et aliæ potentiæ amoveri de uno actu ad alium, et per consequens voluntas potest avertere intellectum ad considerandum de alio objecto. Major patet de se. Minor probatur per Anselmum de Conceptu virginali cap. 4. ubi loquens in persona aliarum potentiarum a voluntate, dicit, *Deus nos, et potestatem, quæ in nobis est, subjicit voluntati, ut ad imperium ejus non possimus non movere nos, et facere quod vult, imo illa movet nos, sicut instrumenta sua, et facit opera quæ videmur facere, nec nos possumus illi per nos resistere, nec quæ facit possunt non fieri dominatione, quam nobis Deus dedit, nec debemus, nec possumus non obedire.* Hæc ille.

Potentiæ inferiores subsunt voluntati.

Ex quo patet, quod potentiæ inferiores moventur ab uno actu ad alium ex imperio voluntatis, et multo magis per consequens ipse intellectus, qui est magis annexus

voluntati habet ei obedire, ut ad imperium ejus transferatur ab uno actu dicendi, vel intelligendi ad alium.

2. Sed contra arguitur, quia secundum Augustinum, *invisa diligere possumus, incognita nequaquam ;* voluntas ergo non potest velle, nisi prius cognitum ab intellectu ; sed intellectus dum actualiter considerat unum objectum, non intelligit quodcumque objectum; ergo intellectum considerantem unum objectum non potest voluntas convertere ad intelligendum quodcumque aliud objectum ; ergo nec ad intelligendum aliud, cum illud simul non intelligat.

Dicitur ad hoc quod sufficit cognitio alicujus objecti in universali, ad hoc quod voluntas possit velle intellectum distincte considerare illud, et intellectus dum considerat unum objectum, habet cognitionem alterius objecti in universali.

Contra : simul duratione, dum voluntas est in actu suo, intellectus est in actu suo, et prius natura intellectus est in actu suo, quam voluntas sit in actu suo, quia prius natura est aliquid cognitum, quam volitum, aliter incognitum posset diligi, et ex hoc arguitur sic : in illo instanti, in quo voluntas avertit intellectum ab una intellectione ad aliam, quæro quid intellectus intelligit, et quam intellectionem habet? aut intellectionem illius objecti, a qua avertitur, aut intellectionem istius objecti, ad quam convertitur. Non primam, tum, quia tunc illa intellectui non inest, cum intellectus sit aversus ab illa intellectione in instanti per conclusionem ; non istam, ad quam convertitur, quia illa naturaliter sequitur actum voluntatis, per quam intellectus convertitur ad intellectionem, cui naturaliter præcedat effectum, et ideo naturaliter actus voluntatis, quo convertit intellectum ad intelligendum aliud, naturaliter præcedit conversionem intellectus, et aliam intellectionem ad aliud objectum intelligendum.

uid intellectus intelligit uando voluntas eum vertit, de hoc 2. d. 1. n. 6.

Præterea, si cognitio alicujus in universali sufficiat voluntati ad volendum idem distincte, et determinate, tunc voluntas posset intellectum convertere ad intelligendum aliquod objectum, quod nunquam prius intellexit, cujus species non est in intellectu, nec in phantasmate, nec quod prius fuit phantasiatum, et tunc oporteret voluntatem facere speciem illius objecti in phantasia, aut in intellectu, vel in utroque. Consequentia patet, quia istud objectum cujus species nunquam fuit in intellectu nec in phantasmate, potest esse cognitum ab intellectu in universali, sicut objectum illud cujus species habetur in intellectu, et in phantasmate ; si igitur habita cognitione alicujus objecti in universali, voluntas possit convertere intellectum ad illud intelligendum, sequitur quod prius, scilicet quod voluntas possit facere intellectum intelligere, cujus speciem non habet nec in se, nec in phantasmate, quod est impossibile.

Non sufficit cognitio alicujus in universali ut voluntas velit illud in particulari 2. d. 42. n. 7.

Præterea, si ad hoc quod voluntas possit convertere intellectum considerantem naturam lapidis ad considerandum de asino, sufficiat cognitio de asino in universali, 3.

quando cognoscit lapidem distincte, tunc quæro, an ista cognitio de asino in universali, sit alia cognitio a cognitione distincta, quam habet de lapide, aut non sit alia, sed eamdem realiter? Primum non potest esse verum : quia tunc duo actus intelligendi simul essent in intellectu, et per consequens duo accidentia, quæ non differunt specie. Tum, quia tunc sequeretur, quod ad hoc, quod voluntas possit convertere intellectum ad considerationem alterius objecti, quam illius, quod considerat, requiratur quod intellectus habeat duos actus intelligendi simul, cujus oppositum experimur. Si vero dicatur, quod illa cognitio confusa de asino non sit alia cognitio, ne; alius actus cognoscendi, quam cognitio distincta de lapide, cum actus intelligendi lapidis non ducat in cognitionem asini, vel alterius disparati, sequitur, quod voluntas potest convertere intellectum ad aliquod objectum cognoscendum, quod simpliciter non cognoscit aliquo actu intelligendi, et tunc sequitur idem quod prius, quod voluntas potest velle considerationem objecti omnino incogniti.

Non sufficit cognitio entis ut vo- voluntas illud velit distincte 2 d. 42, n. 7.

Præterea, voluntas potest avertere intellectum a consideratione unius objecti ad considerandum aliud objectum omnino et primo diversum, cum quo non convenit nisi tantum in intentione entis, sicut a consideratione substantiæ ad considerandum de accidente ; si igitur requiratur cognitio confusa illius objecti in intellectu, ad cujus distinctam intellectionem voluntas convertit intellectum, sequitur quod cognitio confusa de aliquo inquantum ens, sufficit ad volendum illud distincte per voluntatem, quod est falsum ; tunc enim voluntas posset velle quodcumque incognitum habita apprehensione entis, quod primo occurrit intellectui cujuscumque.

Ad primum istorum dicitur, quod 4.
licet intellectus distincte non possit plura intelligere, tamen potest intelligere unum in comparatione ad aliud, ut lapidem in comparatione ad asinum, et hæc cognitio sufficit præcedens voluntatem. Unde dum intellectus stat in tali cognitione comparativa duorum, voluntas potest avertere intellectum a consideratione unius, ut absolute consideret aliud, dimittendo primum consideratum. Per hoc patet ad formam rationis, quod in instanti, in quo voluntas avertit intellectum a consideratione unius objecti, considerat illud in comparatione ad aliud objectum.

Non fi aversio | cognitio nem coll tivam utriusq objecti.

Contra : si in illo instanti, in quo intellectus avertitur a consideratione unius objecti, adhuc consideret illud objectum, quamvis in comparatione ad aliud, nunquam averteretur ab illo objecto per imperium voluntatis, et habetur propositum. Probatio consequentiæ : sit objectum a cujus consideratione avertitur *A*, et objectum ad cujus cognitionem convertitur *B*, tunc arguitur : in eodem instanti, in quo est aversio intellectus ab intellectione ipsius *A*, est conversio intellectus ad intellectionem ipsius *B*, sicut in eodem instanti est generatio et corruptio. Si igitur intellectus consideret *A* in illo instanti,

in quo avertitur ab *A*; igitur quando convertitur ad intellectionem *B*, non avertitur ab intellectione *A*; igitur nunquam avertetur ab ejus intellectione, quia nunquam avertitur ab *A*, nisi per conversionem ad aliud intelligibile, nisi ponatur omnino intellectum non intelligere, cujus oppositum supponitur.

5. Præterea, si talis cognitio comparativa unius objecti ad aliud requiratur ad hoc, quod voluntas avertat intellectum a consideratione unius ad considerationem alterius, tunc sequitur quod voluntas non potest avertere intellectum a consideratione unius objecti, nisi intellectus prius comparet illud objectum ad aliud. Et tunc sequitur quod voluntas non potest convertere intellectum ad considerationem cujuscumque alterius objecti indifferenter, cujus speciem et habitum habet, quod experimur esse falsum : nam voluntas potest avertere intellectum considerantem lapidem ad intelligendum asinum, vel equum, vel quodcumque aliud objectum, cujus species habetur in memoria, cum tamen intellectus non simul comparet lapidem ad quodlibet aliud objectum, cujus species reponitur in memoria.

[...]on requi[...]tur colla[...]o intellec[...]s ut voluntas avertat eum.

Præterea, patet statim esse falsum, quod voluntas non possit avertere intellectum a consideratione unius objecti ibi, nisi prius intellectus illud comparet ad aliud objectum ; post intellectionem enim Romæ potest intellectus intelligere Pascha, licet non prius comparet Pascha ad Romam, quæ minime comparari possunt ; unde non videtur talis cognitio comparativa duorum necessario præcedere actionem voluntatis, quæ vult unum post aliud.

6. Ad primum istorum dicitur, quod quia intelligimus, et volumus cum continuo tempore, ideo non est dare ultimum instans, in quo ultimo intelligitur *A*, sicut objectum primo cognitum : sicut nec est dare ultimum instans, in quo aliquid est album, quando aliquid mutatur de albo ad non album, juxta determinationem Philosophi 8. Phys. et ideo in toto tempore præcedenti ultimum instans intelligit *A* in comparatione ad *B*, et in ultimo instanti intelligit *B*, in quo etiam instanti, tunc primo non intelligit *A*, et in quo etiam instanti avertitur ab *A*, et convertitur ad *B*, quia idem est instans utriusque, scilicet conversionis et aversionis. Sed tunc stat argumentum primum ; quia quæro quid in instanti conversionis intelligit intellectus ? Si dicatur ipsum *B*, ad quod convertitur per imperium voluntatis : contra, simul duratione currunt actus voluntatis, et actus intellectus, prius tamen secundum naturam est actus intellectus in intellectu, quam actus voluntatis in voluntate ; sed conversio ad intellectionem ipsius *B*, sequitur secundum naturam actum voluntatis in eodem instanti temporis, cum voluntas per imperium suum sit causa conversionis intellectus ad intelligendum in illo instanti , nec potest dici, quod tunc intelligit ipsum *A*, quia jam ponitur quod intellectus

aversus est a consideratione ipsius A.

Agens maxime agit in eo instanti quo inducit formam.

Confirmatur ratio : agens inducens formam maxime agit in ultimo instanti, in quo inducitur forma ; aliter enim induceretur forma, et nullo agente, unde generans quod intense agit alterando, in ultimo instanti agit, formam substantialem inducens, aliter enim forma substantialis in instanti induceretur, et a nullo. Si igitur per actum voluntatis convertatur intellectus ad intellectionem alicujus objecti in ultimo instanti, in quo intellectus conversus est ad illud intelligendum, maxime voluntas operabitur per actum suum imperandi, et consequens actus voluntatis in illo instanti naturaliter præcedet actum intellectus, quod est impossibile ; sic non videtur, quod per actum voluntatis intellectus possit converti ab uno objecto ad intelligendum aliud objectum.

SCHOLIUM.

Arguit voluntatem nullo modo avertere intellectum, quia alia ab ipsa sunt sufficiens causa intellectionis, scilicet intellectus et objectum, de quo late 1. d. 3. quæst. 6. et 7. et quodlib. 15. respondet id intelligendum de causa immediata, at voluntas est causa mediata, applicans intellectum, sicut et alias potentias ad suos actus. Secundo ad idem, quia non potest voluntas avertere sensum ab actu, nisi per motum organi ; ergo non avertit intellectum, quia non habet organum. Tertio, non potest impedire vegetativam. Quarto, impedire causam naturalem, ne agat in passum approximatum, est miraculum, ut in igne Babylonico. Quinto, aversio illa non est actus voluntatis, nec intellectus. Sexto, ratio determinat voluntatem ; ergo non e contra. Septimo, non potest hoc ratione libertatis, quia potentia ad opposita est passiva ex Philos. 8. voluntas non potest habere actum sine intellectu, ergo magis subjicitur intellectui quam e contra. De comparatione utriusque potentiæ in perfectione, vide Doct. 4. d. 49. q. 4.

7. Alia a voluntate sunt sufficiens causa intellectionis, 1. dist. 3. q. 6. a n. 7. et quodl. 15.

Præterea, ad principalem quæstionem arguitur sic : alia a voluntate sunt sufficiens causa agens per modum naturæ cujuscumque intellectionis ; igitur ad productionem naturalis intellectionis voluntas non agit per imperium suum, et per consequens intellectus potest intelligere quodcumque objectum absque hoc, quod convertatur ad intellectionem illius per actum voluntatis effective. Antecedens patet, quia sufficiens causa cujuscumque intellectionis est intellectus agens, et intellectus possibilis, et objectum imprimens, sicut patet in prima intellectione intellectus, ubi voluntas non concurrit, nec aliquid aliud præter illa agit per modum naturæ ; sicut etiam patet in prima intellectione, respectu cujus non est in potestate intellectus non intelligere, si objectum sit præsens ; igitur alia a voluntate sunt sufficiens causa intellectionis per modum naturæ agentis ; ergo voluntas non concurrit ut causa ad actum intellectus. Ista consequentia patet : quia si intellectio sufficienter producatur ab aliis a voluntate ; ergo secundum totum *esse* suum causatum est ab illis. Si igitur voluntas per actionem suam ageret ad productionem illius, sequeretur, quod effectus bis produceretur, quod est impossibile, vel potest hæc ratio fieri sub forma syllogistica sic :

Illud, quod est extra totam cau-

salitatem alicujus effectus, nihil operatur ad productionem illius effectus ; sed voluntas est extra totam rationem totius causalitatis cujuscumque intellectionis, quia cujuscumque intellectionis sufficiens causa et totalis est intellectus agens cum intellectu possibili, et objecto, sive specie impressa ; igitur voluntas non operatur ad aliquam intellectus intellectionem, et per consequens, quod intelligat unum objectum post aliud, non est per actum voluntatis, quo convertit intellectum ad illud intelligendum.

8. Sed hic dicitur, quod aliquid agere ad productionem alicujus effectus est dupliciter : vel mediate, vel immediate et quadam actione prævia ; nihil autem immediate causat actum intelligendi, nisi intellectus possibilis et objectum, et intellectus agens, quæ directe concurrunt ad intellectionem. Verumtamen voluntas concurrit sua actione prævia respectu secundæ intellectionis, sed non respectu primæ, quia voluntas sua actione avertit intellectum ad considerationem unius objecti, et convertit ipsum ad considerandum aliud objectum, et ideo voluntas non causat actus intelligendi, sicut concludit ratio, sed facit tantum, quod intellectus convertitur ad aliud considerandum, et tunc intellectus cum aliis concurrentibus producit actum intelligendi.

Quomodo voluntas facit magis considerare unum objectum quam alia.

Contra, si voluntas non faciat ad productionem intellectionis respectu alterius objecti, sed tantum avertit a cognitione primi objecti ; ergo non erit aliqua causa, vel ratio quare magis intelligit unum objectum, quam aliud post talem conversionem, nisi quia forte, et quodam casu sibi occurrit phantasma unius objecti, et non alterius : si enim voluntas non faceret ad productionem secundi actus intelligendi, cum non plus præcedat notitia unius objecti quam alterius, non plus converteret ad intellectionem objecti unius quam alterius.

Præterea, ad principale arguitur 9.
sic : voluntas sicut est copulatrix, et reparatrix ipsius intellectus respectu objecti intelligibilis, ita etiam ipsius sensus respectu sensibilis. Nunc autem secundum Augustinum *de Civ. c. 8. de Magnis, et 27. de Parvis*, voluntas quæ conjungit, et copulat sensum in sentiendo cum corpore sensibili, ipsa non separat, nec * disjungit, nisi motus corporis a re sensibili avertit; ergo secundum Augustinum sensum existentem in directione ad objectum, non potest voluntas avertere ab actu suo, nisi quia movet organum sensus, avertendo illud ab objecto, et sic objectum a sensu. Cum igitur ex parte intellectus non sit aliquod tale organum, quod potest moveri per voluntatem, cujus motus separet intellectum ab objecto intelligibili, non potest facere ut objectum non sit præsens intellectui, sequitur, ut videtur, quod voluntas non possit avertere intellectum a suo objecto intelligibili, sicut nec visum a visibili, nisi moveret organum visus, avertendo ipsum ab objecto.

* al. distinguit.

Voluntas quomodo avertit sensum ab actu ?

Quare voluntas no-

Præterea, potentia vegetativa radicatur in eadem essentia animæ

men imperat vegetativæ.

cum potentia sensitiva, et intellectiva, et sicut potentia vegetativa naturaliter fertur in subjectum suum sibi approximatum, ita et potentia sensitiva, et intellectiva; quare igitur potest voluntas magis avertere intellectum, vel sensum ab uno actu ad alium, quam potentiam vegetativam. Et tu Anselme dic, quare Deus potentiam vegetativam non subjecit imperio voluntatis, sicut alias potentias, et hoc videtur concludere contra Anselmum.

10. Præterea arguitur quod miraculum esset, si voluntas averteret intellectum a consideratione sui objecti, sicut si Deus impediret, quod ignis non combureret combustibile sibi approximatum, natum pati; quoniam sicut combustibile approximatum igni naturaliter patitur, et ignis naturaliter agit, ita intellectus in prima apprehensione habens objectum suum sibi approximatum, naturaliter intelligit, nec est in potestate sua non intelligere; nunc intellectus non plus subjicitur imperio voluntatis, quam ignis imperio divino; ergo sicut Deus non potest facere, nisi per miraculum, quod ignis non comburat combustibile sibi approximatum, ita videtur, quod voluntas non possit facere, quod intellectus non intelligat objectum sibi approximatum, avertendo ipsum ab objecto, nisi per miraculum, quod non est opus.

Aversio intellectus ne consideret objectum, quare non miraculum, sicut si ignis non combureret.

Vel arguitur sic: omne agens naturale habens passum sibi approximatum, secundum quod hoc natum est agere, et illud pati, necessario agit, et si non agat, hoc erit per miraculum, sed intellectus habens objectum suum sibi præsentatum est agens naturale, et natum est agere et etiam pati, ita quod non requiritur aliquid aliud, nec ex parte intellectus, nec objecti, quia secundum Augustinum *non est in potestate nostra, quin visis tangamur*; ergo intellectus necessario intelligit, ita quod si non intelligat, sed avertatur, hoc erit per miraculum.

11. Præterea secundum Philosophum 3. *Physicor.* actio et passio sunt idem motus, et una res. Si igitur voluntas moveat intellectum ab una intellectione ad liam, oportet ut ille motus sit communis intellectui et voluntati, aut ille motus est ipsum *velle*, et *intelligere* ambo simul, aut alterum istorum: non ambo simul, quia *intelligere*, et *velle* sunt actus realiter differentes; ergo non sunt eadem res, et per consequens non idem motus; nec esta lterum istorum tantum, quia tunc *intelligere* esset causatum a voluntate etiam in intellectu, et sic actio voluntatis esset transiens; si tantum velle; ergo motus ille tantum erit in voluntate, et non in intellectu, et sic intellectus non moveretur ad imperium voluntatis, nec potest esse aliquid aliud in intellectu, quia nec habitus, nec species.

Aversio ejus potentiæ actu

Præterea, videtur quod magis intellectus determinet voluntatem ad certum actum, quam e converso, voluntas intellectum ad certum actum intelligendi determinati objecti; quia secundum Philosophum 7. Physic. *ratione exigente universali cum apprehensione particulari, sequitur*

Ratio determin voluntat

conclusio operationis, ita quod necesse est voluntatem operari; ergo ratio determinat voluntatem ad actum volendi.

Sed quidquid sit de ratione Philosophi in se, sufficit dicere ad propositum, quod minor particularis non stat, quia per voluntatem avertimur ad aliud.

12. Præterea, si voluntas possit avertere intellectum a consideratione unius objecti ad considerandum aliud, hoc non est nisi ex libertate sua, quia ex hoc est aliquid liberum, quia est indifferens ad opposita, et contradictoria; sed secundum Commentatorem 3. Phys. *omnis potentia quæ est respectu oppositorum, est passiva.* Unde secundum ipsum ibidem, *nulla potentia est indifferens ad contradictoria*; ergo ex hoc quod voluntas est libera, ipsa est passiva, et per consequens non movebit intellectum ab una intellectione ad aliam.

[Margin: otentia ad pposilum t passiva, telligitur e essentiai, non de ccidentali, le quo 1. 3. q. 7. 38. et 2. 2. q. 10.]

Respondetur, quod potentia duplex est, essentialis, et accidentalis. Potentia essentialis ad contradictoria, et respectu contradictoriorum est passiva semper, sed non potentia accidentalis ad contradictoria, cujusmodi est voluntatis ad contradictoria.

Præterea, ista potentia magis subjicitur alteri, quæ non potest habere suum actum sine illa, quam e contra; sed voluntas non potest habere actum suum sine intellectu, e contra autem potest intellectus, ut de prima intellectione patet; ergo.

SCHOLIUM.

Conclusio hujus disputationis habetur 2. dist, 41. q. 4. n. 10. et 11. ubi refutatis quinque modis dicendi, de quo modo voluntas avertit intellectum, resolvit eam habere quandoque cum intellectione perfecta alicujus, multas confusas, et imperfectas aliorum, et quando sibi complacet in aliquo horum, tunc intellectio intenditur et firmatur circa illud, et alia considerare desinit, juxta hunc modum facile argumenta allata solvuntur. Ad primum, bene responsum est; ad secundum et tertium sensitiva et vegetativa, non subsunt voluntati, nisi media loco motiva, et sic magis despotice subsunt: Doctor supra n. 18. intellectus modo præfato magis politice subest. Ad quartum, non impedit actionem causæ approximatæ, sed approximationem tollit. Ad quintum, intellectus determinat voluntatem, proponendo ei objectum, voluntas determinat ipsum, complacendo in aliqua intellectione ejus. Ad sextum, aversio consistit in illa complacentia voluntatis. Ad septimum, loquitur de potentia essentiali, quæ est ad principium, non de accidentali, quæ est ad actum, ut hic in fine ait ipse Doct. vide eum de hac duplici potentia, quodlib. 15, num. 3. et 1. d. 3. q. 7. n. 38. et 2. d. 2. q. 10. Ad octavum patet ex dictis.

COLLATIO III.

Utrum dictamen intellectus sit primum principium activum respectu electionis?

Alens. 1. *p. q.* 38. *memb.* 1. D. Thom. 1. *p.q.* 82. *art.* 1. et 1. 2. *q.* 10. *art.* 1. et 2. Scot. 1. *d.* 1. *q.* 4. et *alii ibi citati, n.* 3. *d.* 36. *n.* 14. Alm. Bassol. Gabr. Rubion *ibi citati in Schol.*

Dicitur quod non, quia si intellectus per dictamen suum esset principium effectivum electionis, sequeretur quod voluntas non posset idem velle et nolle, nec idem eligere et non eligere: consequens est falsum, quia per hoc tolleretur libertas voluntatis; ergo. Antecedens est falsum; consequentia ostenditur, quia si agens necessario agit, patiens necessario patitur; aliter enim aliquid ageret nullo patiente, et sic actio recipe- 1.

[Margin: Intellectus necessario assentit principiis et conclusioni necessariæ.]

retur in nihil ; sed intellectus necessario, quantum est ex parte sui, assentit principiis practicis, et etiam conclusioni habenti necessariam connexionem cum principio practico, ita quod quantum est ex parte sui, non potest illis non assentire, aut non dictare ; si igitur hujusmodi assensus et dictamen sit per se principium effectivum electionis in voluntate, sequitur quod voluntas non potest illud non elicere, nec nolle, sed tantum necessario eligere et velle.

Præterea, si dictamen per se esset causa electionis : aut igitur ut causa totalis, aut ut causa partialis, una cum voluntate. Non primo modo, quia tunc electio nullo modo conveniret voluntati, ut actus ejus, quod est contra Philosophum 6. Ethic. qui dicit, quod *electio est appetitus intellectivus, vel intellectus appetitivus* ; igitur saltem ad voluntatem pertinet. Et quod in 6. Ethic. dicit de disjunctione in 3. ejusdem, asserit determinate, quod *eligibile est voluntarium reconciliatum ;* ratio igitur voluntarii per se et primo pertinet ad electionem, et per consequens intellectus per dictamen suum non est tota causa electionis, nec etiam per se causa partialis, ita quod intellectus, ut una causa particularis cum voluntate concurrat ad causandum actum electionis, quia quando duæ causæ concurrunt ad producendum unum effectum, oportet quod concordent in agendo, ita quod actio unius non contrarietur actioni alterius ; nunc autem voluntas in eligendo potest contrariari intellectui in dictando, aliter enim voluntas necessario eligeret, quod est dictatum per intellectum, et sic voluntas posset necessitari, et tolleretur libertas voluntatis; ergo nullo modo concurrit dictando, tanquam per se causa respectu electionis, sed vel tanquam occasio, et causa sine qua non est electio, quia electio est cum ratione, et intellectu ex 3. Ethicorum.

Electio spectat ad voluntatem

SCHOLIUM.

Contra intentum duarum primarum rationum, nempe intellectum esse tantum occasionem, seu causam sine qua non electionis, arguit primo, quia quando voluntas avertit intellectum ab uno actu ad alium, volitio avertendi non supponit actum a quo avertit, quia is non est, posita aversione, nec actum ad quem intellectus, quia sequitur aversionem. Habes solutionem hujus rationis Scholio ult. disp. præced. quo explicatur quo modo fit aversio intellectus per voluntatem. Secundo arguit, quia illa causa sine qua non, cum non sit approximatio, (quia voluntas est sibi approximata) erit quinta causa. Respondet Doctor actum intellectus esse approximationem, sine qua voluntas non est sibi approximata in ratione agentis. Solvit primam rationem disputationis inferens, si intellectus influeret in electionem, tolli libertatem, quia ad hanc sufficit principalem causam, nempe voluntatem esse liberam, esto concausa sit necessaria. Hic videtur innuere, non sibi displicere illam opinionem. Non solvit secundam rationem, tamen tenendo intellectum esse causam partialem electionis, facile solvi potest, negando unam concausarum non posse contrariari aliis concausis. Tertio arguit ad idem, quia voluntas necessitatur ad finem, secundum illud, *sicut principium in speculabilibus,* etc. ergo et ad media habentia connexionem necessariam cum fine. Adducit responsionem aliorum hoc admittentium, quando connexio illa necessaria ostenditur voluntati, juxta quam infert intellectum hunc coagere ad electionem, quandoquidem voluntatem ad illam necessitat. Non loquitur secundum propriam sententiam, quia contra D. Thomam 1. d. 1. q. 4.

docet voluntatem neque ad finem, neque ad medium necessitari; et ibi n. 16. explicat illud, *sicut principium in speculabilibus, etc.* Ad idem affert duas rationes, sed facile solubiles, tenenti communem opinionem quod intellectus non influit in electionem.

2. Sed contra hoc arguitur primo, quod dictamen intellectus non sit causa *sine qua non*, respectu electionis, et hoc per rationem prius factam in quæstione præcedenti; quia suppono quod voluntas per actum volendi perfectum possit avertere intellectum ab uno actu intelligendi ad alium, respectu illius actus volendi, non est ponere alium actum intelligendi, ut causa *sine qua non*, quia non actus intelligendi a quo voluntas avertit intellectum, quia ille actus non est quando intellectus est aversus ab eo; nec actus intelligendi ad quem convertitur, quia actus ille intelligendi naturaliter sequitur actum volendi, per quem intellectus ad secundum actum est conversus, et causa *sine qua non* alicujus effectus semper præcedit effectum secundum naturam; ergo actus intelligendi non potest esse causa *sine qua non*, respectu actus volendi, et ita nec respectu electionis, si electio ponitur actus voluntatis.

Vide 2. d. 42. q. 4. n. 10. 11.

3. Præterea secundo probatur, quod voluntas non sit tota causa respectu electionis, et intellectus tantum causa *sine qua non*, sed per se causa; quia causa finalis et formalis causa sequitur *fieri* rei, posita causa agente tota, et sufficienti, et causa materiali approximatis, prout hoc natum est agere et illud pati, necessario ponitur effectus, si sit causa naturaliter agens, vel potest poni effectus, si sit causa libere agens; aliter enim esset ponere quintam causam, unde tunc cessat causa *sine qua non*; nam causa *sine qua non* vel reducitur ad approximationem passi, vel ad removendum prohibens, sicut divellens columnam est causa *sine qua non* motus gravis superpositi; si igitur voluntas sit totalis causa electionis, et sufficiens, et etiam ipsa est causa materialis, et susceptiva electionis, ut certum est, et ipsa sufficienter approximata sibiipsi, sequitur quod excluso illo actu intellectus, et etiam objecto eligibili, voluntas posset eligere, quod falsum est; ergo oportet quod dictamen intellectus, vel objectum habens *esse* in dictamine intellectus, sit per se causa cum voluntate respectu electionis.

Posito agenti, et materia approximata, necessario sequitur effectus naturalis, vel potest sequi si est liber.

Dicitur ad hanc rationem, quod sicut in actione transeunte ad extra, requiritur approximatio passi in quod agat, ita etiam in actione immanente in agente requiritur ostensio objecti: tum, quia nullum agens creatum agere potest, nisi præsente objecto, et licet actio voluntatis, aut intellectus realiter sit manens in agente, signatur tamen ut transiens in objectum, ita quod quantum est ex parte sui, nata esset transire in objectum, nisi ratio agentis et natura ejus impediret; tum, quia sicut agens actione transeunte requirit approximationem passi ad determinandum agens, si sit agens æquivocum, ut Sol, ita etiam voluntas, cum sit æquivocum respectu actus eligendi, et intellectus respectu actus dictandi, requi-

rit objectum præsens determinans, non imprimendo, sicut nec in actione transeunte, sed ostendendo, et ideo, ut voluntas determinetur ad eliciendum, requiritur objectum sibi ostensum per dictamen intellectus.

4. Voluntas sine actu intellectus non est sibi approxi nata.

Per hoc patet ad formam rationis, quia agente et passo approximatis, secundum quod hoc natum est agere et illud pati, potest sequi actio, sed tunc minor falsa est. Nam ab absente objecto, et non ostenso per actum intellectus, voluntas non est sibiipsi approximata, ut nata est agere, quia non est nata agere, nisi determinetur per objectum (ut dictum est.) Unde sicut in actione transeunte passum non est approximatum agenti, quando est improportionabiliter distans, nam est absens, ita etiam voluntas non est approximata sibiipsi in ratione agendi, nisi objectum sit sibi ostensum : unde si ratio concluderet, sequeretur quod agens actione transeunte posset agere in passum non approximatum, quia approximatio non est ratio agendi, nec ratio qua patiens patitur ; unde quando passum est distans et non approximatum agenti, ponitur agens sufficiens et passum sufficiens, nec tamen potest poni actio, nec tamen sequitur quod approximatio sit quinta causa. Sic est in proposito, ad hoc quod agens actione immanente agat, requiritur respectus ad objectum præsens, nec tamen sequitur, quod ille respectus sit tertia causa, nec objectum sit causa aliqua concurrens ad agendum.

Præterea arguitur, quod prima ratio in propositione non concludat : quia quando duæ causæ concurrunt per se ad agendum, si principalis sit libera, tota actio dicetur libera, licet secundaria, et minus principalis sit causa naturaliter agens, sicut ad actum videndi secundum qui est in potestate nostra, concurrit voluntas copulans et potentia visiva, et ideo dicimur libere videre, licet potentia visiva sit causa naturaliter agens, et similiter dicimur libere movere : dicitur enim quis libere movere, cum aliquis moveret manum suam libere, licet potentia motiva in manu sit causa naturaliter movens. Nunc autem secundum veritatem, dictamen intellectus non est principalis causa respectu electionis, sed voluntas quæ simpliciter libera est ; licet igitur respectu actus electionis concurrat dictamen intellectus, vel etiam objectum, non sequitur quod electio non sit libera, cum dictamen et objectum non sit principalis causa electionis ; unde ista ratio solum probat, quod dictamen intellectus non sit tota causa electionis, quod est concedendum, sed tamen est causa per se et partialis, quæ ad actionem liberam voluntatis agit, sicut ad imperium voluntatis agit potentia motiva.

Ad libertatem sufficit primaria causam esse indifferentem licet aliæ concausæ sint naturales.

5. Præterea, sic finis se habet in operabilibus, sicut principium in speciabilibus : sed intellectus sic se habet in speculabilibus, quod assentiens principio non potest non assentire conclusioni habenti connexionem necessariam ad illud principium ; igitur voluntas, quæ est principalis causa in operabili-

bus, sic se habet ad finem quod ipsa necessario volens finem, necessario vult illud, quod habet connexionem ad finem; igitur voluntas sic ordinata ad finem, non potest non eligere, si sit sibi ostensum per intellectum.

Dicitur, quod si ostendatur voluntati aliquid tale ab intellectu, ita quod intellectus illud judicaverit habere omnimodam connexionem ad finem, sine quo nullo modo potest finis attingi; tunc dicitur, quod sicut voluntas necessario vult finem, ita necessario vult illud quod habet connexionem talem ad finem; tunc enim illius non est electio, sed tantum istius, quod est ostensum, ut non habet connexionem necessariam ad finem; si tamen ostendatur voluntati ab intellectu, non sub tali connexione, tunc voluntas potest illud eligere, vel refutare.

Si voluntas necessario agit, ex quo positione intellectus hic coagit electionem.

Sed tunc sequitur quod intellectus concurrat, ut causa agens ad volendum illud, quod est ostensum sic : quia si aliquod agens de se sit indifferens ad actionem, ita quod potest illud agere et non agere, si concurrente aliquo alio necessario agat, oportet quod sic concurrens concurrat in ratione causæ necessario agentis, quia nunquam de agente contingenter fit agens necessarium per concursum, nisi illud concurrens necessario agat; si igitur voluntas indifferenter se habeat ad volendum aliquid, quod habet necessariam connexionem ad finem, antequam ostendatur ab intellectu sub tali connexione, et post ostensionem illius sub tali connexione, necessario sequitur electio in voluntate, oportet ut tale dictamen concurrens cum voluntate sit causa respectu electionis.

6. Quod intellectus concurrat ad volitionem.

Præterea, illud quod includit essentialiter respectum ad actum intellectus, dependet ab actu intellectus, sicut a causa; sed electio virtuosa in voluntate includit ad rationem respectum et ad actum prudentiæ, omnis enim operatio virtuosa est dictata a recta ratione, sicut patet ex definitione virtutis.

Præterea, voluntas non potest velle aliquid, nisi sub ratione boni; si igitur intellectus ostendet voluntati aliquid sub ratione boni, voluntas aut vult illud, et habetur propositum; aut non vult illud quod non convenit, cum ostendatur sub ratione boni, et non sub aliqua alia ratione, etc.

SCHOLIUM.

Conclusio certa non habetur in hac quæstione apud Doctorem, sed ut dubium relinquit, an voluntatis actus afficiatur etiam partialiter ab intellectu, et sic reliquit 2. dist. 25. num. 21.

COLLATIO IV.

Utrum voluntas possit peccare eliciendo contra dictamen rationis rectæ.

D. Thom. 1. 2. 77. *art.* 2. Scol. 3. *dist.* 36. *num.* 12. 13. 14. Gabr. Occham, Rubion. Bassol. *ibi citati.*

Quod non videtur : 1.

Omnis malus est ignorans ex 3. Ethic. ergo non est malitia ex voluntate sine ignorantia in intellectu; ergo voluntas non potest peccare stante dictatione rationis rectæ.

Dicitur, quod est ignorantia duplex, scilicet præcedens malitiam, et concomitans ; malitia vero potest esse in voluntate sine ignorantia præcedente, sed non sine concomitante ignorantia, et maxime verum est de malitia radicata.

Contra hoc arguitur, quod malitia in voluntate non potest causare ignorantiam in intellectu. Primo per secundam regulam 1. 2. collationibus : quoniam in primo instanti, in quo actus malus est in voluntate, est aliquod dictamen, sive intellectio in intellectu præcedens naturaliter actum malum in voluntate, licet sit simul duratione : illud etiam dictamen, aut est rectum, aut erroneum ; si sit rectum, habetur propositum, quia pro illo instanti, pro quo aliquis est malus, non est ignorans. Non potest dici, quod sit dictamen erroneum, quia illud sequitur naturaliter malitiam in voluntate, quæ est causa ejus per excæcationem, et oportet quod alia intellectio præcedat naturaliter actum in voluntate. Dicitur quod non statim malitiam in voluntate sequitur error in ratione, sed quando est malitia radicata : illa enim excæcat intellectum, et errat circa principia practica, ut dicitur 6. Ethic. et ideo in primo instanti in quo est malitia in voluntate, est dictamen rectum in ratione, sed postquam est firmata, tunc corrumpit dictamen rectum, et causat errorem in intellectu.

Dictamen erroneum sequitur voluntatem

2. Contra, pro illo instanti pro quo voluntas corrumpit dictamen rectum, et causat dictamen obliquum in ratione, aut est illud dictamen rectum in intellectu, aut dictamen erroneum : si dictamen rectum, tunc sequitur propositum, quod malitia radicata sit cum vero dictamine rationis, et similiter si tunc esset dictamen rectum in intellectu, tunc non corrumperetur illud dictamen rectum. Non potest dici quod pro illo instanti pro quo malitia est radicata in voluntate, quod sit dictamen erroneum in ratione; quia cum causatur dictamen ex malitia in voluntate, naturaliter sequitur malitiam in voluntate, et actus intellectus naturaliter præcedit.

Dictamen erroneum sequitur malitiam in voluntate.

Præterea, illud quod habet causam naturalem sufficientem producentem ipsum, aliam a voluntate, non causatur a voluntate, tunc enim idem bis causaretur ; sed dictamen erroneum in intellectu habet causam naturalem et sufficientem, aliam a voluntate, ut patet quando dictamen erroneum causatur in intellectu per paralogismum, nam per paralogismum sufficienter, et necessario per modum naturæ causatur error in ratione ; ergo nullus error causatur in intellectu a voluntate mala, et hæc ratio tacta est in Collatione immediate præcedente.

Sufficiens causa dictaminis erronei, intellectus.

SCHOLIUM.

Peccatum posse esse in voluntate sine ulla ignorantia in intellectu : quod solide probat 3. dist. 36. num. 12. 13. et quomodo voluntas excæcat intellectum tam privative quam positive, ibi exponit num. 14.

COLLATIO V.

Utrum voluntas creata possit peccare?

Alens. 2. *part. quæst.* 100. *m.* 3. 2. D. Thom. 1. *part. quæst.* 105,*art.* 5. Scot. 2. *dist.* 37. *quæst.* 1. *num.* 6. *et quæst.* 2. *num.* 9. *et alii ibi citati.*

1 Quod non, quia peccatum non est de se necesse esse, nec habet aliquam causam efficientem sui; igitur non potest esse. Antecedens patet quoad primum; quoad secundum probatur per Augustinum de Civit. lib. 12. cap. 8. vel 7. *Peccatum non habet causam effectivam. Item, peccatum est actus voluntarius contingens effectus, non necessarius.* Tunc sic: vel voluntas non potest non peccare, quando peccat; vel potest non peccare, quando peccat: si primum, tunc esset effectus necessarius non contingens, et ita non peccatum; similiter quando peccat, non potest non peccare; ergo. Dico quod sic: Ad primum, peccatum habet causam non per se efficientem sed deficientem, et quodammodo per accidens. Ad secundum, quando peccat potest peccare, et similiter quando non peccat in sensu divisionis; quando peccat, nec peccat necessario simpliciter, sed secundum *quid*, et conditionaliter tantum.

Peccatum habet causam, sed deficientem.

Contra hoc quod dicitur, quod peccatum habet causam defectivam; aut igitur defectivam defectu necessario, aut defectivam causa contingenti: si sit aliqua causa peccati necessaria, tunc non erit peccatum, quia erit necessarius defectus; si sit defectus voluntarius, erit peccatum, et peccati illius erit alia causa defectiva, et sic peccatum erit ante peccatum.

Contra aliud: quandocumque aliquid repugnat alicui entitati positive, illud non potest poni illo positivo manente; sed voluntati, ut peccans est incompossibilis ista entitas, quæ est *non peccare;* ergo voluntate peccante impossibile est *non peccare* inesse voluntati. Si de ratione voluntatis, ut voluntas est, quod possit non peccare; ergo nunquam ponitur *peccare* in ipsa. 2.

Ad primum non est dare primum sine secundo in eodem ordine; et dico quod æque primo voluntas est totius actus defectibilis; ergo conceditur major. Ad aliud, defectibilitas necessario sequitur voluntatem creatam, et illa defectibilitas est in libero arbitrio, sicut causa quare potest peccare, non autem defectibilitas est tota causa; ergo peccatum non est necessarium. Ad aliud, hoc posito non potest oppositum poni simul in sensu compositionis.

Delectabiliter sequitur voluntatem creatam.

Contra ista, quod peccati non sit aliqua causa. Probatio, quia si sic, voluntas prima posset aliquid contingenter causare, inde et peccare; sed prima voluntas non vult aliquid contingenter, quia illa contingenter non potest velle aliquid libere, nec intrinsece, nec in objecto volito, sive in extrinseco, quia illud objectum extrinsecum ponitur volitum, nec sub velle, cum voluntas necessario poneret illud in *esse*. Item cui entitati, de ratione sui ponendæ in *esse* repugnat habere aliam causalitatem a se; si non est a se, impossibile est ipsum esse. Sed secundum An-

Causa peccati, quia vis, et causa quare vis, quia vis.

selmum *de casu diaboli*, causam quare Angelus voluit appetere similitudinem Dei, non est dare, nisi quia peccare voluit, nec est causa quare voluit, nisi quia voluit. Ad primum vult contingenter multa, et hæc contingentia non est in actu suo absoluto, sed in connotato.

Velle Dei quoad extrinseca est contingens

Contra, connotatum est objectum; ergo objectum est illud in quo est contingentia, scilicet A, ut terminans actum, sive æternum terminans; ergo in objecto fuit contingentia ab æterno. Dico, contingentia est in voluntate, a voluntate divina, et per ipsum *velle* positum contingenter inesse voluntati.

Contra : voluntas necessario est sub *velle;* ergo necessario ponit volitum. Dico, *velle* respectu extrinseci est contingens, unde causa est necessaria in se, tamen non necessario causat, imo minus necessario se habet ad aliud a se quanto est magis necessaria in se. Ad aliud, non fuit altera causa, ut actus secundus respectu *velle* mali, sed tantum actus primus, sicut ante illum non alius actus secundus malus ; unde quia voluit, id est, voluit per *velle*, non quod aliud *velle* malum fuerit causa primi *velle* mali, sicut adversarii volunt.

SCHOLIUM.

Conclusio hujus collationis, dari causam peccati, sed deficientem, non efficientem : de quo late Doctor 2. dist. 37. quæst. 2. a num. 9. et quæst. 1. a n. 6. Ibi habes fuse quæ hîc breviter ponit, ex quibus clare solves quæ hîc obscurius et brevius solvit Doctor.

COLLATIO VI.

Utrum habitus perficiens aliquam potentiam sit principium activum actus, ita quod per habitum, tanquam per principium elicitivum, vel activum eliciatur actus.

D. Thom. 1. 2. *quæst.* 49. *art.* 2. *et q.* 51. *art.* 2. *ubi*. Cajet. Medina, Vasquez 1. 2. *d.* 83. *cap.* 1. Conimbr. 6. *Ethic. disp.* 7. *q.* 2. *art.* 7. Gabr. Major. et alii 3. *dist.* 23. Occham *quodlib.* 3. *quæst.* 20. Hervæus *quodlib.* 1. *quæst.* 13. *affirmant, et inclinat* Scotus 1. *dist.* 3. *quæst.* 7. *num.* 20. *et d.* 17. *quæst.* 2. *num.* 8. *et* 3. *dist.* 37. *ad arg. princ. et* 4. *dist.* 49. *quæst.* 2. *ad ult. Negant* Dur. 3. *d.* 23. *q.* 2. 3. Palud. *ibi q.* 2. Rubion, *q.* 1. *art.* 3. *con.* 4. Aureol. 1. *d.* 17. *q.* 1. *art.* 2. Joan. Andreas *quæst.* 2.

Quod sic videtur : forma activa dans *esse* primum, est principium activum respectu actus secundi ; sed habitus prudentiæ est hujusmodi, quia *prudentia est habitus cum vera ratione activus*, sicut *ars est habitus factivus*, ex 6. Ethicorum, ubi etiam Philosophus separat prudentiam a sapientia et scientia, et ab intellectu, per hoc quod prudentia est activa ; igitur prudentia est principium activum operationis secundæ, quo prudens agit opus prudentiæ. 1.

Præterea, omne habens finem aliquem, habet operationem propriam, per quam attingit istum finem, quia aliter illum finem frustra haberet ; sed omne habens operationem propriam, per quam attingit finem illum, est principium activum illius operationis ; cum igitur prudentia habeat finem proprium, ut fines aliarum virtutum, sequitur quod prudentia sit principium activum respectu propriæ actionis.

Confirmatur ratio sub hac for-

ma : quidquid est intellectui habituato ratio, per quam habet aliquem finem, est sibi principium activum operationis, per quam attingit illum finem ; sed habitus est ratio, qua intellectus habituatus habet proprium finem, qui non est finis intellectus inquantum intellectus, sed inquantum habituatus ; ergo habitus est principium activum eliciendi operationem respectu illius finis.

Habitus est forma absoluta.

Præterea, habitus est forma absoluta, ut supponitur ; sed unumquodque tale habet propriam operationem in supposito, quam cum potest habere ; dicitur esse tale, cum non potest, non dicitur hujusmodi, unde ut ibidem vult, *omnia sunt determinata operatione ;* ergo habitus habet propriam operationem, in quam potest, ipsam eliciendo.

2. Materiæ est pati, et formæ agere.

Confirmatur ratio per Philosophum : pati est materiæ, agere vero alterius, ut formæ ; sicut igitur materia est principium patiendi, ita quod in quocumque est materia, illud est natum pati, sic forma universaliter est principium agendi ; igitur cum habitus sit forma quædam absoluta, sequitur quod erit principium activum actus secundi.

Præterea, agens in agendo assimilat sibi effectum per principium agendi : illud igitur est principium activum respectu actus secundi, per quod effectus magis assimilatur agenti, sed actus magis assimilantur habitui quam potentia ; ergo habitus magis erit principium activum respectu actus, quam potentia in qua est habitus.

Præterea, secundum Philos. 8. Physic. et 2. de Anima, *inscius qui non habet habitum scientiæ, est in potentia essentiali ad actum considerandi et sciendi*, sciens habens habitum scientiæ est in potentia accidentali, sed quandocumque aliquis est in potentia essentiali ad aliquem actum secundum sine forma, etsi habeat formam, remanet tantum in potentia accidentali ad secundum actum, illa forma est principium respectu actus secundi, quoniam id, quo aliquis reducitur ad potentiam accidentalem respectu actus, est principium activum actus, sicut patet de calore respectu actus calefaciendi et in omnibus aliis, ubi actus secundus sequitur actum primum ; ergo scientia est principium activum respectu actus considerandi.

Responsio, sicut intellectus ante speciem est in potentia essentiali ad considerandum, sic ante scientiam est in potentia essentiali ad faciliter, et per scientiam est in potentia accidentali, non quidem ad considerandum, sed ad faciliter considerandum.

Contra : operatio proportionatur principio activo in hoc, quod quanto operatio est perfectior et intensior, tanto principium ejus activum est perfectius, aut majorem conatum habens, si sit tale principium *cui*, vel conatus ; sed operatio elicita a potentia habituata potest esse perfectior et intensior, quam operatio elicita a potentia eadem non habituata, cum æquali aut majori conatu ; (unde videmus, quod 3.

Actus potentiæ habituatæ est perfectior, quam non habituatæ.

virtuosus cum minori conatu potest elicere actum virtuosum fortitudinis aut temperantiæ, quam non habens habitum virtutis, qui cum magna difficultate et conatu potentiæ non potest talem actum elicere, sic etiam est de intellectu, et voluntate habituata) igitur principium activum talis operationis est perfectius, et magis activum, aut majorem conatum habens ; sed non est ex parte potentiæ, quia cum æquali conatu aut majori, non potest actum ita perfectum elicere ; ergo hoc est ratione habitus potentiam perficientis; igitur habitus in potentia est principium activum respectu operationis, ut quia plus de activitate est in potentia et habitu quam in potentia solum, ideo potentia habituata perfectiorem actum potest elicere. Vel sic potest argui : quod confert potentiæ facilitatem agendi, aufert ab ea difficultatem agendi ; sed potentia agens cum conatu, si auferatur difficultas agendi, agit cum minori conatu ; ergo cum habitus tribuat potentiæ facilitatem agendi, potentia habituata cum minori conatu operabitur æqualem operationem, quam non habituata ; ergo cum æquali conatu operabitur operationem perfectiorem : sed operatio perfectior est a causa potentiore, hoc autem in proposito non est ipsius potentiæ, quia ponitur æqualis conatus potentiæ æque perfectæ ; igitur est propter causalitatem habitus concurrentis.

Ars ad efficiens spectat, ars est activa.

4. Præterea, Philosophus 5. *Metaphys. et secundo Physicorum* reducit artem ad agens causæ efficientis, de arte loquens ut habitus est, a quo denominatur artifex. Unde vult, quod ad idem genus causæ reducatur ars et artifex ; ergo habitus factivus, qui est ars, erit principium activum respectu operationis secundæ artificis.

Similiter, *nono Metaphysic. cap.* 2. dicitur, quod potentia rationalis, ut ars et scientia factiva, sunt potentiæ factivæ, *quia principium transmutandi aliud inquantum aliud.* Et idem vult 5. *Metaphysic.*

Virtus quomodo causa moralitatis in actu.

Præterea, virtutis habitus est causa effectiva moralitatis in actu, ita quod dat actui, quod sit virtuosus et moralis ; sed moralitas actus est eadem res cum substantia actus; ergo habitus erit principium activum actus quantum ad substantiam actus. Major patet : quia quod dat actum primum, dat actum secundum, ut quod dat *esse* in quocumque genere, dat *agere;* sed habitus virtutum dat *esse* virtuosum ; ergo dat *agere* virtuose ; ergo virtuositas et moralitas in actu, est ab habitu. Major probatur, quia si moralitas in actu sit aliud a substantia actus, aut igitur aliud absolutum, aut aliud respectivum : non aliud absolutum, quia tunc actus virtutis non esset formaliter simplex, sed esset ens per accidens ; nec est tantum respectus, quia tunc cum habitus sit principium illius moralitatis, sequitur quod ad solam relationem daretur actio.

Dans esse, dat agere.

An negando efficientiam habitui, faveatur Pelagio?

Præterea, si habitus non sit principium activum actus, tunc sequitur, ut videtur, opinio Pelagii, quod non sit ponere charitatem et gratiam, quia tunc sine

charitate posset quis diligere Deum super omnia, et ita quidquid potest voluntas cum charitate et gratia, potest sine tali, et per consequens, ut videtur, non est necesse ponere gratiam cooperantem, nec operantem.

SCHOLIUM.

Arguit habitum non esse activum actus, nec quoad substantiam, nec quoad moralitatem : pro qua parte late agit, 1. dist. 17. quæst. 2. num. 4. 5. 6. et 10. Primum argumentum pro hoc, quia actus causat habitum ; ergo non causatur ab eo, quia in causis æquivocis non datur circulus ; habet pulcherrimam doctrinam circa hoc, et an potentia sensitiva efficit actum virtutis, ut subest voluntati et rationi, an vero voluntas, ipsa tantum passive se habente, de quo mira subtilitate et claritate hinc inde disputat. Argumentum de circulo in causis univocis non admittendo, solvit 1. dist. 17. quæst. 3. num. 10. quod probat tantum de causa æquivoca totali, non de partiali. Ad id de appetitu, de quo hîc nihil resolvit, juxta ejus mentem, dicendum est quod est principium activum suorum actuum, ex quibus gignitur habitus, qui potest esse virtus vel vitium, secundum conformitatem ad regulam prudentiæ, ita 1. dist. 17. quæst. 3. num. 8. fin. et 3. dist. 33. num. 18. Ad tertium, favere videtur alteri parti ibi num. 13. sed absolute tenendum, secundum ipsum, voluntatem non producere actus virtutum in appetitu, generat tamen in se ipsa virtutes morales, ut ibi probat Doctor num. 12. contra D. Thomam. Præcipua difficultas de appetitu, quod non potest producere actum virtutis, est, quia tendit in suum delectabile quantum potest, neque potest tendere in illud ut fugibile, neque ut proponitur ab intellectu temperato, ut habet Doctor, num. 8. Dici potest actum appetitus temperari circa delectabile, quando præsentatur ei fugibile annexum, et hîc fieri potest per intellectum, sic impetus carnis in carnem (ut habet Doctor 4. dist. 45. quæst. 3. num. 11. temperatur metu virgæ, cujus species, vel phantasma ostendit eam ut fugibile, eodem modo, dum repræsentatur caro in quadragesima appetitui ; intellectus cogitat de igne inferni, et phantasia ostendit appetitui illud fugibile annexum delectabili, et hac ratione illud refugit, et sic de aliis.

5. Ad quæstionem dicebatur, quod habitus non est principium activum respectu actus, nec quantum ad substantiam actus, nec quantum ad moralitatem in actu. Primum istorum ostenditur sic : actus est sufficiens, et totalis causa habitus, non est autem causa univoca, sed æquivoca ; nam actus et habitus non sunt ejusdem speciei, cum habitus habeat rationem manentis et quiescentis, actus vero rationem transeuntis ; sed in causis æquivocis impossibile est, quod sit circulus, ut hoc sit causa illius, et e converso ; ergo impossibile est, ut habitus sit causa effectiva actus, et principium activum ejus.

In causis æquivocis non est circulus.

Major probatur primo de actibus ; actus enim voluntatis generans habitum in voluntate, sufficienter causat habitum ut causa totalis, et nihil voluntas operatur in productione habitus, quia tunc actus nati generare habitum, ipsum non generarent si voluntas nollet hujusmodi actus generare habitum, quod falsum est ; quantumcumque enim voluntas eliciens actus justitiæ nollet, quod ex istis generaretur justitia in ipsa, adhuc necessario justitia generaretur in ea, cum hujusmodi actus naturaliter suam similitudinem imprimunt in voluntate ; ergo voluntas nullam activitatem immediate habet super habitum, sed tantum actus ex quibus generatur habitus ; ergo actus est totalis causa habitus.

Actus causat habitum independenter a potentia, si elevatur.

Hoc probatur de habitibus mora-

An habitus temperantiæ generetur per actus voluntatis.

libus, si ponantur generari in appetitu sensitivo; nam actus, ex quibus generatur habitus temperantiæ in appetitu sensitivo, sunt causati a voluntate ex imperio voluntatis in appetitu sensitivo, et non sunt a potentia sensitiva, nec ab objecto : cujus probatio est, quod agens naturale naturaliter agens habeat contrarias actiones, ut quod ignis moveatur sursum et deorsum ; appetitus autem sensitivus, et objectum delectabile, et actus proprius si eliciatur a potentia appetitiva sensitiva, sunt agentia naturaliter; ergo impossibile est, quod eliciant contrarios actus ; sed actus proprius, et naturalis appetitui sensitivo, et objecto delectabili est contrarius actui, ex quo generatur habitus, quia objectum sensibile delectabile de se natum est causare delectationem, et sensus appetitivus de se natus est immobiliter, et immoderate tendere in objectum delectabile, ita quod si sensus appetitivus et objectum delectabile derelinquantur propriæ virtuti, causabunt actum corruptivum habitus virtutis ; ergo impossibile est, quod ab istis sint actus quibus generatur virtus ; ergo sunt impressi in appetitu sensitivo a voluntate ex imperio voluntatis. Non igitur potentia appetitiva sensitiva habet aliquam activitatem cum actibus, ex quibus generatur habitus temperantiæ in appetitu sensitivo, et per consequens actus erit totalis causa habitus, et non potentia, in qua sunt actus. Unde sive sint a potentia, sive non sint effective a potentia, sed tantum impressi in potentia, adhuc generant habitum.

6. Causa æquivoca perfectior suo effectu.

Minor probatur, scilicet quod impossibile sit esse circulum in causis æquivocis, nam causa æquivoca semper est perfectior suo effectu, non enim potest esse imperfectior, impossibile est enim, ut imperfectius producat perfectius ; tunc enim posset dici, quod totus mundus posset produci a musca, si non repugnaret imperfectiori producere perfectius, nec probari primum principium esse infinitum, nec etiam primum agens esse, tunc enim quodlibet a quolibet posset produci ; non igitur causa æquivoca potest esse imperfectior suo effectu, nec etiam æqualis in perfectione sibi, quia causa æquivoca, et effectus differunt specie, et impossibile est duas species esse æquales in perfectione ; igitur semper causa æquivoca est perfectior suo effectu ; cum igitur perfectius non possit produci ab imperfectiori, ut probatum est, impossibile est quod individuum speciei effectus sit causa alicujus individui speciei causæ, quæ est æquivoca ; igitur in causis æquivocis impossibile est esse circulum, et per consequens impossibile est actum esse causam habitus, et e converso.

Arguit ... petitu ... efficere ... tum vir... tis in ...

Sed huic rationi primo instatur, quia non videtur verum, quod appetitus sensitivus per actus suos non possit in se generare habitum, quia licet appetitus sensitivus quantum est de se, immoderate et effrænate tenderet in objectum suum delectabile, tamen quia est persuasibilis a ratione, et subjacet imperio voluntatis, potest alio modo tendere in objectum suum, quam

modo illo quo de se tenderet, sicut equus curreret in locum determinatum, tamen per assessorem potest dirigi nunc ad unum locum, nunc ad contrarium ; ita appetitus per causam superiorem, ut per rationem practicam, et voluntatem imperantem potest alio modo tendere, et appetere objectum suum, quam faceret derelictus appetitui proprio.

7. Contra, impossibile est quod causa inferior naturaliter agens agat actionem oppositam suæ actioni, aut ex imperio aut motu causæ superioris, nisi causa superior imprimeret aliam formam in causa inferiori, qua mediante possit elicere actionem contrariam suæ actioni propriæ; ergo si voluntas imperio suo non imprimeret aliam formam in appetitu sensitivo, impossibile est ipsum tendere in objectum suum contraria ratione, quam sit natus de se, et ita semper tenderet in objectum suum, illud concupiscendo tanquam delectabile prosequendum.

Quomodo appetitus per voluntatem t intellectum, temperet uos actus. Dicitur, quod non habet actionem contrariam ex imperio voluntatis actioni suæ propriæ, sed tantum alio modo tendit in objectum suum per directionem causæ superioris, quia ex se inordinate et immediate tendit, ex imperio voluntatis, et persuasione rationis tendit ordinate secundum debitas circumstantias ; nec hoc videtur inconveniens, cum videmus in naturalibus, quod calor, ut calor habet consumere, et non nisi propriam formam inducere, et tamen ut dirigitur ab anima, est principium augmentandi et conservandi, cujusmodi est calor vitalis animæ, et hujusmodi etiam calor in semine.

Contra : sicut in voluntate *velle*, et *nolle* respectu ejusdem objecti sunt actus contrarii, ita fuga et prosecutio, sive *fugere*, et *prosequi* sunt actus contrarii in appetitu sensitivo. Et secundum Philosophum, quod est affirmatio et negatio in intellectu, est fuga et prosecutio in appetitu : ergo operatio, qua appetitus tendit in objectum delectabile, ipsum appetendo et prosequendo, est contraria actui, quo appetitus refrænatur et fugit illud objectum delectabile sensui, ex quibus generatur temperantia; igitur actus ex quibus nati sunt generari habitus virtuosi, contrariantur actibus quibus appetitus natus est tendere in objectum suum delectabile ipsum prosequendo. Affirmatio, et negatio in intellectu, et prosecutio, et fuga in appetitu.

Dicitur, quod isti actus contrarii non sunt respectu objecti sub eadem ratione objectiva, sed sub diversa ratione objectiva, et ideo sunt respectu diversorum objectorum formaliter ; quoniam appetitus sensitivus natus est tendere de se inobjectum suum ut est delectabile, sed illud idem apprehensum a ratione practica judicatur fugibile, et tunc appetitus sensitivus persuasus a ratione practica fugit illud objectum, et quod prius habuit rationem delectabilis et prosequibilis, jam ex sententia rationis practicæ habet rationem fugibilis. Quod autem agens naturale respectu objectorum diversorum habeat contrarios actus, non est inconveniens. Quomodo agens naturale habeat actus contrarios.

Contra : sud eadem ratione, qua 8.

Arguit subtiliter appetitum non posse tendere in delectabile, ut fugibile.

sensibile est apprehensum a sensu apprehensivo, sub eadem ratione appetitus sensitivus tendit in illud, aliter enim tenderet sub ratione non ostensi ; sed apprehensivus sensus non apprehendit sensibile delectabile, nisi sub ratione delectabilis, quia sub nulla alia ratione de se natum est immutare sensum; ergo impossibile est, quod alia ratione appetitus sensitivus tendat in illud quam sub ratione delectabilis, et hoc per actionem sibi propriam, non igitur per suam actionem quam elicit, tendit in illud objectum sub ratione fugibilis.

Appetitus non tendit in objectum ut apprehensum ab intellectu.

Præterea, sub illa ratione sub qua est apprehensum a ratione, non est objectum appetitus sensitivi, cum objectum intellectus sit universale, et objectum sensus sit singulare; ergo quamvis intellectus dicat aliquid esse fugibile, appetitus sensitivus non tendet in illud per suam actionem sub eadem ratione, nisi ab appetitu intellectivo causetur in appetitu sensitivo actus, qui sit illius objecti sub ratione fugibilis.

Præterea, prædicta responsio multum magis irrationabile ponit, quam responsio ad quæstionem ; majus enim inconveniens est, quod intellectus rationem causaret objectivam in objecto appetitus sensitivi, quam quod voluntas cujus est secundum imperium suum movere alias potentias, causaret aliquid impressive in appetitu sensitivo, quod sit actus objecti sensibilis, tanquam aliqua impressio derelicta in appetitu sensitivo ex imperio voluntatis, et ejus motu.

Sed contra hoc instatur, quod 9.
cum voluntas non sit potentia factiva habens actum transeuntem, sed immanentem, non videtur quod per actum suum, et per imperium possit causare in appetitu sensitivo actum ipsius appetitus sensitivi, quomodo enim posset ibi causare, nisi per actum suum illud attingat, quod tamen non potest, cum non habeat actum transeuntem.

Videtu si volu causa actum a petitu quod ca actun intellect

Præterea, ratione, qua voluntas potest causare in appetitu sensitivo actum ipsius appetitus, eadem ratione potest voluntas in intellectu causare actum intelligendi, cum majorem connexionem habeat cum intellectu quam cum sensu ; sed hoc dicere respectu intellectus est inconveniens, quia tunc intellectus non haberet actum sibi proprium.

Sed ad hoc est dicendum, quod actus voluntatis qui dicitur *velle*, non est actio de genere Actionis, quia actio de genere Actionis non beatificat voluntatem, sed aliquid absolutum, voluntas autem in volendo et diligendo Deum beatificat. Similiter Philosophus Ethic. ponens quod felicitas consistat in actu intellectus et rationis, non ponit quod felicitas sit actio de genere Actionis, et ideo *velle* et *intelligere* sunt quædam qualitates productæ per actionem de genere Actionis, ut per actionem dicendi ex parte intellectus, et per actum spirandi ex parte voluntatis. Et quia ad actionem de genere Actionis non terminatur productio, impossibile est quod actus intelligendi et volendi, qui producuntur per actionem intellectus et voluntatis, sint

de ho quodl. 1. art. 3

Operat nes sun qualitat

actiones de genere Actionis; sunt igitur quædam qualitates; hujusmodi vero qualitas in ipsa voluntate existens per conversionem voluntatis ad appetitum sensitivum, nata est actum causare in sensu appetitivo, qui etiam actus non est actio de genere Actionis, sed est quædam qualitas in appetitu sensitivo, ex quo derelinquitur habitus in sensu appetitivo, et sic ex imperio voluntatis potest generari in appetitu sensitivo, et hoc est voluntatem aliis potentiis imperare.

...tus voluntatis, possit ...usare ...nisi in ...petitu.

Vel etiam nata est voluntas ex imperio suo causare actum, non solum in appetitu sensitivo, sed etiam in potentia motiva, et ideo licet actus voluntatis qui est de genere Actionis, non sit actio transiens, sed recepta in potentia, tamen qualitas illa quæ est actus volendi, quæ est activa, potest agere in aliam potentiam, et causare ibi qualitatem realem, quæ sit generativa habitus.

...re actus ...petitus, potius ...am intellectus ...sabilis a ...luntate.

Ad secundum, dicendum quod non est simile : quia appetitus sensitivus est receptivus alicujus, quod non possunt causare moventia ipsum naturaliter, quæ sunt objectum delectabile, et ipsemet, sed intellectus non est receptivus alicujus formæ, ad quam non movent moventia ipsum naturaliter.

SCHOLIUM.

Probat habitum virtutis, non efficere moralem bonitatem actus, quia hæc est aggregatio omnium, quæ actui secundum rectam rationem debentur ex Doctore 1. dist. 17. quæst. 3. num. 4. et 2. dist. 40. et ratione hujus aggregationis nullus habitus est principium activum, nisi quatenus influit in actum secundum substantiam, quia consistit bonitas moralis in relationibus ad diversa, quæ non habent aliam causam, nisi sui fundamenti. Hinc num. 11. inclinat Doctor in illam sententiam (quam docuit ut probabilem, 1. dist. 27. quæst. 2. num. 11. 12. 13. solvens argumenta contra eam, quæst. 3. num 11.) quæ negat habitum esse activum, sed inclinare subjectum ad actus per modum ponderis, sicut gravitas inclinat ad deorsum, si teneatur, non esset activum.

10. Quod potentia non causet substantiam actus, et habitus moralitatem.

Secundum principale, scilicet quod habitus non sit causa moralitatis in actu, probatur sic : actus præcedentes habitum virtutis non secundum rectam rationem eliciti, nunquam generarent virtuosum habitum, sed magis vitiosum; igitur cum moralitas in actu præcedat habitum, sicut et substantia actus, habitus non potest esse causa effectiva moralitatis in actu; unde non est imaginandum, quod potentia in qua est habitus, sit causa substantiæ actus, et quod habitus sit causa moralitatis, ita quod substantia actus correspondeat activitati potentiæ, et moralitas in actu correspondeat habitui, sicut quidam imaginantur; sed potentia intellectiva et volitiva habituata secundum actualitatem potentiæ est causa actus secundum circumstantias actus, ex quibus dicitur virtuosus. Nam ex hoc dicitur virtuosus actus, quia est conformis suæ regulæ quæ est prudentia, scilicet intellectui : quantumcumque enim aliquis eliciat actus temperantiæ aut fortitudinis, qui secundum regulam rectæ rationis nati essent generare habitum virtutis, si non sint conformes suæ regulæ, sed eliciantur ex timore, aut ex alia causa non vir-

Actus virtuosus, quia conformis prudentiæ 1. d. 17. q. 3. prin. art. 3. q. 36.

tuosa, nunquam generabunt temperantiam aut fortitudinem, nec dicuntur actus virtuosi ; quamvis enim ex illis actibus naturaliter derelinquatur quædam qualitas absoluta, non tamen dicetur virtus, quia non est conformis suæ regulæ, scilicet rectæ rationi, scilicet habitui prudentiæ ; et virtus moralis formaliter dicit respectum ad regulam suam, scilicet rectam rationem, ut patet ex definitione virtutis, prout est dictum prius in quadam collatione, et ideo si actus præcedentes habitus virtutis generativi habitus, sunt conformes rectæ rationi, erunt actus virtuosi, etsi nondum habeatur habitus virtutis.

Non habens justitiam potest operari justa, non juste, exponitur.

Unde quod dicit Philosophus. 2. Ethic. quod *non habens justitiam, quamvis possit operari justa, non tamen juste*, hoc intelligendum quantum ad omnem conditionem actus virtuosi, quia non habens habitum non potest prompte, nec delectabiliter operari juste, et delectatio est signum generari habitus ; quod tamen non habens habitum justitiæ, possit juste et virtuose operari per conformitatem ad rationem rectam, quamvis cum difficultate, non credo Philosophum velle negare.

11. Sed contra hoc arguitur, quia videmus quod potentia habituata magis prompta est etiam ad actum eliciendum, et delectabilius actum elicit, quam carens habitu; ergo habitus dat potentiæ facilitatem et promptitudinem ad agendum, et aufert difficultatem ; sed quod dat potentiæ facilitatem et promptitudinem ad agendum in eliciendo, facit quod actus elicitus a tali potentia habituata sit delectabilis et virtuosus, et per consequens habitus videtur esse causa moralitatis saltem in actu. Dicitur quod habitus inclinat potentiam et facilitat, sed non ad patiendum, nec ad agendum : non ad patiendum et ad recipiendum actum, quia tunc actus reciperetur in toto composito ex potentia et habitu, quod est falsum, quia actus præcedentes habitum, ex quo sunt ejusdem speciei cum actibus sequentibus habitum, habebunt idem receptivum ; actus vero præcedentes habitum recipiuntur in nuda potentia; igitur similiter et actus sequentes habitum ; nec etiam habitus inclinat ad agendum, ut præostensum est, sed dicitur, habitus inclinat potentiam secundum quod prior forma dicitur inclinare subjectum suum ad formam posteriorem, cum qua convenit naturaliter forma prior, et per quam quodammodo perficitur et salvatur forma prior. Exemplum, si ponatur quod gravitas non sit principium activum, quo grave movet se deorsum, tunc gravitas non inclinat grave ad movendum se effective deorsum, nec etiam gravitas inclinat passive grave ad recipiendum *ubi* deorsum, quia sola quantitas est principium recipiendi *ubi*, sicut et replendi locum ; ideo gravitas dicitur inclinare grave ad *ubi* deorsum, sicut forma prior ad formam posteriorem per quam salvatur, nam grave naturaliter quiescit et salvatur in *ubi* deorsum.

Actus recipiu[ntur] in nu[da] poten[tia].

Quom[odo] habit[us] sine [effi]cien[tia] incli[net], exem[plo] exponi[tur].

Aliud exemplum de ligno sicco ad recipiendum calorem ab igne,

Sicc[itas] quom[odo] inclin[et] ad calor[em].

in quo siccitas non inclinat ad agendum, nec etiam ad subjective recipiendum, ita quod siccitas sit ratio subjectiva in recipiendo calorem. Sed dicitur inclinare : quia naturaliter siccitas salvatur cum forma caloris, et ideo dicitur siccitas inclinare ignem ad calorem, sicut ad formam cum qua convenit, et per quam perficitur et salvatur. Sic in proposito habitus perficitur et augetur per actum, et ideo dicitur habitus inclinare potentiam ad actum sicut ad formam, per quam salvatur et perficitur.

SCHOLIUM.

Sicut problematicus mansit Doctor in hac quæst. 1. dist. 17. quæst. 2. et 3. magis tamen inclinans in sententiam tribuentem activitatem habitui, ita manet et hîc, licet magis in oppositam partem inclinare videatur, quia solvit omnia argumenta alterius sententiæ contra eam, et non e contra. Solvit etiam alia argumenta contra eamdem, dist. quæst. 3. num. 11. et quæst. 2. num. 12. explicat optime, quomodo quatuor conditiones quæ conveniunt habitui, salvari possint sine illa activitate. Solvit novem argumenta in principio collationis posita, per selectam et claram doctrinam, ut noto in margine, addit et solvit decimum argumentum.

12. dentia icitur va sine cientia roprii tus in roten-tia.

Ad primam rationem principalem dicendum, quod prudentia dicitur activa et ars factiva, non quia sit principium agendi, aut faciendi proprias actiones potentiæ in qua sunt, tunc enim scientia, et alii habitus speculativi essent principium activum respectu propriarum operationum ; sed ideo dicuntur isti duo habitus principium agendi et non habitus speculativi, quia dirigunt circa operationes exteriores, quomodo non faciunt habitus speculativi ; prudentia enim dirigit circa actus virtutum moralium, qui actus sunt in voluntate aut in appetitu sensitivo, ars autem dirigit circa operationem transeuntem exteriorem materiam.

Ad secundam, quando arguitur quod omne habens finem, habet operationem propriam per quam attingit finem, dicendum quod non semper est verum, quia natura non dedit principium activum intrinsecum cuilibet attingendi suum finem, sicut homo non habet ex se sufficiens principium activum ad attingendum Beatitudinem. Similiter potentia sensitiva, si ponatur passiva, non habet principium activum ad eliciendum actum suum qui est finis ejus; sed hæc vera est : omne habens finem, habet in se principium activum attingendi finem suum, vel in natura est aliquid cujus adjutorio potest finem attingere, et sic habitus prudentiæ finem suum potest attingere per activitatem suæ potentiæ intellectivæ quam perficit. Homo non potest attingere suum finem.

Ad tertiam, quando arguitur quod omnis forma absoluta habet propriam operationem, dicendum quod falsum est : non enim omnis forma absoluta est activa, quantitas enim est forma absoluta, non tamen principium activum, unde formæ rerum naturalium per quas agunt, sunt determinatæ propriis operationibus, de quibus loquitur Philosophus 4. Metaph. cum dicit, quod *omnia sunt determinata operatione*. Non omnis forma absoluta agit.

Et quando arguitur in confirmatione, quomodo natura ipsius materiæ est pati, ita natura ipsius formæ est agere : dicendum quod Materiæ est pati, et formæ agere, exponitur.

si loquitur proprie de materia prima et forma sibi conveniente, quæ est perfectio ejus, vera est propositio, quod sicut materiæ primæ proprie est pati, ita formæ substantialis perficientis materiam, est agere; pono enim formam substantialem esse activam, et esse principium operationis specificæ. Si vero accipiatur materia improprie pro quocumque habente modum materiæ, sic falsa est hæc, quod ubique materiæ est pati, aliqua enim forma activa respectu alterius habet modum materiæ et potentialis, et tamen est activa, et sic etiam falsa est, quod ubicumque cujuscumque formæ est agere.

13. Objectum, causa assimilandi actum.

Ad quartam, quando arguitur quod actus magis assimilatur habitui quam intellectui; ergo habitus magis est principium activum actus quam intellectus: dicendum quod actus magis assimilatur objecto quam habitui, et objectum est principium assimilandi actum, et ideo sequitur, quod objectum cum intellectu sit principium activum actus, quod concedo.

Scientia accipitur pro specie impressa: de quo 1. d. 3. q. 6 7.

Ad quintam, quando arguitur per Philosophum quod intellectus per scientiam reducitur de potentia essentiali ad potentiam accidentalem, dicendum quod æquivoce accipitur scientia a Philosopho; nam ibi accipitur scientia pro specie impressa ab objecto, quæ potest dici habitus et scientia, quia habet rationem quiescentis et permanentis in intellectu, vel etiam principium activum cum intellectu ad intelligendum, et acquirendum notitiam simplicem, prout habet vicem objecti. Sed alio modo accipitur scientia, et habitus pro quadam qualitate derelicta ex actibus sciendi, et ista scientia non est principium activum reducens intellectum de potentia essentiali ad accidentalem, et sic etiam dicendum est de habitu prudentiæ, quia species impressa in intellectu a primo objecto practico est principium reducendi intellectum de potentia essentiali ad actum prudentiæ, et potest dici habitus prudentiæ illa species propter causam prædictam; sed habitus, qui qualitas est derelicta ex actibus prudentiæ, non est principium activum eliciendi actum prudentiæ.

Quo[d] prud[entia] reduc[it in]tellect[um de] poter[tia] essen[tiali] ad acc[iden]tale[m].

Ad sextam, quando arguitur quod operatio perfectior et intensior requirit principium activum intensius, vel majorem conatum in principio activo, dicendum quod est verum, sed tamen quilibet experitur, quod habens habitum cum minori conatu potentiæ, æqualem actum elicit quam carens habitu, et habitus amovet difficultatem agendi: unde videtur, quod habitus sit principium agendi quando est diversitas a parte susceptivi; sicut igitur ignis æquali actione intensiorem calorem causat in ligno sicco quam in ligno viridi, propter diversitatem suppositi vel susceptivi, sic in proposito; licet enim habitus non sit ratio susceptivi, ita quod compositum ex potentia et habitu sit proprium susceptivum actus, tamen propter convenientiam habitus cum actu, actus receptus in potentia habituata est perfectior quam in potentia nuda receptus; unde sicut siccitas in ligno inclinat ad recipiendum calo-

Qu[are] ignis [æqua]li act[ione] magis [cale]facit [sic]cum, [quam] virid[e li]gnu[m].

rem intensiorem propter convenientiam quam habet, sic et habitus inclinat potentiam respectu actus, et secundum hoc patet, quomodo habitus dicitur amovere difficultatem.

rs reducitur ad gens, exponitur.

Ad septimam, cum arguitur per Philosophum quod *ars reducitur ad causam agentem*, dicendum, sicut supra dictum est, quod ibi non accipit artem pro qualitate derelicta ex actibus, sed pro specie rei artificialis impressa ab objecto, quomodo loquitur Philosophus 6. Metaphysic. cum dicit : *ab arte fiunt quorumcumque species est in anima, speciem autem dico, quod quid erat,* etc. et ista species potest dici ars, et habitus propter causam supra dictam.

rs sumitur pro specie impressa a Philosopho.

Dans esse lat agere, exponitur.

Ad octavam, cum dicitur quod habitus sit causa moralitatis in actu, quia dat *esse* virtuosum; igitur dat *agere* virtuose, dicendum quod non sequitur. Quantitas enim dat *esse* primum, et tamen non est principium alicujus operationis secundæ, et ideo non est verum quod dans *esse* primum, dat *esse* secundum, scilicet operationem, nisi quando ad *esse* primum sequitur actus secundus, quod non contingit in proposito.

Negans habitus esse activos non sentit ideo cum Pelagio.

Ad nonam, dicendum quod non sequitur opinio Pelagii; quia Pelagius dixit, quod homo ex puris naturalibus potest mereri, quod non ponit ista opinio; licet enim sine charitate posset habere substantiam actus, quam habet cum charitate, non tamen potest mereri sine charitate. Charitas enim requiritur propter rationem merendi, ut scilicet habens charitatem acceptetur a Deo.

Contra, aliquis dicitur mereri 15.
propter aliquid quod est in potestate sua ut præparatione quam habet ; si igitur charitas non sit principium agendi, tunc sequitur quod non sit principium merendi, dicendum quod major falsa est. Deus enim acceptat te non propter actionem tuam, sed quia dat tibi charitatem propter quam acceptat te, et non propter opus tuum.

Actus prudentiæ excedit actum intellectus non habituati, et tamen prudentia non est activa.

Præterea, adhuc arguitur ad principale; actus proprius prudentiæ excedit actum intellectus non habentis prudentiam, ita quod actus intellectus habituati per prudentiam excedit actum intellectus sine prudentia, quia actus intellectus solum est intelligere aliqua dividendo vel componendo, non referendo ad ulteriorem finem, sed actus intellectus informati per prudentiam est referre in finem prudentiæ; ergo actus intellectus habituati excedit actum intellectus non habituati : illud plus in quo excedit, a quonam est? Non est ab intellectu, quia tunc non excederet actum intellectus sine habitu existentis; ergo relinquitur quod sit ab habitu, et ita habitus erit principium activum respectu illius. Respondeo, quod intellectus sine habitu potest habere illum actum referendi in finem, aliter non posset habere actum virtuosum præcedentem habitum, ex quo habitus generetur sine habitu; sed non potest habere actum ita intensum, non propter majorem conatum, sed propter diversitatem a parte susceptivi.

COLLATIO VII.

Utrum intellectus possibilis sit activus in causando actum intellectus?

D. Thom. 1. *part. quæst.* 56. *art.* 1. *et* 55. *art.* 1. Scot. 1. *dist.* 3. *q.* 67. *et quodlib.* 15. *et* 4. *dist.* 10. *quæst.* 3. Henric. *quodlib.* 4. *quæst.* 7. Conimbr. 2. *de Anima*, *cap.* 6. *quæst.* 2. *art.* 3. Capr. 2. *dist.* 35. *quæst.* 1. *art.* 1.

SCHOLIUM.

Arguit subtilissime intellectum possibilem non esse activum : primo, quia secundum Philosophum agentis est agere, et possibilis pati. Respondet possibilem pati et agere. Contra, quia sequeretur eum perfectius agere quam agentem, quod est inconveniens, cum possibilis sit imperfectior agente. Respondet agentem non tantum concurrere ad speciem, sed ad ipsam operationem immediate cum possibili. Contra, uterque intellectus sunt una natura simplex, ex 2. d. 16. ergo non concurrunt in eumdem actum, quodam ordine, ita ut agens sit perfectior et nobilior causa, quia causæ subordinatæ habent diversitatem in reali nobilitate. Respondet, instando quod voluntas et intellectus sunt una simplex natura, tamen subordinantur, et voluntas movet intellectum, et est nobilior eo, ex 1. dist. 49. quæst. 4. Contra, quia si nulla est diversitas realis, una potentia non est realiter nobilior alia, et illa subordinatio est tantum secundum actus, inter quos est realis diversitas nobilitatis. Præterea instatur, quia possibilis se habet ad suum actum, sicut sensus ad suum; ergo sine concursu immediato agentis eum efficiet. Vide Doctorem quodlib. 15. n. 13. ubi ponit quatuor argumenta pro hac parte.

1. Arguitur quod non; intellectus agens non potest pati; ergo nec intellectus possibilis potest agere. Consequentia probatur ex 3. de Anima, *sicut intellectus agens est omnia facere, sic intellectus possibilis est omnia fieri.*

Responsio. Dicitur quod consequentia non valet; quia licet agens aliquid agendo, non moveatur, non prohibet tamen quod idem quod movetur, moveat, et quod illud quod patitur, agat, sic est de intellectu agente et possibili.

Replica. Contra, probatio, quod si intellectus agens tantum agat, quod intellectus possibilis tantum patiatur, quia possibilis intellectus, si sit activus respectu actus intelligendi, sequitur quod magis activus quam intellectus agens, consequens est falsum. Probatio consequentiæ : actus intelligendi est qualitas quædam perfectior et actualior, quam species abstracta a phantasmate per actionem intellectus agentis; sed effectus nobilior et perfectior est semper ab agente nobiliori, et magis activo producente secundum ultimum potentiæ suæ ; si igitur actus intelligendi producatur per actionem intellectus possibilis, et species repræsentans per actionem intellectus agentis, sequitur quod intellectus possibilis sit magis activus quam intellectus agens, et nobilior intellectu agente, cum tamen semper patiens sit ignobilius suo agente ; et intellectus agens tantum dicitur agens respectu possibilis, et non respectu phantasmatis, quia nihil imprimit in phantasmate, sed cum phantasmate agit in intellectum possibilem. Intellectu agens respectu cujus dicitur ta[ntum agens possibi]lis.

2. Replica. Dicitur quod adhuc non sequitur, quod intellectus possibilis sit magis activus, quia etiam respectu intellectionis, et actus intelligendi intellectus agens est magis activus, et non solum respectu speciei impressæ in intellectu possibili.

esponsio. Contra, impossibile est quod in una natura simplici respectu unius effectus simplicis producendi, sint causalitates duarum causarum essentialiter ordinatarum : sed intellectus agens, et possibilis sunt una natura simplex, quia natura animæ, supponendo quod potentiæ animæ non sint aliqua accidentia absoluta superaddita; ergo impossibile est quod intellectus agens, et possibilis concurrant ad productionem actus intelligendi sub quodam ordine, ita quod intellectus agens sit causa principalior quam possibilis. Major probatur per hoc, quod causæ essentialiter ordinatæ, habent diversitatem in reali nobilitate, cum in causis essentialiter ordinatis una sit nobilior alia, reali nobilitate : sed impossibile est quod in natura simplici sit diversitas realis nobilitatis, tunc enim eadem natura esset realiter nobilior seipsa, quod est impossibile; ergo impossibile est, ut in aliqua natura simplici sit causalitas nobilitatis duplicis essentialiter ordinatæ.

ide 2. sent. dist. 16.

naatura nplici potest esse iversitas sentialis.

3. Dicitur quod major falsa est, quia voluntas est potentia nobilior quam intellectus, vel e contra, et tamen sunt una essentia animæ, et una nihilominus habet causalitatem nobiliorem alia, tanquam causæ essentialiter ordinatæ, cum voluntas possit intellectum movere.

Vide 4. nt. d. 49. q. 4. esponsio.

eplica. Contra, illud non evacuat probationem majoris, quia cum impossibile sit in natura simplici, quod sit diversitas nobilitatis realis, oportet quæcumque duo sunt una natura simplex, quod unum non sit nobilius alio reali nobilitate; ergo si intellectus et voluntas sint una natura simplex in tertio, ut jam supponitur, sequitur quod impossibile sit voluntatem esse nobiliorem intellectu, aut e converso, reali nobilitate ; et ideo si intellectus et voluntas sint una essentia animæ, quæstio quæ quærit, quæ potentia sit alia nobilior, nulla est, nisi per comparationem ad actus; quia cum sint una natura, unum eorum non potest esse nobilius alio reali nobilitate, et ideo nunquam duo ex parte animæ possunt esse causæ essentialiter ordinatæ ad effectum aliquem producendum, et simul stat quod potentiæ animæ excedant, quantum ad actus, sed non quantum ad nobilitatem realem in se absolutam, quia una natura potest esse causa etiam agens secundum ultimum potentiæ suæ respectu diversorum effectuum, quorum unus sit perfectior altero, dummodo tamen sit causa æquivoca, sicut Sol respectu diversorum ab ipso productorum; et sic anima potest esse causa unius actus ut volendi, et actus alterius ut intelligendi, quorum unus sit nobilior alio, et ut eliciat unum, quod sit una potentia, vel ut alium, alia potentia, licet in se non habeat potentia diversitatem in nobilitate reali.

Tenendo intellectum, et voluntatem non distingui ab anima, an stat unam esse alia nobiliorem.

Item, quod dicitur, quod voluntas movet intellectum et agit in ipsum, hoc non est intelligendum immediate, sed voluntas causat actum volendi qui est quædam qualitas, et per istam qualitatem potest agere in intellectum, movendo ipsum et alias potentias, et hoc est voluntatem movere secundum imperium suum, ut *supra* dictum est.

4. Item, intellectus possibilis non est minus sufficiens ad causandum actum suum, quam potentiæ sensitivæ inferiores; sed potentia sensitiva præsente suo objecto, ut visus cum objecto visibili sibi præsentato, causat actum videndi, nec requiritur visus agens; ergo similiter præsentato objecto intellectui possibili, intellectus possibilis cum objecto erit sufficiens causa ad præsentialitatem objecti causandam, et propter hoc videtur solum Philosophus ponere intellectum agentem; quod etiam intellectus sit activus, et habeat propriam operationem, et quod forma hominis, a qua homo est homo, sit activa, non solum forma accidentalis, dicit Albertus *super* 1. *Ethic. tractatu quarto*, *cap.* 5.

Præterea, si intellectus agens dicatur activus respectu actus intelligendi, hoc non est, nisi quia movet intellectum possibilem ad intelligendum; sed hoc videtur falsum, quia tunc per istam motionem intellectus agens aliquid causaret in intellectu possibili: aut igitur actum intelligendi, aut speciem; non actum, quia prius intellectus possibilis movetur ab agente secundum dictam responsionem, quam actus intelligendi elicitur; et non speciem, quia post impressionem et abstractionem speciei a phantasmate, intellectus agens ponitur secundum istos movere possibilem ad intelligendum; ergo, etc.

An Agens aliquid producat in intellectu possibili.

SCHOLIUM.

Adducit alia tria argumenta contra activitatem intellectus possibilis, cum responsione et replica ad singula. Primum, quia tunc superflueret agens, quia possibilis causaret hanc speciem, cum ponatur causare actum, quia hic est nobilior effectus. Secundum, quia posset per voluntatem impediri ab actu, si esset activus. Tertium, quia posset intelligere sine specie, cum sensus posset sentire cum specie, et voluntas vult sine specie.

Præterea, arguitur sic ad principale: si intellectus esset activus, qui dicitur possibilis, tunc intellectus possibilis posset sibi fabricare speciem: consequens est falsum, quia tunc intellectus sibiipsi sufficeret ad intelligendum, et superflueret ponere intellectum agentem. Consequentia probatur: id quod est activum respectu formæ nobilioris et perfectioris, est activum respectu formæ ignobilioris præcise, cum forma ignobilior sit dispositio respectu formæ nobilioris, sicut patet in activis naturalibus; et propositio videtur vera per hoc, quod minor entitas requiritur ad productionem formæ ignobilioris, quam ad productionem formæ perfectioris; igitur activum respectu formæ nobilioris sufficit ad productionem formæ ignobilioris, sed actus intelligendi est forma nobilior, quam species abstracta a phantasmate, quæ species est sicut dispositio requisita in intellectu possibili ad actum intelligendi; ergo si intellectus possibilis sit activus ad producendum actum intelligendi, poterit producere in seipso speciem intelligibilem. 5.

Si possibilis esset activus an superflueret agens intellectus.

Dicitur quod major non est vera: aliquod enim agens est productivum formæ perfectioris, quod non est productivum formæ ignobilio-

Responsio

ris, quia non convenit sibi talem formam producere, etiam licet sit dispositio ad formam perfectiorem ; forma enim substantialis potest formam sibi similem producere, et tamen non formam alterativam, quæ est ut dispositio ad inductionem formæ substantialis, quia forma substantialis sibiipsi sufficeret ad inducendum formam suam.

Replica. Contra, si producere speciem repugnet intellectui possibili productivo actus intelligendi, aut hoc est propter imperfectionem intellectus possibilis, aut propter ejus perfectionem. Si propter ejus imperfectionem repugnet sibi, habetur propositum, quod repugnabit sibi producere actum intelligendi, quia imperfecto cui repugnat producere ignobilius, repugnat producere nobilius, cum major perfectio requiratur ad producendum nobilius quam ignobilius ens. Si autem non repugnet intellectui impossibili propter ejus perfectionem ; ergo cum intellectus agens sit perfectior, et magis activus quam intellectus possibilis, intellectui agenti repugnabit causare speciem in intellectu possibili per abstractionem a phantasmate.

Unde repugnat possibili producere speciem.

6\. Præterea ad principale arguitur sic : omne activum subjectum imperio voluntatis potest impediri a sua actione per imperium ; sed intellectus possibilis habens objectum sibi sufficienter præsentatum, non potest impediri a voluntate quin illud intelligat ; voluntas enim cum ante intellectionem intellectus non habeat illud objectum sibi ostensum, non potest intellectum impedire, nec aliquem actum habere, cum voluntas non habeat actum, nisi circa objectum cognitum ; ergo intellectus non habet activitatem subjectam voluntati, sed erit passivus ab objecto, ut quia voluntas non potest impedire phantasma quin moveat intellectum causando passionem, quæ dicitur intelligere, ideo non possit impedire intellectum ab intellectione objecti sibi ostensi.

Dicitur quod voluntas non potest impedire intellectum a prima intellectione objecti, quia *non est in potestate nostra, quin visis tangamur :* potest tamen impedire intellectum a secunda intellectione et tertia, et universaliter ab exercitio actus intelligendi, postquam objectum intellectum est solum ab intellectu, et ostensum voluntati.

Contra, intellectus habens demonstrationem alicujus conclusionis scibilis, ita firmiter adhæret conclusionis veritati, intelligendo ipsam, et considerando quod voluntas non potest facere intellectum dissentire tali conclusioni ; ergo intellectus non habet activitatem subjectam, quia si talem haberet, voluntas posset facere ; ergo quod hoc non possit facere est, quia objectum causat assensum in intellectu, et non quia intellectus ex se effective assentit conclusioni.

An voluntas potest impedire assensum conclusionis demonstratæ.

Præterea ad principalem arguitur sic : omne habens entitatem activam ab alio distinctam, habet operationem distinctam in quam potest ; sed intellectus possibilis habet entitatem distinctam a specie intelligibili, et per te habet

activitatem distinctam a specie; ergo potest in operationem intelligendi sine specie, quod falsum est.

7. Responsio. Dicitur, quod species licet non requiratur propter substantiam actus intelligendi, qui est ab intellectu, est tamen propter actuum determinationem.

Replica. Contra, si intellectus habeat aliquam activitatem, hoc est respectu determinati actus et singularis, non respectu actus universalis; actus igitur productus ab intellectu ex se singularis est; ergo ab eodem habet, quod sit habens substantiam suam et singularem, quod igitur est causa actus secundum substantiam, erit causa actus secundum suam singularitatem.

Causa actus secundum entitatem est causa ejusdem secundum singularitatem.

Præterea, arguitur quod non sit necesse ponere speciem intelligibilem in intellectu possibili, si sit activus: quia in ordine agentium videmus, quod quanto agens est superius et perfectius, tanto minus patitur, et magis activum est, ut patet in ordine agentium corporalium. Unde cœlum, quod est perfectius inter agentia corporalia, minus patitur, imo non recipit ab exterioribus et inferioribus aliquam passionem. Ideo similiter in ordine vitalium agentium, quanto agens est superius, tanto minus patitur, et magis agit; si igitur sensus ad actionem requirat speciem impressam, qua agat, ascendendo erit tandem devenire ad agentem naturæ intellectualis, qui sic agat, quod non patiatur recipiendo speciem.

Quod possit intellectus sine specie agere.

Præterea, intellectus et voluntas, cum sint potentiæ ejusdem immaterialitatis, ea quæ ponuntur propter actionem unius ex parte unius potentiæ, possunt salvare actionem alterius potentiæ; sed nunc est ita, quod ad hoc quod voluntas velit agendo actum volendi, non requiritur aliquid impressum in voluntate, sed sufficit sola ostensio objecti in intellectu; ergo ad hoc quod intellectus si sit activus, intelligat, sufficit quod objectum sit sibi ostensum in phantasmate, in virtute intellectus agentis, nec oportet speciem aliquam imprimi in intellectu possibili.

SCHOLIUM.

Circa responsionem quamdam ad ultimum argumentum (quod concludit, si ponatur possibilem esse activum, non requiri speciem) qua dicitur intellectum non esse causam totalem sed speciem, quatenus tenet vicem objecti, esse concausam intellectionis, ut docet 2. d. 3. q. 7. n. 20. et q. 8. ubi n. 2. probat intellectum esse causam principaliorem respectu visionis, ad quam naturaliter movetur; arguit multipliciter, quod intellectus sit tota causa intellectionis, et argumenta sunt pulcherrima, et satis urgentia: alia argumenta ad idem habet 1. d. 3. q. 7. n. 1. et 2. et solvit n. 24. et 40. et juxta doctrinam sparsim datam, ibi q. 6. et 7. argumenta hîc posita solvi possunt. Quod vero species dentur, contra quod aliqua ex his argumentis faciunt, late probat ibi q. 6. a num. 5.

Præterea, quod dicitur, quod in- 8.
tellectus, licet sit activus, non tamen est tota causa actus, sed species, inquantum tenet vicem objecti, ita quod intellectus cum objecto relucente in specie est totalis causa actus.

Contra hoc arguitur, primo specialiter de actu intelligendi reflexo; nam intellectus non solum intelligit aliquod objectum, ut la-

pidem, sed etiam intelligit suum *intelligere*, quod quidem est per se intelligibile, quia vera qualitas et absoluta.

Quæro igitur, an intellectus sit tota causa actus intelligendi, quo intelligit suum *intelligere* lapidis, aut objectum sit causa cum intellectu : si intellectus sit tantum, habetur propositum, quod intellectus sit totalis causa efficiens actus intelligendi. Si dicatur quod intellectus cum objecto est causa actus intelligendi, qui intelligit suum *intelligere* :

Quomodo cognoscit intellectus reflexe.

Contra, quando intelligit actu reflexo suum *intelligere*, illud *intelligere* non est, quia non est qualitas mansiva, et per consequens non durat in alio actu intelligendi, aliter enim duo actus intelligendi simul essent in intellectu, et infiniti, cum in infinitum contingat reflectere super actus intelligendi : sed quod non est, non est principium activum actus ; igitur non semper objectum est principium activum respectu actus intelligendi cum intellectu.

9.

Cognitio accidentis an perfectior cognitione substantia.

Præterea, si objectum præsens in specie esset causa partialis actus intelligendi, tunc sequeretur quod actus intelligendi respectu ignobilioris objecti, esset perfectior quam respectu objecti perfectioris, quod falsum est ; consequentia probatur, quia si objectum relucens in specie esset causa actus intelligendi, tunc illud objectum quod perfectius relucet in specie, et perfectius *esse* habet in intellectu per speciem, perfectius esset principium causandi actum intelligendi, quia quanto aliquod activum verius *esse* habet, tanto est magis activum ; sed quidditas accidentis verius *esse* habet in intellectu per speciem, quam quidditas substantiæ, quia forte substantia non intelligitur per speciem propriam, eo quod speciem propriam non facit in intellectu, nec in sensu. Similiter quidditas substantiæ materialis verius *esse* habet in specie intelligibili, quam substantiæ immaterialis, quæ non habet proprium phantasma ; ergo actus intelligendi accidentis perfectior esset, quam actus intelligendi substantiæ materialis, et actus intelligendi substantiæ materialis perfectior, quam actus intelligendi substantiæ immaterialis, et sic respectu nobilioris objecti esset imperfectior actus intelligendi.

Præterea, secundum quod innuitur a Philosopho 2. *Metaph.* et expressius ibidem habetur a Commentatore, difficultas in cognoscendo res materiales est ex parte rerum naturalium ; sed hujus oppositum sequeretur, si objectum materiale concurreret cum intellectu ad actum intelligendi substantiæ materialis, quia omne activum natum est facere de se actionem sibi proportionatam secundum virtutem suam : unde activum perfectius, ut calor intensus natus est facere actionem calefaciendi proportionatam suæ virtuti, et calor parvus et remissus in objectum sibi proportionatum, natus est facere actionem proportionatam suæ virtuti, licet non ita perfectam, sicut calor intensus ; ergo si objectum rei sensibilis concurrat cum intellectu ad actum intelligendi, ita in 10.

Difficultas intelligendi est ex parte rerum.

illud objectum aget actionem sibi proportionatam, sicut objectum nobilius cum intellectu; igitur difficultas ad cognoscendum res materiales cognitione ejus proportionata, non erit ex parte rerum; sed intellectus esset sola causa actus, tunc posset salvari quod difficultas esset ex parte rerum, quia intellectus non potest cognoscere rem propter mutabilitatem rei, non propter imperfectionem suam.

Esse abstractum a singularibus, an activum.

Præterea, objectum non habet *esse* in specie, nisi *esse* cognitum in intellectu: hoc *esse*, aut est *esse* abstractum a singularibus, nihil autem secundum tale *esse* est principium activum realis operationis, quia omne tale activum est singulare; igitur objectum secundum *esse* quod habet in specie, non videtur quod possit esse principium realis operationis.

11\. Præterea, omne agens respectu duorum effectuum, quorum unus est nobilior alio, si sit totale principium activum respectu effectus nobilioris, erit multo fortius respectu effectus imperfectioris, ut patet de Sole producente diversa animalia ex putrefactione, quorum unum est perfectius alio; et ratio est, quia minor virtus requiritur ad productionem effectus ignobilioris, et quod potest in majus, potest in minus; sed anima separata est æquivoca causa respectu intellectionis sui et aliorum sensibilium, et intellectio sui est actus nobilior intellectione rei materialis, quia objectum est nobilius; respectu autem intellectionis sui est causa effectiva totalis, quia in hac intellectione intellectus et objectum sunt idem; ergo respectu intellectionis materialis intellectus est totale principium.

Intellectus est causa totalis intellectionis sui.

Si essentia qua talis causat visionem, naturaliter agit ad extra.

Præterea, hîc arguitur de visione beata: nam si ad actum videndi beatificum concurrit intellectus beati, et objectum ut essentia divina, sequitur quod essentia divina necessario habebit actionem ad extra. Probatio, omnis actio quæ competit Deo prius secundum ordinem, quam per respectum voluntatis, competit sibi ex natura rei et ex necessitate; sed essentia divina ut essentia, est objectum beatificum, sic autem secundum respectum præcedit seipsam, ut volens est; igitur si ut objectum est intellectionis beatæ, concurrat ad causandum ipsam, sequitur quod necessario causabit ipsam. Confirmatur: si Angelus videat Angelum, si objectum concurrat ad actum intelligendi causandum, Angelus visus, non obstante quod sit intelligens et volens, ut tamen quoddam ens et natura, necessario concurreret ad illum actum; igitur cum Deus consimiliter non solum ut intelligens et volens, sed ut natura, sic concurreret ad actum videndi, necessario causabit illum actum in intellectu Beati.

Præterea, si in cognitione intuitiva, qua anima separata, vel Angelus videt aliquod singulare præsens, concurrunt intellectus possibilis et objectum extra, sequitur quod non sit necessarium ponere intellectum agentem, quia actus intelligendi perfectior est, quam species; si igitur ad actum intelligendi causandum sufficit intellec-

tus cum objecto materiali, multo fortius sufficiet cum objecto materiali ad causandum speciem, et sic non requiritur intellectus agens; unde si propter translationem de ordine materialis ad immateriale, ibi non requiritur intellectus agens, nec oportebit in abstractione speciei, cum intellectio sit ita immaterialis sicut species.

SCHOLIUM.

Scotus in hac quæstione, an intellectus possibilis sit activus necne, problematicus est, quodlib. 15. ubi a n. 16. solvit argumenta pro utraque parte; argumenta hîc posita, sunt urgentissima, quibus in particulari satisfacere, brevitas instituti non permittit.

COLLATIO VIII.

Utrum actus intelligendi sit ab objecto effective?

Doctores citati *disput. præcedenti.*

SCHOLIUM.

Probat objectum effective concurrere ad actum, quia actus distinguuntur per objecta non formaliter, materialiter, aut finaliter. Respondet, quod tantum manifestative distinguuntur. Contra, non possunt intellectiones diversæ specie esse a sola potentia intellectiva. Respondet, habere diversas virtutes, objectum eam determinare, et substantiam actus esse ab ipsa, et determinationem ab objecto. Refutat tria dicta hujus responsionis clare et subtiliter, quamvis ipsam replicam non tanti faciat 1. d. 3. q. 7. n. 40. ad tertium: quia Sol multos specie diversos effectus efficit; de quo etiam hîc n. 7. late disputat a n. 8. si intellectus solus producere posset infinitas intellectiones successive, an inde sequeretur esse infinitæ virtutis.

1. Videtur quod sic: actus distinguuntur per objecta sua *ex* 2. *de Anima;* hoc autem non potest intelligi formaliter, quia objectum non est formaliter actus intelligendi; ergo formaliter per objecta non distinguuntur, nec materialiter; certum est quod materia activum est subjectum, in quo est, quod est anima.

Similiter operationis manentis in agente non est aliquid aliud, quod est finis ejus, præter usum, ex 9. *Metaph.* ergo distinguuntur per objecta effective; ergo objecta efficiunt in intellectu actus intelligendi diversos secundum speciem, imprimendo suas similitudines.

Dicitur quod nullo illorum modorum actus distinguuntur per objecta, nec in aliquo genere causæ, sed tantum manifestative: nam cum actus intelligendi assimilentur objectis, et non potentiæ intellectivæ, ideo distinctio actuum magis manifestatur per objecta, quamvis effective sint actus intelligendi a potentia intellectiva sola.

Contra, eadem causa limitata, et ejusdem rationis non potest esse efficiens principium effectivum respectu diversorum specifice distinctorum; ergo cum diversorum objectorum secundum speciem sint diversæ intellectiones secundum speciem, non possunt diversæ intellectiones secundum speciem esse sola potentia effectiva intellectiva, nisi concurrant effective objecta distincta secundum speciem.

Dicitur ad hoc, quod potentia intellectiva ex sua dignitate et 2. Responsio.
perfectione activa habet diversas virtutes, per quas potest in diversas operationes secundum speciem; et objectum, licet non causet effective actum intellectus in

potentia intellectiva, tamen determinat intellectum, qui est potentia indeterminata omnino ad hunc actum, vel ad illum, ideo intellectus per hoc quod habet diversas virtutes, et per hoc quod objecta diversa determinant, potest elicere intellectiones distinctas secundum speciem, ut sic solus intellectus facit ad causalitatem actus, quantum ad differentiam actus, sed objectum quantum ad determinationem actus, ut actum determinat, tamen potentia indeterminata de se determinata ab objecto eliciat.

Replica. 3.

Contra hoc quod dicitur, quod objectum determinat potentiam ad actum, ex hoc sequitur propositum, quia quidquid est in intellectu impressive ab alio, est vel species, vel actus, vel habitus. Si igitur objectum effective determinat intellectum, illud impressum in intellectu quod ipsum determinat ad actum, erit vel species, vel habitus, vel actus, et tunc sequitur propositum dupliciter.

Si objectum determinat intellectum, agit actum.

Primo, quod tale non sit species, quia ante talem determinationem intellectus, species imprimitur in qua objectum relucet, quod ponitur potentiam intellectivam determinare ; nec habitus, quia hujus determinatio potest præcedere actum intelligendi, et habitus causatus ex actu intelligendi sequitur actum ; ergo relinquitur, quod illud impressum sit actus intelligendi.

Secundo sequitur propositum, quia cum hujusmodi determinatio intellectus non potest in actum intelligendi, nisi inquantum determinatur ab objecto; igitur intellectus non sufficit ad causandum actum intelligendi sine actione objecti in intellectum ; ergo concurrit objectum ad causandum actum intelligendi, quia determinatio actus concurrit ad eliciendum actum, cum intellectus (inquantum sic determinatur) actum eliciat, et sic habetur propositum, quia actus intelligendi non fit a sola potentia intellectiva effective.

4. Diversæ virtutes intellectus sunt diversæ potentiæ.

Contra hoc, quod secundo dicitur, quod intellectus habet diversas virtutes ad causandum diversas operationes secundum speciem. Nam sive potentia animæ ponatur essentia animæ, sive absolutum additum per hoc, quod anima habet virtutes respectu diversarum operationum secundum speciem, habet diversas potestates, aliter enim intellectus, et voluntas non essent diversæ potentiæ; ergo si intellectus habeat virtutes diversas respectu diversarum operationum secundum speciem, sequitur quod intellectus sit plures potentiæ.

Ab eodem est actus substantia et determinatio, quo colli. 6. num. 1

Contra hoc, quod tertio dicitur, quod intellectus causat substantiam actus, et objectum determinationem in actum, quoniam hic actus, ut hic actus, quo attingitur objectum, determinatus est; ergo quod habet sufficientem causalitatem respectu substantiæ istius actus, habet etiam sufficientem causalitatem respectu determinationis in isto actu ; si igitur solus intellectus sit per se causa substantiæ illius actus, sequitur quod solus intellectus sit causa determinationis illius actus. Unde ab eodem est

actus secundum substantiam, et secundum determinationem illius.

5. Ad primum istorum dicitur, quod illud impressum ab objecto in intellectu, quo intellectus determinatur ad actum determinatum eliciendum, non est species, nec habitus, nec actus, sed est sola passio de genere Passionis, qua intellectiva potentia inclinatur ab objecto, ad actum determinatum, sicut *intelligere* non est aliquid absolutum, sed actio quædam, vel passio simplex, quæ est actus perfecti.

Ad actionem non est motus.

Contra, Philosophus 5. *Physic.* probat per plures rationes ex intentione, quod ad actionem non est motus, neque ad passionem; ergo impossibile est, ut motus quo intellectus mutatur ab A, esse indeterminato ad *esse* determinatum per actionem objecti determinantis effective, terminetur ad solam passionem.

Nihil movetur secundum motum neque patitur secundum passionem.

Præterea, quidquid patitur realiter, patitur secundum aliquam formam, quod enim aliquid patiatur, et tamen quod nihil absolutum in passo relinquatur, est oppositum in adjecto : unde sicut nihil movetur secundum motum, sed secundum aliquam formam, secundum quam movetur, ita nihil patitur secundum passionem, sed secundum aliam formam, secundum quam patitur ; ergo si intellectus patiatur ab objecto per hoc, quod ab ipso determinatur, oportet ut aliam formam imprimat, secundum quam patiatur.

Præterea, nihil potest esse principium et ratio formalis operandi, nisi aliqua forma absoluta, et non sola passio : non enim per solam passionem, ut per principium et rationem formalem, dicitur aliquid agere, sed secundum dictam responsionem intellectus non potest agere, nisi inquantum ab objecto determinatur; ergo illud per quod intellectus sic determinatur, non potest esse sola passio, sed aliqua forma absoluta.

Præterea, posita causa sufficienti et naturali, et materia circa quam agit, si habeat operationem transeuntem, potest agere circumscripto quocumque alio, aliter enim non esset causa. Si igitur intellectus sit sufficiens causa et totalis respectu intellectionis, cum ipse sit causa naturaliter agens, et non libere, circumscripta determinatione, et quocumque alio, adhuc poterit agere ; ergo intellectus ageret, licet ab objecto non determinetur ad intelligendum.

Intellectus posset intelligere sine objecto, si non est activum.

Vel sub alia forma sic : intellectus aut habet totam causalitatem respectu intellectionis, aut non : si non totam causalitatem habet, habetur propositum, quod actus intelligendi non sit a sola potentia intellectiva. Si vero intellectus habet totam causalitatem respectu intellectionis, cum posita tota causalitate, effectus naturaliter causandi, ponitur effectus, sequitur quod intellectus sine objecto, et sine determinatione facta ab objecto, intelligere posset.

6. Quomodo potentia possit determinari, nullo ei impresso.

Aliter dicebatur ad rationem superius factam, quod alio modo determinatur potentia activa et potentia passiva : nam potentia passiva est potentia contradictionis, et non determinatur ad aliquem actum secundum, nisi per aliquam

formam quæ sit principium actus secundi sibi impressam, ut lignum non determinatur ad calefaciendum, nisi per calorem sibi impressum : sed potentia activa ad hoc quod determinetur ad agendum, non requirit quod aliquid sibi imprimatur, sed sufficit sola approximatio materiæ, circa quam agit : hoc patet 9. *Metaph.* ubi probat Philosophus, quod ad hoc, quod potentia naturalis exeat in actum, non requiritur nisi quod sit approximatum passum, ita quod hoc sit natum agere et illud pati, et non quod aliquid sit potentiæ activæ impressum, et ideo secundum prædictam opinionem, potentia intellectiva ad hoc quod determinetur ad certum actum eliciendum, non requiritur quod aliquid sibi imprimatur, sed sufficit sola exhibitio objecti, in quod per actum suum tendit. Ratio igitur superius facta falsum supponit, quod objectum effective determinat intellectum, et ideo non imprimit objectum aliquid intellectui, nec actum, nec speciem, nec habitum, sed intellectus in seipso causat actum intelligendi.

7. Sed tunc restat respondere ad unam rationem prius factam, quando arguitur quod causa unius rationis non potest esse principium sufficiens respectu diversarum operationum distinctarum specie.

Ad quod dicitur, quod hoc verum est de causa univoca, sed non de causa æquivoca, quæ per exhibitionem diversorum objectorum causat diversas operationes specie distinctas, ut Sol constringit lutum, et dissolvit glaciem : intellectus vero est causa æquivoca, et aliquo modo limitata respectu intellectionum, et ideo per conformitatem ad diversa objecta, potest sua causalitate diversas intellectiones causare.

Posse producere infinitas intellectiones, an arguat infinitatem in potentia.

Sed contra hoc arguitur; quia posse producere duas intellectiones duorum objectorum specie distinctorum est majoris perfectionis, quam posse producere unam istarum tantum : sicut posse producere duas species, et duos effectus specie distinctos, majoris perfectionis est, quam producere unum istorum; aliter enim habens virtutem ad producendum unum istorum, tantum haberet virtutem ad producendum ambos, quod falsum est; et eadem ratione posse producere tres intellectiones, majoris perfectionis est, quam producere duas. Cum igitur intellectiones possint invicem succedere in infinitum, si intellectus habet virtutem activam sufficientem respectu unius intellectionis, habebit virtutem causandi infinitas intellectiones successive, sed hoc est infinitæ perfectionis ut probatum est, cum posse in tres intellectiones successive sit majoris perfectionis. quam posse in duas, et ita posse in infinitas successive erit infinitæ perfectionis; igitur intellectus erit infinitæ perfectionis, et infiniti vigoris, quod est impossibile.

Ad hanc rationem dicebatur, primo ostendendo quod hæc ratio non magis concludit contra opinionem ponentem, quod intellectus sit totalis causa intellectionis, quam contra aliam opinionem ponentem, quod non sit tota causa intellectionis, sed partialis, quæ cum ob- 8.

jecto concurrit ad efficiendum actum intelligendi ; quoniam causalitas et actualitas partialis, qua intellectus cum duobus objectis specie distinctis potest producere diversas intellectiones specie distinctas, est majoris perfectionis et virtutis in intellectu, quam causalitas partialis, qua cum uno objecto potest in unam intellectionem secundum speciem. Probatur hoc, sicut ipsi probant, quia aliter habens causalitatem partialem respectu unius intellectionis tantum, haberet causalitatem partialem respectu duarum intellectionum specie distinctarum; et hoc etiam patet esse verum, cum intellectus majorem visum, et majorem virtutem habet ad intelligendum majus intelligibile, ut substantiam determinatam, quam ad intelligendum minus intelligibile, et majoris difficultatis est ad cognoscendum majus intelligibile, quam minus. Hæc autem difficultas non est ex parte intelligibilium, quia unum objectum, quantum est de se, natum est imprimere et agere cum intellectu, sicut aliud; igitur secundum deductionem rationis prædictæ posse successive in infinitas intellectiones secundum speciem, sicut causa partialis concludit in intellectu infinitatem virtutis.

9. Ad rationem in se dicebatur, quod ratio supponit, quod potest esse processus in infinitum in speciebus et objectis distinctis secundum speciem, respectu quorum possunt esse intellectiones infinitæ distinctæ secundum speciem. Hoc autem suppositum dubium est valde, an Deus super omnem speciem posset aliam in infinitum producere; hoc tamen supposito, ulterius dicitur ad rationem, quod posse producere hanc intellectionem et illam, est majoris virtutis, quam producere unam tantum, et hoc, quia istæ intellectiones sunt inæquales, et una est nobilior, quæ erit respectu nobilioris objecti, cujus cognoscibilitas non excedit virtutem intellectus; sed sic procedendo in infinitum in objecto, secundum speciem et intellectionem, ultimo erit devenire ad aliquod objectum adæquatum virtuti intellectus, cujus cognoscibilitas adæquat virtutem cognitivam intellectus, quod etiam natum est ab intellectu cognosci, quantum cognoscibile est. Et circa illud objectum intellectus natus est habere actum intelligendi perfectum quem habere potest, et si tunc producatur aliqua species nobilior, quæ excedit virtutem cognitivam intellectus, circa illud objectum intellectus non habebit perfectiorem actum cognoscendi, et tandem ascendendo habebit actum imperfectiorem cognoscendi, et minus intensum circa objectum nobilius, quam circa objectum adæquatum sibi; et tunc posse producere aliam intellectionem imperfectiorem et perfectiorem circa objectum sibi adæquatum, non est majoris virtutis producere illam intellectionem perfectiorem tantum, quia per eamdem virtutem in summo, per quam potest in actum perfectiorem, potest etiam in actum imperfectiorem circa nobilius objectum, quod excedit virtutem intellectus cognitivam.

10. Posse producere infinitas intellectiones æquales, an arguat infinitatem potentiæ.

Contra : fiat ratio prædicta non de inæqualitate objectorum et intellectionum, sed de pluralitate intellectionum secundum speciem, quamvis essent æquales et objecta æqualia, sic posse producere duas intellectiones æquales secundum speciem majoris virtutis est, quam posse producere unam tantum; ergo posse producere infinitas intellectiones diversas secundum speciem etiam æquales, erit infinitæ perfectionis et virtutis; sed hoc posse convenit intellectui, si sit sufficiens causa respectu intellectionis cujuslibet objecti; ergo ut prius sequitur quod intellectus sit infinitus in vigore.

Præterea, quod dicitur, quod dubium est de processu in infinitum in productione specierum, hoc nihil facit ad propositum, quia sive possibile hoc sit, sive impossibile, ratio æqualiter concludit; quia si ponatur per impossibile, quod super quamcumque speciem posset produci alia in infinitum, et quod solus intellectus causet intellectionem, cum omne producibile possit ab intellectu cognosci, et posse cognoscere plura objecta secundum speciem sit majoris virtutis in intellectu, etiam successive, quam posse cognoscere pauciora, sequitur secundum rationem priorem, quod intellectus sit infinitus in vigore; sed hoc impossibile non sequitur propter propositum hoc, quo ponitur processus in infinitum in speciebus rerum, quia etsi hoc verum esset, quod essent species infinitæ, adhuc cum hoc esset una species limitata, sicut modo est intellectus ejus, esset finitus in perfectione; ergo illud impossibile sequitur ex hoc, quod ponitur intellectus activus sufficiens ad causandum intellectionem. Unde et Philosophus aliquando in arguendo supponit impossibile, dum tamen ex impossibili non sequatur impossibile, ut probando quod tempus non sit motus cœli, arguit quod tunc, si plures essent motus cœli, plura essent tempora, cum tamen antecedens sit impossibile apud eum.

Licet arguere ex positione impossibilis.

Similiter Augustinus probando quod innascibilitas et paternitas non sint eadem notio, arguit quod si Pater esset ab alio in Divinis, adhuc esset Pater, et non innascibilis.

Ad primum horum dicitur, quod si essent æquales species in perfectione, tunc posse producere duo, non esset majoris perfectionis, sive virtutis quam posse producere unam, sicut nec successive producere duo individua arguit majorem perfectionem intensivam, quam posse producere unum individuum, imo tunc per eamdem virtutem, per quam ratio, vel causa potest producere unam et aliam. 11.

Contra : si esset aliqua causa, quæ haberet formaliter causalitates infinitarum causarum univocarum æqualium in perfectione, illa esset infinita ; ergo cum habere causalitatem alicujus virtualiter, sicut habet causa æquivoca, sit perfectius habere causalitatem quam habere formaliter, sequitur quod causa æquivoca virtualiter habens causalitatem respectu infinitorum effectuum specie differentium, licet essentialium, sit in-

finitæ perfectionis intensive; igitur si intellectus habeat causalitatem respectu intellectionum infinitarum specie æqualium in perfectione, erit infinitus in perfectione.

Præterea, si posse producere duas species in perfectione non sit majoris virtutis, quam producere unam, tunc habens virtutem ad producendum unam, haberet virtutem ad producendum duas, et sic cum una species habeat virtutem ad producendum individuum speciei suæ, sequitur quod unaquæque species possit producere aliam indifferenter, quod falsum est.

Ad primum, quod si omnes species essent æquales in perfectione, sicut individua unius speciei, tunc illa causa quæ includet formaliter causalitates omnium, non esset infinita intensive, sed solum extensive. Si enim esset infinita intensive, necessario perfectio unius speciei esset major, quam perfectio alterius.

12. Ad primum principale arguitur per Philosophum 7. *Metaph.* ubi vult, quod principium omnium in syllogismis practicis, *est quod quid est, ex quo fiunt syllogismi.* Unde ait ibi, quod sicut eorum quæ fiunt a natura, est potentia in spermate, per quam fit aliquid simile, sic eorum quæ fiunt ab arte, est principium rei factæ, ut conclusiones practicæ reducantur in principia, et principium, *quod quid est* : sed *quod quid est,* objectum est intellectus; ergo objectum intellectus est principium activum eorum, quæ fiunt ab arte, quorumcumque species est in anima; speciem autem dico *quod quid erat esse* cujuscumque, et illud, *quod quid erat esse* rei artificialis in anima dicit esse principium activum cognitionis factivæ, sive artificialis, propter quod etiam principium dicit in artificialibus, *simile fit a simili.*

Objectum secundum Philosophum esse activum.

Unde concludit, quod si sanitas fit ab arte, tunc species quæ est ab anima, est faciens, unde inchoatur motus sanandi. Et sic dicit, quod accidit sanitatem ex sanitate fieri, quia ex sanitate in anima fit sanitas in re extra : si autem solus intellectus esset principium activum cognitionis artificialis, tunc in artificialibus nullo modo fieret simile ex simili, nec ex domo in anima fieret domus extra, sed ex solo intellectu, qui non magis assimilatur domui quam sanitati.

Sanitas fit ex sanitate, et domus ad extra a domo ad intra.

SCHOLIUM.

Resolutio Doctoris, in hac collatione habetur, 1. d. 3. quæst. 7. num. 3. et 20. ubi auctoritatibus et rationibus probat speciem esse concausam intellectionis, et declarat, quomodo ipsæ et intellectus sint causæ subordinatæ, et solvit argumenta in contrarium, n. 24. et 40. vide ipsum ad idem 2.d. 3. q. 8. n. 8.

COLLATIO IX.

Utrum intellectus, circumscripto omni actu voluntatis, possit assentire omni per se scibili ?

Alens. 3. *part. quæst.* 80. *membr.* 1. D. Thom. 3. *p. q.* 24. *art.* 2. *et* 2. 2. *q.* 4. *art.* 2. D. Bonaven. 3. *d.* 23. *art.* 1. *q.* 2. Rich. *art.* 6. q. 1. Suar. 3. *part. tom.* 1. *q.* 7. *in. art.* 3. Vasq. 1. 2. *quæst.* 186. *cap.* 2. Scot. 3. *d.* 25. *quæst.* 2.

Dicitur, quod omni per se scibili a nobis in via potest intellectus as- 1.

sentire circumscripto imperio voluntatis, non tamen omni scibili in se.

Primum probatur per hoc, quod omnis potentia habet in se suam operationem, quæ est salus et perfectio ejus, circumscripto quocumque alio, quod non facit ad suam operationem : sed ostenso aliquo scibili a nobis ipsi intellectui, assentire veritati illius, et intelligere veritatem illius scibilis, est operatio intellectus, quæ est salus et perfectio ejus, ad *esse* cujusmodi operationis nihil facit actus voluntatis ; tum, quia non est in voluntate nostra, quin visis tangamur ; tum, quia actus intelligendi prior est actu voluntatis, et primum non dependet a posteriori ; ergo circumscripto omni actu voluntatis, intellectus potest de se assentire omni scibili ab alio.

Non tamen omni scibili in se, quia creditum, aut Deum esse trinum et unum, est scibile in se, et tamen ei non assentit intellectus, nisi concurrat actus voluntatis, quia secundum Augustinum *cætera potest quis nolens, credere vero non nisi volens.*

Contra arguitur, probando quod cuilibet scibili etiam credito, potest intellectus assentire sine imperio voluntatis, ita quod si est scibile in se, quod sit scibile a nobis. Et arguitur sic : omnis compositio cujus termini possunt apprehendi ab intellectu, si est scibilis in se, est scibilis intellectui : sed hujusmodi complexionis *Deum esse trinum*, termini possunt apprehendi ab intellectu nostro ; ergo talis complexio scibilis est ab intellectu nostro.

An ad credere requiratur actus voluntatis ?

Dicitur, quod major vera est, si termini complexionis possint apprehendi ab intellectu secundum suas rationes quidditativas, tunc enim complexio potest sciri ab eodem intellectu : sed quando termini solum apprehenduntur in generali, non oportet, sic vero solum apprehenditur Deus in via a nobis, non secundum suam essentiam, ut est hæc essentia in se, sed solum secundum generales rationes attributorum. 2.

Contra : major probatur generaliter, sic arguendo : omnis propositio constituta ex terminis in generali cognitis, scibilis est ab intellectu apprehendere illos terminos in generali, ut sunt extrema illius propositionis ; sed hæc, *Deus est trinus*, est hujusmodi propositio constituta ex terminis in generali cognitis ; ergo est scibilis a nobis in generali ab intellectu nostro in generali apprehendente illos terminos, ut sunt extrema illius complexionis. Major sic probatur : Nam talis propositio, aut est immediata, aut mediata : si est immediata ; ergo scibilis est ab intellectu apprehendente terminos illos confuse, et in generali, ut sunt termini illius propositionis. Si est mediata ; ergo medium habet inter extrema, sed si extrema apprehendi possunt ab aliquo intellectu, et medium inter illa potest apprehendi, de quo medio quærendum est sicut prius, aut est immediata propositio, aut mediata. Si immediata ; ergo scibilis est ab intellectu apprehendente termi-

Propositio scibilis est ab intellectu, apprehendente terminos

nos : si mediata; ergo habet medium, et sic usque ad aliquod immediatum principium deveniatur; ergo omnis complexio cujus termini in generali apprehendentur ab intellectu aliquo, scibilis est ab eodem intellectu.

3. Aliter vero potest sic formari ratio : omnis complexio scibilis ex terminis confuse cognitis scibilis est ab intellectu confuse apprehendente terminos : sed hæc *Deus est trinus* scibilis est ex terminis confuse cognitis ; ergo scibilis est a nobis apprehendentibus confuse terminos. Si vero istius syllogismi concedatur major, et negatur minor.

Complexio necessaria ex terminis confuse cognitis, est scibilis.

Contra ; omnis complexio necessaria ex terminis confuse cognitis, scibilis est ab intellectu confuse apprehendente terminos : sed hæc, *Deus est trinus*, necessaria est ex terminis confuse cognitis, quia est aliqua, vel est ut sic, et non contingens ; ergo necessaria ; ergo hæc, *Deus est trinus*, scibilis est ex terminis cognitis. Major probatur ut prius : quia omnis complexio necessaria ex terminis confuse cognitis est immediata, aut mediata, sicut prius argumentatum est.

SCHOLIUM.

Resolutio hujus collationis habetur apud Doctorem 3. dist. 25. quæst. 2. num. 2. nempe non requiri actum positivum voluntatis, ut intellectus assensum præbeat, etiam creditis, sed sufficere quod non contra moveat; quod bene confirmat hæc collatio objectionem adversariorum contra hoc ex Tridentino, et Araus. solvi in Scholio quæst. 2.

COLLATIO X.

Utrum ad hoc, quod intellectus assentiat alicui vero, requiratur aliquod lumen infusum?

Alens. 3. *part. quæst.* 2. *membr.* 3. D. Thom. 1. *p. q.* 12. *art.* 4. et *q.* 85. *art.* 1. Scot. 3. *d.* 23. et 24. et *quodl.* 14. et 1. *d.* 2. *q.* 7. et 2. *d.* 3. *q.* 9.

SCHOLIUM.

Etsi titulus universaliter quærat de omni vero, collatio tantum agit de vero mysterii Trinitatis: rationes hîc adductæ bene probant nos posse assentiri huic vero naturaliter, sed non possumus naturaliter demonstrare Trinitatem. Rationes hîc positæ, tam istæ quam aliæ urgentiores Doctoris, 1. dist. 2. quæst. 7. a num. 3. adeo premunt, ut quidam recentiores dixerint Doctorem intendisse demonstrare Trinitatem, quam tamen ipse clare docet indemonstrabilem 2. dist. 3. quæst. 9. et latius quodlib. 14. a num. 9. tam a priori quam a posteriori ; voluit ergo per hæc suo felicissimo ingenio, supposita fide hujus mysterii, ostendere quam sit evidenter credibile, et lumini naturæ, (ut videtur) consonum, esto demonstrari non possit. Quare autem non possit intellectus creatus cognoscere Deum distincte, unum vel trinum, varii varie sentiunt, Doctor tenet repugnare essentiam Dei, qua talis, movere intellectum creatum, quia naturaliter ageret ad extra. Vide eum locis citatis.

Quod non videtur : per rationem 1.
naturalem cognoscimus quod Deus est intellectivus, et natura intellectualis, et per consequens quod sit natura volitiva, ex quibus etiam cognoscimus, quod sit conversiva supra se.

Omne intellectivum dictativum.

Ex hoc autem, quod Deus est intelligens, et conversivus supra se, sequitur quod sit dicens : omne enim intellectivum convertens se supra se, est expressivum, et per

consequens dictativum: dicere enim importat notitiam expressivam, luminis declarativam; ergo per rationem naturalem possumus cognoscere, quod Deus sit dicens. Sed ubi est dicens, ibi est quod dicitur; ergo naturaliter possumus cognoscere, quod in Deo est dicens, et quod dicitur; sed illud quod dicitur, importat relationem oppositam ad dicentem, relationes vero oppositæ non possunt esse in eodem supposito; ergo per rationem naturalem possumus cognoscere in Deo pluralitatem suppositorum. Sic etiam argui potest ex parte voluntatis, quod si Deus sit natura volitiva et conversiva supra se, quod sit spirativa; ergo sine infuso lumine naturaliter cognoscere possumus in Deo Trinitatem personarum, et si hoc verum póssumus cognoscere sine lumine infuso, multo fortius quodcumque aliud.

Arguitur naturaliter cognosci Trinitatem.

Responsio.

Dicitur ad hoc, quod per rationem naturalem solum potest probari, quod in Deo sit dicens et quod dicitur, differentia sola ratione, sed non quod differant realiter, quemadmodum personæ differunt, sicut nec intellectus, et intellectum differunt in Deo realiter.

2. Replica.

Contra: quando aliquid est sufficiens principium alicujus, per rationem naturalem cognosci potest quod in quocumque est illud principium sine imperfectione sui et in dispositione, quod in illo etiam est principium productivum, et hoc respectu producti adæquati, si agat naturaliter et univoce: sed memoria, unde memoria est principium sufficiens productivum Verbi, et intelligo per memoriam, quemadmodum Augustinus intelligit totum, quod concurrit ad productionem Verbi, ut memoriam actuatam per objectum: sic enim accipiendo memoriam ipsam, unde memoria est sufficiens principium productivum Verbi, non inquantum est ex nihilo, nec inquantum est ens habens imperfectionem, quia tunc quodlibet aliud imperfectum posset producere, sed sicut calor non inquantum est ex nihilo, nec inquantum habet imperfectionem, sed inquantum calor est principium calefaciendi: sic memoria inquantum memoria est principium producendi Verbum; ergo in quocumque est memoria sufficiens, habens objectum sibi præsens, in illo erit sufficiens principium producendi productum adæquatum, cum agat naturaliter; ergo cum in Deo sit intellectus habens objectum sibi præsens, et ita memoria sine imperfectione, per naturalem rationem cognosci potest, quod in Deo sit principium sufficiens productivum producti adæquati: sed nihil est adæquatum memoriæ Dei, nisi infinitum; ergo per rationem naturalem concludi potest, quod Deus producit Deum, et sic per consequens, quod in Deo sint plura supposita, et hæc ratio etiam valet ad principale.

Memoria comprehendit totum, quod requiritur ad productionem Verbi de hoc l. d. 2 q. 7. num. 3.

3. Probat hoc nos posse a sentiri, dicenti Deum esse trinum, et unum, sed non demonstratur hoc naturaliter.

Præterea arguitur per rationem præcedentis collationis: omne necessarium, cujus termini possunt naturaliter apprehendi ab intellectu, potest ab eodem intellectu apprehendi, vel ut principium, vel ut conclusio, quantumcumque termi-

ni confuse apprehendantur, ut sunt extrema illius propositionis necessaria : sed cujuslibet necessarii, et crediti, ut hujusmodi, *Deum esse trinum et unum*, termini possunt naturaliter ab intellectu nostro apprehendi, licet confuse, ut sunt extrema propositionis, aliter complexio non posset credi; ergo quodlibet necessarium potest in lumine naturali apprehendi ab intellectu sine lumine infuso; assumpta prius probata est.

Præterea, omnis forma quæ propter sui nobilitatem, et dignitatem producibilis est a Deo solo, perfectior est quam producibilis ab ente creato : si igitur agens creatum potest in formam perfectiorem; ergo non repugnat virtuti creatæ illam formam producere, quæ a solo Deo producibilis est. Patet igitur major : sed si oportet ponere lumen infusum et lumen fidei, illa solum producibilis est a Deo; ergo est forma nobilior, quam forma quæcumque producibilis ab agente creato, et sic fides esset nobilior quam scientia, quod est contra Hugonem de Sacramentis, ubi dicitur, quod fides est media inter scientiam et opinionem.

SCHOLIUM.

Quodlib. 14. n. 7. ostendit majorem esse certitudinem fidei infusæ, quia repugnat ei subesse falsum, ubi ponit alias differentias acquisitæ et infusæ. Idem habet 3. d. 23. n. 15. Vide nostrum Scholium ibi ad n. 14. Rationes hic positæ a provectioribus solvi possunt, sed juniores solvant eas in sudore vultus sui.

4. An major certitudo habeatur per fidem infusam quam per acquisitam?

Præterea, non major certitudo in actu credendi per habitum infusum potest haberi de aliquo objecto credibili, quam per actum credendi fidei acquisitæ, ideo non requiritur lumen fidei infusum, ut in isto lumine intellectus firmiter adhæreat in cognoscendo aliquod objectum. Probatio antecedentis : non major certitudo est in aliquo actu dependente ab alio, quam sit in illo a quo dependet : sed actus credendi fidei infusæ dependet ab actu fidei acquisitæ, et fide acquisita; nam puer baptizatus, licet habeat fidem infusam, non tamen propter hoc potest actum credendi elicere, sed solum quando acquisierit sibi fidem acquisitam credendo prædicanti, et dicenti articulos.

August. contra Epist. fundamenti, non credit Evangelio, nisi quia ecclesiæ credit.

Unde Augustinus contra Epistolam fundamenti : *non credo Evangelio, nisi quia credo Ecclesiæ Catholicæ*, a qua acquiritur fides de credendis; ergo non major certitudo est in actu fidei infusæ quam acquisitæ; ergo frustra ponitur lumen fidei infusæ ad intelligendum aliquod verum, cum sufficiat fides acquisita.

Hæc ratio fuit contra dictum respondentis, dicentis quod non sufficit fides acquisita, quia illa innititur ei, qui potest fallere et falli; sed fides infusa illi, qui non potest fallere, nec falli.

Theologi est ostendere nihil impossibile doceri a fide.

Præterea, quilibet Theologus fatetur, quod potest ostendere naturaliter fidem suam non esse impossibilem, nec illa esse impossibilia quæ credimus, dum potest solvere rationes in contrarium, fidem impugnantes; sed quod non est impossibile est possibile; ergo Theologus potest ostendere per rationem

naturalem, et probare omnia credibilia esse possibilia, ut Deum esse trinum: sed cum in Divinis non sit potentia ad utrumlibet; ergo per rationem naturalem potest concludere, quod Deum esse trinum, et unum est possibile necessarium, et sic de aliis; ergo, etc.

5. In Deo tantum est relatio producentis et producti.

Præterea, cum sint tria genera relationum *ex* 5. *Metaph.* et in Divinis non sit relatio per modum numeri, quia non est continuum, unde causetur numerus; nec etiam relatio per modum mensuræ, et mensurati, quia scientia non mensuratur ab aliquo, quia non causatur nec ab aliquo extra, nec ab aliquo intra; ergo relinquitur quod ibi sit relatio per modum activi et passivi, producentis et producti, ut sic essentia divina, ut est sub una relatione activitatis, constituat unum suppositum, et eadem essentia sub eadem relatione opposita aliud suppositum.

Præterea, in per se ordinatis, sicut simpliciter ad simpliciter, et majus ad majus, sic maximum ad maximum; sed verum potest cognosci intellectu nostro; ergo magis verum, magis cognoscetur ab intellectu nostro, et maxime verum, maxime potest cognosci ab eodem intellectu sine aliquo lumine infuso; ergo, etc. Nec valet dicere, quod consideratio tenet in his, quæ sunt in eodem genere, quia etiam tenet in analogis, ut si calor parvus potest producere calidum, si virtus caloris major esset in alio quam prior, magis calidum potest producere; sic etiam, cum sapientia sit scientia perfectior, perfectius verum illa potest cognoscere.

Præterea, fides est quædam forma, quæ obscure repræsentat Deum, et ita est forma imperfectior; ergo non repugnat, quod causetur creatura rationalis, quæ includat perfectionem illius; ergo talis creatura ex puris naturalibus potest omne credibile cognoscere, et firmiter assentire; ergo, etc.

SCHOLIUM.

Si conclusionis titulus intelligatur universaliter de omni vero, videatur Doct. 1. d. 3. q. 4. ubi a num. 5. refutat Henricum dicentem nullam veritatem certitudinaliter sciri sine speciali illustratione, ostendens a num. 27. dari certitudinem quoad principia et conclusiones necessarias, et hominem velle, videre, audire etiam esse propositiones per se notas.

COLLATIO XI.

Utrum ad hoc, quod intellectus noster videat Deum in præsentia, requiratur lumen infusum?

D. Thom. 1. *part. quæst.* 12. *art.* 3. et 4. *d.* 49. *quæst.* 1. *vic. ibid. art.* 1. *quæst.* 6. Dur. *q.* 2. Soto *q.* 1. *art.* 2. Suar. 1. *p. tom.* 1. *l.* 2. *cap.* 8. 9. Vasq. 1. *p. d.* 11.

Quod non arguitur: quoniam intellectus noster in lumine suo naturali per actum intelligendi attingit Deum in ratione objecti; ergo cum intellectus, et lumen naturale non sint minoris virtutis post separationem a corpore, videtur quod intellectus in lumine suo naturali per actum intelligendi, potest attingere Deum sub ratione objecti in præsentia, sed non attingit Deum, ut objectum absens, quia hoc est impossibile in patria; ergo 1.

ut præsens : sed attingere objectum ut præsens, est ipsum attingere cognitione intuitiva, non obscura, sed clara; ergo intellectus in patria lumine proprio potest Deum videre; ergo, etc.

Responsio. Dicitur, quod non est idem de lumine naturali, et intellectu respectu Dei in via et in patria, quia in via intellectus noster cognoscit Deum per creaturas, discurrendo a creaturis ad Deum, qui modus cognitionis non est in patria, et ideo licet hîc intellectus noster per actum discursivum Deum attingat, non tamen in patria in lumine naturali, sed requiritur supernaturale in quo Deum intuitive videat.

2. Replica. Contra, quamvis intellectus hîc in via discurrat a creatura ad Deum, tamen in fine discursus, oportet quod directe intelligat Deum, ibi insistendo; aliter enim in fine discursus non directe intueretur Deum in ratione objecti, sed aliud ab illo, et ulterius esset discurrere ad cognoscendum Deum, et esset processus in infinitum. Oportet igitur quod intellectus tandem, sive memoria hîc cognoscat Deum directe; ergo et a corpore separatus, quia tunc potest intellectus per actum suum directe intelligere Deum, sed non ut absentem; ergo ut præsentem.

Responsio. Dicitur ad hoc, quod intellectus in fine discursus non intelligit Deum in se, etiam absolute, sed in respectu ad creaturam, puta inquantum est principium, vel causa creaturæ, etiam referendo ad Deum ea quæ conveniunt creaturæ, ut cum intelligitur, ut ens incorporeum, simplex et immutabile, qui modus intelligendi non est in patria.

Contra, adhuc ratio stat, quia licet ponatur tanquam dubium, quod intellectus noster in fine discursus non intelligit Deum nisi sub respectu ad creaturam, cum isto tamen respectu oportet cointelligere aliquid absolutum, cui convenit iste respectus, quia non intelligit solum illum respectum ad creaturam; ergo hîc in via intellectus noster per actum suum attingit essentiam suam sub respectu ad creaturam; ergo cum intellectus cum lumine suo separatus, et in patria existens non sit minoris perfectionis, ibi poterit Deum intelligere per essentiam divinam, licet sub respectu ad creaturam, sed non intelligit in patria essentiam ejus, ut absentem; ergo ut præsentem, ut prius argutum est. Replica.

SCHOLIUM.

Posito primo argumento suadente lumen non esse necessarium ad videndum Deum, (quia in via scilicet, intelligitur naturaliter absens; ergo in patria præsens,) adjunctis duabus responsionibus, totidemque replicis, ponit ad idem secundum argumentum, quia scilicet, in patria intellectus et objectum sunt debite approximata, et non dependet intellectio, nisi ab istis. Circa hanc habet 4. responsiones, et totidem replicas pulcherrimas.

Præterea, secundo ad principale arguitur; positis principiis concurrentibus quæ sufficiunt ad actum intelligendi, necessario ponitur actus intelligendi, quia positis causis, a quibus effectus essentialiter dependet, ponitur effectus : sed intellectus et objectum concurrunt ad actum intelligendi, tan- 3.

quam principia, a quibus essentialiter dependet; ergo istis positis sufficienter ét approximatis, necessario ponetur effectus, ut actus intelligendi : sed in patria est objectum, et intellectus sibi præsens, ergo ex istis potest sequi actio sine lumine quocumque infuso et supernaturali. Major est evidens : minor probatur; quacumque posita opinione de intellectu, sive quod sit potentia activa tota simpliciter, sive passiva simpliciter, sive partim activa cum objecto, semper verum est, quod actus cum objecto, semper verum est, quod actus intelligendi dependet ab objecto et intellectu. Si enim sit pure passiva, tunc solum dependet ab objecto imprimendo et ab intellectu recipiendo, quia intellectus de se respicit quemcumque actum intelligendi. Si etiam sit potentia simpliciter activa sola causans actum intelligendi, et ab objecto determinante, sive excitante potentiam, quocumque modo dicatur : si etiam actus intelligendi eliciatur a potentia concurrente cum objecto, manifestum est adhuc, quod solum dependet ab illis; igitur quacumque via data, actus intelligendi solum dependet essentialiter ab intellectu, et objecto; ergo istis positis et approximatis, sequitur necessario actus intelligendi.

In patria an intellectus, et objectum sine lumine concurrere possint ad actum videndi.

Actus intelligendi solum dependet essentialiter ab objecto et intellectu.

2. Responsio. Dicitur ad majorem, quando aliqua duo concurrunt ad aliquam actionem, unum in ratione agentis, et aliud in ratione patientis, non propter hoc sequitur actus, nisi hoc natum sit agere, et illud natum pati, ita quod sit in tali dispositione, quod unum possit pati, et aliud agere; sicut materia prima non est immediate disposita ad omnes formas in potentia, sed mediante una, tanquam dispositione ad aliam, est in potentia ad illam, eodem modo de agente quantumcumque approximetur, nisi sit in debita proportione ad agendum, non sequitur.

Lumen gloriæ an medium ad recipiendum, et causandum visionem.

Nunc autem secundum hanc viam intellectus non est dispositus ad recipiendum actum intelligendi essentiæ divinæ in patria, nisi disponatur per lumen gloriæ, nec etiam sufficienter ad agendum illum actum est dispositus sine illo lumine; ergo sine tali lumine in patria non potest intelligere essentiam divinam, quia lumen gloriæ est medium, tanquam dispositio media præparans intellectum ad recipiendum, licet actus intelligendi immediate recipiatur in intellectu.

Replica. Contra, quod non requiratur illud lumen ad disponendum intellectum ad recipiendum, probatio : quia quando aliquæ perfectiones sunt ordinatæ, illud quod secundum se, et immediate est receptivum infimæ perfectionis, est etiam receptivum perfectionis supremæ illius ordinis immediate; sed in ordine actuum intelligendi, actus intelligendi in patria est supremus et perfectissimus ; cum igitur intellectus sine medio disponente sit receptivus actus infimi, erit et similiter receptivus actus intelligendi in patria sine medio disponente.

Lumen an sit caus. partialis vel totalis visionis.

Nec etiam videtur, quod illud lumen acquiratur ad disponendum intellectum in agendo, quia illud

lumen erit totale principium, aut partiale. Non totale, quia facit unum per accidens cum intellectu, et sic intellectus diceretur activus per illud, quod facit unum per accidens cum eo, et erit formale principium intellectui ad agendum, quod est sibi accidentale, et sic non plus dicetur, quod intellectus intelligit in patria, quam quod lignum calefaciat, quod verum est per accidens, quia per calorem, qui sibi accidit.

Nec est etiam principium partiale respectu actus intelligendi in patria, quia tunc requireretur propter imperfectionem activitatis intellectus; igitur si fieret intellectus perfectior a Deo, et majoris activitatis, ille sine tali lumine immediate posset videre essentiam Dei.

5. Responsio. Dicitur ad majorem, quod quando aliquæ perfectiones sunt ordinatæ sic, quod sunt unius generis, vel unius modi, vel unius rationis, tunc quod est immediatum receptivum unius et alterius: sed actus intelligendi in via et in patria non sunt unius rationis, sive unius modi, quia unus est naturalis et alius est supernaturalis; unde quando actus intelligendi sunt sic ordinati, quod omnes sunt naturales, vel omnes supernaturales, tunc verum est, quod accipitur; sed quando unus est naturalis et alter supernaturalis, non oportet, quod illud quod est immediate receptivum unius, quod sit immediatum receptivum alterius.

Replica. Fides, charitas, lumen. Contra, charitas est perfectio, et forma supernaturalis, et tamen voluntas immediate sine aliquo dispositivo recipit eam, sic de fide respectu intellectus, sic etiam de lumine illo gloriæ, quod ponitur supernaturaliter infusum; ergo licet actus intelligendi in patria non sit naturalis, sed supernaturalis, ipse poterit recipi in intellectu sine medio dispositivo. Gloriæ recipiuntur immediate in potentia

Ad aliud dico, quod consequentia illa non valet, sicut quantumcumque augmentatur, virtus etiam voluntatis creatæ nunquam supplebit activitatem gratiæ et charitatis, tunc enim esset per naturam impeccabilis.

6. Replica. Contra, visio beata si sit ab intellectu Beati, et a lumine, et non est tota ab utroque, quia tunc utrumque esset tota causa ejus; ergo secundum aliquem gradum est ab uno, et secundum aliquem gradum est ab alio. Sed omnis gradus intellectivus intellectivæ essentiæ potest esse a natura intellectiva; ergo ille gradus, quem habet a lumine, potest esse ab aliquo intellectu perfecto.

Responsio. Confirmatur, ille gradus operationis beatæ, qui ponitur esse a lumine, æque perficit intellectum Beati, sicut alius; ergo æqualiter possunt esse a principio intellectivo. Dicitur quod non sequitur, quia unus est naturalis, et alius supernaturalis.

Replica. Contra, ex perfectione naturali, et non naturali non fit una forma, tunc esset partim naturalis, et partim supernaturalis.

Supernaturalitas quid dicit in operatione? Item, ista supernaturalitas aut dicit gradum infra substantiam operationis beatificæ, aut modum: si tantum modum; ergo tota substantia actus beatifici est ab intel-

lectu nudo, quod est propositum : si primo modo; ergo actus beatificus non esset simplex, sicut alia operatio intellectiva.

Quæ sunt ejusdem rationis, ab eodem possunt efficio

Item, isti gradus aut sunt ejusdem rationis et ordinis, aut non : si primum; ergo uterque potest esse a principio intellectivo, quia quandocumque aliqua duo sunt ejusdem rationis, a quocumque principio potest esse unum et alterum. Si alterius rationis; ergo unus est perfectior alio : non ille gradus qui est a lumine, quia tunc lumen esset perfectius suo subjecto, quod est intellectus : non secundum, quia tunc gradus naturalis esset perfectior gradu supernaturali.

SCHOLIUM.

Suadet tertio non requiri lumen, quia intellectus noster, et essentia Dei, sunt extrema naturaliter annexa, quia continetur essentia sub intellectus objecto adæquato, et hîc sunt duæ pulchræ replicæ. Quarto ad idem, quæ omnis actio essentiæ divinæ est necessaria, qua præcedit voluntatem; ergo non eget lumine, quia necessarium non dependet a contingenti. Hîc sunt duæ responsiones cum suis refutationibus. Quinto, secundum alios Christus ponitur videre sine lumine. Sexto, non requiritur lumen ad recipiendum, neque ut ratio efficiendi, neque ut confortans. Septimo, intellectiva quo perfectius est objectum, eo perfectius tendit in illud, et sensitiva e contra se habet.

Præterea tertio ad propositum arguitur sic : quandocumque aliqua duo extrema habent ad invicem connexionem aliquam naturalem per aliquod medium connectens, oportet illud medium connectens extrema esse naturale, aliter enim aliqua essent naturaliter connexa ad invicem per medium non naturale : sed ubi medium connectens non est naturale, nec connexio erit naturalis; ergo extrema essent naturaliter connexa sine connexione naturali, quod est oppositum in adjecto. Unde patet, quod quando aliquid naturaliter ad aliud ordinatur per aliquod medium, oportet illud esse medium naturale : sed intellectus noster ordinatur ad essentiam divinam, ita quod intellectus noster, et essentia divina sunt extrema naturaliter connexa; igitur medium, quo connexionem habent, erit naturale : sed hoc medium est actus intelligendi; ergo intellectus unitur essentiæ, et etiam lumen tale ponitur medium disponens ad illam unionem; ergo actus intelligendi in patria erit naturalis simpliciter, et per consequens, sufficit lumen naturale respectu illius actus, nec requireretur lumen supernaturale medium. Major est evidens, et probata : minor probatur sic, quandocumque aliqua potentia per se, et primo respicit aliquod objectum sibi adæquatum, eadem potentia respicit per se quodlibet objectum per se contentum sub primo objecto suo sibi adæquato, ut patet de visu respectu coloris, et respectu albi et nigri, et aliorum objectorum per se contentorum sub colore. Sed intellectus primo, et per se respicit ens inquantum ens, ad quod ordinatur, sicut ad objectum suum primum sibi adæquatum; igitur cum Deus contineatur sub ente, sequitur quod intellectus naturaliter, et per se respiceret essentiam divinam tanquam per se objectum, quod habet connexionem naturalem.

Intellectus noster, et essentia Dei an sint extrema naturaliter connexa.

Potentia attendit in omne contentum sub objecto adæquato naturaliter

8. ·ponsio.

Dicitur, quod intellectus noster respicit ens, tanquam objectum primum suum, sed non quodlibet, vel quocumque modo, sed ut est collectum a sensibilibus, et sic etiam intellectus noster respicit naturaliter Deum non in se, quomodo videbitur in patria, sed in creaturis, et sic naturaliter intelligitur a nobis.

·plica. Deus ı sit sub bjecto æquato ·llectus, pugnat ı intelligi.

Contra, impossibile est quod aliqua potentia per se tendat in aliquod objectum, quod non continetur sub objecto suo sibi adæquato, sicut impossibile est, quod visus videat aliquid, quod non sit coloratum, vel lucidum : si igitur objectum adæquatum intellectui nostro sit ens, non inquantum ens, sed inquantum collectum a creaturis, cum Deus sic non contineatur sub ente, impossibile est, quod intellectus noster per quamcumque virtutem videat essentiam divinam in se, nisi solum in creatura.

ponsio.

Præterea, quod si loquamur de intellectu, ut est cognitivus naturaliter et supernaturaliter, sic objectum ejus est ens, ut commune enti naturali et supernaturali. Si loquamur de intellectu solum, ut est cognitivus naturaliter et modo naturali, sic, ut dictum est, objectum ejus est ens collectum a creaturis sensibilibus : unde dicitur quod intellectus non potest tendere modo naturali in objectum, quod non continetur sub objecto suo naturali, sed tamen supernaturaliter potest.

9. ·plica.

Contra, illud non solvit : quia potentia intellectiva est quædam potentia naturalis ipsi animæ, sicut visus, aut quæcumque alia, sive cognoscat modo naturali, sive modo supernaturali : sed potentia naturalis habet objectum sibi adæquatum, et proportionatum naturaliter; ergo intellectus, ut potentia animæ naturalis, habebit objectum sibi adæquatum. Illud non est ens solum abstractum a sensibilibus, ut prius probatum est, quia tunc non posset intelligere, nisi contentum sub ente creato, quia per nullam virtutem potest potentia elevari ad attingendum objectum aliquod, quod non continetur sub objecto adæquato sibi, ut est potentia naturalis; (tunc fieret non potentia animæ naturalis, scilicet ipse intellectus) ergo oportet quod objectum adæquatum intellectui, ut est potentia naturalis, sit ens commune ad ens creatum, et ens increatum, et tunc arguitur sicut prius, quod essentialiter et per se respicit quodlibet contentum sub ente sic accepto.

Ens ut sic objectum intellectus 1. d. 3. q. 3.

10. Omnis actus essentiæ divinæ competit ipsi necessario, et naturaliter.

Præterea, arguitur quarto ad principale sic : omnis actio quæ competit essentiæ divinæ, ut essentia est, necessario sibi competit, et non libere : sed movere intellectum Beati ad videndum ipsum in patria, competit essentiæ divinæ, ut essentia est; ergo competit sibi necessario movere intellectum Beati in patria ad ipsum videndum : sed actio necessaria non dependet a contingenti, nec a voluntario; (contingens, et voluntarium est, quod Deus infunderet lumen in intellectu Beati) ergo ad hoc, quod intellectus Beati moveatur, non requiritur lumen infusum. Major probatur per hoc, quod prima ratio libertatis in Deo est voluntas,

et essentia secundum rationem præcedit voluntatem; quod igitur competit essentiæ, ut essentia est, competit sibi naturaliter et non libere. Unde et Filius in Divinis producitur naturaliter, et necessitate naturali, quia est productio cujus principium non est voluntas, sed intellectus per modum naturæ, et natura sive essentia. Minor probatur quia sub eadem ratione Deus est objectum intellectus sui, et intellectus Beati in patria, aliter ipsum non beatificaret. Sed essentia divina est objectum intellectus divini, ut essentia est, et non ut volens, quia hoc sequitur; ergo essentia divina, ut essentia est, non ut volens, est objectum Beati in patria, sed ut est objectum intellectus Beati in patria, sic movet intellectum Beati in patria; ergo ut essentia est, et non volens movet intellectum Beati in patria ad actum intelligendi; ergo, etc.

Responsio. Dicitur, quod licet essentia divina, ut essentia est, moveat intellectum Beati in patria, non tamen necessario, quia libere et per voluntatem ostenditur intellectui beato per modum essentiæ.

11. Replica. Contra, omnis actio naturalis non impedibilis, est necessario non dependens a contingenti : sed essentia divina naturaliter movet intellectum Beati, et non libere, quia per modum essentiæ et non voluntatis, cum sic moveat intellectum suum proprium; ergo necessario movet intellectum ejus, cum non sit impedibilis per voluntatem. Responsio. Si dicas aliter, quod producta ratio præcedit, ac si esset intellectus simpliciter passivus tantum, mobilis ab essentia, cum tamen sit activus.

Contra, hoc non evadit, quia quamvis actus intelligendi eliciatur ab intellectu, Deus tamen potest creare intellectionem in intellectu immediate, sicut visionem in visu. Tunc sic : cujuscumque essentia divina est productiva, ut essentia est, et non volens, et libera, illud necessario producit : sed essentia divina est productiva intellectionis in intellectu, sicut probatum est, quia sic naturaliter est motiva ejus; ergo, etc. Replic[a]

Contra hoc ad principale arguitur sic : secundum communem opinionem, anima Christi ponitur uniri Verbo sine gratia media, et sine aliquo medio de potentia Dei absoluta, et secundum etiam illos ex vi illius unionis potest frui voluntas Verbo, et videre Verbum; ergo intellectus potest videre Verbum, et essentiam divinam sine lumine medio; et si Deus potest per talem unionem facere sine lumine medio, quod intellectus potest videre Deum, potest etiam sine tali unione de potentia sua absoluta. 5. Arg[umentum]

Præterea, si lumen infusum requiratur ad videndum Deum in patria : aut igitur requiritur ad repræsentandum objectum, aut ut ratio formalis elicitiva actus videndi, aut confortans intellectum : non primo modo, quia essentia divina ex sua actualitate est sufficienter suiipsius repræsentativa, quantum est de se. Nec secundo modo sic, quia tunc actus visionis magis esset attribuendus lumini quam intellectui beato, quod non 12.

U[n]o e[t] ... bus mo[dis] lumen [re]quiri videtur

est verum, quia tunc magis esset beatificabile. Nec tertio modo ad confortandum intellectum, quia non plus dependet actus visionis Beati ab ipso lumine infuso, quam actus naturæ humanæ a supposito humano. Nunc autem actus naturæ humanæ potest esse ejus sine hoc, quod existit in proprio supposito, ut patet in Christo ; sufficit enim ad hoc, quod natura humana habeat proprium actum, quod subsistat in supposito Verbi, ita quod Verbum per talem illapsum, et unionem sufficit ad omnem actum eliciendum; ergo similiter essentia divina præsens intellectui beato, et ei illapsa, sufficere potest ad confortandum intellectum ad actum visionis eliciendum sine aliquo speciali lumine.

13. . Arg. ...ellectiva ...rfectius ...ntelligit ...rfectius ...jectum, ...sitiva e ...ontra.

Præterea, potentia, quæ non debilitatur in agendo, perfectius tendit aut tendere potest in perfectius objectum, quia si perfectius tenderet in objectum imperfectius quam in objectum perfectius, hoc non esset, nisi quia esset minus debilis in eliciendo actionem respectu illius objecti. Sed intellectus, secundum Philosophum 3. *de Anima* est potentia, quæ non debilitatur in intelligendo, quia intelligendo perfectius intelligibile non minus intelligit, imo magis et perfectius, quam imperfectius intelligibile; (opposito autem modo est de potentia sensitiva in sentiendo, ut de visu) ergo quanto objectum est in se perfectius, tanto intellectus natus est perfectius illud intelligere; ergo ad videndum Deum per essentiam non requiritur aliquod lumen in intellectu beato, sed ad hoc videtur sufficere intellectus ex propria natura.

SCHOLIUM.

Resolutio secundum mentem Doctoris, quod Deus non movet ullum intellectum naturaliter nisi suum; ab aliis autem *si vult videtur, si non vult videtur* ex Ambros. Vide Doctor. 1. dist. 3. q. 2. num. 16. et 2. d. 3. q. 9. et quolib. 14. n. 10. et 4. d. 49. q. 11. n. 9. repugnat ergo videri Deum nisi ipse velit, alioquin naturaliter ageret ad extra, quod implicat, quia nihil creaturæ communicari ab eo potest, nisi per voluntatem libere ipse id largiatur. Juxta hoc facile solvi possunt argumenta omnia allata, quibus suadetur intellectum naturaliter posse videre Deum, quæ tamen in via aliorum potentium essentiam movere intellectum creatum, difficillime solvuntur. An autem requiratur lumen gloriæ inhærens, dixi quodlib. 14. in Schol. num. 5. et 4. d. 49. quæst. 11. num. 3. in Schol. quid secundum Scoti mentem, et veritatem tenendum sit.

COLLATIO XII.

Utrum intellectus possit quietari in aliqua relatione simpliciter.

Scotus 1. *d.* 13. *num* 9. *et d.* 26. *num.* 36 *et quodlib.* 5. *a n.* 7. *et aliis dictis locis citati.*

Videtur, quod sic : quia relatio aut dicit perfectionem, aut non : 1. Arguitur relationem posse quietare intellectum.
si sic, habeo propositum, quia in Divinis non dicit nisi infinitam, quia nihil est ibi nisi infinitum; ergo intellectus potest quietari in illa; si vero dicit imperfectionem, contra : primo Ethic. *in omni genere est ens et bonum;* ergo propria perfectio.

Item, Hieronymus super illud Matth. 1. *generationem ejus quis enarrabit,* dicit quod *non putemus prophetam Evangelistæ esse contrarium, ut quod*

iste impossibile dicit effatu, hic enarrare incipiat, quia *hic de Incarnatione, ibi de Generatione Divinitatis est dictum;* ergo secundum eum ibi, generatio secundum Deitatem est inenarrabilis ; sed generatio est relatio, et nihil est inenarrabile, nisi infinitum; ergo relatio est infinita, et per consequens in tali potest intellectus quietari; ergo, etc.

SCHOLIUM.

Positis duobus argumentis pro parte affirmativa, arguit rationibus pro parte negativa, nempe quod relatio non potest beare, et solvit duo argumenta affirmativæ partis.

2. Arguitur ad oppositum. Respondetur quod non : quia nihil potest quietare intellectum ex se perfecte, nisi habeat rationem objecti simpliciter, et primo primi ; sed relatio non habet rationem primo primi objecti ; ergo intellectum non potest perfecte quietare. Probatio majoris, intellectus inclinatur in objectum suum per modum naturæ; ergo sicut natura tantum determinatur ad unum, ita et intellectus ad unum objectum præcise inclinatur; ergo sicut natura non quietatur nisi in illo, ad quod determinatur, ita nec intellectus quousque habeat illud ad quod summe, et maxime inclinatur ; tale nihil est, nisi infinitum; ergo, etc. Probatio minoris, quia relatio capit realitatem a fundamento.

Item Avicenna 6. *Metaph.* dicit quod relatio potest fundari in omni ente propter vilitatem, et minimam entitatem; ergo in nullo tali potest intellectus quietari.

Item, Augustinus 7. de Trinit. *nihil habet rationem entis simpliciter, nisi quod est verum*, et ante cap. 3. ejusdem libri, quod *non est eo Deus, quo Pater;* tunc arguo, verum vel ens est objectum intellectus, et eo quo D us est verum, bonum vel ens, et non eo, quo pater est; igitur distinguendo paternitatem a deitate, in ipsa non quietatur.

Item, perfectio simpliciter secundum Anselmum est, quæ *in omnibus melius est ipsum, quam non ipsum;* sed talis non est aliqua relatio, quia tunc una persona esset perfectior alia.

Item, secundum Athanasium in symbolo, in Divinis sunt tres personæ, et tres relationes, *sed non tres immensi ;* sed nihil potest quietare intellectum perfecte, nisi immensum; ergo relatio non est quietativa.

Ad primum dicitur, quod relatio habet aliquam perfectionem ; et cum arguitur ulterius, ergo relatio in Divinis habet infinitam perfectionem, nego. Cum probas, nihil est in Deo, nisi sit infinitum, verum est, nihil ibi quin sit infinitum identice, sed non formaliter. Solvit argumenta affirmatæ partis.

Ad secundum dico, quod generatio Filii æterna non est inenarrabilis, nec ineffabilis ratione formali generationis Filii, sed ratione fundamenti, ut essentiæ, de se est infinita simpliciter. 3.

Contra positionem, quod minor assumpta in positione, scilicet quod relatio non habet rationem primi objecti, simpliciter est falsa. Boetius *in lib. Topic.* dicit, quod cujus visus est infinitus, ipsum est infinitum, quia actus infinitus non potest esse sine causa infinita, vel forma infinita. Relatio refert per-

sonas infinitas; ergo formaliter infinita, quia nihil denominat infinitum, nisi ipsum sit infinitum.

Item, si illud quod habeat rationem primi quidditative sit substantia, cum substantia et relatio æque dividant ens, et sicut illa in quæ primo descendit ens, et in quolibet genere sit propria perfectio, qua ratione potest quietari in substantia et in relatione.

Quælibet persona est adoranda latria.

Item, contra illud quod dicitur, *non est eo Deus, quo pater,* quia Deitate est Deus et infinitus, non sic paternitate. Probatio, quod Pater eo quo Pater, scilicet paternitate, sit formaliter infinitus, quia quælibet persona est adoranda adoratione latriæ, et de pluribus personis sunt distincti articuli fidei ; nihil est adorandum adoratione latriæ, ut objectum fidei, nisi formaliter infinitum; ergo.

Item contra rationem ad secundum argumentum arguo sic : essentia secundum Hieronymum non generatur, sed Filius generatur formaliter, et si Filius est formaliter infinitus, et est Filius formaliter per relationem generationis; ergo generatio formaliter est infinita. Certum enim est, quod loquitur Hieronymus ibi, non de generatione essentiæ, sed de generatione personæ quam dicit esse ineffabilem et inenarrabilem.

Relationes habere infinitatem, identice tantum.

Ad primum istorum dicitur, quod visus relationis non est formaliter infinitus, nec personæ, ut relative subsistunt formaliter per relationes, sunt infinitæ, sed tantum habent identitatem infinitam, inquantum scilicet sunt idem cum essentia, quod est eorum fundamentum, quod ex se formaliter et simpliciter est infinitum.

Contra, secundum dicta, relatio est aliqua perfectio, et habet realitatem a fundamento secundum data; ergo a fundamento infinito infinitam entitatem; ergo perfectio est formaliter infinita.

Dicitur quod perfectionem aliam non habet, quam perfectionem sui fundamenti. Unde identice et fundamentaliter est perfectio, sed non formaliter.

4\. Inter opposita unum est nobilius.

Contra, Philosophus, 7. Metaph. inter opposita omnia cujuslibet generis alterum est perfectius et nobilius, et alterum vilius; igitur in genere relationis opposita dividentia relationem unum erit vilius, alterum nobilius ; ergo relatio habet aliquam nobilitatem, et ita aliquam perfectionem. Consequentia probatur, quia quantum aliquid habet de nobilitate, tantum de identitate et de perfectione, quia quanto aliquid est positivum, tanto magis nobile. Ad hoc dicitur, quod non valet, quantum aliquid habet de identitate, tantum de bonitate et nobilitate, nisi sit perfectio aliqua.

Replica.

Contra, perfectum et imperfectum dividunt omne ens simpliciter ; ergo omne ens quantum habet de entitate, tantum de perfectione.

5\. Responsio. Perfectum et imperfectum, quomodo dividunt ens.

Respondeo, quod perfectum et imperfectum dividunt ens quidditativum, quod est ens perfectum, et non dividunt ens simpliciter, quia nihil est quidditativum in Divinis, nisi natura divina, ideo ipsa formaliter est perfectio, et nihil aliud nisi ratione ipsius.

Contra, primæ substantiæ, sicut personæ aliquid addunt in Divinis

super quidditatem, et generaliter secundum te, omnis substantia prima aliquid addit super quidditatem naturæ specificæ, et secundum illud additum dicitur maxime substantia perfecta.

Respondeo: est maxime substantia. et maxime subest alteri, et sic maxime ens; ergo maxime perfecta fallacia secundum *quid* ad *simpliciter*, maxime substantia; ergo maxime perfecta, non valet; antecedens est ad oppositum.

Substantia dividitur in materiam, formam et compositum.

Item, 7. *Metaph.* substantia dividitur in materiam, et formam. et compositum, et dicit quod ratio substantiæ, quæ est compositum, est nobilissima : talis est prima substantia; ergo, etc.

Item, unumquodque. sicut est ens, ita est bonum; sed prima substantia est ens; ergo est bona, sed quantum unumquodque habet de bonitate, tantum habet de perfectione.

Ad primum sicut prius.

Quod est bonum quod convertitur cum ente.

Ad aliud dico, quod peccat secundum æquivocationem et consequens, quia duplex est bonum, unum quod convertitur cum ente, et de illo bono tantum habet unumquodque, quantum habet de entitate ; aliud est bonum, quod est idem quod perfectum, quod non incurrit aliquem defectum; et tale non est in quocumque genere nisi diminute, loquendo de quidditatibus specierum contentarum sub genere, et tale non est prima substantia.

Contra, Augustinus de quantitate animæ dicit, quod *æqualitatem inæqualitati in re præponimus, nec æstimo quemcumque humano sensu præditum, cui illud non videatur*; ergo inæqualitati æqualitas præponitur, tanquam aliqua perfectio; sed non est perfectio, ut præponitur ratione fundamenti, quia inæqualitas potest fundari in illis, quæ sunt majoris nobilitatis, ut in Deo et creatura, et æqualitas in illis quæ sunt minoris nobilitatis, sicut inter individua; ergo æqualitas formaliter dicit aliquam perfectionem respectu inæqualitatis.

6.

Æqualitas melior inæqualitate.

Ad istud dicitur, quod argumentum Augustini tenet gratia materiæ, in quo ait, quod æqualitas sit nobilior in figuris, quam inæqualitas, sed non simpliciter.

Contra, Augustinus probat ibi in figuris, quod una figura triangularis sit nobilior alia figura triangulari, et alia circularis nobilior altera, per hoc medium, quod æqualitas inæqualitati sit jure præponenda ; si igitur hoc non sit verum, nisi in figuris; ergo petit conclusionem in præmissa, et probat idem per idem, non per aliquid magis notum.

Ad istud dico, quod æqualitas dicit perfectionem aliquam, quoniam in omni natura comparando ad aliquid ejusdem naturæ, melior est æqualitas suo opposito, scilicet inæqualitate, quia oppositum ejus de necessitate dicit imperfectionem, non est inæqualitas in eadem natura, nisi aliquod medium imperfecte habeat illam naturam.

Quomodo inæqualitas dicat imperfectionem.

Tunc ad argumentum, verum est quod est præponendum, non quia dicit aliquam perfectionem simpliciter, sed quia comparando in eadem natura aliqua individua secundum æqualitatem et inæqualita-

tem, unum de necessitate dicit imperfectionem.

7. Contra priorem responsionem: ens dicitur de prima substantia et de secunda; de qua igitur prius dicitur in entitate, unitate et perfectione?

Æque dicitur ens de prima et secunda substantia. Respondeo, quod æque vera est una prædicatio, sicut alia, licet una prædicatio sit nobilior alia, quia de una prædicat quidditatem, de alia non; nec est ordo, quin æque vere prædicetur de una, sicut de alia, quia etsi animal immediatius sit substantia quam homo, qui utrumque includit, includit tamen rationem formalem illius, quod prædicatur de eis.

Prima ratio posita est n. 2. et arg. n. 3. Ad argumentum contra primam rationem dicitur, quod non valet, sed supponit unum falsum, quod substantia sit primo primum objectum, quod non est verum, quia nihil est primo primum, quod est determinati generis, sicut est substantia et quodcumque aliud tale.

Ad 3. arg. num. 3. Ad aliud quod dicit, illud de quo est fides et articulus fidei, est infinitum, verum est formaliter quantum ad aliquos articulos, qui pertinent immediate ad Deitatem; sed personæ relativæ, de quibus sunt speciales articuli credibiles, sunt infinitæ identice, sed non formaliter, quia ratio formalis credibilis non est infinita, nec aliqua relatio est adoranda latria, sed tantum tres personæ inquantum sunt unus Deus.

Personæ qua tales non adorandæ latria.

Generatio divina an infinita. Ad illud de generatione dico, quod non sit intentionis suæ, quod generatio sit infinita ratione notionis, sed ratione totius suppositi, quod est formaliter infinitum per essentiam, quæ est simpliciter infinita.

Dicitur aliter, quod est ineffabilis ex parte nostra, nullus eam explicare potest perfecte, nec est ineffabilitas in relatione ipsa, si circumscribatur infinitas naturæ, et fundamenti.

Contra, Deus non dicitur ineffabilis, et tamen generatio dicitur ineffabilis; ergo est ineffabilitas in ipsa ratione relationis, et non ratione essentiæ. 8.

Respondeo, in generatione est emanatio et productio, similis in natura eadem; primum non est ineffabile, sed secundum, et hoc ratione essentiæ.

Contra, illud quod determinat, et continet infinitum manens infinitum, est infinitum: talis est relatio; ergo. Probatio minoris, quia relatio essentiam in persona subsistente continet; ergo est formaliter infinita.

Item, Pater producit Filium intuendo aliquod objectum, aut essentiam, et tunc erit Filius essentiæ; aut se Patrem, et tunc erit Pater communicabilis, quia communicabit Filio paternitatem, quod falsum est, quia nihil est in Patre, circumscripta essentia, nisi paternitas; igitur cum Filius sit formaliter infinitus, cum non sit Filius essentiæ, videtur quod habeat propriam infinitatem, aliam ab illa quam habet ab essentia. Continens infinitum an ideo infinitum.

Item, illa quidditas est infinita, quæ potest eadem numero et indivisa subsistere in pluribus suppositis distinctis; sed talis est relatio aliqua formaliter, ut spiratio activa in Patre et Filio omnino

eadem, quia aliter Pater et Filius non spirarent Spiritum sanctum, inquantum omnino unum principium. Patet etiam quod sit una, quia relatio spirationis passivæ sibi correspondens est omnino una. Probatio majoris, hæc est causa, quare essentia est infinita, scilicet quia indivisa est in distinctis; ergo similiter in proposito aliqua relatio erit infinita, quia subsistens in pluribus distinctis.

Spiratio quia communis, an ideo perfecta.

9. Item, actio adæquata principio infinito est infinita, quia si esset finita, jam non esset adæquata infinito; sed generatio productio est actio adæquata principio productivo infinito. Probatio, quia alias posset esse principium productivum alterius Filii, quod est impossibile; ergo formaliter est infinita.

Ratio subsistendi, an perfectio ?

Item, *subsistere* proprie acceptum est perfectissima ratio essendi aliquid ; sed relatio est formalis ratio subsistendi in divinis; ergo relatio habet perfectissimam rationem essendi ; perfectissima ratio essendi est infinita; ergo, etc. Probatio minoris, quia si non relatio; ergo essentia erit ratio perfectissime subsistendi : hoc falsum est, quia nihil potest esse ratio alterius subsistendi, nisi ipsum sit de se subsistens, talis non est essentia; ergo, etc,

Ratio terminandi naturam alienam an perfectio.

Item, illud est infinitum formaliter, quod est ratio formalis concipiendi infinita, quia si pluralitas concipiendi dicat majorem perfectionem, et pluralitas perfectionum in essendo dicat perfectionem aliquam, et infinitas addet infinitam perfectionem, tam in essendo quam in concipiendo. Sed proprietas personalis Verbi inquantum hujusmodi, est ratio concipiendi omnes proprietates personales, etiam infinitas; ergo est formaliter infinita. Probatio minoris, quia proprietas personalis Verbi est ratio terminandi, et concipiendi assumptam naturam humanam, et ita erit supplens, et continens rationem suppositi creati, et qua ratione istam, posset infinitas alias.

Ad primum istorum dicitur, quod relatio non contrahit, nec determinat rationem divinam, quia sic contractum incurreret aliquam imperfectionem et possibilitatem, et reciperet a contrahente aliquam actualitatem ultimam, quod non est verum. 10.

Ad a... posita ... in secu... replic...

Ad secundum dicitur, quod essentia est principale objectum intellectus paterni; ergo Filius est Verbum essentiæ, concedo, non absolute, sed essentiæ ut in Patre.

Filius c... modo V... bum es... tiæ.

Contra, tunc inciditur in aliud membrum, quia ly *ut in Patre* reduplicat Patrem, tanquam rationem formalem Patris, et tunc sequitur quod paternitas est ratio formalis Verbi; aut notificat illud quod sequitur, scilicet Patrem accipi secundum rationem suam formalem, et tunc sicut prius, essentia est principaliter ratio primi objecti gignitionis Verbi; ergo Filius est Filius essentiæ.

Item, potentia una tantum habet unum objectum adæquatum et primum, quod virtualiter includit, vel eminenter omnia alia objecta ; sed paternitas non est hujusmodi, quia non includit sibi oppositam relationem, scilicet filiationem; ergo, etc.

plex est jectum æqua- tum.

Ad illud dicitur, quod duplex est objectum adæquatum et primum secundum prædicationem, sicut color est primum objectum visus adæquatum, quia quidquid videtur est coloratum. Aliud est objectum primum, et adæquatum secundum eminentiam, et virtualiter ; et tale non est formaliter paternitas, quia non includit filiationem, sed tale primum objectum est Deitas.

11. l arg. . posi- tum.

Ad argumentum dico, Pater intuendo aliquod objectum, gignit Verbum, ita quod intuitio objecti non sit formalis ratio prædicati, scilicet gignitionis Verbi; sed Pater dum intuetur essentiam, gignit Verbum, quia gignitio est expressio formalis Verbi ab essentia, ita quod objectum ut intellectum non habet ita perfectam rationem, sicut ut subsistens, quia objectum intellectus est ens rationis, et ideo non gignitur Verbum, nisi dum intuetur objectum, quod potest dici gignere Verbum, sicut ratio formalis gignitionis.

uomodo potest sentia gigne- Verbum.

Tunc ad formam argumenti, cum dicis : essentia est principalis ratio parentis; ergo Filius est Filius essentiæ:

ssentia igneret erbum, inguere- ab eo.

Respondeo, dico quod non valet : essentia est principalis ratio gignendi; ergo est gignens; sed est fallacia figuræ dictionis, commutando *quale* in *hoc aliquid*, quia ratio principalis formalis gignendi dicit *quale quid ;* gignens dicit *hoc aliquid,* quia actiones sunt singularium et suppositorum ; exprimens sive gignens semper dicitur ab expresso sive genito, quia nihil est quod seipsum gignat, *primo de Trinit. cap.* 1. ergo si essentia esset exprimens notitiam genitam, vel Verbum, tunc essentia distincta esset a Verbo, quod non est verum ; et concedo quod Verbum exprimitur ab essentia sive a causa formali, et a Patre, tanquam ab exprimente distincto.

Ad aliam probationem, dico quod Verbum potest dicere expressionem distinctam ab exprimente, et hoc est relatio realis Verbi. Alio modo potest dicere declarationem ejus, de quo est, et concedo quod Verbum est notitia declarativa essentiæ, sicut Verbum in nobis est declarativum illius, quod definitur.

Ad argumentum dicitur, quod major est falsa, loquendo de alia relatione.

SCHOLIUM.

Resolutio Doctoris in hac collatione est negativa, quia secundum eum, 1. d. 13. n. 9. et d. 26. n. 36. et 4. d. 13. q. 1. n. 32. relatio divina non est infinita, nec dicit perfectionem, de quo late tradit quodlib. 5. a n. 7. vide Scholium ibi positum.

COLLATIO XIII.

Utrum per naturalem investigationem de Deo possumus cognoscere quid est.

Scotus 1. *d.* 3. *quæst.* 2. *et dist.*8. *q.* 3. *et quodlib.* 14.

Arguitur quod non : sic se habet 1.
ad phantasmata intellectus, sicut sensus ad sensibilia ; ergo non intelligimus, nisi phantasmatia.

Item, Damascenus *libr.* 1. *cap.* 2.

Item, *cap.* 4.

Item Dionysius *de Divinis Nominibus cap.* 2.

Contra : ad quæstionem, qua quæritur, *quid est Deus*, respondetur bene, quod est substantia incorporea, etc. sed hoc investigamus per naturalem rationem; ergo, et quid est Deus.

Item, Augustinus super Joannem Sermone primo : *Cum audis* Deus, *magna quædam substantia facta est in corde tuo.*

Notitia confusissima, qua scitur quid, significatur per nomen.

Ad quæstionem, primo videnda est opinio Philosophi. Dico secundum eum, quod notitia prima et confusissima, quæ habeatur de re, est notitia qua scitur quid significatur per nomen, et ista est magis suppositio quam scientia, vel notitia, et non determinat sibi *esse*, quia contingit significare quæ non sunt, *primo Posteriorum.*

Habemus *si est* per se, quando habemus per speciem rei.

Secunda notitia est scire *si est,* quod significatur per nomen, *si,* scilicet aliquid est in natura, quia quod non est, non quæritur de eo, nisi *quid* nominis. Istud, *si est,* secundum eum, potest haberi per se et per accidens, et secundum Linconiensem tunc habemus *si est* per se, quando habemus per speciem rei, et per accidens quando per speciem alterius.

Exemplum : si quis esset super Lunam, per se sciret eclipsim : in terra autem sciret per accidens eclipsim *si est,* scit enim quod aliquid interest, sed an hoc sit interpositio talis, nescit, loquendo de *si* primo modo secundum eum, quia quæ vere sunt, habent *si est,* faciliter potest habere de *quid est,* secundo modo *si est,* nullo modo se habet ad *quid est.*

Ex ista sententia Aristotelis nullus potest habere cognitionem *quid est,* de Deo, nec de substantia. Patet quod non de Deo ; quod nec de substantia, patet similiter, quia non cognoscimus substantiam per propriam speciem, aliter cognosceremus absentiam panis in hostia consecrata.

Contra, accidentia conferunt magnam partem ad cognoscendum *quod quid est,* etc. 2.

Item, de Deo patet, non enim invocaretur, si non sciretur.

Ideo dico, quod Philosophus sic intelligeretur ; contingit de accidente non habere conceptum, nisi accidentis in communi, et quod habetur ; et contingit habere conceptum illius cui inest, sed quid illud est, non habet aliquis ex hoc.

Ideo ex sola specie accidentis habetur solum conceptus substantiæ, ideo nec ex *si est,* habetur sic cognitio *quid est ;* sed contingit scire, quod inhærentia stat ad per se stans ; et contingit habere conceptum per se stantis, et hic est conceptus substantiæ ; ideo habendo *si est,* per speciem alienam accidentis,habetur *quid* substantiæ secundum genus universalissimum, et quantum habeo *si est,* sic per accidens tantum de ejus *quid est ;* unde per speciem creaturæ cognoscimus quia est, et etiam quia est actus purus, etc. ideo cognoscimus de Deo quid est, per speciem alienam, tamen ista cognitio *quia est,* per speciem alienam, non est facialis, ut res videatur, sicut est in se, sed sicut relucet in effectu, sic patet sententia Philosophi.

SCHOLIUM.

Posita opinione Philosophi, quod non potest haberi scientia *quid est* de Deo, vel

substantia, ponit modum dicendi, quod Deus relucet in creatura, et substantia in accidente, non secundum rationem propriam istorum, sed secundum rationem communem univocam utriusque, et adducit rationes probantes univocationem entis Deo et creaturæ substantiæ, et accidenti; de quibus latius agit 1. dist. 3. quæst. 2. a num. 5. et quæst. 3. a n. 7. et dist. 8. quæst. 3. a num. 11.

Quomodo substantia lucet in accidente, vel Deus in creatura? Modo in speciali videndum, quomodo cognoscimus de Deo, vel substantia *quid est*. Ideo videndum est, quomodo substantia lucet in accidente, vel Deus in creatura.

Quidam dicunt, quod substantia non relucet in accidente secundum rationem propriam, qua non univocatur accidenti, sed secundum rationem communem, qua univocatur accidenti; ideo ut lucet, et continetur in accidente, continetur secundum rationem univocam sibi et accidenti, sic est de Deo et creatura. Unde Deus cognoscitur secundum conceptum univocum Deo et creaturæ, ideo non cognoscimus *quid* proprium.

3. Item, nullum absolutum facit conceptum in intellectu de aliquo, nisi contineat ipsum formaliter, sicut inferius continet superius; vel virtualiter, sicut subjectum continet proprias passiones; accidens non continet substantias, nec phantasma continet Deum neutro modo; ergo, etc.

Item, ens ordinis superioris non relucet in ente ordinis inferioris, nisi inferiori modo; creatura et accidens est ens inferioris ordinis, quam Deus et substantia; ergo secundum propriam rationem, qua Deus excellit creaturam, non relucet in creatura; ergo etc.

Item, cognitio est per assimilationem, sed secundum proprias rationes non assimilatur; ergo, etc.

Item, quando facimus attributiones ad Deum, removemus a perfectionibus imperfectiones creaturæ, et illud quod remanet attribuimus Deo; quæro si illud remanens sit univocum Deo et creaturæ? si sic, habeo propositum. Si non, non magis attribuitur sapientia Deo quam lapis.

Item, in conceptibus universalis habentis singularia imaginabilia propria possumus stare fixi, non autem in non habentibus, veritas non habet proprium singulare imaginabile secundum Augustinum : *cum audis* veritas, *quære quid veritas, statim objiciunt phantasmata*, etc.

Item, omnis intellectus certus de uno conceptu, et dubius de duobus, habet unum communem neutrum, aut intellectus simul esset certus, et dubius de eodem. Philosophi certi fuerunt de primo principio quod est ens, dubii autem, an hoc ens, etc. et ideo stabant in conceptu uno certo præter utrumque dubium.

Item, omnis conceptus communis indeterminatus, a quo si descenderetur in determinatos, prædicaretur de eis per se, et in *quid* prædicatur univoce de eis, hujusmodi est conceptus entis respectu Dei et creaturæ. Ad aliud de veritate dico, quod licet non habeat singulare proprium in intellectu, habeat tamen aliud singulare commune.

Ad illud de conceptu certo et dubio, dico quod conclusio est vera, ens habet conceptum unum

secundum *quid*, unitate scilicet aggregationis et confusionis, non tamen unitate univocationis.

Ad aliud, conceptus non remanet in eis unus simpliciter, sed unitate confusionis.

4. Ad quæstionem dico, quod non possumus intelligere Deum quid est facialiter per speciem creaturæ, sed tantum secundum conceptum proprium, qui est univocus creaturæ, sed ut excellit creaturam ; ex creatura autem possumus intelligere quod creator est, sed non quid est. Hîc cognoscendo quod producit de nihilo, et est actus purus intelligibilis, et quantum sic cognosco, cognito de eo *si est*, tantum cognosco de eo *quid est*, et sic habebo definitionem de eo, sed secundum hoc intellectus noster vertendo se ad partem definitionis, habemus *quid* virtualiter creaturæ; tamen quia animus non stat in ista parte, abstrahit a Deo istos conceptus, et stat per ignorantiam et negationem ; et hæc est vera cognitio, quam habemus de Deo hîc. Dictum est, quod cognoscimus de Deo *quid est*.

Vera cognitio de Deo per ignorantiam et negationem.

Contra, supereminentissimi sunt super bonum, etc. secundum Dionysium cap. 3. illi conceptus removentur a Deo; ergo non sunt quidditativi, et proprii conceptus Dei.

Dico quod conceptus conclusi per modum complexionis conveniunt Deo, nec conveniunt creaturæ; hujusmodi sunt conceptus compositi, non autem simplices conceptus, cujusmodi sunt conceptus entis, boni, etc. nam tales conceptus dicuntur univoce de Deo et creatura.

5. Ad argumentum dico, quod remotio, una a Deo, alia ab animo. Exemplum, si occurrat conceptus ebrii vel superbi, removetur a Deo; si autem occurrat *super bonus*, hujusmodi debet removeri ab animo, quia per hoc intellectus intelligit aliquod compositum, sed intendit aliquid aliud amare, quod est simpliciter simplex. Sed quia primus modus *super bonum*, etc. est modus compositus, non placet animo, ideo stat in ignorantia ; ideo licet in altissimo conceptu nihil concipimus, nisi modo composito, tamen intendimus conceptum simpliciter simplicem, quia illum habemus in communi tantum, et confusissimum, et communem Deo et creaturæ.

Non habemus de Deo nisi conceptum compositum, sed intendimus simplicem.

Quod ens non sit commune virtualiter, probo : nulla intentio univoca statim est in sua inferiora, sed descendit in ea per addita, ut animal non est statim homo et asinus, sed descendit in ea per differentias, et ita per addita; ergo ens, si est univocum substantiæ et accidenti, non est statim substantia et accidens, sed descendit in eas per differentias : quæro igitur utrum prædicetur de illis differentiis in *quid*, vel non. Si sic, ergo non sunt differentiæ ; similiter tunc illæ, cum includant ens quidditative, erunt differentes aliis differentiis, et non primo diversæ, et de illis differentiis similiter est quærendum.

de hoc 1. d. 3. q. 3. n. 6. 7.

Si dicas non ; ergo cum ens habet differentias, et non prædicatur de eis in *quid* per te, est genus.

Item, omne divisibile dividitur in divisione primaria divisione bimembri secundum Boetium *lib. Divisionum.*

Similiter hoc patet per rationem, quia omnis divisio est monadis secundum essentialem partitionem ; sed prima divisio entis est in decem genera ; ergo non est unum.

Dices : dividitur in ens in alio, et in ens non in alio.

6. Contra, ideo intentio entis est univoca substantiæ, et accidenti secundum te, quia substantia non concipitur, nisi per speciem accidentis, ideo secundum modum univocum continet ; ergo per oppositum, cum novem accidentia concipiantur, per species proprias concipiuntur.

Item, intentio univoca non descendit in alterum univocatorum causaliter mediante altero univoco, verbi gratia, animal æque descendit in hominem et in asinum, ita quod neutrum est causa animalis descendendi in alterum. Hoc patet ratione, quia aliter differentiæ non essent coævæ in genere.

Similiter nec essent in potentia in genere, sed in actu, quia sumo signum naturæ, in quo intelligo animal, in alio signo immediate intelligere possum asinum ; sed non sic, si homo prius intelligeretur, quia est causa intelligendi asinum, si detur oppositum in primo signo intelligere hominem, et in conceptu animalis intelligeretur homo ; ergo,etc. Sed ens est talis intentio,quia non contingit descendere ab eo in ens creatum analogum, nisi mediante intellectu entis, quod est Deus ; ergo non est univocum eis. Probatio minoris, in intellectu enim hujus, inquantum hæc scilicet creatura, includitur respectus ad ipsum Deum, cujus participatione est, non enim est intelligibilis, nisi ut includit respectum ad Deum ; sed Deus intelligitur sine respectu, sed unumquodque includens aliud, et non e converso, posterius est eo, ideo ordine tali descendente ad hoc ens, oportet descendere mediante ipso intellecto.

An descenditur in ens creatum, per conceptum increatum.

Item, per naturam indeterminata sunt prius intellecta, hujusmodi est Deus, quia ens analogum ad decem est indeterminatum, sed determinabile per modos ; Deus autem non est determinabilis ; ergo magis est indeterminatus. 7.

Item, ponatur quod aliquis habeat conceptum justi in communi et nondum investigatum, et occurrat sibi an hæc actio sit justa per applicationem ad ipsum justum; ergo ipsum justum includitur in conceptu justi in communi. Minor patet per Augustinum 6. *de Trin.* quærit an actus sit perfectior, et appli at ad ipsum pulchrum, id est, Deum, qui est pulcher, et prius non habuit conceptum pulchri nisi in communi; ergo conceptus ipsius justi, id est, Dei, includitur in conceptu justi in communi.

Dices, non potest applicari ad justum in communi, nisi prius sciat ipsum justum.

Contra, loqueris cum pulchrum, et non nosti eum prius, cum invenis eum justum, nescis an invenisti, nisi intelligeretur in justo 8.

in communi; ergo in justo in communi includitur ipsum justum.

Ad rationes alias, quæ fiunt in oppositum, scilicet quod ens sit univocum, quia in omni genere est primum simplicissimum, sed primum omnium est ens; ergo simplicissimum, et sic univocum.

Objectum primum multifariam dicitur.

Solutio, primum objectum intellectus potest dici primum prioritate adæquationis, vel communitatis. Alio modo prioritate generationis vel adversionis, quo primo adverto, vel prioritate virtutis, in cujus scilicet virtute intelligo omnia; sic essentia divina est primum objectum sui intellectus; primo modo est ens communissimum objectum; secundo est nunc unum, nunc aliud, quod scilicet vehementius immutat intellectum primo primum objectum virtute non habet viator, sicut dicunt quidam. Sed hoc est falsum, quia habet ipsum *esse*, quod est pelagus primum causalitate, scilicet Deus, qui prius intelligitur quam infinitæ virtutis. quod patet, quia illud est alio quocumque prius naturaliter et causaliter. Tunc dico, prioritas virtutis est prioritas simpliciter, aliæ vero prioritates secundum *quid*, ideo ens non est simplicissimum, sed ens.

Contra hoc probatio, quia creatura dicitur relative ad Deum; ergo non intelligitur, nisi Deus prius intelligatur. Similiter per creaturam intelligimus Deum, nec eum intelligimus nisi per creaturam; ergo non prius intelligitur Deus quam creatura.

Dico, non video colorem, nisi videndo lucem, et lux fecit videre colorem, et lux est primum causalitate, tamen talis oculus posset esse, qui videret lucem in se. Similiter talis oculus mentalis posset esse, qui videret Deum in se; sicut enim color est causa secunda quare video lucem, tamen lux est causa prima, sic intellectus, etc.

Item, arguo sic, unius potentiæ unum est objectum primum simpliciter.

Item, omnis conceptus indeterminatus, quando descendit in inferiora, et est unus in eis, est univocus, ut patet de animali; talis est conceptus entis, quia prædicatur de eis in *quid*.

SCHOLIUM.

Resolutio materiæ hujus collationis habetur apud Doctorem, 1. dist. 3. quæst. 2. a num. 5. et alias sæpe, ubi docet primo Deum cognosci a nobis conceptu quidditativo confuso, et non tantum conceptu attributali, ut vult Henricus. Secundo docet eum cognosci conceptu univoco sibi et creaturis, alias nullum conceptum haberemus de Deo ex creatis, neque plus constaret nobis esse sapientem ex conceptu creaturarum, quam esse lapidem.

COLLATIO XIV.

Utrum voluntas naturaliter determinetur ad volendum.

Alens. 1. *part. quæst.* 8. *membr.* 1. 2. *p. quæst.* 74. *membr.* 7. D. Thom. 1. *part. quæst.* 82. *art.* 3. et 1. 2. *q.* 10. *art.* 1. et 2. Vasq. 1. 2. *d.* 39. Scot. 1. *q.* 4. et *alii ibi citati, et* 4. *d.* 49. *q.* 6. *et quodlib.* 16.

Quod sic: Augustinus 12. de Trinit. cap. 8. *ad volendum Beatitudinem natura compellit.* 1

Arguit multipliciter Beatitudinem natu-

Item, potentia habet naturalem habitudinem ad actum et objectum, quia cadit in sua definitione, et

raliter appeti. definitio indicat quid est *esse* rei, scilicet habere naturalem habitudinem, et naturaliter determinari; ergo, etc.

Item, quæ conveniunt omnibus et uniformiter, conveniunt ex suis principiis naturæ; sed velle Beatitudinem convenit omnibus, et appetunt omnes Beatitudinem; ergo, etc.

Item, mobile et contingens reducitur ad immobile, et necessarium, sicut notitia conclusionis contingentis ad notitiam principii necessario, et immobiliter noti; ergo similiter in voluntate.

Item, anima est naturaliter capax Beatitudinis, et nulla creatura capax alicujus boni, caret naturali motu ad illud, aliter natura deficeret in necessariis.

Item, omne generans determinat generatum ad motum, quo conatur aliquando conjungi cum generante; ergo Deus creans determinat sic voluntatem, ut conetur, etc.

Item, specialiter de Deo arguitur sic: gloriosius habetur, quod habetur necessitate naturæ, quam quod habetur aliter; sed Deus vult se gloriosissime; ergo, etc.

Item, Dei voluntas est ejus intellectus re et intentione; si igitur intellectus intelligit modo naturæ, voluntas vult modo naturæ.

SCHOLIUM.

Adductis octo rationibus suadentibus Beatitudinem naturaliter appeti, adducit alias quatuor in contrarium, et rursus alias tres pro illa parte. Videtur resolvere etiam hic inclinationem habitualem voluntatis ad finem esse naturalem, sed actualem, liberam. Saltem id resolvit, 1. dist. 1. quæst. 4. a num. 12. et 4. d. 49. quæst. 6. quodlib. 16. ubi ostendit voluntatem nunquam agere naturaliter; et loquendo de creata, docet eam minime necessitari; divina tamen habet actus necessarios ad intra, qui tamen liberi sunt, juxta dicta 1. dist. 10. et quodlib. 16. num. 8. 9. et hic num. 4. argumenta non probant de appetitu elicito, sed de innato qui non distinguitur a potentia sic inclinata: de quo Doctor 3. dist. 15. et 4. dist. 43. quæst. 4. et dist. 49. quæst. 10.

Contra; principium ut natura, dicitur contra principium ut intellectus 2. *Physicor.* sed intellectus est natura, ut principium; ergo, etc. 2

Item, voluntas non fertur in ea, quæ sunt ad finem, ut naturaliter determinata; ergo nec in finem. Probatio consequentiæ, voluntas sicut est causa lationis voluntatis in ea quæ sunt ad finem, ita et ad finem; quia sicut intellectus se habet ad principium in speculabilibus, sic voluntas ad finem in moralibus.

Arguit multipliciter voluntatem non naturaliter velle Beatitudinem.

Item, pars non movet, nisi in virtute totius.

Item, *de Trinitate* 13. *cap.* 5. propter Beatitudinem appetunt omnes cætera, quæ appetunt.

Item, ad principale quod inest, naturaliter inest sive volumus, sive nolumus; sed appetimus Beatitudinem etiamsi non vellemus, secundum B. Augustinum.

Item, potentia quæ in ferendo magis agitur quam agat, non fertur libere; sed potentia taliter determinata ad objectum est hujusmodi; ergo.

Item, intellectus divinus esset æque liber, sicut voluntas sua.

Dicitur, quod *velle* aliquando sumitur pro quacumque determinatione in voluntate, sive innata, si-

ve impressa noviter ab objecto ; alio modo pro actu elicito a voluntate.

3. Naturale dicitur quatuor modis. Sed propter argumenta sciendum, quod uno modo dicitur naturale, quod distinguitur contra violentum ; secundo modo contra deliberationem ; tertio modo contra adventitium ; quarto modo contra spontaneum, sive ultroneum. Primo modo, secundo et tertio, velle finem est naturæ, sed quarto modo non, sed liberum. Sed de isto *velle* spontaneo adhuc est distinguendum, scilicet quod potest sumi pro latione passiva ipsius voluntatis, vel activa ; si primo modo, hoc tripliciter, primo, quantum ad determinationem voluntatis ad ipsum, et sic pure est naturale.

Vel quantum ad exercitium, et hoc quantum ad continuationem, et sic est omnino liberum, quia in potestate voluntatis est continuare actum suum circa objectum.

Vel quantum ad inchoationem, cum non sit in potestate nostra, quin visis tangamur, stante intellectu in actu suo, et sic est naturalis, potest tamen avertere considerationem, et pro tanto libere. Et intelligit, quod voco hîc lationem passivam, actum secundum consequentem impressionem factam in voluntate, sicut motus gravis in gravi sequitur formam gravis, *velle* tamen ubi est actio, est omnino liberum, et per hoc patet ad argumenta.

Velle quod est actio, est liberum.

4. Loquitur de voluntate divina. Sed ut expressius videatur circa dicta de habituali inclinatione et actuali, quæ dicitur latio passiva, *velle*, quod est inclinatio primo modo est omnino naturale ; secundo modo quantum ad inclinationem, indirecte est liberum. Sed tunc quæritur utrum libere fertur in finem, et cum hoc naturaliter, dico quod sic.

Contra : tunc duo actus essent in voluntate, qui habent oppositas conditiones : dico quod verum est, quod sunt duo *velle*, unum ut passio, et aliud ut actio. Exemplum, sicut simul sunt actus voluntatis, et delectatio sequens, quæ quoddam velle, quod libere fertur in finem. Probatio, quia delectabilius fertur, quod spontanee fertur quam quod necessario ; sed voluntas delectabilissime fertur in finem ; igitur, etc.

COLLATIO XV.

Utrum voluntas informata charitate possit non velle Deum visum per essentiam in patria.

Doctores *citati collat. præced. et alii citati* 4. *dist.* 49. *quæst.* 6.

Arguitur quod sic; quia idem principium activum eodem modo se habens, non elicit actum modo necessario circa idem objectum ; sed voluntas cum charitate est agens hujusmodi ; ergo, etc.

Juxta hoc quæritur utrum Beatus videns Deum et amans eum, posset non velle eum, et sic peccare? Quod sic : quia in eo est potentia, qua peccari solet, scilicet voluntas, quæ est opposita, et est de nihilo potens deviare ; ergo, etc.

Item, posse peccare est laudabile ideo non aufertur per statum nobilissimum.

Contra 12. *de Civit. cap.* 11.

Item *cur Deus homo, a cap. decimo.*

Item, si quis videns Deum per essentiam, non potest non velle, ut dictum est, magis videns, et valens non potest.

Dicendum quod non, secundum Sanctos. Causa assignatur a quibusdam ex parte Dei tantum, quia Deus vult, quod Angelus feratur continue, sicut modo fertur, vide 2. *Confess. et* 12. *de Civit. cap. vult.*

2. Contra, ponatur quod Deus dimittat Angelum sibiipsi sub generali influentia, et quod Angelus haberet habitum gloriæ, et videret Deum per essentiam, Angelus non posset peccare; nec eum non velle, nec aliquid sibi præponere, nec eum minus velle. Patet primum; ergo.

de quo 4. d. 49. q. 6. Alii dicunt, quod secura scientia de non cadendo, est de ratione illius status.

Contra, etsi non esset certitudo de ejus ratione, adhuc propter eamdem rationem quæ prius, non posset peccare.

Alii dicunt, charitas, quæ est donum gratuitum, est ratio impeccabilitatis. Illud non valet, quia tunc voluntas non esset libera. Charitas enim viæ et patriæ, sunt ejusdem rationis, et eadem quæ est in via, est in patria, quia nunquam excidit secundum Apostolum 1. *ad Corinth.* 13. ergo sequitur, quod charitas immobiliabit voluntatem in via, sicut in patria, et sic non potest voluntas ad oppositum in via peccare.

Item, illud donum inclinat per modum naturæ, nec libere quantum est de se; ergo voluntas necessitatur per illam formam inclinantem per modum naturæ.

Alii dicunt causam ex parte voluntatis effrænatæ ferentis se in Deum, et e converso de dæmonibus. de hoc 2. d. 7. n. 3.

SCHOLIUM.

Tangit varios dicendi modos, de necessitate Beatitudinis, et impeccabilitate Beati; resolutio ejus est, Beatum libere continuare suum amorem ad Deum visum; non posse tamen ex suppositione desistere, vel peccare, de quo 4. dist. 49. quæst. 6. optime hîc in fine explicat quomodo cum libertate stat necessitas, de quo latius 1. dist. 10. et quodlib. 16. vide Scholium collationis præced.

Contra, in priori per naturam, quo Beatus videt Deum, ante velle effrænatum habet velle; ideo prior est impossibilitas peccandi, quam effrænatio ferendi. Ideo dico, quod quatuor concurrunt ad volendum Deum in illo priori per essentiam visum, videlicet continua exhibitio præsentiæ, et eminentia objecti visi per essentiam, et causa continuæ contemplationis; quocumque enim vertitur essentia ad videndum res in proprio genere, videt Deum per essentiam; continua contemplatio objecti, et continua fruitio in voluntate. Ista continua impressio est quasi pondus inclinans voluntatem exercere aliquem actum in objectum. 3.

Quatuor occurrunt quibus Beatitudo perpetuatur.

Contra, istud pondus inclinat per modum naturæ; ergo necessitat eam, et sic non manet libera. Dico, quod ista necessitas non est violentiæ, sed immutabilitatis.

Contra, est ab agente extrinseco. Dico, quod illud extrinsecum magis habet rationem finis quam efficientis, et si se habeat in ratione efficientis, non tamen infert vio- Esse ab agente extrinseco, non facit violentiam.

lentiam, quia violenter est, cujus causa est extrinseca, et passo non confert vim; sed hæc voluntas confert, quia habet in objecto, cur ipsum super omnia velit, et non habet cur ab eo resiliat, vel cur ad aliud convertatur, et sic ipsum necessario vult, et est impeccabilis. Primo, quia mobili reducto ad actum perfectum, ubi nulla est privatio, necessario quiescit; sed voluntas sic videns et amans Deum reducitur ad actum perfectum, ubi nulla est privatio; ergo. Probatio minoris, quia motus est actus entis in potentia ad terminum, quo privatur mobile; reducto igitur mobili ad terminum, ubi nulla est privatio, jam non potest esse motus.

Item, ultimate quietatum, ulterius non movetur: sed voluntas in ultimo fine habito ultimate quietatur; ergo.

Item, omne bonum reficit aliquo modo voluntatem; ergo infinitum bonum habitum infinite reficit; ergo.

Item, Anselmus *de casu diaboli*, Beati adepti sunt quietem, etc.

Item, Boetius *de consolatione in principio*.

4. Ad argum. in principio. Ad primum, potentia est in dispositione tali, et extra privationem, sic quod non potest in oppositum actum. Ad aliud laudabile est secundum *quid*, posse peccare, sed non simpliciter, ideo aufertur.

Utrum igitur, qui sic necessario vult, etiam libere vult. Quod non: Augustinus in Enchir. *bonum et malum secundum rationes speciales non compatiuntur se, nec vitium cum virtute*: sed libertas et necessitas opponuntur, sicut bonum et malum; ergo non in eodem.

Item *de lib. arbitr.* ideo voluntas nostra est libera, quia est in potestate nostra, sic non in potestate nostra, quod necessario vult.

Item, voluntas est potentia realis; ergo valet ad opposita; sed respectu illorum, quæ necessario vult, non valet in oppositum.

Vult Deus se necessario nec potest non velle se, sed libere. Ad opposita patet ex dictis, tum quia cum necessitas ut sic, non tollat libertatem, vel diminuat, dico quod non malum est in Deo, quia necessario vult se, nec potest non velle se, tamen libere vult se secundum Augustinum 22. *de Civit. cap.* 11. contra Stoicos. Sed una necessitas includit subjectionem alteri, sive extrinseco, sive intrinseco prævenienti, vel inferenti vim, necessitas talis repugnat libertati, et dicit servitutem; ideo quæ sic moventur ab extrinseco, non moventur libere, ut projecta, nec quæ moventur ab extrinseco secundum impetum naturæ, ut gravia et levia, non moventur libere, quia natura præveniens ab extrinseco, cum impetu movet ea, hæc necessitas includit subjectionem. Alia est necessitas spontanea in actu non præveniens, et illa stat cum libertate.

COLLATIO XVI.

Utrum apprehenso in universali fine ultimo voluntas possit non velle illum?

Dico quod *velle* sumitur large pro quacumque inclinatione impressa, sive a Deo, sive a quocumque in ea, unde potest aliquid es- 1.

impressum in voluntate, non quod elicit *velle*, sed quod inclinat *velle*.

Contra, illud impressum est velle aliquo modo, unde Augustinus super illud : *Inclina cor meum, cor inclinari est velle ;* sed delectatio est inclinatio ; ergo *velle* consequenter sumitur pro inclinatione sive delectatione, aliquando pro actu elicito, et non est tantum actus elicitus ; ergo *velle* sumitur large pro omni inclinatione passiva, impressa a Deo, et sic inclinatio non est in potestate voluntatis, quoniam secundum Augustinum, non est in voluntate nostra, *quin visis tangamur*, unde aliqua passio fit in voluntate quæ non est in potestate voluntatis.

Similiter Anselmus *de concord. et prædest.* Deus impressit affectiones in voluntate, per quas quodammodo inclinatur ad aliud, sic non est actus elicitus, sed passiva inclinatio.

2. An oluntas ·test nolle ·num in mmuni.

Similiter sumitur *velle* pro actu elicito. Sic igitur sumpto potest dici, quod voluntas apprehenso fine in universali, potest non velle illum uno modo, quia licet idem sit bonum in communi et in particulari, etsi sit apprehensum in communi, non tamen in particulari, et sic ab illo potest voluntas averti. Alio modo potest intelligi, quod voluntas non potest velle oppositum boni in communi apprehensi, et nolle illud, scilicet bonum in communi ; sed hoc est impossibile secundum Augustinum 14. *de Trinit. cap.* 8. *et in Enchirid. cap. nono.*

Aliter potest intelligi, quod voluntas est ibi libera ad actum, scilicet elicere vel non elicere, ita quod bono in communi apprehenso, voluntas est in potentia actum omnem suspendere, et ita nolle, nec velle.

Contra, illud *suspendere*, vel est agere, vel non : si est agere ; ergo dicis opposita, quia sic suspenderet etiam omnem actum suspendendi ; si non est agere :

Contra : impressio facta ab objecto in voluntate est pondus, et inclinatio ; sed omne pondus inclinans necessitat inclinatum suum, nisi inclinatum renitatur, sed non renititur, nisi per actum, etc. 3.

Item, si voluntas non esset libera, tale pondus in ea necessitaret eam ; sed si voluntas nullam libertatem exerceat agendo, sic se habet pondus ad eam, ut non liberam ; ergo necessitat eam.

Voluntas Dei semper est in actu, tamen est libera.

Item, si potest nullum actum exercere, hoc est inquantum libera, et tunc includitur in ratione libertatis posse non velle, hoc est falsum ; voluntas enim Dei semper est in actu, et tamen est libera.

Ad primum in oppositum ; nihil tam subest voluntati, sicut voluntas ; sed sicut actus intellectus est in potestate voluntatis, ita voluntas, quare potest divertere actum volendi, sicut intelligendi, non tamen omnem actum suspendere.

Ad aliud ; agens ita, quod per nullam potestatem potest non agere, necessario agit ; voluntas autem potest divertere intellectum et se, et per consequens ad aliud ; ideo licet necessitetur, stante consideratione, non tamen simpliciter, sicut visus a colore vel luce, et sic nullum actum elicit, quia nullum actum elicit, nisi per aliquid impressum ab objecto, et ideo æque, ut

Voluntas nunquam necessitatur ab objecto.

videtur, necessitatur respectu omnium; sed impressum in voluntate est tantum inclinans, ideo voluntas nunquam necessitatur ab objecto, tamen magis inclinatur respectu finis quam respectu alterius objecti, ita quod non potest ferri in oppositum, licet sic possit divertere ab eo, non tamen repudiando.

4. Ad argumentum 15. *de Trinit. cap.* 41. et Anselm. *Cur Deus homo, lib.* 1. *cap.* 7. Beati Angeli non possunt peccare, cujus oppositum videtur tenere. Si enim possunt non velle, possunt peccare peccato omissionis. Et isti dicerent forte, licet deliberatæ voluntatis possunt non velle Deum, tamen quia Deus tenet eos in Beatitudine, ut efficiens, non possunt peccare.

Aliqui assignant causam, quare non possunt peccare Beati a parte voluntatis.

Aliqui dicunt, quod causa est voluntas Dei confirmans et efficiens, ita quod non possunt velle oppositum illius, quod Deus vult. Hoc habetur secundum Augustinum 12. *Confess. et* 22. *de Civit. cap. ult.*

Alii dicunt causam ex parte objecti Beatitudinis, non ut efficiens: intellectus enim beatus videt divinam essentiam per essentiam, quia Deus per essentiam præsens est intellectui beato, ideo quomodocumque verterit se, videt Beatus Deum, ex quo potest videre Deum per essentiam, et Deus est ubique, ideo quocumque verterit se, videt Deum; ergo si voluntas Beati habentis Deum præsentem in intellectu informata charitate, potest non velle Deum, hoc est, vel nullum actum eliciendo erga Deum, hoc improbatum est prius; aut divertendo intellectum non cogitando de Deo, hoc improbatum est modo, quia quocumque vertitur ad videndum alia, etiam in genere proprio, videt Deum; aut hoc est, quia potest nolle Deum in præponendo aliud sibi, hoc impossibile. Probatio, quia quando voluntas præponit aliquid alii, vel non vult aliquid, hoc est, propter aliquod *cur*, secundum Anselmum de veritate, sed Deo viso per essentiam nulla potest apparere ratio nolendi ipsum, vel præponendi aliquid sibi. Probatio, quia hoc non esset, nisi quia hoc cui aliquid præponitur est malum simpliciter, vel quia non est bonum in se, sed aliud est simpliciter bonum, sed alterum melius, vel quod sint æqualia bona, et voluntas potest præponere unum alteri; sed nullum istorum contingit in proposito, quia omne bonum includitur in hoc bono, melius quam in se.

An volu tas pot præpon aliqui Deo, etc modo n

Ad argumentum illorum idem principium activum, et eodem modo se habens, aliquando elicit actum contingentem, aliquando necessarium; dico, hoc est per mutationem in alio factam, quam in principio vel objecto. Principium prius agens contingenter post necessario agit, ut moriens in charitate est Beatus, voluntas non mutatur, nec charitas, nec objectum; diligam tunc Deum, sicut modo, tamen tunc necessario, modo contingenter propter realem mutationem factam in intellectu; fides modo erit tunc visio, tamen objectum non mutatur, sed alio modo se habet ad voluntatem. 5.

Idem pr cipium quomo potest n libere, n necessar elicer actum

Ad secundum, si voluntas fertur

necessario in patria in Deum, quid facit necessitatem? dico non potest non velle Deum ibi, neque nullum actum exercendo circa hunc, sed circa alium exercendo, neque adimendo. Causa primi est, quia non posset nisi per libertatem hoc, et tunc per exercitium, et ita per actum. Causa secundi est, quia intellectus semper est præsens voluntati, movens et imprimens, quia non potest per libertatem non imprimere, et inclinare ad velle Deum, patet prius, ideo respectu illius non est liber. Similiter causa tertii est idem.

SCHOLIUM.

Resolutio hujus collationis eadem est cum resolutione trium collationum præcedentium; nihil ergo addendum occurrit.

COLLATIO XVII.

Utrum voluntas necessario velit ultimum finem sibi ostensum a ratione?

Doctores citati 1. *dist.* 1. *quæst.* 4.

SCHOLIUM.

Tota hæc collatio tractat de refutatione cujusdam rationis (qua D. Thom. probat voluntatem necessitari ad amandum ultimum finem, in communi ostensum, quia scilicet, nihil ibi est mali) quam rejicit Doctor. 1. dist. 1. q. 4. a n. 5. variis rationibus, quarum una est, quod sequeretur voluntatem necessitari ad continuationem considerationis ultimi finis, quod est contra experientiam. Hanc rationem mira subtilitate prosequitur, convellens omnes responsiones, (ut videtur) quæ humanitus possent excogitari. Solutiones et replicæ sunt clarissimæ, et subtilissimæ, habetur fere tota substantia hujus collationis in additione longa, 1. d. 1. q. 4.

1. Dicitur quod sic: quia illud in se habet omnem rationem appetibilis, et nullam rationem fugibilis; ergo necessario appetitur a voluntate: nam ideo voluntas non necessario, sed variabiliter vult aliud, quia rationem aliquam fugibilis habet, et non habet rationem appetibilis, sed ultimus finis est hujusmodi. Hic enim vocamus ultimum finem, quod continet in se omnem rationem appetibilis, vel appetivitatis, et nihil fugibilis, ideo voluntas necessario vult ultimum finem in universali acceptum ut bonum sub ratione boni. Nihil habes mali an necessario appetitur.

Contra: omne agens necessario, eadem necessitate qua agit, removet prohibens, si sit in potestate sua ipsum amovere, ut patet de gravi superposito trabi, sed impediens voluntatem ad volendum ultimum finem, est non consideratio intellectus; si igitur voluntas necessario vult ultimum finem, necessario amovebit impedimentum non considerationis, convertendo necessario intellectum ad considerandum ultimum finem; ergo intellectus necessario considerabit ultimum finem, quod est impossibile. de hoc 1. d. 2. q. 4.

Dicitur, quod major si vera est, veritatem habet de agente necessario, quod eadem actione agit propriam actionem, et removet prohibens, ut patet exemplo de gravi, quod eadem actione qua movet deorsum, frangit trabem si potest. 2. Responsio.

Nunc autem voluntas alia actione vult ultimum finem, et alia intellectum intelligere ultimum finem, cui imperat considerare ultimum finem, et ideo non oportet, quod necessario velit intellectum intelligere ultimum finem, licet ne-

cessario velit ultimum finem sibi ostensum.

Replica. Contra, major probatur, sive tale agens agat propriam actionem, et amoveat prohibens una actione, sive duabus; quoniam agens, quod necessario agit, necessario amovet omne incompossibile impediens suam actionem, sine cujus amotione non potest agere, si potest illud amovere; quia si potest illud incompossibile impediens amovere, et non necessario amovet, tamen non potest agere stante illo incompossibili impediente, sequitur quod illud agens non necessario agit, quantum est ex parte sui; et hoc patet de igne necessario calefaciente, qui non potest calefacere nisi desiccando, auferendo humidum impediens, necessario desiccat, licet alia actione desiccet, et calefaciat; si igitur voluntas necessario velit, quantum est ex se, ultimum finem, et non potest illum velle, nisi considerando ipsum, sequitur quod voluntas necessario movebit intellectum ad considerandum ultimum finem.

Si voluntas necessario vellet ultimum finem, necessario faceret intellectum semper illum considerare.

3. An eodem actu voluntas vult finem, et considerationem ejus.

Præterea, quod dicitur postea, quod alia volitione voluntas vult finem ultimum, et intellectum intelligere ipsum, hoc non est verum, quia secundum Augustinum eodem actu, quo voluntas complacet sibi in objecto aliquo, copulat potentiam cum ipso objecto, sicut eodem actu quo voluntas delectatur in videndo aliquod objectum, vult visum videre illud objectum, et copulat visum cum tali objecto; ergo eodem actu voluntas vult finem ultimum, et intellectum intelligere finem ultimum.

Respo... Ad primum horum quod agens, quod necessario agit, necessario amovet impediens actionem suam, licet alia actione: dicitur quod hoc est verum, quando agens secundum eumdem modum fertur in utrumque, cujus oppositum accidit in proposito, quia secundum alium modum voluntas fertur in finem, et secundum alium in ea quæ sunt ad finem, quia libere in ea quæ sunt ad finem, sed necessario in finem.

Rep... Contra, major illa probatur universaliter sic: si aliqua extrema sunt connexa per aliqua media, si illa connexio extremorum sit necessaria, oportet quod media, ex quibus dependet connexio extremorum, sint necessaria, quia si ista media essent contingentia, et connexio ex illis dependens necessaria, necessarium dependeret a contingenti, quod est impossibile: si igitur voluntas et objectum, quod est ultimus finis, necessario connectuntur, connexio habet media præcedentia ex quibus dependet, ut actum voluntatis et actum intellectus; sequitur quod actus intellectus respectu ejusdem objecti erit necessarius.

Resp... subtil... arg. i... ma re... Dicitur quod necessitas duplex est, absoluta, et conditionis sive præsuppositionis, et consequentiæ; quando autem aliqua extrema connectuntur necessario necessitate absoluta per aliqua media, oportet quod illa media sint necessaria, sicut probat ratio; sed quando extrema connectuntur in necessitate non absoluta, sed conditionata, ut stante medio prædicto, tunc non oportet media esse necessaria absolute. Sic autem est in

proposito, quod voluntas non vult finem ultimum necessario necessitate absoluta; tunc enim semper vellet finem ultimum, sed tantum necessitate conditionata, puta dum intellectus ostendit voluntati objectum, quod est finis ultimus. Unde non quæritur, an voluntas necessario velit finem ultimum, sed an necessario velit finem ultimum, sibi ostensum ab intellectu. Et per hoc patet responsio ad rationem principalem: Omne agens necessario necessitate absoluta, eadem necessitate removet prohibens; si autem necessitate conditionata, tunc non necessario removet prohibens.

5. Contra, omne agens necessarium agit per principium sibi intrinsecum; sed actus intelligendi, quo ostenditur voluntati ultimus finis, non est principium intrinsecum voluntati; ergo voluntas non necessario vult ultimum finem, propter ostensionem ejus in intellectu.

ens necessarium conditionata, quantum est de se, tollit prohibens, in exemplo.

Præterea, ratio prior adhuc videtur stare, agens quod necessario agit quantum est ex natura sua, licet non absoluta necessitate agat, eadem necessitate absoluta, si potest, removet prohibens; sicut ignis, qui agit non necessitate absoluta, quia sic semper ageret, nec sua actio tunc posset impediri, sed necessitate conditionata, ut si passum dispositum sit sibi approximatum, quod quantum est ex se necessario agit, eadem necessitate amovet impediens suam actionem, si potest. Et probatur sicut primum, quia si potest impediens suam actionem amovere, et non necessario amovet, ideo contingenter se habet circa amotionem illius. Cum igitur actio sua propria circa proprium objectum dependeat ex actione illius, sequitur quod contingenter se habeat ad suam actionem propriam ex se et non necessario, quantum est ex sua natura; sed voluntas quantum est ex sua natura fertur in ultimum finem secundum hanc opinionem, ita quod quantum est ex parte sua, necessario vult finem ultimum; ergo quantum est ex parte sua, necessario amovet non considerationem intellectus, impedientem actionem suam, convertendo necessario intellectum ad considerandum de ultimo fine.

Confirmatur hæc ratio sub alia forma sic: agens, quod necessario agit, quantum est ex parte sua, eadem necessitate facit objectum suum sibi esse præsens, si potest, sine quo non agit, ut patet de igne, qui, si potest, necessario faceret combustibile sibi esse præsens; et hoc patet etiam de magnete, quod eadem necessitate attrahit sibi ferrum, qua agit in ferrum, conjungendo ipsum sibi; si vero voluntas quantum est ex parte sua necessario vult ultimum finem, eadem necessitate faciet illud objectum, quod est ultimus finis, sibi præsentari per intellectum, cum hoc potest; ergo necessario tenebit intellectum in consideratione ultimi finis, quantum est ex se, sicut magnes tenet ferrum. 6.

Appositum exemplum.

Ad primum istorum dicitur, quod agens quod necessario agit, quantum est ex parte sua, agit per principium intrinsecum sibi completive, tamen potest agere per prin- Responsio.

cipium extrinsecum dispositive, et sic voluntas agit dispositive per intellectum sibi ostendentem ultimum finem.

Replica. Contra : agens quod in se habet totam causam suæ actionis, non dependet ab alio in agendo ; sed voluntas, si necessario vult ultimum finem, habet in se totam causam suæ actionis, quia ipsa sola agit suam actionem, et eamdem recipit; igitur in agendo suam actionem non dependet ab intellectu.

Responsio. Dicitur, quod agens quod habet in se totam causam suæ actionis completivam et dispositivam, non dependet ab alio ; sed sic non est in proposito, cum actio intellectus sit dispositiva respectu actionis voluntatis.

Replica. Contra : necessitas agendi principalis agentis totaliter est in principali agente, quia si non totaliter, sed partim in principali agente, et partim in extra; ergo agens principale necessario ageret per illud, quod est extra ipsum, quod est impossibile.

7. Ad illud principale potest dici sic, quod aliquod agens est, quod ex natura sua sic necessario agit, quod propriam actionem impedire non potest, nec directe suspendendo propriam actionem, nec indirecte agendo circa aliud quod impedit actionem circa proprium objectum, et de tali agente universaliter videtur esse verum, quod agens quod ex natura sua necessario agit, necessario amovet impedimentum suum si potest, sicut patet in omnibus naturaliter agentibus. Aliquod vero est agens, quod necessario, quantum est ex parte sua, agit circa aliquod objectum, circa quod licet directe non possit impedire propriam actionem, eam suspendendo, (quia hoc includit contradictionem, quod aliquod agens necessario aget, quantum est ex natura sua, et tamen quod ex natura sua potest suspendere propriam actionem directe) tamen potest propriam actionem impedire, agendo circa aliud, et hujusmodi agens est sola voluntas, quæ quantum est ex parte sui, necessario tendit in ultimum finem in universali sibi ostensum ; quæ licet non possit propriam actionem impedire, eam directe suspendendo, tamen potest eam indirecte impedire, agendo circa intellectum præcipiendo sibi de ultimo fine non considerare, convertendo ipsum ad aliud intelligendum, et sic, quia non est tunc ultimus finis cognitus, non potest voluntas illum velle. Et per hoc ad majorem rationis est dicendum, quod agens quod sic necessario agit ex se, quod in potestate sua non est impedire propriam actionem directe, nec indirecte, eadem necessitate amovet impedimentum suæ actionis ; sed non est verum de agente, quod sic necessario agit, quod in potestate sua est indirecte suam actionem impedire, cujusmodi est voluntas.

8. Repli[ca]. Sed contra hoc arguitur : agens quod ex natura sua necessario per actionem suam tendit in objectum determinatum, quantum est de se, non potest avertere se ab actione respectu talis objecti : hæc enim videtur esse manifesta, quia prædicatum includitur in subjecto. Si enim agens, quantum est de se pos- Volun[ta]tem n[on] necessi[...]

ri circa inem, aut nsiderare iecessario finem.

sit avertere se ab actione circa unum objectum de se, quantum est de natura sua, non determinatur ad actionem respectu illius objecti ; sed voluntas volens ultimum finem sibi ostensum ex voluntate sua, potest avertere se ab actu volendi ultimum finem, quia potest impedire intellectum, ut non consideret ultimum finem, sed aliud objectum, ut concessum est, et ita potest se avertere a volitione ultimi finis; igitur voluntas ex sua natura, quantum est de se, non determinatur ad volendum ultimum finem necessario.

Ergo non vult illum iecessario.

Præterea : voluntas volens ultimum finem sibi ostensum, potest ex se velle et non velle ultimum finem sibi ostensum : consequentia probatur ex opposito, quoniam si voluntas de necessitate vult aliquid, quantum est ex se vult se velle illud. Antecedens probatur : quia voluntas volens ultimum finem sibi ostensum potest avertere intellectum a consideratione illius finis ostensi, sed non avertit intellectum a consideratione ultimi finis, nisi quia vult se non velle ultimum finem, sed aliud objectum ; quamdiu enim se vult velle ultimum finem, intellectum non avertit a consideratione ultimi finis; ergo voluntas volens ultimum finem ostensum sibi potest ex se velle se non velle illum.

Præterea, omnis potentia attingens suum objectum formale per actum attingit ipsum secundum rationem formalem, et propriam ipsius potentiæ; sed potentia volitiva secun'um rationem suam formalem libera est, et ad utrumlibet se habens in eliciendo actum; per hoc enim distinguitur a potentia intellectiva, quæ de se non est libera, nec ad utrumlibet se habens, nisi quatenus determinatur per voluntatem; objectum autem formale voluntatis est bonum; ergo voluntas per actum suum libere attingit bonum sub ratione boni, libere ad utrumlibet, ita quod potest illud velle et non velle, quando est sibi ostensum.

SCHOLIUM.

Rejicit rationem D. Thomæ, quia si valeret, multo magis probasset, quod ultimus finis in particulari necessitaret, quod tamen ipse negat; quia secundum fidem ostenditur ille finis sine omni defectu, et ratione mali. De hoc agit Doctor contra D. Thomam 1. dist. 1. quæst. 4. num. 13. si concedatur hæc consequentia, quæ negari non potest, adducit Doctor multa absurda in contrarium, et varias confirmationes imaginabiles refutat solidissime. Num. 13. disputat an Deus velit peccatum, sicut nos. De quo vide ipsum hoc explicantem, 2. dist. 37. quæst. 1. a num. 6. et quæst. 2. a num. 9. causat Deus materiale peccati, sed tota deordinatio a nobis est.

Præterea, arguitur contra rationem positionis, quod non concludat : quia si voluntas ideo non potest non velle finem ultimum sibi ostensum, quia in ipso non est aliqua ratio fugibilis, sed omnis ratio appetibilis, cum intellectus informatus habitu in lumine fidei ostendit voluntati finem ultimum in particulari, et hoc sub ratione summi boni, in quo est omnis ratio appetibilis et nulla ratio fugibilis, sequitur quod voluntas non potest non velle ultimum finem in particulari sibi ænigmatice cognitum. Consequentia patet, quia intellectus in lumine fidei certitudi-

Si finis ultimus in universali necessitat, idem faciet in particulari, contra D. Thom. de quo 1. d. 3. q. 4.

naliter ostendit voluntati Deum, ut est ultimus finis; nec de hoc plus dubitat, quod Deus trinus et unus habeat in se rationem omnis appetibilis, et nullam rationem fugibilis quam de fine universali; et etiam cognoscens finem ultimum, sic in particulari perfectius cognoscit, quam solum cognoscens in universali ipsum. Si igitur voluntas non potest non velle ultimum finem sibi ostensum in universali, multo fortius non potest non velle ultimum finem sibi in particulari ænigmatice cognitum, quod tamen negat Doctor istam opinionem tenens.

Replica. Quod si concedas conclusionem, contra per eamdem naturam, per quam movetur quis in finem, quiescit in fine ; si ergo voluntas movetur necessario ex se in finem ultimum in particulari, ut in Deum; ergo necessario quiescit in isto, ita quod non potest non velle istum, et ita non potest voluntas avelli a dilectione Dei, et sic fit confirmatus in bono.

Præterea : omne, quod movetur ex se in aliquid, movetur in illud secundum modum naturæ suæ ; si igitur voluntas moveatur necessario in finem ultimum, et contingenter in ea quæ sunt ad finem, sequitur quod non erit eadem potentia et natura, quoniam eadem natura non potest esse principium agentis necessario, et contingenter, quantum est ex se.

Eadem natura non potest esse principium liberum, et necessarium.

10. Confirmatur per Philosophum 6. *Ethicor.* ubi dicit, quod ad ea quæ sunt altera genere, sunt alteræ particulæ animæ, et ideo contingit, quod *scientificum* alia particula est, quam *ratiocinativum*, quia *scientificum* est circa necessarium, et *ratiocinativum* circa contingens ; si igitur voluntas necessario se habeat circa finem ultimum, qui est ens necessarium, et contingenter circa ea quæ sunt ad finem, quæ sunt contingentia, sequitur quod voluntas non erit una potentia.

Præterea : Philosophus probat 8. *Physic.* quod gravia et levia non moventur a se, quia tunc ex se starent, et essent principium sui status ex se circa terminum, sicut animalia; igitur a simili et per eamdem rationem, cum voluntas moveat se libere in finem ultimum, voluntas posset habere principium sui status circa finem ultimum, ita quod posset non velle illum.

Præterea : Philosophus arguit contra Platonem 1. *de Anima* : quod intellectus non sit circulus, quia tunc intelligentia esset circulatio.

Ex quo accipitur, quod si natura esset eadem natura, actus est idem cum actu; si ergo voluntas necessario volens ultimum, sit eadem cum volente contingenter ea quæ sunt ad finem, tunc actus respectu finis erit ejusdem rationis cum actu respectu eorum quæ sunt ad finem, et ita si unus est liber, contingens, et alter erit.

Præterea : si voluntas, quantum est ex se, necessitetur ad volendum bonum sub ratione boni, sequitur quod non potest non nolle malum sub ratione mali. Consequentia patet, aliter enim simul posset velle aliquid sub ratione boni, et mali ; consequentis falsitas probatur multipliciter.

Primo sic : malum peccati se-

cundum rationem propriam peccati per se respicit libertatem voluntatis, quia secundum Augustinum, *Peccatum est adeo voluntarium, quod non est peccatum, si non est voluntarium;* ergo peccatum sub ratione peccati est voluntarium ; sed peccatum sub ratione peccati malum est; ergo voluntas potest velle aliquid sub ratione mali.

An voluntas velit malum qua tale.

An peccatum qua tale est volitum.

Confirmatur, actus malus peccati inquantum peccatum est, aut est voluntarium, aut non : si sic, habetur propositum, quod voluntas velit malum sub ratione mali ; si non sit voluntarium, ut malus; ergo actus ut malus non est peccatum.

Præterea : voluntas respuit malum, aut sub ratione mali, aut sub ratione boni. Si secundo modo, ita quod nolit malum sub ratione boni; ergo ratio bonitatis est causa nolendi aliquid, et per consequens voluntas non necessario vult bonum sub ratione boni.

12. An voluntas habeat unum objectum, abstrahens a bono, et malo.

Si nolit malum sub ratione mali, contra cuilibet potentiæ secundum actus suos correspondet unum objectum formale sibi adæquatum ; sed actus nolendi est actus positivus, sicut actus volendi; ergo voluntas habebit unum objectum positivum sibi proportionatum, et adæquatum secundum utrumque actum. Non igitur actus volendi erit respectu mali, scilicet sub ratione mali, et velle respectu boni.

Præterea : si voluntas creata et humana non posset velle nisi bonum verum, aut bonum apparens et non malum per se, nec per se deordinationem in actu peccandi, tunc non posset plus peccare voluntas creata, quam voluntas divina et increata. Consequens est falsum; ergo et antecedens. Probatio consequentiæ, omnia volibilia a nobis sunt etiam volibilia a Deo; ergo quidquid bonitatis, et entitatis substratæ est in quocumque actu volendi vitiose, est volitum a Deo, sicut a nobis; si igitur voluntas nostra creata non potest velle per se deordinationem et deformitatem in actu volendi vitioso, non potest plus voluntas nostra ferri in illam deordinationem quam voluntas divina increata, et per consequens non potest plus peccare in volendo illam deformitatem quam voluntas divina.

13. An voluntas divina velit per accidens deordinationem annexam actui, sicut nos.

Confirmatur per hoc, quod quidquid est per se volitum ab aliqua voluntate, quod est conjunctum sibi, est per accidens volitum ab eadem voluntate ; sicut si visus per se videat aliquod visibile ut coloratum, videt per accidens, accidens quod est conjunctum per se visibili, ut musicum et diaphanum, et probatur : quia nisi volens aliquid per se et per accidens, voluit illud quod conjungitur volito per se; tunc voluntas nostra volens per se actum vitiosum, quantum ad substantiam actus, non oporteret quod per accidens voluerit deordinationem in actu, et ita non peccaret; igitur voluntas divina volens per se actum quemcumque nolendi, quantum ad bonitatem in actu, per accidens vult privationem in actu; si igitur voluntas nostra non peccet, nisi quia per accidens vult privationem difformitatis in actu, sequitur quod non plus peccet voluntas nostra, quam divina, quia

non alio modo vult actum vitiosum quam voluntas divina.

Item, ad confirmationem ejusdem rationis, arguitur : quia non videtur quod voluntas sit per se principaliter damnata propter illud, quod est per accidens volitum per voluntatem, cum potentia correspondeat actui culpabili ; cum igitur voluntas damnetur propter volitionem malam, sequitur quod illic actus non sit respectu objecti mali per accidens, sed per se.

14. Præterea : in Angelis malis et damnatis Deum odientibus, odium Dei est apprehensum, et ostensum voluntati eorum odienti Deum. Aut igitur volunt odium Dei sub ratione mali, et habetur propositum, quod malum sub ratione mali possit esse volitum; aut est volitum sub ratione boni : quod si concedas, sequitur falsum, quia non apprehendunt odium Dei sub ratione boni, tunc enim errarent in intelligendo, et sic plus errarent quam nos, quia non apprehendimus sub ratione boni, nec etiam sub ratione alicujus boni potest apprehendi, cum amor Dei sit per se bonum, et odium sit per se malum.

Odium per se malum, sicut amor bonum.

Item, apprehenso ultimo fine per intellectum, voluntas necessario delectatur; quia delectatio est conjunctio convenientis cum convenienti, et dum summum bonum ostenditur voluntati, necessario est talis conjunctio; tum quia delectatio causatur ab objecto, et tunc objectum est præsens, sed delectatio, vel est dilectio vel ipsam concomitans, quia apprehenso ultimo fine voluntas necessario diligit illud.

Item, apprehenso malo sub ratione mali, voluntas necessario restringit et tristatur, si est imminens; ergo apprehenso bono sub ratione boni, voluntas necessario diligit.

COLLATIO XVIII.

Utrum voluntas per aliquid aliud a se, ut per habitum gratiæ et gloriæ, possit necessitari, ut possit non velle finem ultimum sibi clare ostensum?

Doctores citati *Collat.* 14

SCHOLIUM.

Probat efficaciter, et clare, per habitum voluntatis in patria minime necessitari voluntatem; et refutat pulcherrime solutiones aliorum, quas vel imaginari possint, de quo agit 1. dist. 1. quæst. 4. num. 13. e contra D. Thom. et Henric.

Dicitur quod per objectum, qui est finis ultimus sibi clare ostensus, necessitatur voluntas ad eliciendum actum volendi circa illud objectum, ita quod non possit non velle objectum illud, dum est sibi ostensum, quia illud objectum habet in se omnem rationem boni et appetibilis. Per habitum vero charitatis aut gratiæ necessitatur, ut non possit non velle illud, volendo contrarium ut malum, ita quod per habitum charitatis necessitatur in patria, ut non possit averti ab ultimo fine sibi clare ostenso. 1.

Sed contra hoc arguitur : quoniam illud quod immobilitat aliud, videtur habere rationem dominii respectu illius; si igitur aliquis habitus possit immobilitare, et necessitare voluntatem, ut necessa- Refutat

rio velit ultimum finem sibi ostensum clare, sequitur quod aliquid creatum habeat dominium supra libertatem voluntatis; quod falsum est, quia immediate subditur Deo.

Responsio. Dicitur quod habitus solum immobilitat voluntatem, ne possit tendere in malum, et averti ab ultimo fine; nunc autem posse velle malum, non est libertas, nec pars libertatis, imo immobilitare voluntatem ad bonum, ne possit tendere in malum, non est dominari libertati ejus.

2. Replica. Contra : si voluntas immobilitetur, et necessitetur per habitum charitatis; aut ergo ad necessario volendum ultimum finem clare ostensum; aut igitur habitus respectu voluntatis est ut agens instrumentale; aut ut agens principale. Si ut agens instrumentale; igitur voluntas non necessitatur per charitatem, quia agens principale non necessitatur per instrumenta. Nec etiam est ut agens principale voluntatis, quia tunc voluntas principaliter non eliceret actum tendendi in finem ultimum, sed charitas aut gratiæ habitus, et ita habitus principaliter præmiaretur, et non voluntas.

Voluntatem nullo modo necessitari per charitatem.

Responsio. Dicitur quod voluntas per habitum charitatis, aut gratiæ non immobilitatur, ut per agens prius principale, nec ut per agens instrumentale, sed tanquam per principium habilitandi, et perficiendi libertatem voluntatis in bono.

Replica. Contra : si voluntas sit de se indifferens respectu *A* et *B*, et adveniente habitu charitatis, ut in patria, determinata sit, et immobilitata, et necessitata ad *B*, ita quod non possit in *A*, necesse est, ut habitus in hoc sit agens et principium agendi principale ; quia cum voluntas et habitus charitatis, sive gratiæ concurrant ad necessario eliciendum actum respectu *B*, oportet quod voluntas sit principale agens, et charitas secundarium, aut e contra. Et ne fiat calumnia in verbo *agendi*, dicatur oportet, quod voluntas sit principale principium, quo eliciatur actio, et charitas secundarium, aut e contra, si voluntas sit principium principale, quo agens agit in istam actionem; ergo ad actionem illam non necessitatur per charitatem, quia nunquam principium secundarium agendi immobilitat, aut necessitat principale agendi principium.

Principium minus principale, non necessitat principale.

3. Agente principali necessario agente, minus principale non agit libere.

Si dicatur, quod charitas sit ut agens principale, sive ut principium agendi principale, et voluntas ut principium agendi secundarium, sequitur hoc inconveniens, quod voluntas omnino per modum naturæ tendet in ultimum finem, et nullo modo libere, nec rationale, quoniam quando agens principale necessario agit, agens secundarium necessario aget ; quia cum agens secundarium dependeat a principali agente, nec agit, nec movet, nisi inquantum movetur ab agente principali; sed agens principale necessario agit et movet, et agens secundarium necessario movetur. Cum igitur agens principale movet, secundarium non movetur, nisi quia movetur ab agente principali, sequitur quod secundarium agens necessario movebit, si principale agens necessario movet. Si habitus charitatis et gratiæ ne-

cessario movet, et inclinat, et necessario est principium movendi, quia non est forma libera, sed necessario determinata ad unum. Si igitur voluntas sit principium secundarium agendi respectu gratiæ, sequitur quod necessario movebit, et per modum naturæ, sicut habitus per modum naturæ inclinat in finem.

Agens principale, manens tale, non necessitatur ab alio.

Fiat igitur ratio sic in forma : agens principale manens agens principale, quocumque sibi addito, se habet mobiliter sicut prius ; sed voluntas informata habitu charitatis aut gratiæ in patria, est agens principale; igitur immobilitando se habet, sicut prius ante adventum gratiæ. Major probatur per prædicta : quoniam agens principale eo ipso quod est agens principale, non movetur ab alio; ergo eo ipso quod est agens principale immobiliter se habet ad suam actionem, sicut prius ; impossibile est enim quodcumque aliud a principali agente immobilitare principale agens.

4. Arguit secundum mentem aliorum.

Præterea arguitur ad principale, et contra positionem, quod voluntas non necessitatur ad volendum ultimum finem per habitum charitatis et gratiæ, quia prius natura oportet objectum beatificum ostendi voluntati, quam voluntas per habitum inclinet in illud ; sed in illo priori instanti naturæ, cum objectum beatificum sit ostensum, ut continens omnem rationem boni et appetibilis, necessitat voluntatem ad eliciendum actum volendi circa ipsum, ita quod non possit non velle ipsum; ergo in illo instanti voluntas non potest averti ab eo; igitur in secundo instanti naturæ habitus non necessitat voluntatem, ne avertatur.

Si Beatus necessario amaret, voluntas absolute esse potentia necessaria.

Præterea : principium principale agens ex necessitate habet necessariam habitudinem ad actionem illius agentis, quia cum agens non agat nisi per principium agendi, oportet quod qualem habet agens ad actionem suam necessariam vel contingentem, talem habeat habitudinem principium agendi ad illam actionem ; sed voluntas Beati in patria est ut agens eliciens actum volendi, quo tendit in Deum, aliter non esset liber; igitur si Beatus in patria necessario se habeat ad volendum ultimum finem, ita quod non possit non velle illum, sequitur quod principium agendi illius actus quod est voluntas, de se necessario se habeat ad istum actum ; ergo frustra videtur ponere aliquem habitum, ut voluntas immobiliter et necessario tendat in finem ultimum.

5. Objectum ad potentiam, sicut forma ad materiam.

Præterea : sicut materia se habet ad formam et actum, ita potentia videtur se habere ad objectum, quia sicut forma est determinativa et actuativa materiæ, ita objectum determinat et actuat potentiam ; sed materia non potest ita perfici, nec actuari per unam formam, quin appetat aliam et sit indifferens ad aliam; igitur nec similiter potentia volitiva potest sic determinari per quodcumque objectum sibi tale ostensum, quin adhuc sit mobilis et indifferens ad aliud objectum volendum.

Intellectus non necessitatur per habitum,

Præterea, non videtur quod aliquis habitus habeat majorem rationem immobilitandi, et necessi-

quin impediri possit ab actu. tandi voluntatem, quam aliquis habitus respectu alterius potentiæ, cum voluntas sit potentia magis libera quam aliqua alia potentia; sed habitus existens in intellectu non potest sic necessitare intellectum in actu sciendi, quin aliquando possit impediri ab actu intelligendi, unde secundum Philosophum habens habitum scientiæ potest impediri ab actu considerandi; ergo multo fortius, ut videtur, voluntas non potest necessitari ab aliquo habitu, ita quod per illum necessario habeat actum respectu objecti illius habitus, et sic non videtur, quod voluntas per habitum charitatis necessario velit ultimum finem sibi ostensum.

SCHOLIUM.

Resolutio hujus collationis habetur apud Doctorem, 1. dist. 1. q. 4. n. 13. et latius 4. d. 49. art. 6. a num. 8. ubi refutando opinionem D. Thom. 1. 2. quæst. 10. art. 2. docet Beatum neque ab objecto, neque ab habitu necessitari ad amorem beatum, sed ex Dei decreto Beatitudinem perpetuari, voluntate Beati, quoad intrinseca omnia, manente libera, ad non amandum et ad peccandum.

COLLATIO XIX.

Utrum hæc essentia divina, ut hæc, distincta a seipsa, ut concipitur sub omni ratione attributali speciali, sit primum objectum intellectus?

Scotus 1. *dist.* 13. *num.* 23. et 2. *d.* 1. *q.* 1. et *alii ibi citati.*

1. Quod non videtur: quia omnis cognitio fit per assimilationem cognoscentis ad cognitum, ratio assimilationis est veritas. Probatio, Veritatis descriptio. quia *veritas est adæquatio rei ad intellectum, sive conformitas*, et talis adæquatio, sive conformitas intellecti ad intellectum est veritas; ergo veritas est primum objectum intellectus sui, vel essentia divina sub tali attributo.

Item, quod est perfectissimum in entibus, et aliorum omnium maxime contentivum, est primum objectum intellectus divini, quia illud quod est primum, est perfectum; sed divina essentia sub ratione exemplaris est perfectissime omnium contentiva; ergo ipsa sub tali ratione est primum objectum intellectus sui, et ita veritas est primum objectum, quia veritas est conformitas exemplaris ad exemplata.

Respondetur, quod hæc essentia divina, ut hæc, est primum objectum intellectus. Quod declaratur sic: illud debet poni primum objectum potentiæ, quod primo movet potentiam, et sub cujus ratione eam movent omnia quæcumque movent ipsam; exemplum de colore, qui primo movet visum, et non album et nigrum, quia neutrum eorum movet visum, nisi sub ratione coloris, quod est primum objectum. Sed essentia divina primo movet, quia ratio ejus est ratio prima, et *prius* ibi, idem quod perfectius, nam creatura non potest primo movere intellectum divinum, quia tunc vilesceret intellectus divinus, quia perficeretur formaliter aliquo finito, nec essentia divina sub aliqua ratione attributali, quod notitia attributorum non naturam dicunt, sed ea quæ circumstant naturam, secundum Damascenum *lib.* 1. *cap.* 4. Quod essentia sit primum objectum intellectus Dei. Attributa non natu-

ram dicunt, sed quæ circumstant eam. Præsupponunt igitur subjectum tanquam perfectius se, quia est causa illorum aliquo modo; ergo essentia divina, ut hæc, est primum objectum intellectus.

2. Item, objectum primi intellectus simpliciter debet esse principale intelligibile simpliciter, sub ratione simpliciter primaria ; sed primus intellectus simpliciter est intellectus divinus, et primum intelligibile simpliciter est essentia divina, quia unumquodque sicut se habet in entitate, ita in cognoscibilitate ; ergo, etc.

Item, quod ratio entis vel essentiæ, prima sit ratio, patet per Avicennam, qui dicit, quod illud quod primo occurrit intellectui, et in quod omnia resolvuntur, ipsum autem in nullum aliud, est ens; ergo ratio entis est ratio prima.

Cognitio fit per assimilationem, exponitur. Ad primum dicitur, quod omnis cognitio fit per assimilationem, tanquam p r aliquam habitudinem mediam cognoscentis ad cognitum, non quod assimilatio sit objectum ipsum, sed aliquid communicans ipsum, sicut quædam relatio. Exemplum : color omnis est visibilis, non quod visibilitas sit ratio objectiva, sed est quædam relatio media communicans colorem, prout comparatur ad potentiam visivam, et ita ly *per* in propositione prima, vel potest dicere circumstantiam modi objecti referentis unum ad aliud objectum et ad potentiam, et sic nihil ad propositum.

Ad secundum dicitur similiter, quod essentia divina est prius aliquo modo prioritatis, perfectissimum objectum intellectus sui, et perfectissime omnium contentiva, quam sub ratione exemplaris, quia ipsa est quoddam pelagus infinitum ; nec ipsa ratio exemplaris est primum objectum, sed quidam modus circumstans objectum in comparatione ad medium ejus, et sub ipsa ratione essentiæ est perfectius omnium contentiva, quam sub ratione exemplaris, quia ratio ejus ut essentia, est prius et fundamentum ipsius, ut est exemplar.

SCHOLIUM.

Probavit aliquot argumentis essentiam, qua talis et qua veritas, esse objectum intellectus divini, et solvit duo argumenta in contrarium : nunc arguit ens esse ejus objectum, et quod vilesceret si moveretur a creatura, prosequitur utrumque late, subtiliter et clare.

Contra positionem quæstionis arguitur sic : Intelligens communissimum debet habere objectum communissimum sub ratione communissima, talis est essentia divina, ut est ens vel essentia absolute sumpta, et non ut hæc est. 3. Arguit ens esse objectum intellectus Dei.

Contra illud quod dicitur, quia tunc vilesceret, si creaturæ essent primum objectum, arguitur. Non minus potens est intellectus divinus, et nobilis ex re sua intranea quam sit Sol, nec est magis infectibilis et passibilis, vel communicabilis ; sed Sol irradians super fœtida, non est fœtidus, nec magis vilescit; ergo intellectus divinus, et si talia primo intelligit, non esset imperfectus.

Item, receptum est in recipiente per modum recipientis, et non per modum recepti ; ergo quodcumque intelligit intellectus divinus per

modum suum intelligit, et sic nunquam vilescit.

...guit iterum essentiam sub ratione vera esse objectum.

Contra rationem ad primum argumentum; nihil est intelligibile, nisi sub ratione qua potest manifestari intellectui, sed nihil potest manifestari intellectui sine veritate; ergo veritas est primum objectum intellectus. Minor probatur per Augustinum et Hilarium.

Contra responsionem ad secundum argumentum sic : de perfectione Dei est non solum quod contineat intrinseca, sed etiam extrinseca et omnia; sed essentia divina sub ratione, sub qua hæc, continet tantum intrinseca, et ipsa sub ratione exemplaris non solum continet intrinseca, sed extrinseca et omnia; ergo illa sub illa ratione erit primum objectum intellectus sui.

Ad primum dicitur, quod objectum debet esse communissimum sub ratione terminandi actum potentiæ, sed non sub ratione movendi.

4. Contra : per se ratio formalis objecti est terminare actum potentiæ operativæ, vel activæ, sive objectum moveat, sive non; si enim potentia est simpliciter activa, non requiritur in ea actio objecti ad hoc quod agat, sed necessario semper requiritur, quod terminet actum potentiæ in omnibus universaliter; secundum etiam illos, qui ponunt species concreatas in Angelis, non ponunt objectum movere potentiam, cui concreatæ sunt illæ species, sed tantum terminare actum potentiæ; hoc igitur competit formaliter, quod terminet actum, sed per se sub ratione terminandi objectum intellectus divini est communissimum, quod est ens; ergo per se ratio objecti est ens, vel essentia absoluta, et non hæc essentia, ut hæc.

...is esse objectum intellectus divini.

Præterea, objectum movens per modum naturæ, et sufficienter, movet ad se, sicut ad actum potentiæ; si igitur essentia divina ut hæc, sit primum objectum; ergo erit primum objectum ut terminat actum primum intellectus, quia ipsa non movet nisi ad se, et ita nihil valet, dicendo illa.

Item, illud est primum objectum adæquatum intellectus divini, sub ratione cujus omnia alia intelliguntur, quæcumque intelliguntur, et sub cujus ratione omnia alia terminant actum potentiæ; sed Deus intelligit lapidem sub propria ratione, qua est lapis, et asinum similiter; ergo aliquid debet esse objectum adæquatum commune omnibus terminantibus : tale est ens communissimum, quia lapis est ens formaliter, et asinus est ens, sed non sunt essentia Dei formaliter, sed ratio terminandi est communis ratio objecti; ergo ens et non essentia Dei, ut hæc, est objectum intellectus sui.

Ad hoc dicitur et ad alia, quod essentia Dei potest esse primum objectum, et communissimum adæquatum, quia includit omnia alia sub ratione terminandi actum potentiæ et communitate continentiæ, et non communitate prædicationis; continet enim, et includit omnia alia, non tamen adæquat communitate prædicationis, sicut et ens. 5.

Contra : tunc eadem ratione es-

sentia divina esset primum objectum nostri intellectus, quia includit in se, et continet omnia quæ possunt terminare ac'um intellectus nostri.

Item, tunc albedo esset primum objectum visus, quia continet omnes perfectiones cujuscumque coloris.

Quare essentia est objectum intellectus divini et non nostri.

Ad primum istorum respondeo, non sequitur quod essentia divina sit primum objectum intellectus nostri, licet contineat omnia alia, sed requiritur quod actus intellectivæ potentiæ feratur immediate in illud objectum, et quod in illo objecto resplendeant omnia, quæ secundo possunt terminare illam intellectionem ; sic est objectum respectu intellectionis Dei, et non nostri, quia intellectus noster non immediate fertur in essentiam divinam, et omnia alia quæ continet per eam.

6. Ad secundum dico, quod essentia Dei continet omnia alia per modum speculi, in quo relucent omnia alia, non est sic albedo speculum respectu aliorum colorum, et ideo nihil ad propositum.

Contra primum : tunc idem esset objectum unius actus potentiæ et ipsius potentiæ, quod non est verum, quoniam sunt plures actus illius potentiæ. Probatio consequentiæ : ideo est adæquatio objecti ad intellectionem divinam, quia intellectio divina est una ; si igitur potest per unam intellectionem omnino unam intelligere omnia, vel etiam ex uno, vel in uno, adhuc esset idem primum objectum, scilicet commune, quod est modo, sive sit ratio cognoscendi alia, sive non.

Item, tunc essentia divina esset primum objectum intellectus creati, ut Angeli, vel alterius.

Ad primum istorum dico, quod si intellectus sit talis, quod una intellectione feratur in omnia, et illa intellectio adæquat virtutem ejus, tunc major est vera ; talis est intellectus divinus et ejus intellectio. 7.

Intellectus creatus habet essentiam pro primo objecto Beatitudinis.

Ad secundum dico, quod intellectus creatus potest dupliciter considerari, vel ut est potentia naturalis præcise, vel ut est Beatus. Primo modo non habet essentiam divinam pro primo objecto, nec aliud supernaturale, sed ut Beatus, cum Beatitudo sit perfectio objecti supernaturalis, sic potest habere essentiam divinam pro primo objecto.

Contra : intellectus qui potest habere plures intellectiones diversas secundum rem, vel secundum rationem, non potest habere idem objectum omnino re, et ratione illas terminans, quia tunc essent plures intellectiones et non plures ; sed essentia divina, ut terminat omnino unam intellectionem, includit omnia alia ut adæquatum objectum ; ergo non omnino eodem modo plures intellectiones.

Respondeo : sicut in objecto sunt diversæ rationes, et sic proportionabiliter in potentia sunt diversæ rationes, prout est plurium et diversarum intellectionum.

SCHOLIUM.

Disputat modo egregie, non essentiam, sed Deitatem esse objectum primum intellectus

divini. Item, omne attributum esse ejus objectum primum, tenendo attributa distingui ab essentia. Resolutio collationis est apud Doctorem, I. dist. 13. num. 23. et 2. dist. 1. quæst. 1. num. 18. essentiam divinam esse primum et adæquatum objectum intellectus, et voluntatis Dei.

ntellectus intelligit entia, et on entia.

Ad principale, quod Deitas sit primum objectum intellectus : quia operatio intelligendi non tantum est circa entia, sed circa non entia, ita intellectus intelligit cæcitatem esse cæcitatem, sicut bonum esse bonum; sed ens non est tale, quia tantum prædicatur de entibus et non de non entibus; ergo aliquid aliud, tale est veritas ; ergo, etc.

8. Dicendum, quod non entia non intelliguntur nisi per comparationem ad suos habitus, sicut privationes; sed suis habitibus communius est ens, et ideo operatio realis et positiva est circa realia et positiva.

Item, illud est primum objectum intellectus divini, sub cujus ratione omnia alia subjiciuntur intellectui ; sed tale non est essentia divina, ut hæc, quia lapis non intelligitur sub ratione hujus essentiæ, quia tunc non intelligeretur distincte, et sic, tunc confuse.

Respondeo, intellectus divinus ex quo formaliter est infinitus, non formaliter perficitur nisi infinito ; tale est solum essentia divina ut hæc, et ideo licet lapis sub propria ratione esset intelligibilis, nunquam tamen, ut intelligitur sub propria ratione, perficeretur ipso, quia ita perfectus est ex intellectione primi objecti, quod est infinitum, quod nunquam potest perfici actione alicujus secundarii objecti, sed semper prævenitur actione primi objecti, quod est formaliter infinitum.

Item ad principale, illud est primum objectum intellectus, in cujus ratione et virtute omnia alia movent: sed tale est quodlibet attributum supposita distinctione, quia quodlibet eorum est infinitum formaliter; ergo, etc.

Item, idem est objectum intellectus simpliciter, et objectum intellectus in quocumque ; sed objectum intellectus simpliciter est ens ; ergo et cujuslibet intellectus ; ergo et intellectus divini. Item, diversæ potentiæ secundum genus requirunt diversa objecta prima.

Ad primum potest dici, quod ratio infinitatis per prius invenitur in hac essentia, ut hæc, quam in ipsa sub ratione attributali, et ideo ratio non concludit.

Ad secundum dicitur, quod major est falsa, quia potentiæ visivæ simpliciter est objectum omne visibile; sed visui vespertilionis non est visibilis lux excellentissima, ideo non videt lucem excellentem.

Ad tertium dico, quod accipit falsum, quia idem objectum sub eadem ratione est formale objectum cognitivæ, et suæ appetitivæ.

COLLATIO XX.

Utrum essentia divina sub eadem ratione formali sit objectum intellectus divini, et intellectus Beati, ita quod sub eadem ratione formali terminet actum visionis animæ, et actum visionis Beati alicujus?

D. Thom. 1. *part. quæst.* 12. *art.* 8. *et* 3. *part. quæst.* 10. *art.* 2. Scot. 3. *dist.* 14. *quæst.* 1. *ad* 3. *et quæst.* 2. *a num.* 16.

1. Dicitur quod non, quia sub ratione infiniti terminat actum visionis divinæ; sub hac autem ratione non est objectum intellectus Beati, cum ejus potentia sit naturæ finitæ, et per consequens non potest habere objectum sub ratione opposita, ut sub ratione infinita.

Beatos intelligere Deum, ut infinitum. Contra : quicumque intellectus cognoscit, aut intelligit aliquod objectum, intelligit omne illud quod inest ei per se, primo modo dicendi per se; sed quidquid est in Deo, convenit ei in primo modo dicendi per se; ergo intellectus intelligens essentiam divinam, intelligit omnia quæ conveniunt, et insunt eidem essentiæ; talia autem sunt infinita; ergo intellectus Beati intelligit infinita; ergo intelligit Deum sub ratione infinita. Major est evidens, quia quicumque intelligit aliquid sive distincte, sive indistincte, clare sive obscure, intelligit eodem modo istud quod est de per se intellectu et conceptu ejus, ut qui intelligit hominem, intelligit animal; vel saltem quicumque intelligit aliquod objectum, potest intelligere omnia illa, quæ sunt de per se intellectu ejus, quia illa non continentur in illo objecto, nisi virtualiter, et per consequens plus est intelligere illud objectum, quam illa quæ sic includuntur : hujusmodi autem sunt quæ per se, primo modo dicendi per se conveniunt alicui per se primo modo, est ejus essentia, vel principium essentiæ, *ex primo posteriorum* ; sed quidquid est in Deo, est essentia divina, et idem cum ea; ergo quidquid est in Deo, convenit ei primo modo dicendi per se; ergo etc.

2. Quod t[...] quietatu[...] intellect[...] nisi in i[...]nito. Præterea : nulla potentia quietatur in aliquo objecto, nisi sub illa ratione, sub qua includitur in eo totalis perfectio sui primi objecti, sicut potentia visiva non quietatur in aliquo objecto, nisi in illo includatur omnis perfectio sui primi objecti, quia sub alia ratione illud primum objectum non adæquat potentiam, et per consequens eam non quietat; ergo intellectus non quietatur in videndo essentiam divinam, nisi sub illa ratione, sub qua essentia divina includit totam perfectionem veritatis, aut entis, aut cujuscumque quod ponitur primum objectum intellectus ; sed ratio totalis perfectionis veritatis alicujus entis, est ratio infiniti intensive, quia est ratio non habentis excedentiam; ergo intellectus non quietatur videndo essentiam divinam, nisi videat eam sub ratione infiniti.

3. Præterea : potentia quæ tendit in diversa objecta per se, non quietatur in uno, nisi sub ratione sub qua eminenter includuntur perfectiones illorum in illo uno, sicut potentia visiva tendens in album et nigrum per se, non quietatur in

aliquo objecto, nisi sub ratione sub qua includit perfectiones omnium colorum ; sed intellectus noster potest cognoscere infinita objecta, unde est cognitivus infinitorum ; non igitur quietatur in essentia divina, nisi sub ratione sua, qua includit perfectiones infinitorum intelligibilium ; sed hæc ratio est ratio infinitatis ; ergo, etc.

Præterea : cognitio intuitiva differt a cognitione abstractiva in hoc, quod abstractiva abstrahit ab existentia rei, quia potest esse de re absente, sicut præsente, cum sit per speciem æqualiter essentialiter repræsentantem rem absentem, sicut præsentem ; sed cognitio rei intuitiva est de re, ut præsens est ; sed cognitio Dei, et Beati in patria respectu essentiæ divinæ, est intuitiva, maxime ergo est respectu essentiæ divinæ, ut existens est ; ergo sub eadem ratione essentia divina terminat cognitionem divinam, et Beati in patria. Unde si esset essentiæ, sub alia ratione, quam sub ratione, qua existens est, posset cognosci cognitione abstractiva, et non intuitiva a Beatis.

SCHOLIUM.

Disputavit quatuor mediis Beatos videre Deum quatenus infinitus est, neque aliter quietari posse. Disputat in sequentibus, eos videre infinita in Deo, et rationes sunt clarissimæ et ingeniosissimæ. Resolutio, Beatós videre Dei infinitatem, ita Doctor 3. d. 14. q. 1. ad 3. an autem possint videre omnia in Verbo, et quomodo, vide eum ibi q. 2. a n. 16. ubi late disputat an anima Christi videat infinita, et quomodo sustineri possit vidisse, si omnia in eo videret, non ideo comprehenderet Deum, ut probat ibi n. 11. contra D. Thom. 3. p. q. 10. art. 2. et 1. p. q. 12. art. 8.

Præterea : arguitur quod Beatus videns essentiam divinam videat infinita, et per consequens videat essentiam sub ratione infinita, quia sub ratione, qua repræsentat infinita. Antecedens ostenditur sic, quia si videns essentiam divinam non videret omnia, quæ in Dei sunt essentia, hoc non esset nisi propter aliquam differentiam ipsorum, quia quod unum cognoscitur, et aliud non, hoc non est nisi propter aliquam differentiam : hæc autem differentia, aut est secundum rationem, aut secundum rem ; non autem propter differentiam realem, quia nihil differt realiter in Divinis ab essentia. Tum, quia in Divinis non est differentia realis, nisi personarum ; sed hæc differentia non impedit, quin intellectus videns unam personam, videat aliam ; ergo differentia realis non impedit ; non etiam differentia rationis, quia persona differt ab essentia secundum rationem, et tamen intellectus videns essentiam, videt et personam ; ergo differentia secundum rationem non potest impedire, quin Beatus videns essentiam divinam, videat omnia, quæ continentur in ea quæ sunt infinita. 4. Arguit Beatum videre infinita in Verbo.

Præterea ad idem sic : si intellectus Beati videns essentiam divinam non videat omnia, quæ relucent in essentia ; aut hoc est propter impotentiam intellectus videntis ; aut propter diversitatem speculi repræsentantis, quia magis clare repræsentat unum quam aliud ; aut propter diversitatem illorum quæ includuntur, quia scilicet unum natum est cognosci ab intellectu, et non aliud. Non illo Pulcherrima ratio.

tertio modo : quia qua ratione unum est cognoscibile ab intellectu, et aliud; nec propter diversitatem speculi repræsentantis, quia illud uniforme est simplicissimum; nec propter impotentiam intellectus cognoscentis, quia potest cognoscere essentiam divinam, et non est magis cognoscere ea, quæ includuntur in essentia quam essentiam. Et hoc est sic arguere : imperfectio potentiæ cognitivæ respectu unius, et non respectu alterius, non est nisi quia unum objectum est perfectius cognoscibile quam aliud : si enim essent æqualiter cognoscibilia, et æqualis cognoscibilitatis, non est potentia magis imperfecta ad cognoscendum unum quam aliud : sed essentia divina est objectum ita perfectum cognoscibile, sicut illa quæ includuntur in essentia, vel majoris; ergo non est propter imperfectionem potentiæ cognoscentis, quod cognoscat essentiam, et non alia quæ includuntur in essentia.

5. Præterea : intellectus Beati quietatur in videndo essentiam divinam ; sed non quietaretur, nisi videret infinita quæ relucent in ea, quia si cognosceret finita, oporteret plura cognoscere, cum ea potest cognoscere; ergo appetitus ejus non quietaretur; ergo, etc.

Præterea : Beatus videns essentiam divinam, aut videt sub ratione infinita, aut non sub ratione infinita : si primo modo, habetur propositum; si secundo modo; ergo cum videat essentiam divinam sub alia ratione, et non sub ratione infinita, sequitur quod videat eam sub ratione finita, et ita finitum quietaret, quod falsum est.

Item, essentia divina ut nuda, est objectum intellectus divini, et sic est objectum intellectus Beati.

Item, est objectum intellectus divini sub ratione veri, et sic est objectum intellectus Beati.

Item, beatificat intellectum divinum, ut bonum ultimum, sic etiam et intellectum beatum; ergo, etc.

Item, infinitum nunc scitur de Deo; ergo in patria videbitur.

Item, modus intrinsecus objecti videtur; ergo objectum per se videtur sub isto modo.

COLLATIO XXI.

Utrum essentia Dei secundum rationem essentiæ sit aciei intelligentiæ principium formale intelligendi?

Scotus *locis citatis disput.* 19.

Et intelligo de intelligentia pro-
prie dicta. Quod sic : in Deo idem 1.
est *esse* et *intelligere* I. libr. de Trinit. cap. 4. 1. particula 4. sed essentia divina est ratio essendi; ergo et ratio intelligendi; ergo, etc.

Ad quæstionem dico, quod quæstio si quærat de ratione intelligendi, potest habere triplicem intellectum, vel de ratione elicitiva, vel repræsentativa, vel objectiva et terminativa. Tamen videtur quæstio magis quærere de ratione principii elicitivi, talis est essentia. Quod declaratur sic : illud quod est sufficiens repræsentativum ex parte intellectus, qui est respectu omnium quæ potest intelligere, videtur ratio formalis intelligendi

omnia; talis est essentia; ergo. Minorem probo per Augustinum 15. *de Trinit. cap.* 14. *ubi prius.*

2. Contra, videtur quod distinctio non sit conveniens, quia quæstio quærit de ratione formali, et in tanto videtur se determinare, et præscindere rationem formalem, contra rationem repræsentativam, et rationem objectivam; ergo non oportet distinguere.

Item, contra aliud in positione quæstionis, quia quando dicitur, quod est ratio repræsentativa, aut ratio elicitiva et ratio repræsentativa sunt eadem secundum rem, aut secundum rationem tantum; si secundum rationem tantum, sic omnia sunt eadem in Divinis.

Item, in nobis non videtur quod principium repræsentativum sit ratio formalis: quia si sic, eadem species esset repræsentativa, et elicitiva; ergo sequitur quod primus actus intellectus erit reflexus, quia species est forma intellectus, et antequam intelligat, oportet quod se convertat super speciem.

Item, Augustinus non videtur esse pro hoc, quia nihil loquitur de principio formali, sed de principio effectivo, sicut patet per eumdem in capitulo sequente, *quod Verbum omnia novit, sicut Pater*, et sicut Pater effective, sic concludit ibi de Filio.

3. Ad primum dicitur, quod non distinguit illa nisi ex parte intellectus, quia intellectus potest esse ratio repræsentativa sub una ratione, et sub alia ratione ratio objectiva, non autem distinguitur ex parte objecti. Per hoc etiam patet ad secundum.

Contra: medium repræsentativum non potest intelligi nisi dicitur ex parte intellectus, vel sumitur pro aliquo tali, quod est simile speciei in nobis, vel pro objecto secundum quod dicimus, essentia divina repræsentat se intellectui, ut objectum primo modo, licet species sit eadem secundum rem, tamen differt secundum rationem, ut repræsentat et ut elicit.

Item, oportet quod præsens intellectui repræsentaret objectum, antequam intellectus habeat aliquem actum; ergo ante omnem actum directum est actus reflexus; similiter convertet se in objectum, antequam habeat præsens sibi, et ita conversio est actus, ut intellectus intelligit formam, antequam convertatur super suam formam.

Ad primum dicitur, quod objectum repræsentat et species, sed alio et alio modo, nec quando convertit se super se, habet aliquem actum elicitum; sed, etc.

Item, intentionale tantum non est propria ratio, vel principium alicujus actionis realis; sed species virtute luminis est quid intentionale; ergo, etc.

Item, operatio præsupponit esse; ergo *per se operari per se esse;* ergo operatio unum principium; sed intellectus et species non sunt unum; ergo, etc.

Ad primum dicitur, quod verum est de intentionali tantum, non de intentionali, ut innititur alicui reali, sic est de specie respectu objecti.

Ad secundum dicitur, quod non oportet quod sit similis unitas hinc et inde, etc.

Item, si essentia sub ratione es-

sentiæ sit principium formale cognoscendi et intelligendi, cum essentia sit tantum essentia, sicut equinitas tantum equinitas; ergo tantum erit ratio intelligendi se.

SCHOLIUM.

Resolutio, essentiam esse rationem formalem, repræsentativam, objectivam, terminativam, respectu divinæ intellectionis, vide Doctor. locis citatis, collat. 19. in Scholio.

COLLATIO XXII.

Utrum attributa distinguantur ex natura rei.

D. Thom. 1. *part. quæst.* 28. *art.* 6. Alens. 1. *part. q.* 68. *membr.* 5. D. Bonaven. 1. *d.* 33. *q.* 1. 2. Rich. *art.* 1. *q.* 1. Suar. 1. *p. tract.* 3. *lib.* 4. *cap.* 2. et 4. Scot. 1. *d.* 2. *q.* 7. *n.* 41. et *dist.* 5. *quæst.* 4. et *d.* 13. et *d.* 26. *num.* 8. *quem sequuntur.* Dur. Occham. Gabr. Marsil. *citati* 1. *d.* 34. *in Schol.*

1. Quod non : quia si sic, sapientia non esset formaliter perfectio simpliciter. Probatio consequentiæ; quia perfectio simpliciter est cuilibet melius esse, quam non esse; sed sapientia non est formaliter in bonitate, si distinguantur; ergo, etc.

Vel sic formetur : bonitatem esse formaliter sapientiam, est perfectio simpliciter; sed perfectio simpliciter cujuslibet est melius ipsum quam non ipsum, secundum Anselmum, *Monol.* bonitati igitur formaliter melius est esse sapientiam formaliter; sed quod melius est, ponendum est in divinis; ergo, etc.

Item, attributa differunt a relationibus, quia relationes non sunt de ratione intrinseca essentiæ, sed magis extrinsecæ, quasi pullulantes ab ea.

Unde relationes habent essentiam ut fundamentum, propter quod possunt plures relationes fundari in essentia divina, differentes formaliter : unde non dicitur, quod essentia sit pelagus relationum, sed tantum attributorum, quia ipsa intrinsecus claudens, quia attributa sunt essentiæ intrinseca, et intra eam includuntur. Si igitur distinguuntur formaliter ex natura rei, videtur quod intra essentiam simplicem sit aliqua compositio ex potentia et actu, vel aggregatio, quod repugnat divinæ simplicitati.

Tertio, attributum est absolutum, et secundum te est infinitum formaliter, et est quædam perfectio infinita; infinito autem nihil est aliud quod sibi addi potest; ergo formaliter non erit distinctum ab aliquo alio, quia importat limitationem ; est enim distinctio quædam præcisio unius ab altero; si igitur sit infinitum formaliter, ut dicis, non erit formaliter distinctum ab eo. 2.

Arguit relationem distingui ab essentia, non attributa.

Item quarto, relatio duplicem habet rationem, sive respectum, unum ad fundamentum, alium ad oppositum; licet ergo secundum respectum, quem habet ad fundamentum transeat, et non distinguatur ab essentia formaliter, nec ab opposito ; secundum tamen illam rationem, secundum quam respicit oppositum non transit, et ideo non est mirabile, si secundum illam potest relatio distingui formaliter ab essentia, et ab opposito ; tunc autem formaliter attributa tantum unam habent rationem, scilicet ad fundamentum, quia absoluta sunt, secun-

dum quod transeunt in fundamentum; ergo nullo modo possunt distingui formaliter, nec ab essentia, nec ab opposito.

Ad hoc est auctoritas Dionysii *de Divin. Nom.* 5. et 6. quanto numeri distant magis a monade, tanto magis distant inter se, et quanto minus, minus ; sed Deus est monas; ergo in ipso est minima distantia.

Item, Anselmus *Monol. cap.* 2.

SCHOLIUM.

Positis quatuor rationibus, et auctoritate Dionysii, suadentibus attributa non distingui ex natura rei, respondet et replicat multipliciter circa easdem rationes : quæ hîc fuse tractat, de perfectione simpliciter facile solves, ex iis quæ habet 1. dist. 2. quæst. 7. num. 39. et dist. 8. quæst. 1. num. 7. 8. ubi describit perfectionem simpliciter.

3. Ad primum; perfectio simpliciter potest dici ut universaliter perfectio, et est in quolibet melius ipsum quam non ipsum, sic sapientia est perfectio simpliciter. Alio modo perfectio simpliciter dicitur, prout distinguitur contra *secundum quid*, hoc modo sapientia non est formaliter perfectio simpliciter, talis autem perfectio non est illud, quod in quolibet melius est ipsum quam non ipsum.

De perfectione simpliciter simplici, vide 1. d. 8. q. 1. num. 7. 8. Contra; sapientiam esse formaliter sapientiam, est perfectio simpliciter; si igitur esse formaliter sapientiam est perfectio simpliciter, et justitia sit omnis perfectio simpliciter, vel habet omnem perfectionem, tunc justitia est formaliter sapientia. Verum est quod omni modo est perfectio simpliciter, quo potest esse; ergo omne aliud est fallacia consequentis, quia nihil aliud formaliter potest esse illud nisi ipsum; sed alia possunt esse ipsa formaliter perfectio simpliciter, ideo idem est ac si argueretur, omnis homo, ergo omne animal.

Contra : membra distinctionis coincidunt, quia perfectio simpliciter, non secundum *quid est*, cui deest alia perfectio, sed tale melius est cuilibet esse quam non esse, et illud est universalis perfectio, verum est realiter, sed non formaliter.

Contra : si non diminuit a perfectione, melius est cuilibet cognoscibili ipsum quam non ipsum.

Dico quod distinctio est bona, perfectio enim simpliciter uno modo est, quæ nullam imperfectionem includit; sicut paternitas est perfectio simpliciter, quæ scilicet nihil diminuit de perfectione, et hoc modo non intelligit perfectionem essentiæ. Unde esse formaliter sapientiam est perfectio simpliciter, prout dicit non diminuere a perfectione.

Unde bonitas, si esset formaliter sapientia, non diceret perfectionem simpliciter, nec esset melior sic, quam non.

Contra : tunc esset hæc, et alia perfectio simpliciter, nec sic de Deo et creatura, quia Deus includit omnem perfectionem creaturæ, ideo non est melius ista duo, quam unum ; bonitas autem formaliter non includit sapientiam, quorum utrumque, ut sic, est perfectio simpliciter; ergo videtur quod perfectio est bonitati includere sapientiam.

4. Dico quod esse per identitatem sapientiam est perfectionis simpliciter, et perfectius quam non esse, non autem formaliter.

Contra : melius est bonitatem esse identice sapientiam, et etiam formaliter quam formaliter solum, sicut melius est bonitati esse formaliter bonitatem quam identice solum.

Præterea : si sapientia non esset bonitas nisi identice solum, tunc non esset magis bonitas, quam relatio.

Ad primum istorum dicitur, quod non esset bonitati perfectio simpliciter esse formaliter sapientiam, sed sapientiæ est perfectio simpliciter gratia materiæ. Unde bonitas non est formaliter sapientia, quod non est propter incompossibitatem extremi, sed modi uniendi. Unde perfectioni simpliciter melius est, non esse formaliter aliam quam esse.

Contra, si est perfectio simpliciter, includit aliam.

Responsio, includere in ratione sua quidditativa, non est perfectio simpliciter, nec est perfectius quam non includere.

5. Arguitur, finitum et infinitum non distinguuntur, quia infinito non est possibilis additio.

Quod aliquod sit infinitum, non ideo formaliter aliud.

Responsio, quod falsum est : quia si color esset infinitus, adhuc non esset linea, nec in eadem specie esset hic ; et si esset hæc albedo, non esset alia albedo ; ideo nec in eadem specie, nec in diversis speciebus ; sequitur quod si aliquid sit infinitum, quod sit formaliter aliud.

Contra hoc arguitur, et ad quæstionem secundum Sanctos, personæ distinguuntur per respectus, hoc concedunt omnes, nec pro alia causa ponunt Sancti illud, nisi quia repugnat pluribus formis absolutis esse unum in abstracto : personæ autem sunt simpliciter idem in essentia, ideo personæ non distinguuntur absolutis formis, sed attributa distingui formaliter, et esse idem identice, est incidere in illud quod vellent vitare.

Præterea, divinæ bonitati congruit esse omnis perfectio simpliciter ; sed esse formaliter sapientiam est perfectio simpliciter ; ergo divinæ bonitati congruit esse formaliter sapientiam. Probatio majoris : nihil est perfectio simpliciter, nisi sit melius cuilibet ipsum quam non ipsum, hæc est hujusmodi : ergo sibi convenit omnis perfectio simpliciter. 6.

vide l. di. 8. quæs.

Dicitur quod verum est cuilibet melius est, cuilibet supposito.

Contra, Anselmus probat quod essentia divina est una, non quod Pater et Filius sit tantum rationis, et arguit : melius est cuilibet inesse perfectionem simpliciter ; ergo melius est essentiæ divinæ ; quod non sequeretur, nisi *cuilibet* in antecedente distribueret pro formis, et non tantum pro suppositis.

Confirmatur : nisi forma ignis esset melior, si esset forma ignis et sapientia, quam nunc est sapientia, non est perfectio simpliciter. Probatio minoris, scilicet quod esse formaliter sapientiam est perfectio simpliciter secundum quod formaliter determinat compositionem, quia esse formaliter sapientiam est quædam perfectio ; sed

omnis perfectio habet suam perfectionalem quantitatem; sed finitum et infinitum congruunt quantitati, sicut par et impar numero, ita quod ex simili distinctione sunt convertibilia quantitati; ergo si est perfectio, et non finita; ergo infinita simpliciter perfectio, scilicet quod cuilibet melius sit ipsum esse quam non esse.

7. Item, relatio divina non est finita, neque infinita secundum eos, quod est contradictio, cum habeat quantitatem suam.

Item, probo minorem sic : esse formaliter sapientiam, ut *formaliter* determinat compositionem, aut est formaliter idem cum *esse sapientiam*, aut non? Si sic, habeo propositum, cum esse sapientiam sit perfectio simpliciter; ergo esse formaliter, est quidam modus et formalitas, et est in Deo; aliter nihil esset in Deo, quod esset formaliter sapientia, quod est falsum, quia sapientia est formaliter sapientia, et non est eadem secundum te; ergo sunt duæ formalitates, illa quæ erit in formalitate *A*, quæro utrum erit *A*, et esse formaliter *A*, sit idem? si sic, ergo eadem ratione standum erit in primo; si non, erit processus in infinitum.

An formalitas infinitatis et attributi sit eadem.

Item ad principale, licet sapientia distinguatur formaliter a bonitate, utraque tamen est infinita formaliter; sapientia igitur infinita est, et non solum quia est eadem essentiæ, sed formaliter; tunc arguo, infinitas formalis et sapientia si sint duæ formalitates, ista infinitas non est sapientia nisi identice, et tunc sapientia non est infinita formaliter; sic est infinitas ista in paternitate; ergo paternitas est æque infinita formaliter, sicut sapientia; ergo sapientia non est infinita formaliter, sicut nec paternitas. Si sint una formalitas, eadem ratione infinitas bonitatis est bonitas; ergo quot sunt attributa, tot sunt distinctæ infinitates formaliter; sed omnis infinitas perfectionalis est pelagus infinitum; ergo tot sunt pelagus infinita, quot sunt perfectiones attribuibiles, quod est contra Damasc. cap. 6. *unum est pelagus divinæ essentiæ, aliæ sunt circumstantiæ.*

Item : nisi in Patre essent duæ formalitates, non esset intelligibile quod Pater esset idem simpliciter cum Filio et tamen distinctus personaliter ab eo; sed quia alia formalitas est essentia et alia relatio, ideo sunt idem et distinguuntur; sed in formalitate quæ est sapientia, non sunt duæ formalitates secundum eos, sed sapientia est una formalitas, ita etiam quod infinitas ejus est eadem formalitas cum sapientia, secundum eos; ergo non est intelligibile quod sapientia habeat, quod sit idem singulare cum bonitate, et tamen formaliter distinguantur ab ea, et multo fortius, Pater enim licet habeat duas formalitates, non prædicatur identice de Filio. Hæc enim est falsa omnino : Pater est Filius; sed hæc est vera, sapientia est bonitas; ergo sapientia est magis eadem bonitati quam Pater Filio, quia Pater saltem identice dicitur de ea. 8. Urgens ratio contra distinctionem formalem.

Item, si sapientia divina esset ita sapientia, quod nullo modo bonitas, nec formalitas, nec formaliter, nec virtualiter, tunc esset

finita secundum omnes; ergo si sapientia est sic formaliter sapientia, quod non formaliter bonitas et formaliter finita.

Ut ponitur aliquid infinitum, an includit omne aliud. Item, qualitercumque ponatur aliquid infinitum eo modo, quo ponitur infinitum, includit omne aliud. Probatur inductive : si aliquid est infinitum corporaliter vel dimensive, includit omne aliud corpus, et omnem aliam dimensionem corporaliter et dimensive; ergo si aliquid est infinitum formaliter, includit omnem aliam formam formaliter.

Item, sapientia non esset infinita identice, nisi identice haberet in se omnem perfectionem; ergo sapientia non erit formaliter infinita, nisi habeat in se omnem perfectionem simpliciter.

SCHOLIUM.

In sequentibus disputat egregie attributa ex natura rei distingui, impugnans alterius partis solutiones. Resolutio Doctoris, 1. d. 8. q. 4. n. 17. attributa ex natura rei distingui formaliter, vel non esse idem formaliter; et ibi probat rationibus et auctoritate Damasc. Hilarii et Augustini.

9. An Deus videt distinctas formalitates in se. Contra arguitur : intellectus Dei in primo signo æternitatis, aut intelligit distincte istas perfectiones, aut non : si sic, cum intelligit eas in se, idem sunt absque negociatione; ergo sunt distinctæ ante omnem negociationem ; si non; ergo intelligit eas confuse, et ita non perfecte, qualiter non distincte et perfecte.

Responsio patet secundum loquentes de lumine, quod in potentia solum sunt formalitates distinctæ et non ex natura rei, sed ex lumine ostendente.

Tamen aliter dico, quod hîc est æquivocatio et consequens; nam indistincte et etiam distincte æquivocum, et indistinctio una provenit ex potentialitate, *secundo Metaphysicæ*, in fundamento naturæ nihil est distinctum, hæc indistinctio est potentialis ; alia indistinctio est ex actus puritate, hæc indistinctio est unitio, et sic alia sunt ibi indistincte, id est, unitive, et tamen distincte, id est, actualiter, non potentialiter. Quomodo aliquid in Deo distincte et indistincte.

Item arguitur, sapientia et bonitas dicuntur in creaturis secundum suas rationes formales : infinitas autem adveniens non tollit ab eis suas formalitates; ergo in Deo ubi utraque est infinita, erunt distincta formaliter.

Dico quod in creaturis sunt formalitates et etiam distinctæ.

Infinitas autem in Deo non tollit ipsas formalitates, sed tollit earum distinctionem; in Deo autem est formaliter sapientia, et formaliter bonitas, distinctio tamen eorum est ablata.

Contra, superficies est una formalitas, alia a linea, si utraque esset infinita, adhuc linea non esset superficies ; ideo infinitas non tollit earum formalitates, nec distinctionem; ergo infinitas non tollit attributorum formalitates, nec distinctionem. 10. Si linea, et superficies essent infinita, non ideo una esset alia.

Responsio, superficies bicubita est formalitas, qua est species continui, et alia qua est species continui numerati ; addatur tricubitum; quod si fiat, nihil addatur formalitati, inquantum est superficies, quia nunc est superficies

sicut prius, sed tantum ut sit superficies major in partibus quantitativis, sed non intenditur in sua formalitate, sed secundæ formalitati apponitur aliud quo resultat formaliter perfectior quam sine ipso. Nam bicubiti quantitas continetur in tricubita, sicut trigonum in tetragono ; et hinc est, quod infinita superficies non tollit distinctionem formalitatis superficiei a formalitate lineæ, inquantum linea est.

Item arguitur : determinata relatio consequitur determinatum modum in fundamento, *quinto Metaph.* Omnis relatio est modus suæ mensuræ, et numeri, vel potentiæ ; ergo si hujusmodi, scilicet attributa non distinguuntur in essentia Dei sine opere intellectus, ex quo relatio non consequitur essentiam modo naturæ, si consequitur essentiam continentem omnem modum unitive, quia essentia est omnis perfectio unitive secundum te, relatio sequens essentiam naturaliter continet etiam omnem relationem unitive.

Dico, quod si (per impossibile) Deus non esset causa alicujus nisi necessitate naturæ, sicut Philosophi dixerunt, sicut Sol producit radium, tamen illud ens esset ens participatum, et non esset ens per essentiam, nec æquaret Deum, nec esset infinitum sicut Deus ; ergo licet relatio sequatur essentiam infinitam, continentem unitive omnia, non æquatur ei ; causa agens quantum est de se æquat sibi effectum ; sed effectus sortitur quidem et limitationem a gradu in quo recipitur, et recipitur in gradu, et distantia determinata a monade ; ergo non infinita, licet gradus non sit aliud quam creatura.

Item arguitur, in una intentione simplici non potest esse ordo secundum rem : in essentia, ut fundat relationem est ordo secundum eum, quia ordinate fundat ; ergo ante relationes illas est ordo realis, et relatio realis.

Dico, quod essentia divina simul, et sine ordine quantum est de se, fundat omnes suas relationes, ita quod omnes relationes sunt simul æquantes unum essentiæ fundamentum, sed aliquando habent ordinem : sicut enim non habent infinitatem proprie * internalem, sic habent ordinem proprie internalem ; de natura enim geniti est, quod prius generetur quam amor spiretur ; ergo internalis inter Patrem et Filium est prius internali inter spirantem et Spiritum sanctum ; ideo est ordo inter illas relationes.

al. rationem internam.

COLLATIO XXIII.

Utrum cum summa simplicitate personæ divinæ possit stare pluralitas respectuum realium in eadem natura ante omnem actum intellectus?

Scotus 1. *d.* 5. *q.* 2. *et d.* 8. *q.* 1. *et alii ibi citati.*

1. Arguit relationes distingui ab essentia.

Probo quod non : quia pluralitas rationum intelligibilium subjective existentium in eadem re, non potest stare cum simplicitate illius rei ; ergo nec pluralitas rationum realium poterit stare cum simplicitate alicujus rei. Consequentia patet, quia major est compositio rei, et rei quam aliquorum tantum

ratione differentium. Major probatur : quia ratio intelligibilis in intellectu, aut est species, aut est verbum ; sed non convenit ponere plures species, vel plura verba in aliqua persona Dei, ante omnem actum intellectus ; ergo, etc.

Item, illud non debet poni, quo circumscripto, ponitur perfectio in Deo, quanta poneretur ipso posito ; sed hoc ponitur ponendo tales rationes reales plures ante omnem actum intellectus ; ergo, etc. Major patet de se, et minor probatur sic : realitas essentiæ nudæ æquivalet rationi sapientiæ positæ cum realitate essentiæ ; ergo a simili, realitas essentiæ nudæ æquivalet rationi relationis positæ cum realitate essentiæ ; non igitur oportet ponere tales rationes reales in personas diversas ante omnem actum intellectus.

Relationes distingui ab essentia.

Respondetur quod sic, quod declaratur sic : essentia de se est communicabilis ante omnem actum intellectus secundum omnes, ex natura rei ; relatio personalis de se incommunicabilis ; hæc duo sunt in Patre ante omnem actum intellectus. Probatio, quia oportet unumquodque prius esse perfectum in *esse* primo, quam in *esse* secundo ; ergo oportet quod Pater prius habeat essentiam et relationem in se quam intelligat, et inter se, ut argumentatum est, differunt ; ergo ante actum intellectus differunt.

2. Item, perfectio simpliciter essentiæ divinæ includit omnem perfectionem simpliciter ; ergo ante omne opus intellectus, etc. Sed ubicumque sunt aliqua, et aliquid est subjectum uni, et objectum unius, quod non alterius, inter se ipsa differunt, quia contradictio est, quod aliquid sit objectum uni ex natura rei et non alterius, nisi illa essent aliquo modo diversa ante omnem actum intellectus ; sed aliquid est subjectum divino intellectui, vel objectum est divino intellectui, quod non est subjectum divinæ potentiæ, vel objectum ejus ; ergo ex natura rei differunt.

Ad primum argumentum respondetur, quod major est vera in creaturis, ubi tales rationes intellectuales sunt accidentia, et necessario faciunt compositionem cum anima, quæ est substantia ; in Deo tamen major ista est falsa, sicut patet de divinis personis, et de rationibus attributalibus.

Ad probationem dico, quod facit fallaciam consequentis, arguendo ex insufficiente : quia tales rationes reales non sunt species, nec verba, sed rationes consubstantiales et formaliter diversæ, eædem realiter in essentia divina.

Ad secundum concedo totum, quod non sit ibi res et res, sed tantum absoluta res, et res respectiva ; quia relativa comparata ad rem absolutam, idem est realiter cum ea, et tunc negatur similitudo, quia non est sic de essentialibus sic universaliter comparatis et relativis, quorum essentia in relatione consistit.

3. Contra rationem, qua ponitur distinctio relationum ab essentia.

Contra positionem arguitur sic : si essentia divina sit formaliter recta, vel justa et bona, et intellectus potest formare de ea conceptum distinctum sapientis, et justi et boni, et sine alia diversitate es-

sentiali, vel reali a parte essentiæ; ergo a simili potest intellectus idem circa personam formando circa eam conceptum relationis realis, et rei absolutæ sine alia distinctione reali a parte personæ. Nec ratio positionis concludit, quia non includit contradictionem, quod aliquid subdatur divino intellectui et non divinæ potentiæ, quia contradictio est respectu unius, et ejusdem omnino, sic non est in proposito.

Ad primum dicitur, quod hoc est impossibile, quod intellectus divinus faciat circa Deum conceptus distinctos, ut sapientiæ vel bonitatis, nisi in re sint talia distincta.

Contra, intellectus potest formare conceptum unum de simpliter diversis; ergo conceptus distinctos de termino omnino eodem.

Ad hoc dicitur, quod consequentia non valet, quia conceptus unus potest ferri circa omnino diversa realiter, dummodo in illis diversis sit aliquis ordo ad tertium; sicut patet de tribus speciebus ejusdem generis, de quibus habetur conceptus unus, et tamen non est unitas realis in eis, non sic ex altera parte.

Arguit compositionem sequi ex distinctione formali.

Item, contra primam rationem arguo sic : si Deitas quæ est de se communicabilis, et paternitas quæ de se est incommunicabilis, sunt in persona Patris secundum te, et distinctæ ex parte rei ; ergo compositio. Probatio consequentiæ, quia aliquo modo prioritatis prius est Deitas, quam sibi insit paternitas. Probatio, quia prius Deitas est Deitas, et paternitas est paternitas, quam sint unita. Per quid igitur ex eis fit unum? non ex se præcise ex suis rationibus formalibus, quia tunc non prius esset hoc hoc, et illud illud, quam hæc unita ; ergo per aliquid aliud. Quæro de illo utrum sit actus, vel potentia? si actus ; ergo aliquod istorum est potentia; ergo compositio.

Item, probatio consequentiæ, quia prius competit rei illud, quod est sui in se, quam illud quod convenit sibi ex comparatione ad alterum; ergo prius Deitas est Deitas, antequam sit paternitas, et hæc potentia, et hic actus : sequitur compositio, quia stando præcise in eis nunquam ex eis fit unum, quia sic nullam habent habitudinem ad invicem. 4.

Dicitur quod essentia, quæ est fundamentum relationis, et relatio, faciunt per se unum ex seipsis, quia unum non differt realiter ab altero ; sed prout comparatur relatio ad essentiam, est idem realiter cum illa.

Contra, licet ex materia et forma præcise natum sit fieri unum, tamen quando unum non unitur alteri, si debeant uniri ad invicem, aliquid est ratio unionis, quod nec est unum, nec aliud, 7. *Metaph.* separatis *A* et *B*, aliud manet quod nec est *A*, nec *B*; igitur a simili in proposito est. De illo alio fuit quæstio, quid sit, quod ex essentia et proprietate sit unum ex potentia, et alterum est actus ; ergo compositio, nec potest esse aliud, quam potentia vel actus, quia ex duobus in potentia, vel ex duobus in actu non fit unum.

Item, in primo signo originis res sub uno modo, ut Deitate, differt a

seipsa sub alio modo, scilicet paternitate; ergo quando isti modi secundum se considerantur præcise, non sunt simul uniti; ergo ad hoc quod simul uniantur, oportet intelligere aliquid uniens, et unum actuans alterum, vel ambo tertium, et utroque modo compositio.

5. Item, quod sit compositio, probatio : suppono quod Pater sit aliquod per se unum reale suppositum, et quod ejus forma, qua sit Pater, sit paternitas; tunc sic : Pater, inquantum Pater, est persona realis; ergo paternitas, qua formaliter est Pater, est forma realis et unibilis ; sed essentia divina, quæ est in Patre, similiter est res ; ergo duæ res reales et unibiles; ergo compositio.

Item, si Deitas sit ibi ante omne opus intellectus, et similiter paternitas; ergo personæ sunt productæ ante opus intellectus. Probatio consequentiæ : personæ realiter sunt personæ per relationes oppositas reales, nec videtur alia ratio diversitatis personarum, nisi diversæ relationes oppositæ reales ; sed positis illis, quæ tu ponis ante omne opus intellectus, sequitur quod in Deo sunt relationes oppositæ reales ; ergo, etc.

Item, si Deitas est ibi ex natura rei, et similiter paternitas, et distinguuntur, et hoc ex natura rei, per consequens Deitatis ad paternitatem est aliqua diversitas et dissimilitudo, et e converso paternitatis ad Deitatem est aliqua diversitas et dissimilitudo, et hoc totum ex natura rei per te, ante omne opus intellectus; quia hæc diversitas differt ab hac diversitate, et hæc ab illa alia diversitate, et sic in infinitum.

SCHOLIUM.

Multis, et urgentibus rationibus disputat hac collatione, non stare relationes reales in Deo, sine compositione. Resolutio Doctoris 1. dist. 2. quæst. 7. num. 41. et alias passim, relationes ex natura rei distingui ab essentia, aliisque absolutis in Deo; neque hinc sequi compositionem, quam in Deo esse impossibilem fuse docet, 1. d. 8. quæst. 1. et dist. 5. quæst. 2. a num. 14. optime explicat quomodo essentiæ et relationes confluunt in unum, constituendo personas, sine eo quod unum sit potentiale, et alterum actuans.

COLLATIO XXIV.

Utrum essentia sola sit principium formale producendi non ut determinata ratione.

Scot. 1. *dist.* 2. *quæst.* 7. *n.* 18. *et* 22. *et d.* 28. *quæst.* 3. *et* 2. *d.* 1. *q.* 1. *et alii hisce locis citati.*

1 Arguitur quod sic : Indeterminatio potentiæ activæ est altera quam indeterminatio passivæ ; non enim est ad contradictoria, scilicet *agere* et *non agere*, sicut potentia passiva indeterminatur ad esse sub actu, et non esse sub actu ; sed actu indeterminata est ad effectus diversos, non ad *agere* et *non agere*. Exemplum de Sole, qui est indifferens ad multos effectus; ergo in materia posita essentiæ potentia est potentia activa et indeterminata, non ad *generare* et *non generare*, sed ad *generare* et *spirare*, tunc est indeterminata, ut possit in hoc et in illud ; sed potentia indeterminata ad contradictoria non determinatur, nisi per aliquod additum ; ergo potentia activa indeterminata

ad diversos effectus determinatur per se, et sine aliquo medio.

Exemplum, virtus formativa fœtus de materia, quæ est uniformis ubicumque in omni parte potest causare de illa carnem et ossa, et hujusmodi; ergo essentia divina, quæ est activa potentia indeterminata, sine respectu erit principium generandi et spirandi.

2. Potentiam esse determinatam, estne perfectionis.

Item, potentia activa determinata est aliquid perfectionis. Exemplum in potentia calefactiva est, quod agat præsente objecto, et quod non requirit aliud ex parte sua, est perfectionis; sed quod non potest nisi in unum, est imperfectionis; ergo in essentia erit primum, et tolletur secundum.

Item, omne illimitatum et infinitum secundum perfectionem est indeterminatum; ens autem in communi est indeterminatum privative, quia potest determinari; sed essentia est indeterminata negative; ergo non potest per respectum determinari.

Item, in aliis a Deo, est aliud ratio agendi et ratio agentis, ut calor est ratio calefaciendi, ratio calefacientis est ratio suppositi; relatio secundum eos est ratio suppositiva; non igitur ratio agendi.

Item, Damasc. cap. 8. relatio non determinat essentiam, sed hypostasis.

Dicitur, essentia ex se est determinata ad generandum et spirandum, tamen requirit aliquid sine quo, sicut ignis non calefacit, nisi objecto præsente, etc. Sic licet essentia de se determinata sit ad agendum, non tamen generat, nec spirat, nisi in supposito conveniente.

SCHOLIUM.

Adductis quatuor argumentis suadentibus essentiam de se sine ulla relatione determinari ad processiones, arguitur contra adducta, et producit quinque rationes pro altera parte, et subjungit solutiones illorum quatuor argumentorum; et si præter morem videtur resolute in hac collatione asserere, essentiam divinam de se immediate determinari ad primam personam, ita 1. dist. 28. quæst. 3. num. 12. et hæc per memoriam fœcundam producit secundam, et utraque per voluntatem fœcundam producunt tertiam, ita 2. dist. 1. quæst. 1. num. 13. et 1. dist. 2. quæst. 7. num. 18. et 22. et d. 12. quæst. 1. et 2. hoc sensu dici potest, essentiam aliquomodo determinari per relationes ad secundam et tertiam personam, quia prærequiruntur ut istæ producantur; tamen non est proprie determinatio, quia essentia non est determinabilis, ut probat Doctor contra Henricum sex rationibus, 1. d. 7. num. 4.

Contra ista: quando dicunt, quod essentia indeterminata indeterminatione sua determinat se ad actum, arguitur: aut intelligunt, quod determinatur sic formaliter utraque potentia, vel identice. Non primo modo, scilicet quod essentia sit formaliter generativitas et spirativitas, tunc dicunt contradictoria; quia intellectus est, qui dicit Verbum, voluntas autem spirat Spiritum sanctum, et utraque formalitas est una formalitas; sed isti dicunt, quod istæ sunt duæ formalitates; ergo dicunt opposita. 3.

Contradictio quod essentia de se determinetur ad productiones.

Similiter sequitur contradictio, si sit formaliter ista duo; ergo est una formalitas, ergo una potentia; sed omnis potentia excedens suum effectum est æquivoca, sed ista potentia excedit; ergo generatio in Divinis est æquivoca.

Si secundo modo, scilicet identi-

ce habeat utrumque in se, tunc sequitur propositum, quia tunc de se non est formaliter determinata, quia per istas formalitates determinatur, quæ superveniunt ei et informant eam; essentia autem potest determinare seipsam, et ita sequitur contradictio.

Item, ideo essentia determinat se, quia est indeterminata negative, et per consequens indeterminabilis, quia quod sic est indeterminatum, est indeterminabile.

4. Item, omnis relatio realis est quædam applicatio sui fundamenti, et fundamentum sui correlativi, sed de intellectu est determinatio applicationis; aut igitur nulla relatio realis est in Deo, aut sic applicabit essentiam, et sic determinabit in primo intellectu essentiæ, inquantum est ratio generandi, includitur quod sit generativa formaliter, et per consequens relatio, sed non ut relatio elicitiva: ergo ut determinata.

Item, essentia ut absoluta, est ratio essendi; ergo non est nisi unum *esse* in Divinis: si igitur essentia, ut absoluta, esset ratio producendi, non erit nisi una productio in Divinis.

Item, in ordine essentiali, primum est causa posterioris, sed relatio cadit media inter formam elicitivam actus et ipsum actum, et si est ideo elicitiva: ergo relatio aliquo modo habebit rationem causæ respectu actus: nunquam negat Philosophus quod relatio non sit aliquo modo principium motus vel terminus, sed vult quod non per se.

5. Ad primum, conceditur quod indeterminatio potentiæ activæ non est ad contradictoria, ut ad *agere* et *non agere*, de potentia activa naturali, non voluntaria.

Potentia indeterminata ad multos effectus, quando determinatur per aliquid additum.

Ad minorem, potentia indeterminata ad multos effectus determinatur ad quemlibet effectum, sine addito absoluto, si intelligitur sine omni addito, nego de potentia naturali; licet in voluntaria sit verum, in naturali, vel additur aliquid a parte sui, vel a parte materiæ; unde respectu Solis est alia dispositio materiæ: unde dico, quod per unam formalitatem licet sit infinita, non agit naturaliter, nisi unum. Unde Commentator 2. *Metaph.* si agens est unum, et materia unum, et actus est unum, propterea nunc ponit plures regulas.

Tunc dico, potentia naturalis una secundum formalitatem una, non producit plura sine determinatione a parte sui, vel a parte materiæ; sed in proposito non est realis differentia, nisi inter relationes; igitur.

Ad exemplum de scientia, quod est uniforme in omni parte, dico, illa agit in virtute artis, operatio naturæ est operatio intelligentiæ.

Essentia quomodo determinata ad generare.

Aliter dico, cum dicitur, potentia indeterminata activa ad multos, de se determinata est, etc. verum est, sicut substantia ignis de se determinata ad calefaciendum, quia est determinata ut sit calida, et habet calorem, mediante quo calefacit: sic essentia determinata est de se ad actum generandi, quia determinata est de se ut fundet relationem paternitatis.

Per hoc ad secundum, potentia naturalis activa necessario inclu-

dit respectum, nec calor exit in actum calefaciendi, nisi includeret respectum. Unde respectus, quo refertur calefactivum ad calefactibile, et calefaciens ad calefactum, et advenit nova applicatio et non novus respectus; sic de creativo, et creante est alia relatio media inter actum et potentiam.

Ad tertium dico, quod essentia est infinita et illimitata negative, et per consequens indeterminata ad omnes perfectiones absolutas, potest determinari ad relationes et per relationes. Ad aliud, eadem realitas entis infiniti potest esse utraque intentio, scilicet et ratio supposita, et ratio generandi determinative.

Ad Damascenum dico, quod loquitur de determinatione ad *esse* hypostaticum.

COLLATIO XXV.

Utrum personæ divinæ sint relativæ?

Alens. 1. *part. quæst.* 38. *membr.* 1. D. Thom. 1. *p. q.* 40. *art.* 2. *et d.* 26. *q.* 2. *art.* 1. Scot. 1. *d.* 26. *q. un. et alii ibi citati.*

1. Quod non : quia quod relationi præsupponitur, non constituitur : sed quod refertur est hujusmodi, sed persona refertur; ergo, etc.

Dico quod minor est falsa in Divinis, quia ibi hoc, quo refertur est de primo, et per se intellectu subjecti, scilicet illius quod refertur, sicut cum dicitur, Filius refertur, ideo Filius non præsupponitur relationi : bene suppositum humanum refertur illo, quod est extra suum intellectum, et ideo præsupponitur relationi, suppositum divinum non, et si dicis oppositum, petis.

Item arguitur, realis distinctio extremorum habet aliquam causalitatem super realitatem relationum suarum, quia ibi extrema non distinguuntur secundum rem, nec illa relatio est realis; ergo distinctio realis suppositorum divinorum est prior causalitate ipsa relatione reali, quia causat realitatem relationum suarum ; ergo non constituitur ex illis, quia sunt posteriora.

Dico quod major est falsa, quando ipsum referri est distingui, et distinctio est ipsa relatio, quia ipsa relatio est distinctiva extremorum. Patet falsitas majoris tam in distinctis realiter quam in distinctis secundum rationem; creatura refertur ad Deum, et tamen ipsa creatura, ut distincta a Deo, non præcedit relationem. Similiter intellectus divinus distinguit attributa divina comparando, et non præcedunt distincta ipsam operationem.

Item arguitur, persona in Divinis dicitur relative; respectus ergo aut fundatur in essentia, aut in persona : non in essentia, quia ut sic diceretur de essentia, sed ut dicitur de essentia, est rationis tantum; ut dicit respectum realem, competit personæ tantum; ergo relatio realis ibi immediate fundatur in supposito, non in essentia; ergo præsupponit suppositum, sicut relatio fundamentum. 2. An relatio divina fundatur in opposito.

Dico quod non sequitur, relatio est fundamentaliter in essentia; ergo dicitur de essentia ut relata, sicut nec similitudo dicitur de albedine,

qua similitudine Socrates est similis : tamen fundatur in albedine, non tamen refert albedinem in qua fundatur, sed suppositum relativum, scilicet personam.

Item arguitur ; proprietates hypostaticæ sunt primo diversæ, aliter non essent ultimæ, quia esset dare quibus distinguerentur ; sed relationes non sunt hujusmodi, quia omnes sunt relationes, modo potentiæ, et in hoc communi conveniunt.

Dico quod relationes divinæ sunt primo diversæ formaliter suppositæ, licet conveniant modo potentiæ, quia potentia generativa activa et passiva, et etiam spirativa sunt primo diversæ.

3. Contra, relatio cum non sit infinita formaliter, quomodo hæcceitas sua est idem cum ea.

Quomodo una relatio divina est identice alia, ut paternitas. et spiratio activa, cum neutra sit infinita.

Respondetur, sicut in creaturis aliqua distinguuntur realiter et formaliter, ita quod non conveniunt in una ratione, ut velle et intelligere ; sed humanitas,et hæc humanitas est una res, ut proprietas formaliter individualis, et differunt formaliter ; licet una res, et ideo formalitas una sit identitate alia, licet non sit infinitas, ita in Divinis : sed in illis, quæ sunt formaliter diversa in creaturis, sicut velle et intelligere, ad hoc quod sint idem identice requiritur infinitas, sed in illis quæ in creaturis sunt idem, licet diversæ formalitates, cum transferantur ad Divina, ad hoc quod sint idem non requiritur infinitas, sed simplicitas, ideo relatio est sua hæcceitas in Divinis, licet non sit formaliter infinita.

Item arguitur, proprietas hypostatica est incommunicabilis per rationem propriam ; paternitas non est hujusmodi, quia non inquantum dicitur activa, quia illa ratio est communis sibi, et spirationi activæ, quæ communicabilis est. Nec inquantum paternitas, quia sic omnis paternitas esset incommunicabilis.

Item, si Pater prius spiraret, et post generaret, spiratio repugnaret Filio et non paternitas, et Pater communicaret eam spirando, sicut modo communicat spirationem genito.

Dico, quod paternitas est incommunicabilis, quia paternitas absolute; nec quia divina, sed quia ipsa est proprietas prima æquat fundamento, uti in essentia, et est de primo intellectu ejus, quod sit singularitas : unde duplex est incommunicabilitas; una est implurificata, hæc convenit essentiæ divinæ, quia non est plures : alia quæ repugnat pluribus communicari, sic essentia non est incommunicabilis; paternitas est incommunicabilis utroque modo : primo modo, quia æqua essentialiter uni fundamento; si igitur sic est incommunicabilis, est prima, et est incommunicabilis secundo modo; quia paternitas si communicatur Filio, aut alia, et tunc non est alia incommunicabilis. Si eadem, tunc non refertur ad Filium, quia relatio in Filio non refertur ad Filium.

Dico tunc, quod est incommunicabilis, quia est prior spiratione, et hæc est causa esse incommunicabilem per se et formaliter, quia de ratione sua est prior spiratio-

ne, unde si ponis spirationem esse priorem ea, tollis a paternitate rationem paternitatis.

Item arguitur, constitutum ex diversis communibus non est per se unum, nec in re, nec in intellectu; essentia et relatio pertinent ad diversa genera, ideo non constituunt suppositum quod est per se unum.

Dico quod in creaturis diversa genera non faciunt per se unum, sicut in Divinis relatio et essentia.

Triplex unum.

Alii dicunt, quod suppositum quod est in essentia creata non est per se unum, sed aggregatum est ex natura et proprietate individuali, quæ est actualis, ita in Divinis; nisi esset proprietas hypostatica identice idem cum essentia, non esset suppositum per se unum, sed modo oppositum est verum.

Alii dicunt, quod divinum suppositum est perfectissime unum, non tamen per se unum; unum enim est tripliciter. Uno modo, sicut constitutum ex rebus diversorum generum, quæ tamen sunt idem identice, est unum simplicitate. Alio modo sicut compositum ex materia et forma est unum per se. Tertio modo, sicut lignum et album faciunt unum per accidens.

Item, si relatio constituit, aut effective, quod falsum est; aut formaliter, et tunc relatio est formaliter in genere substantiæ, cum constitutum sit persona, quæ non est nisi in genere Substantiæ.

SCHOLIUM.

Resolutio hujus collationis, juxta Doctorem, et communem, 1. d. 26. a n. 4. personæ constituuntur relationibus, et explicatur et probatur ibi usque ad n. 10. et inde latissime per quatuor vias impugnatur. Prima via est ex comparatione relationis ad relatum, n. 10. Secunda, ex comparatione relationis ad originem, n. 13. Tertia, ex ratione propria cons tituti, n. 13. Quarta, auctoritatibus August. Damasc. Anselm. inter has impugnationes habentur fere omnes difficultates hac collatione adductæ pro hac parte, et multo plures et graviores; sed omnes impugnationes eo ordine quo positæ sunt, solvit subtilissime, a n. 41. Quod vero hæc sententia communis sit ipsius Doctoris, patet intuenti eum 1. d. 2. q. 7. et d. 5. q. 2. n. 16. et d. 18. et d. 13. q. 3. et quodl. 4. Ponit tamen sententiam, quod personæ constituuntur absolutis, 1. d. 29. n. 23. ejusque fundamenta, et solvit omnia argumenta contra eam, a n. 31. et ideo tribuitur ei, quod hanc sententiam tenuerit, neque diffiteor, quin indicaverit eam defensibilem, et non improbabilem variis locis. Quidam tamen recentiores, qui ejus solutiones et fundamenta non viderunt, vel non bene ponderarunt, eam censurant, sed temere.

COLLATIO XXVI.

Utrum intellectus paternus sit principium formale producendi Verbum in Divinis?

Alens. 1. *part. quæst.* 42. *membr.* 2. D. Thom. 1. *part. quæst.* 27. *art.* 5. D. Bonaven. 1. *dist.* 2. *quæst.* 2. Rich. *art.* 2. *q.* 1. Scot. *ibi q.* 7. *a num.* 4. *et alii ibi citati.*

Quod sic : quia voluntas in Patre 1.
et Filio est principium immediatum, et formale producendi Spiritum sanctum; ergo et intellectus paternus erit principium formale producendi Verbum. Consequentia probatur per hoc, quod duo sunt tantum modi intrinseci producendi in Divinis, per modum liberi et amoris, et per modum naturæ : sed voluntas est principium productionis libere, et per modum amoris; ergo intellectus erit princi-

pium producendi per modum naturæ; ergo, etc.

Item, Verbum secundum definitionem ejus, est terminus intelligibilis actionis, et manat ab intellectu et cum eo : sed quod manat ab aliquo, et est in eo, habet illud pro principio ejus formali; ergo, etc. Istam rationem quære in summa Henrici *quæst.* 4.

de hoc late 1. d. 2. q. 7. n. 13. et seqq. Dicitur quod intellectus est principium formale producendi Verbum, quia intellectus in Patre est potentia operativa, qua intelligit se et omnia alia, quæ sunt in essentia divina, et mediante illo *intelligere* gignit Verbum, ita quod intellectio illa actualis sit principium producendi Verbum. Hoc declaratur sic, attribuimus operationes consimiles intellectui divino, quales attribuimus intellectui nostro, removendo ab eis imperfectionem, quam habet in creaturis : sed verbo nostro formaliter intelligit intellectus noster; ergo a simili de intellectu divino, quod Verbo formaliter intelligit Pater : ergo notitia actualis est formale principium producendi Verbum.

2. Contra, secundum Augustinum super Joan. et de Trin. ubique, *Verbum est ipsa cognitio formata* : si igitur principium formale producendi Verbum sit ipsa cognitio; ergo idem erit ratio producendi se, quod est impossibile secundum Augustinum 5. *de Trinit.*

Item, si est actus, aut actus speculativus, aut practicus : non speculativus, quia ille non est productivus alicujus : nec practicus, quia ille est ad extra; relinquitur igitur, quod non est actus. Probatur per Philosophum, qui sufficienter dividit actus, et habitus *primo de Anima* per praxim, et speculationem. 1. de ... ma et Me...

Contra rationem arguitur : si Spiritus sanctus producatur per amorem actualem, tanquam per principium formale, et ipsemet sit amor actualis secundum omnes Sanctos, sequitur quod idem erit ratio producendi se.

Item, notitia perfecta determinativa objecti in nobis est Verbum; ergo notitia perfecta determinativa ipsius essentiæ divinæ, tanquam objecti distincti, et notitia distincta est Verbum; ergo essentia ut actu intelligibilis præsens intellectui suo divino, erit ratio exprimendi Verbum, et non intelligentia actualis. Arg... intelle... nem ... ratio... gigne... Verbu...

Item, quod memoria sit ratio exprimendi Verbum, probo, et memoriam voco objectum præsens intellectui sub ratione actu intelligibilis. Tunc sic : objectum perfectissimum in nullo impeditum exprimit notitiam sui in intellectu nostro, et hoc est perfectionis in intellectu : nec potest intellectus perfectus non habere notitiam talis objecti, sed si esset talis notitia per se stans, esset major perfectio : cum igitur essentia divina in primo signo est præsens intellectui paterno sub ratione actu intelligibilis, necessario exprimet notitiam ejus, quam voco Verbum : sed intelligentia actuali per te gignitur Verbum; igitur et duo verba. Qui... mor... de ho... d. 2. ... n. 22.

Item, intellectus Filii non minus est conversivus supra se, quam intellectus paternus, loquendo de intelligentia actuali; igitur Filius posset producere Verbum et Spiri-

tum sanctum, cum memoria et intelligentia, et voluntas sit in qualibet persona secundum Augustinum 1. *lib. de Trinit.* ergo multa Verba.

arg. in princip. 3.

Ad primum dicitur, quod objectum sub ratione actu intelligibilis non est ratio producendi Verbum, sed notitia actualis vel intelligentia.

Contra, ex aliquo objecto præsente intellectui sub ratione intelligibilis gignitur Verbum, et non gignitur, vel exprimitur de essentia, quæ est primum objectum; ergo de aliquo objecto posteriori eo potest exprimi Verbum ejus.

Dicitur, quod memoria non est principium gignendi in Patre, et objectum tali modo præsens, quod vocatur memoria; sed aliquid posterius eo secundum rationem, quia objectum tali modo præsens, quod dicitur memoria, est principium operativum et non productivum.

Essentia primum movens respectu Verbi gignendi.

Contra, primum objectum intellectus divini est primo movens intellectum ejus sub ratione actu intelligibilis, ita quod nullum aliud secundarium objectum movet nisi in virtute illius ad cognitionem sui, vel cujuscumque alterius ; si igitur primum objectum non movet, et ejus ut cogniti non exprimatur Verbum, nihil aliud movet ad productionem Verbi.

Item, si est ordo perfectionis et in aliquibus objectis, impossibile est esse posterius principium producendi Verbum ita perfectum, sicut primum; sed Verbum in Divinis est perfectum, et producitur per modum similis in natura; si posterius produceretur, tunc esset primum, et non primum, quia sicut deficiunt in entitate, ita deficient in cognoscibilitate.

Aliter dicitur, quod memoria tali modo descripta est principium producendi Verbum in *esse* quieto et quasi in potentia, sed in actu per conversionem actualem intellectus super eam.

Contra, calidum est perfectum principium producendi calorem, et in ipso passo debite approximato statim calefacit sine alia mutatione, vel additione a parte agentis, et si aliquid concurrat, nihil tamen est ratio agendi, vel producendi active, quod non præfuit in virtute et in potestate ejus : sed ita est in proposito, quod memoria quæ habet objectum præsens intellectum sub ratione actu intelligibilis, est agens perfectum; ergo nihil est in eo per notitiam actualem, quod non præfuit in *esse* quieto; ergo necessario erit Verbum, per hoc principium exprimendi illud.

4. Ipsam memoriam omni alio secluso, esse principium Verbi.

Dicitur, quod impedimentum quare activum non semper agit, hoc est, vel propter indispositionem agentis, vel indispositionem passi; hîc autem est indispositio a parte agentis, quod potest esse sub *esse* quieto, non potest esse principium formale et immediatum exprimendi Verbum.

Contra, illud in agentibus quibus deficit dispositio, causa quare non perfectissime agunt, est, quia deficit eis aliqua virtus, vel aliqua dispositio ad agendum : ad hoc igitur ut agant, requiritur ut perficiantur, et disponantur ab aliquo alio; ergo per oppositum perfectissimum agens, quod omnia alia agen-

Causa perfecta nihil eget, ut agat.

tia perficit et disponit, nullo alio indiget ad agendum.

5. Item, omne impotens ad agendum propter aliquam indispositionem, oportet quod per aliquod aliud perfectius eo disponatur; sed nihil propter aliquam indispositionem, oportet quod per aliud potest reperiri perfectius essentia divina vel intellectu ejus, prædicto modo se habente, quia est agens perfectissimum.

Item, omne indispositum ad agendum, oportet quod per aliquid disponatur; aut igitur a se, ut sub *esse* quieto, et habetur propositum, quod ipsa de se est ratio simpliciter activa ad producendum Verbum; aut a se ut sub *esse* actuali, et habetur similiter propositum; aut ab alio, et hoc est impossibile, quia de illo alio quæro utrum ex se, vel ex alio : si ex se, eadem ratione fuit standum in primo, et habetur propositum, quia illud prius est memoria tali modo dicta; si ab alio, quæro ut prius, et sic est in infinitum.

Item, quando quæritur de principio formali alicujus productionis, non quæritur de productione qua producit. Exemplum de omnibus, sed ipsa actualis intellectio quæ ponitur secundum te, principium formale productionis est actio; ergo, etc.

Ad illud, intellectio actualis est absoluta, non de genere Actionis, sed de genere Qualitatis ; actio autem de genere Actionis est habitudo illa, quæ est ad terminum *ad quem*.

Contra, actionis non est actio.

Respondeo, actionis de genere Actionis non est actio de eodem genere; sed actionis de genere Qualitatis est actio, etc. et e converso.

Contra, in Patre est intellectus agens, quia in ipso est quodlibet, quod melius est ipsum esse quam non esse; sed in ratione intellectus agens est quid nobilissimum, quia omne agens est præstantius quam patiens; ergo debet attribui Patri : sed si intellectus non potest circa suum primum objectum habere aliquam actionem, non poterit habere aliquam actionem circa quodcumque objectum secundarium. 6. In patr sit in lect agen

Item, quod intellectus paternus non sit ratio producendi Verbum, quia quando est ordo aliquorum ex natura rei, posterius non potest esse ratio formalis communicandi prius. Patet, quia impossibile est terminum formaliter productum præcedere formale principium producendi; sed ita est in proposito, quia essentia, quæ prius est quam intellectus, est formalis terminus productionis ; igitur, etc. Poste non pot commun re prius

Item, intellectus est potentia : aut igitur activa, aut passiva; sed perfectio prima potentiæ activæ, vel passivæ est actio, vel passio de genere Actionis vel Passionis.

Ad istud dico, perfectio intellectus est intelligere, non quidem de genere Actionis, vel Passionis, sed de genere Qualitatis; et illa actio, quæ etiam potest dici intelligere, sive sit actio, sive passio, dicit quamdam habitudinem, vel respectum ad intellectum, vel intelligere, quæ est perfectio absoluta ipsius intellectus, et ita æquivoce dicitur actio, vel de genere Qualitatis, vel de genere Actionis.

Item, si intellectus possibilis sit 7.

cognitivus, sive productivus Verbi in Divinis, et cujus est potentia, ejus est actus, ut dicitur *in* 1. *de Somno et Vigil.* ergo superflueret ponere intellectum agentem ad ejus perfectionem.

Item, quod essentia divina cum intellectu non principiat Verbum, tanquam una causa totalis; probatio, quia quandocumque sunt principia, et principia per modum naturæ, et utraque principiat secundum ultimum potentiæ suæ, aliquid virtualiter est in causa totali, quod non est in causa partiali, et aliquid deficit causæ principali, quod est in causa totali. Exemplum de multis trahentibus navem, et in intellectu et specie objecti respectu intellectionis: sed essentia Dei est infinita; ergo nihil sibi deficit in principiando, quia si sic, infinito aliquid posset addi.

Responsio, dicitur infinita, quia facit tantum, quantum faciunt infinita agentia, si essent; non tamen sumpta præcise habet omnem modum per se, quem habet cum intellectu, aliter concluderetur, quod Filius esset productus, et non per modum naturæ, et Spiritus sanctus, et non per modum voluntatis.

SCHOLIUM.

Resolutio, memoriam fœcundam, id est, intellectum cum objecto præsente, ut actu intelligibili esse principium gignendi Verbum, et idem proportionabiliter de voluntate cum objecto ostenso, respectu Spiritus sancti; ita Doct. late, 1. d. 2. q. 7. a n. 4. improbans Patrem gignere quatenus intelligit, quia si per impossibile non intelligeret, gigneret, et d. 3. quæst. 6. num. 9. et dist. 6. num. 5. et d. 12. q. 1. et 2.

COLLATIO XXVII.

Utrum Verbum divinum sit de essentia, sicut de quasi materia?

Alens. 1. *part. quæst.* 42. *membr.* 4. *art.* 2. D. Thom. 1. *p. q.* 41. *cap.* 3. D. Bonaven. 1. *d.* 5. *art.* 1. *q.* 2. Rich. *q.* 3. Scot. 1. *q.* 2. et *alii ibi post titulum citati.*

SCHOLIUM.

Adducit exquisitissimas rationes suadentes cum Henrico Verbum produci de essentia, sicut de quasi materia, et arguit subtilissime in passiva potentia esse perfectionem, et hanc secludi posse ab omni imperfectione, et sic transferri in Deum, sicut generatio transfertur, in eum quæ in creatis dicit mutationem. Pro hac parte adducit alia quinque acutissima argumenta.

Quod sic, probatur ex creaturis. 1.
Licet eminenter sint in causis, quæ sunt creatorum, tamen non omnia, quæ in creaturis sunt, possumus attribuere Deo proprie, ut si dicatur proprie album, etc. tunc illæ solæ perfectiones Deo attribuuntur proprie, quæ sumptæ in sua intentione nullam dicunt imperfectionem, ut est sapientia et potentia activa, etc.

Item, primo ostendo quod materia et potentia passiva, dicit aliquam perfectionem, et est aliqua perfectio, quia Augustinus *de natura boni*, si forma est bonum aliquod, capacitas formæ est bonum; ergo, etc.

Item, ens et bonum convertuntur, cum igitur materia sit ens; ergo bonum: non enim est nihil, quia substantia. Probatio, ex non substantia non fit substantia, 1. *Physic.* et 2. *de Anima* dicitur, quod est substantia.

Secundo ostendo, quod in materia, vel ejus potentia passiva secundum aliquam ejus intentionem non includitur aliqua imperfectio; ubi notandum quod in omni ente intelligitur aliqua perfectio, non tamen illa ponuntur in Deo, quia etiam dicunt imperfectionem; sed aliqua est intentio potentiæ inclusa in ejus quidditate, quæ nullam includit imperfectionem, et separabilis secundum intellectum ab intentione imperfecta. Probatio, transmutatio est actus proprius potentiæ passivæ, sed actui proprio correspondet propria potentia secundum intentionem actus proprii, et e converso, aut secundum ejus intentionem aliam, alias non esset ejus potentia; sed transmutatio passiva est proprius actus potentiæ activæ, et potentia passiva unam habet intentionem, quæ est mutatio: aliam habet quæ est separabilis a mutatione secundum intellectum, et secundum quod convenit diversis, quæ non includunt imperfectionem, convenit Deo, sicut productio; ergo potentia passiva præter mutationem, quæ dicit imperfectionem, manet in Deo.

Potentia, passiva, an aliquo modo poni possit in Deo.

2. Tripliciter aliquid capit *esse* post *esse* post nihil, neutro modo.

Aliter ostenditur idem, quia aliquando est mutatio ad aliquid, quod capit *esse* post aliud *esse*, et post privationem aliquid capit *esse* post nihil: prima est generatio, secunda creatio; et est alia productio quæ non dicit aliquam mutationem, nec per quam capitur *esse* post *non esse*, vel post nihil, sed tantum capitur *esse* de *esse*, tunc videtur, quod sic est dare signum originis, in quo est Pater, non Filius, quod non est nisi esse in priori originis essentiam in Patre, quæ in Filio non est in illo priori, non tamen essentiam non esse sub filiatione, quia semper actualissime est sub filiatione, sed posterius origine habere filiationem a se, quod stat cum hoc, quod actualissime habet filiationem; ideo non est dare signum naturæ, in quo Pater sit, vel intelligit non existente Filio, vel non intelligente, sed tantum Pater intelligit prius origine, hoc est a se; ergo licet essentia prius sit sub non filiatione, non tamen in priori signo naturæ: sed omnis mutatio est post negationem, vel privationem in alio signo naturæ; ergo illa generatio non est mutatio.

Pater et simul natura, sed prior origine Filio.

Tunc dico, sicut generatio potest perdere intentionem, qua est mutatio, retenta intentione, qua est productio, sicut in Divinis, et ideo non dicit imperfectionem, et secundum omnem modum actui debet correspondere potentia passiva; ergo potentia passiva potest perdere intentionem, qua est passiva susceptiva mutationis, retenta, qua est potentia susceptiva productionis.

3. Contra arguitur, in eodem secundum numerum potentia est prior actu; Deus est idem numero, si ibi est potentia, ipsa erit prior actu, hoc falsum est.

Istud argumentum est Gandav. 4. *quodlib. quæst.* an in Deo sit potentia.

Respondeo, aliter est potentia in Deo quam in creatura: nam privatio abscinditur a potentia in Divinis, nec potentia est ibi prior actu nisi origine, et verum est formali prædicatione potentia est actus,

Potentia in Deo, tripliciter differt a creatura.

accipitur enim ibi, ut non distat ab actu; sed in creaturis est potentia prior actu in eodem, sic non hic in Filio, solum est cum non esse a se.

Arguitur, quid notat ly *quasi;* aut veritatem, aut falsitatem, dico quod ibi materia, et ly *quasi* est nota veritatis quoad perfectionem, non falsitatis quoad imperfectionem.

Insignis difficultas pro Henrico de quo 1. dist. 5. quæst. 2.

Similiter non est ibi compositio, quia ex ea parte qua concurrunt, unum est idem simplici identitate cum alio. Quod ibi sit quasi potentia secundum fidem, essentia prius ordine originis est sub paternitate, quam sub filiatione; sed omne quod in aliquo priori non est aliquid, vel ad aliquid, est in posteriori tale aliquid, vel ad aliquid, in priori fuit in potentia tale; ergo essentia habet quod per generationem est in Filio: aut igitur educitur Filius de essentia quasi materia, quod non dicunt, quia si sic, esset ibi potentia objectiva, quæ in creatura dicit imperfectionem, sicut subjectiva; ergo utraque erunt ibi æque, si imperfectio auferatur.

4. Item, relationes sunt formæ suppositorum, quia distinguunt; sed forma suppositi est, vel forma totius, vel forma partis: forma totius, sicut humanitas forma Socratis; forma partis, sicut anima est forma Socratis, nunc autem relatio non est forma totius, quia non formaliter includit essentiam; ergo est forma partis, et quasi pars: sed in creatura forma pars est forma partis, ut anima corporis; ergo in Deo forma quasi pars, erit quasi forma partis; ergo essentia est quasi materia respectu compositi.

Dices, pars distinguitur a toto: sed relatio est identice essentia, ideo non est pars, nec forma, quia non inhæret.

Contra, non tollit hanc rationem partis concurrere cum alio formaliter distincto; sed essentia et relatio ad constitutionem unius, et sic concurrunt, habent unionem, et sic non claudunt identitatem, quia sic non facerent unionem: et relatio et essentia non sunt formaliter unum in Filio, sed unita non concurrunt identice, sed ut materia et forma; ergo, etc. Potest dici, quod ista potentia est Logica.

Contra, prioritas originis est 5.
realis; ergo illam sequitur realis ordo et realis potentia, si dicatur, quod est potentia objectiva.

Contra, omnis imperfectio in creatura, quæ sequitur potentiam passivam subjectivam, sequitur objectivam.

Item, relatio et essentia concurrunt ad constitutionem suppositi, ut sunt duæ formalitates, servata distinctione formali istorum in illa conjunctione; si igitur concurrunt ad unitatem, antequam habent non identitatem; (licet unum sit idem alteri, tamen concurrunt ad unitatem ut dicitur) ergo concurrunt ad unionem; ergo unum est quasi materia, et alterum quasi forma.

Item, relatio est modus, et circumstantia termini; ergo modificat et informat rem, cujus est modus, scilicet essentiam; ergo.

Item, generatio est opus naturæ, quæcumque autem operatio natu-

ræ fit per modum impressionis formæ in materia.

SCHOLIUM.

Adducit tres instantias urgentes, quod essentia non potest esse quasi materia in generatione Verbi, quibus assignat subtilissimas solutiones, mirum in modum sententiam Henrici confirmantes. Miscet varias solutiones argumentorum quæ hîc non habentur, forte apud Henricum sunt.

6. Contra, quasi in materia est, quasi in potentia respectu formalis termini productionis, similiter personæ distinguerentur specie sicut relationes.

Item, ex vi productionis non habetur in aliquo nisi uno modo: sed essentia Dei habetur in Filio, ut formalis terminus; ergo non ut materia,

Item, habens in se essentiam divinam, quacumque ratione, omni alia ratione amota, est in se perfectus : sed Filius habet eam sub ratione quasi materiæ; ergo quacumque alia ratione amota est perfectus, et ita esset perfectus Filius non habendo essentiam divinam, ut terminum formalem, quod est falsum.

Ad primum, si intendunt quod essentia est formalissimus terminus generationis, cum formalissimum in supposito distinguat suppositum, essentia distingueret; tunc dico quod relatio est terminus aliquo modo, sicut enim in forma est terminus duplex formalis, unus terminus specificus, ut rationalitas; alius suppositivus, sive sit duplex negatio, sive humanitas, sive socrateitas; sic in Filio Dei

Terminus unus terminus est natura, terminus suppositivus est proprietas hypostatica ; sic essentia est terminus specificus, relatio est terminus formalis hypostaticus ; ideo non prius terminatur generatio ad relationem, sed ad essentiam, ut formalem terminum, tamen sub illa proprietate, ideo non est ad aliquatio : similiter species sumitur ibi ex essentia, sicut in creaturis sumitur ex natura, ideo non distinguitur specie.

forma duplex specific et hypo[...]ticus.

Ad primum tunc dico, quod sicut in creatura, quæ est aliquid in potentia, respectu sui in actu ut in simplici ratione, est sumere differentiam et genus ; sic aliquo modo est ibi, intellectus Dei informatur notitia simplici, et ille idem ut nudus, convertitur super seipsum ut informatum, et ille ut informatus imprimit in nudum ; ideo ille intellectus ut nudus, et quasi informis est quasi materia, et informans est quasi forma, relatio autem est quasi forma.

de hoc 1. d. 2. 7. n. 13.

Et cum arguis, habens essentiam ut quasi materia, est suppositum perfectum, dico quod sicut sequitur, principium est; ergo principatum est, propter correlationem, et propterea addita exclusione, sequitur opposita : unde habere eam ut materiam, includit habere eam ut formam, et nota exclusionis addita excludit inclusum.

Ad secundum, major non est vera in nobis : intellectus enim continens notitiam memorialem est eadem res cum nudo converso, qui nudus est materia verbi respectu intellectus ut informati. 7.

Non re[...]rio in l[...] collat. [...] hujus s[...]tionis, [...] sequent[...]

Ad aliud cum arguitur, agens sicut producens non refertur ad ma-

teriam, nisi inquantum movens, dico quod hoc est falsum, ubi materia non differt a producente.

Ad aliud, quod producit aliquid ex materia, prius refertur ad patiens quam ad productum ; ergo Pater prius refertur ad essentiam realiter quam ad Filium ; dico quod antecedens non est verum, nisi ubi materia differt realiter a producente, vel antecedens est verum, quando agens disponit materiam et abjicit formam præcedentem.

Item, potentia prima activa non requirit aliquam causam, sicut patet in creatura; ergo nec potentia prima productiva requirit causam aliam, ergo nec quasi materia; dico quod antecedens est verum, quia infert, quod de jure non est in causa activa requirere aliam causam, sed de ratione causæ productivæ est requirere aliam causam ut quasi materiam.

Ad aliud, quod tam in generatione quam in spiratione, utrobique est impressio quasi formæ in materiam, arguitur.

de hoc 1. d. 5. q 2. Item arguitur, si essentia est quasi materia, cui imprimitur relatio ut forma, quæro an essentiæ, ut est Patris, vel ut Filii, vel ut Spiritus sancti, vel ut indifferens? non primo modo, quia tunc Pater et Filius erunt unum suppositum ; nec secundo modo ; nec tertio, quia illa impressio prior est, quam sit Filius, vel Spiritus sanctus; nec quarto modo, quia sic Filius non esset magis de essentia Patris quam Filii, vel Spiritus sancti.

8. Respondeo, in creaturis est considerare signum, quo materia est sub forma abjicienda, aliud in quo forma educitur, terminum, quo est subjectum generationis et quasi materia. Si quæris tunc, quando est generatio ignis in aere, ut materia sit ignis vel aeris, neutrum est, sed indifferens utrique; similiter in Divinis non imprimitur relatio in essentiam, ut est Patris, nec ut Filii, vel Spiritus sancti, sed est quasi signum primum, in quo intellectus Patris informatur simplici notitia ; secundum in quo intellectus nudus convertitur super informatum ; tertium in quo nudus conversus informatur. Ideo in essentia imprimitur ut indifferens, tamen magis dicitur Filius de essentia Patris quam Filii, vel Spiritus sancti ; sicut dicimus, quod de materia vini educitur acetum, quia prius fuit sub vini forma, sicut in Divinis Filius est de essentia, ut est Patris, quia est de essentia quæ prius origine est essentia Patris.

Ad aliud, generatio subita et genitum non sunt una res, tamen generatio est prius genito secundum rationem, secundum quod intellectus prius accipit eam, ut in primo signo; secundo ut *genitum esse* sit in Divinis distantia generationis a *genito esse*, seu potentiæ ab actu, et hoc non est nisi in ratione.

Item arguitur : nihil informatur 9.
ab eo, respectu cujus est actus purus, respectus relationis non habet *esse* nisi ab essentia; ergo non informatur relatione.

Dico essentia intentione, qua est essentia fundat filiationem immediate, immediatione scilicet naturæ, quia nullam relationem prius natura fundat ; in quo enim signo

naturæ fundat unam et aliam, tamen fundat filiationem mediate, scilicet mediatione originis, quia mediate generatione, tamen immediate immediatione naturæ.

Tunc dico, essentia est purus actus respectu filiationis, inquantum fundat eam immediate immediationem naturæ, tamen est in potentia ad eam mediatione originis.

Item arguitur, producens inquantum hujusmodi refertur ad productum : sed inquantum movens refertur ad materiam, pater est movens: ergo, etc.

Dico quod producens ut sic non refertur ad materiam, nec inquantum movens, sed inquantum imprimens.

Qui vellet sustinere, quod essentia non se habet ut materia in generatione, posset respondere ad rationes factas.

SCHOLIUM.

Solvit sex argumenta, posita in principio suadentia Verbum gigni de essentia, ut de quasi materia per claram et pulchram doctrinam, et egregie disputat circa solutionem asserti, quomodo essentia et relatio faciunt unum per se, sine eo quod unum sit potentia, et alterum actus, et hæc est ejus resolutio 1. d. 5. q. 2. n. 5. ubi quinque argumentis eam probat contra Henricum.

10. Ad primam, quando arguitur, quod non includit imperfectionem, est in Deo, concedo : sed ratio subjecti non includit imperfectionem, nego. Ad probationem, mutationi correspondet ratio subjecti secundum omnem sui rationem seu intentionem, concedo: sed productio includit in aliqua ratione mutationem, dico quod falsum est ; unde dico quod productio et formatio habent formales rationes distinctas formaliter, et sunt sine contradictione separabiles ab invicem, quia productio est formaliter ipsius producti, et accidit sibi quod fiat cum mutatione alicujus partis compositi ; mutatio autem formaliter est actus mutabilis, quod de privatione transit ad formam. Quod autem mutatio concomitetur productionem in creaturis, hoc est propter imperfectionem potentiæ productivæ, quæ non potest dare totale *esse* termino productionis, sed aliquid præsuppositum transmutat, et sic producit compositum : ergo sine contradictione poterit separari comparando ad potentiam productivam perfectam, sicut patet in creatione, ubi propter perfectionem potentiæ productivæ ponentis primo *esse* totum, vere est ratio productionis inquantum per eam vere productum accipit *esse*, sed non est ratio mutationis, inquantum mutatio dicit aliquid substratum aliter se habere nunc quam prius, secundum Philosophum 6. *Physicor.* quoniam in creatione non est aliquid substratum. Creatio quomodo non mutatio.

Ad secundum, cum arguitur, illud quod in quocumque priori non est sub aliqua forma, et in posteriori est sub aliqua forma, in priori fuit in potentia ad illam : sed essentia prius origine fuit sub paternitate, quam sub filiatione in illo; ergo priori originis fuit in potentia ad filiationem. 11. Ad arg. n. 3.

Ad majorem dico, quod est falsa, si fiat distributio pro priori originis, sicut accipitur in minori, quia quod Pater habeat essentiam prius Carens forma prius non ideo i[n] potentia a[d] eam

origine, non est aliud nisi quod habeat essentiam a se, et quod Filius habeat in posteriori originis signo, non est aliud nisi quod habeat essentiam ab alio ; modo ista possunt simul stare, quod Pater habeat essentiam a se, et Filius a Patre, et tamen quod in eodem signo naturæ habet eam, et nunquam Filius fuerit in potentia ad eam habendam : unde sic arguitur, non habent eam in priori originis ; ergo non habent eam in priori signo naturæ, quod requiritur ad hoc, quod fuerit in potentia ad eam, est fallacia secundum *quid* ad *simpliciter*, arguendo a negatione secundum *quid*, ad negationem simpliciter.

Ad tertium num. 4. Potentia objectiva producibilis, non dicit imperfectionem.

Ad tertium dico, quod ibi est potentia objectiva, et quando tu dicis, quod potentia objectiva dicit imperfectionem in creatura sicut subjectiva, distinguitur : est enim quædam potentia objectiva producibilis, quædam creabilis ; prima non dicit imperfectionem, et est in Divinis : secunda dicit imperfectionem, et est in creaturis.

12. Ad quartum dico, quod relatio est forma partialis. Et cum dicis, quod est forma partis, dico quod esse formam partis potest intelligi dupliciter, vel sicut fundamenti, vel sicut subjecti : quod autem se habet in ratione subjecti respectu formæ partialis est quasi materia, non autem quod est fundamentum.

Ad quintum cum dicitur, quod prioritatem realem originis sequitur talis ordo et realis potentia, dico quod non est verum, nisi de potentia objectiva, ut expositum est *supra*, et cum dicis, omnis imperfectio, quæ sequitur potentiam subjectivam, sequitur objectivam, patet *supra* in solutione tertii argumenti.

Ad sextum, ex duobus formaliter distinctis non constituitur quid unum per se, nisi unum sit actus, alterum potentia 7. *Metaph.*

Persona simplex sicut essentia.

Solutio secundum Philosophum *in eodem* 7. *cap. ult. et* 8. unitas compositi necessario est ex compositione actus et potentiæ, nunc autem persona in Divinis non est composita, nec quasi composita, sed simpliciter simplex, et ita simplex, sicut essentia secundum se considerata, nullam habens compositionem, nec quasi compositum in re, et tamen formalis ratio essentiæ est distincta a formali ratione relationis, nec una est alia.

Contra, quando ex duobus, ut sunt distincta, fit aliquid unum majoris unitatis quam sit unitas illorum, ut distincta sunt, unum eorum est potentia, et reliquum actus ; quia si neutrum est actus alterius, ergo non magis ex eis fit unum, quam ut sunt distincta, cum nullam videntur habere habitudinem ad invicem : relatio et essentia, inquantum sunt distincta, constituunt personam, quæ est persona Deitate sola ; hæc persona est magis una quam ipsa, ut distincta ; igitur, etc. 13.

Item, si terminus formalis communicatur alicui, cum dicitur terminus formalis communicatus, præsupponit illud cui communicatur : respectus non præsupponitur cui communicetur essentia, quia tunc relatio esset prius, quam essentia ; ergo essentiæ communicatur relatio, ut essentia præ-

xistit; ergo essentia est quasi materia.

Ad primum dicitur, quod major est vera, quando utrumque est res et res, non quando unum est res, et alterum modus intrans realitatem ejus, et maxime quando illud quod est res, est infinitum.

14. Contra, quæro an ex re et modo sit magis unum per se quam ista, ut in se distincta sunt. Si dicis quod sic, unus est actus et alterum potentia, quia si unum non sit actus, et alterum potentia ; tunc erit tantum hoc et hoc, et tunc compositum non est per se unum ex istis, sed ex alio. Aut si est magis unum illa in tertio quam inquantum sunt distincta, oportet aliquid esse in composito ultra rationem hujus et hujus, et tunc aut est absolutum, et tunc hoc et hoc ; aut respectus, et tunc ille respectus, per quem unum respicit aliud erit intrinsecus, et tunc ille respectus est actus et potentiæ secundum Philosophos. Vis rationis stat in hoc, si *A* non est actus *B*, nec e converso; ergo in tertio *A*, non est unum ipsi *B*, sicut quando distincta non sunt per se unum, quia neutrum est de per se alterius intellectu; ergo ut in toto neutrum est per se unum alteri; ergo totum non est per se unum. Et tunc nihil erunt per se suppositi naturæ divinæ, quia nec hoc, nec illud, nec hoc et illud est per se suppositum naturæ; prima consequentia probatur ex opposito consequentis.

Respondeo, ex eis fit unum, non quia hoc et hoc, sed aliquid aliud, non per respectum, nec per absolutum, sed illud includit magis absolutum, et respectum. Contra, si illud tertium aliud quam hoc; ergo persona erit aliud quam hoc et hoc, dico illud tertium est ista, et simul.

Contra : ergo tantum hoc et hoc. 15.
Solutio, illud tertium est simul utrumque, ut habens respectum ad invicem, non tamen ut potentia et actus, sed ut res et modus.

Ad primum, dicitur ad majorem, cum accipitur ex distinctis ut distincta sunt, non est verius unum quam ex eis ut distincta, nisi per aliud quam per rationem formalem distinctionum. Dico illud aliud, quod est ratio uniendi est identitas, scilicet quod ista duo sunt idem identice.

Contra, ut distincta sunt excluditur ab eis identitas realis.

Contra, accipiamus præcisissime, ut potest accipi ab intellectu essentiam illam; essentia sic accepta et paternitas non sunt idem, quia unum ad se, alterum ad aliud. Ex illis igitur est diversitas formalis, ex illis etiam præcisissime sumptis est unitas identica; si enim deitas hoc habet, quod quodlibet sibi possibile sit idem sibi, in illo habet unde relatio sibi compossibilis sit eadem sibi, aliter nunquam erit compossibilis sibi.

Dico aliter, quod nunquam per aliquid quomodocumque in ratione principii unum est ex istis formaliter, quod est aliud formaliter ab illis, ut distinguitur; unde idem potest esse ratio convenientiæ unius et distinctionis alterius, ratio quidditatis eorum est ratio non inclusionis eorum, et non identitatis formaliter, et eadem est ratio pro-

xima identitatis realis eorum, et ideo compossibilitatis eorum.

COLLATIO XXVIII.

Utrum voluntas in Divinis, ut concors sit principium formale spirandi Spiritum sanctum?

Alens. 1. *part. quæst.* 70. *membr.* 3. *art.* 3. D. Thom. 1. *p. q.* 36. *art.* 4. D. Bonaven. 1. *dist.* 11. *quæst.* 2. Rich. *quæst.* 3. Scot. 1. *dist.* 12. *quæst.* 1. *et alii citati.*

1. Arguitur quod non : quia nulla potentia libere activa inquantum talis, est principium formale productivum productionis necessariæ : voluntas ut concors est hujusmodi; ergo. Probatio antecedentis, quia secundum Philosophum 6. *Ethic.* activum distinguitur a factivo : et quia activum non habet terminum alium ab actu, potentia autem factiva seu practica habet alium terminum, quam ipsam productionem : sed voluntas ut concors est activa ; ergo ut est sic, non est productiva. Minor patet, quia non est concors nisi per *velle*, sed *velle* est actio manens in agente.

Item, quid intelligitur per *concors*, aut dicit aliud a voluntate, vel ratione, aut nihil? Si nihil, habeo propositum, videlicet quod voluntas absoluta, sumpta absque aliquo addito est principium, etc. Si aliquid ratione, aliquid rationis esset principium, etc. et tunc etiam alia persona ad *esse* suum reale supponeret aliquid rationis. Si sit aliquid re, hoc non esset nisi relatio, et tunc plures essent relationes in Divinis, quam communiter ponuntur a Doctoribus.

Contra, Richard. 3. de Trinit. cap. 2. *amor jucundissimus non potest esse, nisi in amore mutuo, sed hoc inest voluntati ut concordi.*

Ad primum dico, quod quia voluntas in volendo nihil producit, ideo manet secunda ad producendum.

Contra, nulla potentia habens actum adæquatum, potest habere alium; sed voluntas divina habet actum adæquatum, scilicet velle infinitum; ergo. 2.

Dicitur, quod verum est alium uniformem et ejusdem rationis. Sed istud non videtur valere, quia ex eo quod potentia est adæquata actui suo, et per actum infinitum adæquatum non potest in alium.

Ad secundum, potest esse relatio realis, et tunc est eadem, quod spiratio activa, vel relatio rationis per comparationem Patris ad Filium, et e converso.

Contra, principium formale productionis Spiritus sancti præsupponitur Spiritui sancto, et per consequens, ut sic non dicit respectum ad Spiritum sanctum, quia Spiritus sanctus intelligitur non esse.

Item, arguitur quod non ut concors, quia quibuscumque suppositis, voluntas ut concors, est ratio formalis producendi Spiritum sanctum, ista supposita producunt Spiritum sanctum, ut concordes : si igitur ratio formalis producendi Spiritum sanctum Patri et Filio est voluntas ut concors; igitur ut concordes producunt, et ita non ut distincti ; ergo non sunt unum principium producendi Spiritum sanctum contra Augustinum.

Item, ratio formalis proxima respectu productionis Spiritus sancti, est distincta in Patre et Filio; ergo Pater et Filius sunt distincta principia. Probatio antecedentis, quia secundum te voluntas non absolute sumpta, sed sub actu impendendi gratuite vel rependendi, hoc est, sub amore Filii debito ad Patrem, et sub amore gratuito Patris ad Filium, est ratio formalis proxima. Nunc autem sub isto actu tendit in objecta, ut duo, *velle* enim Patris tendit in Filium, ut est Filii tendit in Patrem.

Dicitur quod terminus est unus, vel volitio una secundum rem, distincta tamen secundum rationem, sicut eadem via est ab Athenis ad Thebas, etc.

3. Contra, quæro an Pater ut diligit Filium est principium totale producendi Spiritum sanctum; quod non potest dici, quia tunc Filius nihil faceret, vel esset superfluus : tunc enim Spiritus sanctus esset ab aliquo, quo non existente nihil minus esset; aut partiale, quia tunc imperfectum principium, et erunt sicut duo trahentes navem, quod est inconveniens.

Dico quod Pater est totale principium secundum rem.

Contra, voluntas est res, et non sic est principium, sed ut concors secundum te, hoc est, sub duplici respectu, ut dictum est : sed voluntas non potest esse formale *quo*, sub isto duplici respectu, nec in Patre, nec in Filio; ergo neuter erit principium totale secundum rem, sed quodlibet partiale.

Item, si voluntas est principium formale, tunc essentia habetur in Filio et Spiritu sancto æquivoce, quia Filius producitur ab essentia absolute, quia essentia est principium formale producendi Filium, sed non est formale principium producendi Spiritum sanctum : sed voluntas ut concors, et productio tunc dicitur æquivoca, quando productum non assimilatur principio productivo.

Contra illud quod dicebatur in quæstione, quod *amor jucundissimus non potest esse nisi in amore mutuo;* quia amor jucundissimus est beatificus, alias voluntas non quietaretur ibi : sed Pater non beatificatur videndo Filium, sed essentiam suam; ergo non oportet quod amor jucundissimus sit mutuus.

SCHOLIUM.

Resolutio hujus collationis, Patrem et Filium ut unum principium, producere Spiritum sanctum, quia Pater prius origine per intellectum dat Filio utramque fœcunditatem, quam exeat in actum secundæ fœcunditatis, ut habet Doctor. 1. dist. 2 quæst. 7. a num. 18. ita resolvit 1. d. 12. quæst. 1. num. 2. et 11. et a num. 5. late probat non spirari Spiritum sanctum voluntate quatenus concors, seu per amorem impensum et repensum, ut loquitur ille, pro quo faciunt rationes urgentes hic adductæ : dici tamen potest amore mutuo, vel concordi spirari Spiritus sanctus, quia voluntate Patri et Filio communi, nata ad talem spirationem eliciendum, et sic (inquit Doctor num. 12) explicetur Richardus, favens Henrico, vel rejiciatur, quia contra Augustinum est. Secundo modo, Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto explicat Doctor 2. dist. 32. num. 11. contra D. Thom.

COLLATIO XXIX.

Utrum alia a Deo sint volita necessario ab eo ad esse *existentiæ?*

Alens. 1. *part. quæst.* 4. *membr.* 3. Rich. 1. *dist.* 8. *art.* 2. *quæst.* 1. D. Bon. 1. *part. art.* 2. *quæst.* 2. D. Thom. 1. *part. quæst.* 9. *art.* 2. Henric. *quodlib.* 8. *quæst.* 9. Scot. 1. *dist.* 8. *quæst.* 5. et alii ibi citati.

1. Quod sic : quia immutabiliter volita necessario sunt volita : sed sunt immutabiliter volita, quia ab æterno : quod autem est æternum, est immutabile; ergo, etc. quia si non necessario voluit ea; ergo possibile est Deum non velle ea, et possibile est velle ea; ergo voluntas ejus se habet ad utrumlibet, et ita imperfecta.

Dicitur quod non, et per hoc adducitur Anselmus : *Cur Deus homo.*

Item, voluntas est respectu finis, et essentialem ordinem habet ad finem, ideo in finem fertur : sed non habet necessariam habitudinem, nec essentialem ordinem ad alia, quæ sunt ad finem : ergo non necessario sunt volita.

Ad primum, non sunt mutabiliter volita, licet sint ab æterno volita, quia ibi est temporale connotatum.

Ad secundum, non est imperfectio in voluntate, sed in effectu.

Contra positionem : eodem actu vult se, et alia. Probatio, quia in Deo suum *velle* est suum *esse,* quod nullo modo est aliud et aliud, nec mutatur, sed est idem omnino.

2. Contra responsionem ad primum argumentum, si non immutabiliter vult alia, potest ea non velle; quæro igitur, an antequam voluit, quod non potest dici, quia ab æterno voluit; nec post, quia in æternitate : nec est prius, nec posterius, tunc etiam esset mutabilis; nec simul dum voluit, quia tunc esset contradictio.

Ad primum, non sequitur consequentia, ipse enim est finis sui, et ideo vult se necessario; alia autem ad istum finem ordinem habent accidentalem; unde actus est in se necessarius, non tamen respectu talis objecti.

Ad aliud potest non velle, et ante et post.

Contra solutionem primi, quia non essentialiorem ordinem habet *esse* quidditativum rei, ad divinam bonitatem quam *esse* existentiæ, sed Deus non necessario vult per se *esse* existentiæ; ergo nec *esse* quidditativum, hoc est inconveniens, quia tunc habens scientiam ab æterno de lapide, non habuisset Metaphysicam scientiam, vel scientiam realem, quod est falsum, quia ab æterno habuit scientiam realem : scientia autem realis habet objectum reale; objectum autem scientiæ est *quod quid* rei, quia scientia quam quis habet, non est nisi de scito; ergo erit aliquid et distinctum ab eo, et erit *quid,* quia scientia est de *quod quid est.* An Deus necessario vult *esse* quidditativum creaturarum.

Item contra aliud : omnis potentia, vel est ante actum, vel cum actu, vel post actum : et ita potentia secundum quam *esse* habent res ab æterno, et *quod quid est,* repræsentatum cum actu simul, Deus non potest velle quod vult ante actum, quia tunc realiter non vellet, et postea vellet, nec potentia 3. Potentia cum actu ab æterno qualis?

cum actu potest non velle, quia potentia cum actu est, quando actus est; ergo simul opposita.

Ad primum, dicitur quod sufficit, quod illud de quo est scientia, habeat *esse* repræsentativum, non tamen quidditativum et reale.

Contra, scientia quam habet Deus de lapide, non est de illo secundum *esse*, quod habet in Deo, quia tunc non esset nisi scientia de se ipso; ergo est de aliquo, quod habet quidditatem aliam.

Dicitur, quod verum est de aliquo repræsentato, quod repræsentatum ut repræsentatum, non habet nisi *esse* repræsentantis, sed intellectus distinguit repræsentando, quod *quid* repræsentatum est indifferens, ut sit ens, vel non ens, et tale non oportet habere aliquod *esse* existentiæ, vel quidditativum.

Contra, actus sciendi non potest esse actus sciendi nisi terminetur ad aliquod objectum, quia mensuratur ab objecto : mensuratum autem dependet realiter a mensura; ergo iste actus, ut est hujusmodi, transit super illud. Quæro igitur de illo tali super quod transit hujusmodi actus : aut est ens perfectum aut diminutum, aut nullum. Si nullum, nulla erit de eo scientia realis : si diminutum ; ergo habet entitatem diminutam realem distinctam.

4. Item, repræsentans non primo repræsentat se, vel illud in quo est, sicut species in anima non primo repræsentat se vel animam, sed aliud repræsentandum; igitur non est nihil, et cum idea referatur ad ideatum, et relatum ad nihil sit absolutum, tunc idea inquantum idea esset absolutum, aut diminutum, aut perfectum sicut prius.

Ad primum et secundum, dicendo quod intellectus Dei fertur super aliquod factibile, et terminatur non ad nihil, nec ad ens diminutum, sed ad ens perfectum ; non perfectum in *esse* substantiæ, nec quidditativo, sed ad *esse* repræsentatum, scilicet in idea, unde bene terminatur ad ideam, ad rem ut repræsentatam in idea.

Contra, res ista est correlativa ideæ; ergo aliud ab idea, et sic loquimur de ea ad præsens, ut idealis, et sic aut est nihil, aut est ens diminutum, etc. ut prius.

Ideale quomodo distinguitur ab idea.

Dico quod ideale, ut est correlativum ad ideam, non est distinctum nisi secundum rationem intelligendi, et secundum intellectum, sicut si pingatur in pariete Hirco-cervus, qui non est, nec est possibilis, imago illa non repræsentat se, cum correspondeat aliquid sibi secundum *esse* quidditativum, nec secundum *esse* existentiæ : sed intellectus dicit aliquid repræsentatum, sic intellectus Dei intelligens ideas repræsentativas ideatorum, distinguit repræsentata ab ideis secundum rationem intelligendi ; nec correlativum est aliquid secundum *esse* quidditativum, vel existentiæ.

Contra, relativum ad nihil est absolutum; ergo idea est absolutum, quia correlativum suum est nihil. Respondeo esse ideabile in idea, est *esse* ideæ. 5.

Contra, ad hoc arguitur, non aliter novit Deus fienda quam facta, si non novit Deus lapidem per ideam lapidis, nisi tantum ut distinguitur ratione ab idea; ergo

nec modo aliter novit creaturam quam ut non factam in re, sed tantum novit rationes distinctas in seipso.

Item, in primo instanti, in quo idea repræsentatur intellectui, est absolutum; ergo tantum repræsentabit ad distinctionem rationis per te, vel repræsentabit ut repræsentativum aliud, etc. ad distinctionem rationis, erit repræsentatum distinctum ab idea repræsentante; aut igitur habet *esse* imperfectum, et tunc ut prius.

Dico quod repræsentabit illud, quod prius, sed non eodem modo.

Contra, si actus terminabatur ad idem ab æterno, ad quod modo, sed non modo determinatur ut ab æterno, ad aliquid distinctum ratione tantum ab idea; ergo ad aliud.

Dico, utrumque vidit ab æterno.

Contra, si ab æterno non cognovit lapidem, nisi tantum ut distinctum ratione ab idea, et modo cognoscit re distinctum; ergo est aliquid in objecto ut determinat modo actum ejus, quod non tunc.

6. Dico quod alietas est ex parte rei, quæ ab æterno distincta ratione ab idea, modo distinguitur re ab ea.

Contra, ergo res modo objiceretur alio modo intellectui quam ab æterno.

Dico, quod non.

Contra arguitur sic : res hæc secundum *esse*, secundum quod intelligitur, distingui realiter ab idea, terminat actum intellectus, non autem ab æterno; ergo non terminavit tunc secundum *esse*, secundum quod modo; dico quod res non terminat actum intellectus Dei secundum *esse* hoc vel illud, sed *esse* vel idea tantum terminat.

Contra, intelligitur secundum aliquid *esse* modo, secundum quod non intelligebatur tunc, verum est a parte rei, et non a parte intellectus. Ad aliud, in primo instanti repræsentatur.

Contra, igitur repræsentatum non habet primo *esse* suum per rationem distinctam.

Dico, idea statim repræsentat aliud.

Contra, tunc distinguitur ex natura rei, nego.

Contra, ergo in primo instanti ante actum rationis, tantum est possibile distingui, quia non distinguitur secundum rem, nec rationem, quia tunc esset distinctio rationis ante distinctionem rationis.

Ad aliud principale, quid addit velle lapidem, super *velle*? An actus liberi Dei aliquid addant super actum necessarium.

Dicitur, nulla realitas additur.

Contra, igitur totum, quo vult lapidem esse ut hujus objecti, est necessarium formaliter, cum nihil reale additur parte objecti, nec actus additur super actum; ergo necessario vult, quia per nihil rationis vult me sedere.

Dico, effectus contingenter est a causa necessaria, licet totus actus sit necessarius.

Aliter dicitur ad illud, *velle* Dei, ut est respectu me sedere, addit entitatem positivam differentem ratione a *velle*, sicut differt relatio in Divinis ab essentia per intellectum; et ista entitas est intrinseca entitas Deo, cui repugnat mutabilitas, cui tamen non repugnat possibilitas.

Similiter de *nolle*, hoc est perfectionis in voluntate, quia id est ab ea differens saltem ratione, et tamen potest esse vel non esse.

Contra, ex hoc sequitur aliud inconveniens, scilicet aliquid intrinsecum Deo esse possibile non esse, etc. vere idem simplex non potest esse ex possibili et necessario ; non enim idem perfecte simplex est possibile et necesse, aliter idem erit et non erit.

Dicitur quod distinguitur formaliter ut res et modus.

Contra, tunc res est quando est secundum formam suam, 2. *Physicor.* et quando non secundum illam formalitatem, tunc non est, etc.

SCHOLIUM.

Resolutio correspondens titulo, Deum nihil causare necessario, ita late Doctor contra Philosoph. 1. dist. 2. quæst. 2. num. 21. et dist. 8. quæst. 5. a num. 17. et dist. 39. a num. 12. quia vero tota collatio est de scientia per ideas, et de differentia ideæ et ideati, vide Doctor. 1. dist. 35. num. 12. ubi ponit ideæ descriptionem ex Augustino, et num. 13. docet non esse aliud ab ipsa creatura, ut a Deo cognita, de qua ibi per totum, et dist. 38. num. 2. et 5. et dist. 39. num. 7. ubi ostendit contra D. Bonav. existentiam non posse sciri a Deo per ideas, quia eodem modo repræsentant, existentia et possibilia. Resolvit scientiam non dici realem ab objecto, vel quidditate æterna, quia non datur distincta ab *esse* diminuto de quo fuse 1. dist. 36. a num. 3.

COLLATIO XXX.

Utrum Theologia Dei sit practica, vel speculativa ?

Alens. 1. *part. quæst.* 21. *membr.* 1. *art* 4. D. Thom. 1. *part. q.* 1. *art.* 4. D. Bonav. *quæst.* 3. *Prolog.* Rich. *quæst.* 4. Henric. *sum. art.* 8. *q.* 1. Vasquez 1. *part. disp.* 8. 9. Scotus *q.* 4. *prolog.*

SCHOLIUM.

Resolutio hujus collationis fere est, ut hîc habetur in principio sed latius habetur in quæst. 4. Prolog. nempe Theologiam Dei esse de necessariis practicam, quia conformis rectæ rationi et prior volitione, ita dicta quæst. 4. num. 34. sustinet tamen Doctor num. 36. non esse practicam, quia Dei volitio non est regulabilis. Unde problematicus in hoc videtur, ibi et 1. dist. 38. Scientia Dei de contingentibus speculativa est, quia rectitudo contingens prius est a voluntate ejus, quam cognoscatur ab intellectu dicta quæst. 4. num. 37. ubi tamen docet nostram Theologiam de contingentibus esse practicam, quia prior praxi et directiva ejus. De necessariis idem ait num. 31. vide Schol. ibi num. 44. ubi conformiter ad Doctorem (ut videtur) dictum est Theologiam nostram esse quoad partes speculativam et practicam. Quod hic num. 2. tangit, an habitus sit practicus ab objecto, late docet quod sic, et non a fine vel actu, dicta quæst. 4. num. 13.

Quod speculativa : quia Theologia ejus est nobilissima : aliqua speculativa est nobilior omni practica, 1. *Metaphysicæ ;* ergo, etc. 1.

Contra, finis speculativæ est veritas : sed si scientia Dei est speculativa proprie ; igitur tantum consistet in speculatione veritatis, et non ultra ordinaretur ad dilectionem ejus, quod falsum est.

Habi[...] practi[...] depend[...] quatu[...]

Dicitur quod est practica, sed habitus intellectualis practicus dependet ex quatuor causis, scilicet objecto practico, vel materia practica et fine practico, et dependet ab intellectu, tanquam ab efficiente practicum habitum ; ut tamen movetur ab appetitu 6. *Ethic.* est quidem habitus practicus ab objecto practico materialiter, quod oportet esse appetibile, et non

tantum speculabile, etiam in nobis requirit objectum contingens operabile, formaliter autem est practicus a seipso, si duplex potest esse habitudo ejus formalis notitiæ conformis appetitui. Et hæc est prima ratio ejus formalis; secundaria, qua est directiva, et considerativa; objectum etiam duplex est, appetibile et contingens operabile, respectu scientiæ nostræ; omnia ista quatuor sunt in Deo, quia essentia ejus, sicut objectum vel materia, est summe appetibile vel diligibile, et intellectus tanquam efficiens prius intelligit hoc, quam voluntas velit hoc, et ideo respectu sui, et a se Theologia ejus est simpliciter practica; respectu autem aliorum a se, si sint operanda, est aliquo modo practica formaliter, non quia intellectus prius dictat illa facienda, et postea illa voluntas velit, sed prius intelligit simplicia, et post voluntas determinat ea esse facienda, et post intellectus intelligit ea facienda, et eadem voluntas vult inexecutive illa, et propter conformitatem illam, est scientia practica.

u.e ratio ormalis racticæ

heologia i respec- sui practica. q. 4. rolog.

2 eculativa n est nobilior suprema actica.

Ad primum dicitur, quod Philosophus non ponit scientiam practicam respectu dilectionis, sed solum respectu praxis, quæ est in viribus inferioribus, et quæ est respectu operabilis contingentis, et verum est, quod omni tali practica est speculativa nobilior, sed loquendo de praxi, quæ est actus elicitus voluntatis, et hoc respectu objecti nobilis, non est ita.

Contra positionem quæstionis, et primo contra illud, quod dicitur quod habitus dicitur practicus materialiter ab objecto, et effective ab intellectu, quia *sicut se habet finis in operabilibus, sic principium in speculabilibus*, quantum ad hoc, videlicet, quod sicut principium in speculabilibus est principium effectivum respectu conclusionis, sic finis in operabilibus est principium continens virtualiter, et efficaciter omnia alia quæ sunt ad finem, ita quod nihil est tale formaliter et essentialiter, nisi per illud quod est tale virtualiter et effective. Exemplum de subjecto et passione, et principio et conclusione, quia nunquam est conclusio formaliter vera, nisi quia est principium efficaciter et virtualiter tale, et similiter de passione respectu objecti: sed essentia divina est hujusmodi ut finis, ideo continet omnia alia virtualiter et efficaciter quæ sunt ad finem, non igitur tantum materialiter; igitur.

Habitum non dici ab objecto tantum materialiter practicum.

Item, quod dicitur in Theologia Dei ordinatur ad dilectionem ut ad finem.

Contra, finis est causa nobilissima, unde si de omnibus causis esset scientia, scientia de fine esset nobilissima secundum Avicennam 6. *Metaphysic.* ergo si essentia ut objectum non habet rationem finis, sed ipsa dilectio, ratio essentiæ in se non esset ratio nobilissima, quod est falsum.

3. Finis causa nobilissima.

Contra responsionem ad argumentum, scientia speculativa est sui gratia, non autem sic practica, sed gratia alterius; ergo scientia speculativa est nobilior scientia practica.

Item contra illud, quod dicitur

An dilectio

Dei sit sibi praxis. in positione, quod dilectio est praxis, quia praxis est in potestate illius, cujus est praxis : sed dilectio Dei non est in potestate ejus, quia necessario se diligit ; ergo dilectio Dei non est praxis.

Ad primum dicitur, quod objectum et finis sunt causa effectiva respectu veritatum practicarum et operabilium, sed non tota causa sine intellectu similiter efficiente ; unde objectum et finis, quæ idem sunt in essentia divina, differentia sola ratione cum intellectu divino, sunt tota et completa causa efficiens respectu veritatum illarum operabilium, et neutra per se est tota causa, sed tantum causa partialis.

4. Collat. 26. Contra, illud est argumentum ultimum quod fit in illa quæstione, utrum intellectus paternus sit principium formale exprimendi Verbum, quod si essentia divina ut objectum, vel finis non sit tota causa efficiens respectu talis veritatis operabilis et praxis, ut dilectionis ; ergo non est simpliciter infinita, quia perfectiorem modum causandi habet cum intellectu suo concurrente, quam per seipsum ; ergo, etc.

Respondetur ibi aliqualiter.

Ad aliud, cum dicitur, quod praxis quæ est dilectio, est finis : sed ratio finis est ratio nobilissima ; non ergo ratio essentiæ.

Essentia, objectum, et finis dilectionis Dei. Dico quod actus est finis, scilicet dilectionis ; sed ulterius ordinabilis ad finem ultimum, qui est essentia divina, et ideo essentia sub eadem ratione a parte sui est objectum et finis, sicut motus ab anima, et ad animam est ab eadem, et ad idem.

Ad aliud dicitur, quod praxis est in potestate cujuscumque est, ita quod potest elici ab eo, sed potestas ejus non est potestas elici et non elici, quia hoc est potestatis imperfectæ.

Contra 6. *Ethicor.* dicit Commentator, quod praxis sequitur electionem ; ergo potest voluntas non elicere praxim.

Item, necessitas naturalis non potest stare cum potestate voluntatis, quia ista sunt principia activa opposita, necessitas naturalis et libertas, vel potestas voluntatis ; sed in potestate voluntatis non est magis diligere quam intellectus intelligere, non solum non diligere. 5.

Item, non est in potestate Dei esse non voluntas : sed dilectio sua est idem quod voluntas ejus ; ergo non est in potestate voluntatis ad diligendum essentiam suam.

Ad primum dico, quod praxis in nobis sequitur electionem, nam quia voluntas nostra est mutabilis, ideo determinatur per circumstantias, tanquam directiva ad multa ; voluntas autem Dei immutabilis, et ideo dilectio in Deo non sequitur dictamen, et consilium intellectus, et ideo in Deo non valet quod objicitur. Praxis [...]tra se[...]tur ele[...]nem, [...] non [...]

Contra, virtus est habitus electivus ; ergo sicut possumus habere habitum intellectivum respectu eorum quæ sunt ad finem, ita et respectu finis, sicut patet de charitate quæ est virtus, et respectu finis ; igitur et respectu finis potest esse electio ; sed electio potest dici nolitio sequens perfectam cogni-

tionem objecti, sive sit deliberatio, sive non; nam deliberatio, sicut consiliatio est de conclusione tantum et non de principio, sive de eis quæ sunt ad finem, sed non de fine. Nam propter perfectam cognitionem principii, si assensero operari, est electio proprie, sine tamen assensu conclusionis, ut respectu hujus : *honeste est vivendum*, est electio respectu hujus conclusionis conclusæ, scilicet *caste est vivendum,* sed imperfectior prima, sicut cognitio conclusionis est imperfectior cognitione principii.
Electio dupliciter sumitur. Unde cognitio stricte est perfectior cognitione conclusionis quæ est imperfecta, quia non habetur ex terminis, sed concluditur ex terminis. Alio tamen modo electio perfecta est principii sine discursu et deliberatione cogniti, tamen perfectius cogniti, et sic electio est praxis.

6. Item, circa finem post cognitionem perfectam potest esse electio et peccatum; sed summum peccatum est uti fruendis, et frui utendis.

Item, secundum Augustinum 83. *quæst. quæst.* 7. Omne peccatum aut est ex infirmitate, aut ex malitia, aut electione : sed quando aliquis utitur fruendis non hoc facit ex malitia, aut infirmitate; ergo electione; ergo est praxis circa finem ultimum, unde habitus practicus est directivus praxis, quæ est electio voluntatis. Prima igitur praxis est electio formaliter, vel secundum electionem actus ut volitio, et ponit necessario delectationem circa finem in operatione practica, qua attingit finem, sicut et speculatio ponit circa objectum speculativum necessario delectationem quæ est passio, et non operatio, quia non est practica, nec directiva passionis nec delectationis, quia ex objecto præsente et praxi elicita, necessario sequitur praxis illa, quæ est delectatio.

Omne peccatum est ex infirmitate, malitia, aut electione.

Ex praxi elicita sequitur practica delectatio.

Ad aliud, speculativa est nobilior practica, quia sui gratia, verum est, accipiendo utrumque in se, quando tamen speculativa ordinatur moraliter, et in genere moris, inferior est ipsa practica ad quam ordinatur.

Contra, speculativa est simpliciter nobilior in se practica ; ergo etiam in speculativa ordinata in genere moris. Probatio consequentiæ, quia mos non pervertit ordinem naturæ, sed conformatur sibi quantum potest, sed natura non statuit nobilius ordinari ad ignobilius. 7.

Respondeo, dico quod intellectio non est nobilior volitione, sed appetitiva ut appetitui finis est.

Contra hoc, quod dicitur rationi appetitivæ esse finem; probo quod non est finis, quia appetitio si sit moralis, non tantum dependet a fine, sed ex omnibus circumstantiis aliis ut per quas sit, sicut debet, et quando debet, et circa quod debet, et cætera : sed intellectio practica est nobilior tam in entitate naturæ quam moris, quæcumque appetitiva virium inferiorum, quia est directivum, et regula respectu actuum aliarum virium inferiorum, et sic causa ; ergo non ordinatur in genere moris ad aliam appetitionem, tanquam ad finem cujuscumque virtutis inferioris,

Arguit intellectionem esse nobiliorem appetitione

unde praxis non est finis intellectus practici. sed objectum.

Dicitur quod scientia practica ordinatur ad praxim, ut finem propinquum, talis est electio.

Contra, tunc habetur propositum, quia consiliatio intellectus habet ordinem ad volitionem, cum volitio sit praxis absque omni posteriori; ergo est vera practica, et hoc habes concedere, unde volens dare pecuniam debito modo, et hoc eligens, non minus est liberalis moraliter, et si non habet pecuniam, dum in imagine congrue eligat dare, sicut debet. Aliter enim nec Christus, nec Apostoli, nec alii pauperes, quibus deficit materia exterior vere essent liberales. Similiter eligere fortiter agere in imagine, est esse moraliter fortem, etsi nihil terribile occurrat.

An pauperes possint esse liberales, et corpore debiles, fortes.

SCHOLIUM.

Resolutio sequentis litteræ habetur apud Doctorem q. 3. Prolog. num. 14. ubi docet contra D. Bonav. et alios Christum non esse objectum Theologiæ : et contra Linconien. num. 16. Christum non esse tale objectum, secundum triplicem unitatem, scilicet ad alias personas, ad naturam assumptam et ad membra ejus quæ sunt fideles. Rationes hîc factæ utrumque bene probant.

8. Ad principale, quod Theologia Dei sit practica : illa scientia Dei dicitur esse practica, cujus primum objectum est operabile, contingens : hujusmodi est primum objectum Theologiæ Dei; ergo, etc. Probatio minoris, Christus totus est objectum istius scientiæ, quia continet virtualiter omnes veritates illius scientiæ, et secundum aliquid sui est operabile contingens ut secundum naturam humanam, et est factibile, quia tota Trinitas fecit Verbum esse hominem; ergo. etc.

An Christus sit objectum Theologiæ.

Dicitur quod non est factiva, ita quod habeat pro termino suo necessario aliquod operabile.

Ad probationem dicitur, quod Christus dicit compositum contingens, et operabile subsistens in duabus naturis, et ita est primum objectum.

Dico, quod Christus non est primum objectum continens virtualiter omnes veritates istius habitus, sed essentia divina.

Contra, essentia divina non continet virtualiter articulos fidei, qui pertinent ad humanitatem Christi, sed humanitas.

Item, subjecta partialia se habent ad subjectum totius sicut partes ad totum, sed multa tractantur in hac scientia quæ non sunt partes Dei, sed Christi et corporis ejus, ut decem tribus sunt subjectum Osee, sicut dicit glossa. Totum autem subjectum est totus Christus triplici unitate, sicut dicit Linconiensis.

de hoc q. 3. Prol. n. 16.

Ad istud quod omnes articuli reducuntur ad Deum mediate, vel includuntur in ea mediate, ita quod omnes veritates scibiles includuntur in Deo virtualiter, sed Christum esse passum non est veritas scibilis, ut *scibile* sumitur proprie, sed bene creditum.

Contra. illæ veritates contingentes, licet sint contingentes, tamen necessario continentur in aliquo subjecto; sed septem sunt articuli hujus scientiæ, quæ tantum conveniunt Christo ut Christus, unde 9.

sive sint scibiles, sive non, illud est subjectum eorum primum, cui insunt primo, et formaliter talis est Christus et non Deus, quia illud est subjectum in scientia, de quo dici possunt omnia, quæ sunt in illa scientia, talis est Christus unus totus triplici unitate.

Contra istam opinionem arguo sic : de eodem subjecto est Theologia Dei, et nostra : si igitur Christus est subjectum Theologiæ ; ergo nulla veritas de Trinitate est Theologica, nec multæ contingentes, ut *Deus misit Filium suum*, etc. consequens est impossibile ; igitur et antecedens. Consequentiam probo. Nulla est veritas necessaria alicujus scientiæ, nisi subjectum illius scientiæ illam veritatem contineat. Unde oportet quod illa prima veritas sit de subjecto primo illius scientiæ, vel parte aliqua illius subjecti, vel parte integrali, vel subjectiva, vel essentiali, vel de aliquo attributo essentialiter ad ipsum primum subjectum : multæ veritates necessariæ sunt, quæ non sunt de Christo, ut Pater generat, Pater et Filius spirant Spiritum sanctum, nec Pater est Christus, nec pars Christi, nullo modo attribuitur ad Christum, quia si secundum eum Christus est unum triplici unitate, quia sic includit personam ; ergo ei non attribuitur Pater, nec attribuitur ad Patrem Verbum, quia Filius non esset essentialiter posterior Patre, nec e converso ; ergo, etc.

[margin: de hoc q. 3. Prol. n. 14.]

[margin: Quænam pertinent ad aliquam scientiam.]

Item, si Christus est primum objectum, nulla veritas necessaria est Theologica. Probo, quia quod de se est falsum, de omni est falsum, et de nullo verum 5. *Metaph. cap. de Falso* ; ergo quod de se non est necessarium, de nullo est necessarium : hujusmodi est Christus, quia est quoddam operabile contingens ; ergo nulla veritas in eo necessaria continetur ; ergo non est primum objectum.

10. Item, nullum ens per accidens habens in se conceptus diversos, est objectum primum primo scientiæ, quia ante scientiam de toto aggregato per accidens, præsupponitur scientia de utraque parte ejus, sicut ante scientiam de numero sonoro, præsupponitur scientia de numero et de sono in se, quia quidditas utriusque partis est prius scibile, quam ipsum totum per accidens : sed Christus includit partes ex quibus non fit unum per se, sed per accidens ; ergo prius erit scientia Theologica de utraque parte, vel nulla erit Theologia prima.

[margin: Scientia totius per accidens, supponit scientiam partium.]

Ad primum dico, quod Christus ut subjectum includit omnes veritates istius scientiæ virtualiter, sicut objectum debet includere, scilicet primo et adæquate, ita quod nihil sit per se prius eo, licet enim quodammodo accipitur per accidens.

Contra, quod per accidens includit non est subjectum ; sic enim possem dicere, quod festuca includit omnes veritates scientiæ Mathematicæ, Metaphysicæ et naturalis ; et sic quod festuca sit subjectum illarum, et ideo quod primo eas continet, debet esse primum objectum, hoc est Deus ; ergo sequitur oppositum positi.

COLLATIO XXXI.

Utrum esse intelligibile creaturæ præsupponant Trinitatem personarum?

D. Thom. 1. *p. q.* 45. *art.* 6. Henr. *quodlib.* 6. *q.* 2. Rich. 2. *d.* 1. *a.* 4. *q.* 3. D. Bon. 2. *d.* 16. *dub.* 1. Scot. 2. *d.* 1. *q.* 1. et alii ibi citati.

1. Quod sic : quia Deus non potest intelligere alia a se, nisi prius intelligendo essentiam concurrentem cum voluntate affectata : sed Deus intelligendo essentiam producit Verbum, et Pater et Filius volendo essentiam amicitia affectata producunt Spiritum sanctum ; ergo, etc.

Item, de ratione causæ potentis sufficienter et perfectissime aliquid producere, est perfectissime in se subsistere : ergo cum essentia divina non perfecte subsistat, nisi in tribus personis, videtur, etc. Major probatur, quia actiones sunt suppositorum. Minor patet de se.

Contra, illud quod pluribus convenit per aliquid commune, dempto uno illorum, nihilominus alteri potest convenire, sicut sentire convenit homini, et asino, tanquam passio, destructo homine, vel asino, nihilominus convenit alteri istorum : sed productio creaturæ in *esse* intelligibili convenit personis ratione essentiæ, quia infinita est; ergo circumscripta una persona, nihilominus potest alia omne producibile in *esse* intelligibili producere.

2. Item, illud de se et ex se est perfectum principium alicujus actus, quod potest immediate exire in illum actum, respectu cujus est principium perfectum : sed Pater de se est principium perfectum cujuscumque creaturæ in *esse* intelligibili; ergo. Probatio minoris, quia Pater continet essentiam, quæ sufficiens principium est cujuslibet productionis, et illud habet ex se formaliter et non ex Filio, quia nihil habet ex Filio, sed quidquid habet Filius et Spiritus sanctus, hoc habet a Patre, saltem loquendo de perfectionibus essentialibus, et de his, quæ respiciunt aliquid extra ; ergo, etc.

SCHOLIUM.

Juxta duas primas rationes docet personas divinas cum sint ex se necesse esse, prius habere *esse* quam creaturas in *esse* intelligibili. Circa hoc disputat pro et contra, exquisitas adducens difficultates, Angelico ingenio dignas, et rem penitus declarat, num. 7. et 8. de quo agit late 2. dist 1. quæst. 1. art. 2. num. 13. ubi hanc habet resolutionem, et ex his dictis, quæ ibi docet solidissime confirmantur : et licet variæ difficultates, hîc contra ea excitet, solvi possunt ex resolutionis fundamentali ratione. Vide ibi de duplici instanti naturæ, de quo Doctor hîc loquitur, et de duplici ordine originis ad intra et extra, de quo etiam hîc fit mentio, et hæc cum ibi traditis collata, mutuo sese declarant et confirmant.

Dicitur, quod productio in *esse* intelligibili, præsupponit de necessitate productionem duarum personarum et unius improductæ, et ita Trinitatem in personis, quod declaratur sic : omne quod est ex se necesse esse, prius est omni eo, quod non est ex se necesse esse ; sed personæ divinæ sunt ex se necesse esse, et creaturæ in *esse* intelligibili non ; ergo sunt personæ divinæ prius quam creaturæ in tali *esse*. Major probatur : quia illud quod 3.

Declaratu[r] quomod[o] creaturæ esse intel[li]gibili sup[pr]ponunt Tri[ni]tatem

est ex se omnino independens prius est eo, quod ab alio secundum omne *esse* quod habet, dependet ; talia sunt creaturæ ; ergo. Minor probatur, quia personæ divinæ sunt idem realiter cum essentia divina, quæ ex se et formaliter est necesse esse, non sic creaturæ in *esse* intelligibili, quia essent Deus ; igitur.

Tamen ad argumenta potest dici, quia sicut ad possibile positum, sequitur possibile, sicut posito homine ponitur risibile ; sic posito impossibili et incompossibili non est inconveniens ex illo impossibili, et incompossibili inferre contradictionem. Ita dico in proposito quod posito possibili et necessario, quod tres personæ sunt in essentia divina, dico quod necessario eorum emanatio quantum ad istas quæ emanant, præsupponitur illis quæ non sic emanant ; sed posita persona absoluta, quæ positio impossibilis vel incompossibilis est, non oportet quod Trinitas præcedat creaturas productas in tali *esse*.

Ad primum in oppositum dicitur, quod major est vera : quia illud commune plurificatur in eis, sicut est in exemplo addito de *sentire*, non sic essentia plurificatur in personis.

Argumentum pro prima parte quæst. Ad secundum dico, quod quando aliquod principium habet aliquos actus ordinatos, non potest in actum posteriorem, nisi præsupposito actu priori. Exemplum de anima respectu *velle* et *sentire* : sic autem comparatur essentia divina vel intellectus, ut principium respectu actuum ad intra et ad extra.

4. Ad formam argumenti dico, quod major est vera, quando illa quæ procedunt ab illo principio, non habent inter se ordinem necessario, qualis est in proposito.

Contra positionem quæstionis, et contra minorem rationis pro positione, in essentia divina non est ordo, nec prius nec posterius : sed essentia divina ab æterno est imago et exemplar creaturæ in *esse* intelligibili ; ergo non necessario est ibi prior emanatio personarum præsupposita ipsi *esse* intelligibili creaturæ.

Item, contra aliam partem minoris, non sequitur si essentia divina sit necesse esse ex se ; ergo personæ divinæ productæ erunt necesse ex se, quia essentia est aliquo modo prior personis ipsis productis, quia aliquo modo præintelligitur in eis, et personæ sunt aliquo modo posteriores, sed non valet, prius est ex se necesse esse ; ergo posterius, etc.

Contra responsionem ad primum argumentum ; in creaturis ponuntur duo subjecta talia, et posito per impossibile, quod una albedo esset in eis, nihilominus uno albo abstracto, aliud album disgregaret ; ergo a simili in proposito. Et sic essentia communis eadem tribus personis una persona per impossibile circumscripta, nihilominus esset productio ab alia.

Ad primum dicitur, quod licet essentia divina ab æterno fuerit causa exemplaris lapidis in *esse* intelligibili, tamen aliquo ordine prioritatis fuerunt personæ prius productæ, quam lapis in isto *esse*. Et cum dicis, in essentia non est prius, nec posterius, verum est in ea ; tamen est ordo originis ut compara- 5. Ad argumentum pro altera parte num. 4. positum.

tur ad personas intrinsecas, et ad intra productas, et ut comparatur ad quodcumque ad extra productum, quia quodcumque aliud a Deo productum in quocumque *esse*, etsi sit æternum, tamen dependet a personis prius origine productis, quam aliquid producitur.

Lapis ab æterno si esset, an esset necesse esse. Contra, æternum ut sic, est formaliter necesse esse : sed necesse esse ut tale, non dependet; ergo nec essentia in *esse* intelligibili ab aliquo dependet. Probatio antecedentis : omne *esse* in quocumque genere erit formaliter necessarium vel possibile; sed lapis in tali *esse* non est possibile, quia tale habet prius *non esse*, quam, *esse* quia habet de se *non esse*, et unumquodque prius habet quod in se habet, quam quod habet ex alio ; ergo est necesse. Hæc est demonstratio probans quod creaturæ non potuerunt esse ab æterno.

6. Ad secundum dicitur, quod essentia divina non est nata perfecte subsistere, nisi in personis divinis et suppositis suæ naturæ. Et cum dicis, est prius personis productis, verum est, prioritate originis et non prioritate simplicitatis, quia hæc prioritas non est prioritas simpliciter : et ideo non prohibet eamdem esse necessitatem omnibus personis et ipsi essentiæ, licet necessitas intelligatur prius origine in essentia quam in personis.

Ad primum dicitur, quod posito tali casu sequitur aliud impossibile, scilicet quod nullum verum est ita necessarium, quin posito aliquo casu destruatur.

Contra, omne quod est in Patre est a se, et necesse esse : intelligere lapidem est in Patre: ergo est necesse : sed omne tale est prius aliquo modo illo, quod est ab alio ; ergo personæ productæ ab alio erunt posterius lapide in *esse* intelligibili, quod est contra responsionem ad primum argumentum.

Contra responsionem ad tertium argumentum, quando aliquid est commune aliquibus, et prius est illis quibus est commune, et omne commune est prius distinctis, quæ consequuntur illud commune ; talis est essentia divina ; ergo, etc. 7.

Ad argumentum statim positum. Ad primum : cum dicitur, omne *esse a se* præcedit *esse ab alio*, dico quod sunt quatuor termini, quidquid est a se prius omni eo, quod est ab alio; *esse* intelligibile est a se, hæc est falsa, quia tale *esse* est ab alio etiam causaliter.

Cum probas, *intelligere* Patris est a se, verum est, quod *intelligere* Patris intrinsecum non connotando extrinsecum est a se, hæc est forma argumenti.

Ad rationem dico, quod Pater habet a se *intelligere* lapidis, sed ordo naturæ est prius sine contradictione esse sine posteriori, et hoc ex ratione prioris, licet sit contradictio ex parte posteriorum. Istud patet 5. *Metaph. cap. de Priori* : sed ordo originis est esse aliquid ab alio, et isto ordine non potest esse prius sine posteriori sine contradictione, quia in priori potest esse completus totus ordo originis, et prius et posterius origine possunt esse in eodem signo naturæ, comparando intellectum divinum, et voluntatem divinam respectu objecti extrinseci, et prius natura. De hoc 2. d. 1. q. 1. a n. 13. An prius origine possit esse sine posteriori.

Unde una persona est et alia complete in uno scilicet instanti 8.

naturæ: quando comparatur intellectus et voluntas ad unum objectum, in primo signo naturæ intellectus habet objectum adæquatum præsens memoriæ, et in illo signo potest producere productum sibi adæquatum; hoc autem est persona Filii infinita, quia adæquata potentiæ producentis infinitæ, et in illo primo signo naturæ communicatur natura et voluntas, quæ in duobus est principium sufficiens productivum amoris infiniti, scilicet Spiritus sancti; et ideo nihil aliud, præter essentiam et intelligibile, nisi tres personæ in illo primo instanti naturæ essent productæ. Hac origine posita per intellectum, in primo instanti naturæ, comparatur intellectus et voluntas ad alia in secundo instanti naturæ, in quo est idem ordo originis in personis, qui fuit prius in primo instanti naturæ, quia in illo secundo instanti naturæ Pater habet a se intellectionem lapidis, et Filius a Patre, et Spiritus sanctus ab utroque; tunc quidquid est in Patre est a se, comparando ad intrinseca, non tamen in primo instanti naturæ est prius, quam quod est ab alio in eodem instanti naturæ, et ideo prius Pater intelligit essentiam quam Filius.

Non omne quod est a se, prius est omni quod est ab alio.

9. Unde primus ordo, scilicet originis est in primo signo naturæ, et ideo si nihil aliud esset intelligibile, nisi intrinsecum Deo, nulla perfectio tolleretur a personis: non autem intelligentia Patris producit aliquid in Filio, quæ producit intrinseca in tali *esse*, sed producit in Filio essentiam, qua Filius habet posse intelligere, et ideo concomitatur intellectionem eorum, quæ dicuntur per intelligentiam. Similiter in instanti naturæ producitur lapis in *esse* intelligibili a memoria paterna, ut est in memoria, quia nihil habet in memoria, nisi essentiam et essentialia, sed tantum est in intelligentia. Si enim lapis in tali *esse* esset a memoria, cum a memoria sit actus intelligendi secundus, sequitur quod intellectus divinus vilesceret, quia reduceretur ad actum aliquem per alia a se: unde non est res in *esse* intelligibili prius, quam in *esse* intellecto in tali *esse* sit a memoria, cum memoria sit actus, cujus virtute habetur actus intelligendi secundus, et sequitur quod intellectus divinus producit per actum intelligentiæ in omnibus personis in secundo instanti naturæ, ut potentia propinqua, lapidem in *esse* intelligibili.

Creaturæ an in memoria Dei, vel in intelligentia.

SCHOLIUM.

Contra resolutionem personas prius produci, quam creaturas in *esse* intelligibili, adducit quinque rationes, quas variis solutionibus et replicis amplificat, nihil intactum relinquens quod humano ingenio (ut videtur) indagari potuit. Rationes earumque solutiones, etsi satis claræ non sint, declarare non aggredior, quia adeo profundæ sunt, ut paucis parum proficerem, neque fusius agere, institutum permittit, non enim commentatorem ago.

Contra, non tantum essentia Patris continet virtualiter cujuslibet essentiæ perfectionem, sed etiam perfectiones attributales omnes, quia essentia ut in Patre in primo signo originis, est abyssus omnium perfectionum divinarum; sed prius absque contradictione 10.

potest esse sine posteriori; ergo, etc.

Item, prius natura est essentia ipsis rationibus attributalibus; ergo in primo instanti naturæ, qua completur totus ordo originis, non communicatur essentia Filio ut abyssus omnium, et tunc nulla perfectio attributalis communicaretur Filio a Patre.

Item, quod Anselmus de concord. dicit, quod in divinis non est prioritas.

Item, intellectio lapidis, quod habet *esse* a Deo in primo instanti naturæ, probatio : quia per Hilarium, *omne quod est in Filio est natum, vel habet nasci*; ergo cum Filius producitur per modum intelligendi, et ut Verbum, omne quod intelligitur, prius intelligitur simplici intelligentia saltem; ergo prius intelliguntur ideæ, et rationes omnium factibilium.

Pulcherrime rationes.

Item, quando potentia adæquatur objecto, secundum id quo adæquatur, neutrum præcedit aliud; ergo si in primo instanti, quo intellectus intelligit essentiam, est infinitæ intelligibilitatis, essentia repræsentabit infinita, quia est infinitæ intelligibilitatis, et ita repræsentabit omnia factibilia, et primo non fabricabit alias rationes, quia quanta intellectus potest intelligere, tanta objectum potest repræsentare in primo instanti.

11. Ad argum. Ad primum, cum dicitur quod essentiam esse intelligibilem, lapide non existente intelligibili, includit contradictionem a parte essentiæ; ergo, etc. potest concedi consequens, vel negari consequentia : nam posterius natura est dependens, sed identice idem alii non dependet ab eo, lapis in *esse* intelligibili dependet, non autem aliquid idem essentiæ divinæ.

Ad secundum dico, quod Anselmus loquitur de primitate naturæ. Unde ponit exemplum, quod materia est prior forma, quia in potentia et est perfectibilis, et movetur ad actum : non autem est sic ibi primitas præcedens aliquid per mutationem ad actum, sicut loquitur Aristoteles de illa, secundum quod prioritas, quæ sine contradictione esset sine posteriori; illa est prioritas ad secundum, aliter non esset secundum objectum secundum illud, cum in tota intelligibilitate dependet a primo, primum in nullo dependet ab isto. Ad aliud dico, quod Filius non nascitur per *intelligere*, sed per *dicere*, quod est exprimere de notitia habituali perfecta illius, quod habetur actu primo, quia *exprimere* est memoriæ, non intelligentiæ, actu intelligendi non producit Verbum, sed actu dicendi, qui præsuppponit cognoscibile, scilicet essentiam.

Contra, nihil concipit Pater nisi cognitum. Respondeo, quod si caperetur *concipere* pro *parere*, sic est falsum, quia si sic, nihil conciperet, nisi cognitum; sic Pater prius intelligeret Verbum, quam conciperet Verbum, et si nosceret lapidem prius, de notitia lapidis produceret Verbum, quia essentia æque repræsentaret Verbum. Unde Verbum concipitur non de cognito verbo, nec de lapide, nec de essentia ut cognita, sic a Patre. 12.

Contra, si Pater non conciperet essentiam, non conciperet essen-

tiam Verbo. Prius enim est sic notitia, qua intelligit essentiam quam notitia expressiva, quæ concipit aliquid de essentia : non enim conciperet essentiam, ut communicando eam concepto, nisi prius intelligeret essentiam simplici notitia; ergo cum communicat Filio omnia intelligibilia, et rationes omnium factibilium, pars ea intelligit; ergo cum communicat intellectionem omnium, prius omnia intelligit.

13. Si per impossibile, Pater non intelligeret essentiam produceret Filium. Vide 1. d. 2. q. 7. n. 22.

Respondeo, prioritas quæ est Patris, intelligendo essentiam, ad ipsum Patrem in producendo Filium, scilicet intellectus actualis essentiæ, non est ratio principii productivi, sed in proposito non est principium. Tunc dico, quod in essentia tantum est ratio formalis respectu productionis : si per impossibile Pater prius non intelligeret, nihilominus produceret Filium, sed quod est principium operandi, sive habendi actum in se, et principium producendi, prius est principium operandi quam producendi : essentia autem est primum objectum Patris perficiens Patrem in operando et producendo et primo perficit Patrem in operando quam in producendo; non tamen ista est ratio producendi, sed Pater habet essentiam præsentem memoriæ, et communicat eam Filio, quæ ut in Filio est ratio ita perfecte repræsentandi Filio, sicut Patri lapidem in quocumque *esse*, et alia quæ non sunt perficientia, sed quando aliquid potest esse principium producendi univoce et alia æquivoce, prius producit se in simili univoce, quam alia æquivoce; alia producta extrinsece sunt æquivoce producta, quia sunt alia essentialiter a Deo ; ideo non prius pater novit alia a se, quam producit sibi simile in natura univoce, cui communicat virtutem producendi omnia alia æquivoce, et ideo principium in operando; sed quæ æquivoce exprimuntur ab illo principio, ideo non præcedunt illam productionem, quia Pater producit univoce.

Contra, sicut in Patre est essentia primum objectum, idealia secundum, ita in Filio, sed licet secundaria objecta non sint perfectiva Patris, tamen essentia vere, et actualiter et perfectissime continet illa; igitur essentia, ut primum objectum non perfectissime intelligitur, nisi illa intelligantur. 14.

An essentia perfecte intelligi possit non intellectis idealibus.

Item, idealia secundum *esse* ideabile sunt æterna; ergo primo intellectu, et sic perficiunt intellectum divinum Patris.

Item, contra dicta in priori, ante productionem Filii, quando Pater intelligit essentiam, essentia est ratio repræsentandi et exprimendi se, non ante gignitionem Verbi; ergo cum gignit Pater, alia intelligit quæ non ante; ergo Pater aliquid acquirit per gignitionem.

Item, ex dictis erunt plura verba in divinis, quia essentia divina prius communicat se sub ratione univoca, quam æquivoca : sed essentia ut in Patre est ratio communicandi se, et ita producendi Verbum; ergo a simili in Filio erit ratio communicandi se et producendi Verbum, et similiter in Spiritu sancto, et sic multa verba.

de hoc 1. d. 2. q. 7. a n. 21.

Item, voluntas antequam communicatur Filio, non est princi- 15.

Quare sa-

pientia non est productiva sicut essentia.

pium proximum productionis Spiritus sancti : ut autem communicatur Filio, est principium productivum; ergo si sola sit principium productivum, et operandi et producendi, scilicet Filium cum intellectu, et non rationes attributales, ut sapientia, bonitas : illæ rationes attributales in Filio erunt rationes producendi aliam personam, scilicet sapientiam existentem. Hîc dicitur, quod sapientia non est principium productivum sicut essentia.

Contra, quod sit activum non sicut potentia, sed sicut objectum; ergo vel erit principium producendi, sive communicandi sapientiam in Filio, vel habebit Filius sapientiam per generationem æquivocam, vel per alterationem sequentem.

Item, *intelligere* Patris respectu essentiæ, et respectu lapidis non differunt essentialiter, quia sunt unus et idem actus.

Ad primum dicitur, quod objectum communicari præsupponit ipsum cognosci, quia cognitum est principium perfectivum intellectus, non quod est ratio producendi; sic autem objectum secundarium non est perfectivum intellectus.

Ad probationem, dico quod in primo instanti tres personæ cognoscunt essentiam, non aliud.

Cum dicis non æque perfecte.

16. Dico quod non cognoscuntur alia, nisi quia tantum sunt in primo objecto, et prius perfecte cognoscunt intensive primum objectum, licet nihil aliud cognoscatur ab eo. Exemplum, principium in cognitione definitiva est ex terminis, licet nunquam aliqua conclusio cognoscatur ex cognitione definitiva extremorum, tamen cognitio ejus virtualiter continet cognitionem omnium conclusionum, et extensive quasi in potentia; sed noscere principium definitive, quod virtualiter continet conclusiones, est noscere principium tantum et non conclusiones, nisi potentialiter, quia potest esse causa earum, sicut lapis cognitus in essentia Dei virtualiter est cognitio Dei tantum, et essentiæ et non lapidis, nisi potentialiter, et ita potest haberi perfectissima ratio essentiæ, et cognitio intensive, etsi nunquam lapis cognosceretur : sic igitur Deus in primo instanti naturæ cognoscitur, lapis in secundo.

Contra, objectum primum fuit perfectissime cognitum; ergo; etc.

Responsio, verum est intensive, lapis non habet *esse* perfectissime cogniti.

Ad aliud dico, quod quando est aliqua causa effectuum ordinatorum, et neuter effectuum producit alium, prius causa producit unum effectum quam alium, sed tunc causa non est potentia proxima et propinqua applicabilis ad actum secundum, nisi ut subest actui priori ut anima ad *velle* et *intelligere*; non tamen habet causalitatem per actum secundum, nec ab effectu posteriori essentia est principium communicandi se univoce personis divinis, et est principium communicandi se æquivoce creaturis, quas habet in se virtualiter; illæ communicationes sunt ordinatæ repectu ejusdem principii, et non

Causa effectuum ordinatorum, non potest in primum ante secundum.

existit in actu respectu posterioris, nisi prius sit sub priori ; non tamen acquiritur sibi causalitas per illud, sed quasi tollitur impedimentum, non tamen datur actualitas alia in essentia. Unde non potest causare lapidem in *esse* intelligibili, nisi producto Filio, et producto Filio potest, non quia hoc accipit ab eo, sed producto Filio tollitur impedimentum, scilicet potentia propinqua ad productionem.

COLLATIO XXXII.

Utrum ad intellectionem, qua Deus intelligit lapidem et asinum, præexigantur respectus diversi et rationes diversæ?

Alens. 1. *p. q.* 23. *m.* 4. D. Thom. 1. *p. q.* 14. *art.* 6. et *q.* 15. *per totum.* D. Bon. 1. *d.* 33. *art.* 1 *d.* 1. Rich. *d.* 16. *art* 2. *q.* 2. Henr. *quodlib. q* 3. Scot. 1. *d.* 35 *q.* 1. et alii ibi.

1. Quod sic; quia idem manens idem omnino, non potest esse ratio cognoscendi diversa, quia tunc eodem modo se haberet ad idem, et diversa; sed essentia divina, ut primum objectum intellectus Dei, est unum scilicet essentia divina omnino, et eodem modo se habens ; ergo non est secundum se ratio cognoscendi distincta, ut distincta.

Contra, Dionysius *de Div. nom. cap.* 2. Deus per speciem omnia contemplans, vel sub una esse circumstantia omnia contemplans ; ergo per unam præsuppositam omnia cognoscit.

Item, quod posterius est in essendo est posterius in cognoscendo; sed iste respectus est posterius in essendo, subjecto, quia sequitur extrema; ergo est posterius in *esse* cognito; ergo non est ratio cognoscendi prius.

Ad quæstionem dicitur, quod respectus rationis præcedit in essentia determinans ipsam in cognoscendo illud, cujus est respectus. Et hoc probatur ratione sic, universaliter est verum tam in agente naturali quam in artificiali, quod agens agit distincta per distinctas rationes. Hoc idem dicit Commentator *de Div. nom. cap.* 6.

Ad primum argumentum in oppositum dicitur, quod Deus est omnia contemplans per unam causam realem, scilicet essentiam, sed diversam secundum rationem, quia determinatur secundum diversos respectus. 2.

Ad secundum argumentum dicitur, quod minor est falsa de respectu rationis, 'quia ille non sequitur extrema, nec terminos, quia in *esse* cognito est prius suo objecto.

Contra, si aliquod cadit medium inter potentiam cognoscendi et ipsum objectum, prius fertur potentia per actum suum cognoscendi super illud quod præsentatur per illud medium quam super illud objectum : si igitur respectus rei præcedit suum objectum in *esse* cognito, quæro per quid cognoscit respectus illos; si per se, ergo eadem ratione prius intelligit ista, quorum sunt respectus isti. Si per alios respectus, erit quæstio de illis respectibus quomodo cognoscat; ergo erit processus ininfinitum; vel oportet dicere, quod essentia divina sine aliquo respectu prout est illimitata ex se ad homi-

nem et asinum indistincte, sit ratio cognoscendi ista.

Item, quod causatur per actum rationis non est aliquid reale; sed iste respectus causatur per actum rationis; igitur isti respectus, qui dicuntur determinare intellectum divinum, vel objectum ad cognoscendum diversa, quæ non sunt nisi respectus rationis, non possunt esse ratio producendi aliud reale, sed *intelligere* Dei respectu distinctorum est actus realis; ergo non causatur ab istis respectibus rationis, quia magis debet ens esse causa, vel illud quod habet rationem causæ quam effectus, vel illud, quod habet rationem effectus.

3. Item, omnis relatio sequitur suum fundamentum; fundamentum vel ratio fundandi sequitur rem, quæ dicitur fundamentum; ergo si relatio sequitur ipsam rem in qua fundatur; ergo isti respectus rationis non sunt ratio cognoscendi istas distinctas res, ut hominem et asinum.

Ad primum dicitur, quod major est falsa, quando utrumque, scilicet tam potentia quam objectum est indeterminatum : sic est in proposito, quia essentia de se est illimitata ad cognitionem illius vel illius, et determinatur per relationem rationis.

Contra, infinitum non determinatur nisi per infinitum; istæ rationes non sunt infinitæ; ergo non determinant essentiam.

Quod una ratio essentiæ repræsentet infinita.

Contra ista simul et, contra positionem; si medium limitatum ad *A* potest esse ratio distincte cognoscendi *A*, et medium limitatum ad *A*, *B*, *C*, potest esse medium cognoscendi *A*, *B*, *C*, sine determinatione aliqua ex se potest esse medium cognoscendi *A*, *B*, *C*; ergo et medium infinitum ex se potest se solo, sine alia determinatione ex parte sui, esse ratio cognoscendi infinita; talis est essentia divina; ergo. Probatio consequentiæ medio illimitato per hoc, quod ponitur illimitatum ad *A*, et *B*, nihil tollitur ab eo quod est perfectionis, medio limitato tantum ad *A*, si additur sibi perfectio, inquantum est illimitatum ad *A*, et *B*. Probatio aliter, species albi est medium distincte cognoscendi album, et si sibi esset concreata species odorum, posset simul esse ratio illimitata cognoscendi album distincte et odorabile, et hoc simul est probatio consequentiæ et antecedentis. De hoc d. 15. r

Item, essentia divina, ut est sub relatione rationis comparata per intellectum ad lapidem; aut est finita, aut infinita : si finita sine aliqua determinatione, vel relatione, vel ratione determinante ex parte sui est determinata, et similiter illa relatio est mutabilis, et non essentia divina, quia ipsa est de se formaliter infinita. Si autem infinita, cum respectus hominis non sit talis, nihil facit ad intellectionem cujuscumque. 4.

Item, quod alia sit relatio repræsentativa, vel ratio intelligendi aliquod objectum, et quod intellectus non potest in tale objectum de se, hoc est dicere simul contradictoria, sive conclusio sit vera, sive falsa, non curo. Istam vultis inferre ponendo essentiam esse rationem repræsentandi intellectui divino omnia intelligibilia, et

tamen quod non possit in ea intellectus divinus ferri sine talibus relationibus rationis.

Ad primum de medio limitato et illimitato, dico quod nec medium, nec limitatum, nec illimitatum est ratio cognoscendi alia, inquantum secundum suam rationem absolutam considerantur; sed inquantum tale medium est, vel relatio, vel determinatum per relationes, potest esse ratio repræsentandi diversa ; et ita essentia divina, inquantum secundum se absolute consideratur, non est ratio cognoscendi aliud, quia impossibile est aliquid repræsentare aliud, nisi ipsum sit similitudo alterius, vel includens ejus similitudinem ; et isto modo conceditur consequentiam esse bonam, sed antecedens est falsum secundum se sumptum absolute, et sine respectu.

5. Contra illud : si nihil est ratio distincte cognoscendi nisi per relationem divinam; ergo essentia divina non erit ratio cognoscendi se sine respectu; igitur et in visione essentia repræsentat se intellectui Patris, vel alicujus alterius personæ mediante relatione ; sed non mediante relatione rationis, quia ista relatio præcedit omnem actum intellectus, et est ratio intelligendi, sed mediante relatione reali; ergo in una persona intelligente essentiam erunt duæ relationes reales, hoc est falsum.

Item, si relatio similitudinis determinat essentiam, cum qualitas in oculo ut albedo, dicatur similitudo alterius albedinis, non quia est relatio, sed quia qualitas absoluta, ipsa de se erit secundum rationem ejus absolutam, ratio repræsentandi aliud, nec ista relatio similitudinis communicatur cum ista qualitate, nec sic est ratio repræsentandi aliquid. Primo, quia non est major unitas in effectu, quam sit unitas in causa; ergo actionis per se unius est tantum una causa per se; sed relatio rationis cum essentia divina, vel quacumque essentia absoluta, non est per se aliquid unum ; ergo non sunt ratio unius intellectionis : ergo vel est essentia divina, vel relatio tantum : sed non potest esse relatio tantum, quia relatio non est causa actus realis, sicut intellectionis : relatio etiam nec est principium, nec terminus alicujus actionis absolutæ. Minor patet, quia non est per se unum cum alio, quia non habet *esse* ex eisdem principiis, si sit principiatum; vel si non sit principiatum, adhuc erit illud, quo erit unum principium ; sed iste respectus rationis non est ex principiis rei, ut essentiæ, quia tunc esset relatio rationis; vel si secundum tenetur, saltem essentia divina est ut principiata, relatio autem omnis, quæ tantum est rationis, causatur per intellectum.

Non est major unitas in effectu quam in causa, non sumitur ut certum.

Relatio rationis non facit per se unum cum ullo reali.

Ad primum istorum dicitur, quod essentia intellecta a Patre, non requirit se ex parte intelligibilitatis ut rationem intelligendi; sed ipsa intelligitur ab intellectu, ut objectum ejus, primo primum, et non ut secundarium. Unde quia superius dicitur, quod impossibile est aliquid repræsentare aliud, nisi sit similitudo ejus, vel includens similitudinem ejus, vel relationem rationis, hoc intelligebatur de objecto secun- 6.

dario quocumque, sed non de primo. Unde impossibile est essentiam divinam, ut secundarium objectum repræsentare aliqua distincta, nisi per relationes rationis distinctas determinatur ab intellectu.

Repræsentans excellentius per se, repræsentat minus excellens, et quando?

Contra, si aliquid ex se solo sine alia relatione rationis potest esse ratio cognoscendi objectum excellentius, licet nihil repræsentet illud, ut similitudo ejus; illud potest ex se esse ratio sufficiens cognoscendi quodcumque aliud inferius, sine omni respectu, quando inferius includitur in suo superiori secundum totam intelligibilitatem sui; sed essentia divina se sola est ratio cognoscendi seipsam sine omni respectu secundum te, et includit eminenter intelligibilitatem cujuscumque objecti secundarii; ergo se sola sine omni respectu potest esse medium cognoscendi omnia alia.

7. Ratio quare requiruntur ideæ, ad intelligenda objecta secundaria, non ad essentiam.

Respondeo quando objectum, est extra intellectum et non est ipsum, requiritur similitudo objecti in intelligente objectum, quando autem objectum est præsens, non requiritur: sic est in proposito de objecto primo et secundo, quod essentia ut primum objectum, semper est ex se ratio cognoscendi se; ut autem repræsentat alia quæ non sunt ipsa, determinatur similitudinibus ipsorum.

Tunc ad formam argumenti, dico quod prima consequentia vera est cæteris existentibus æqualibus; sed quia objecta extrinseca, ut secundaria, non sunt per se principia, ideo requiruntur eorum similitudines; objectum autem primum, ex quo est præsens semper intellectui paterno, ex se solo est ratio cognoscendi intrinseca, et se.

Contra, si intellectus præcise, ut præcedit intellectionem objecti determinantis actum intellectus, ex hoc solummodo quod potentia est, nihil requirit circa objectum eminentius, multo magis nec requirit aliquid circa quodcumque aliud objectum inferius; ergo si essentia non solum habet rationem terminantis actum potentiæ, sed etiam rationem principii principiativi, habetur propositum. Probatio consequentiæ; quæcumque potentia se sola est principium sufficiens eliciendi actum, et potest habere actum circa objec um eminentissimum, potest circa quodcumque inferius objectum.

Dicitur quod verum est, aliis existentibus æqualibus, videlicet quando utrumque intellectui æqualiter est præsens, quæ autem sunt principia secundum se, non requirunt similitudinem, sicut de aliis extrinsecis.

Contra, potentia, quæ non habet suum objectum præsens, et potest per actum suum facere suum objectum præsens, potest se sola elicere actum. Exemplum, si calor potest se solo facere objectum sibi præsens per actum suum, potest se solo elicere actum calefactionis; sed si intellectus divinus ex se solo facit omnia objecta præsentia; ergo se solo intelligit; ergo sine talibus respectibus.

Ess... divi... ide... po...

Item, essentia divina sub ista relatione, aut est finita, aut infinita: si finita; igitur est imitans, et non imitabilis, quod falsum est. Si infinita, tunc non est magis propria

uni ad repræsentandum unum quam aliud.

Dico quod nec sub ratione finita, nec infinita, est ratio repræsentandi sic asinum, sed ut determinata respectu intellectus accipitur sub ratione finita.

Contra, illud, cujus est intellectus non intelligitur, quod est impossibile, quia intellectus comparat aliquid, ut essentiam ad aliud sub alia ratione, sub qua intelligit eam; sed si intellectus non comparat essentiam ad aliud, nisi ut in se intellecta; ergo intellectus potest ex se utrumque extremum distincte cognoscere.

entia ut ita non imitabilis. Item, si non ut infinita est ratio repræsentandi; ergo non ut imitabilis est ratio repræsentandi, quod falsum est, quia non est imitabilis inquantum finita, et si ut infinita erit de se ratio omnium repræsentativa.

9. Item, illi respectus rationis repræsentantes essentiam, intelligibiles sunt ut objecta, quæro per quid intelliguntur: si per essentiam; ergo propositum, quod essentia de se sine aliqua relatione est ratio cognoscendi alia; si per alias relationes, quæro de aliis rationibus, ex quo sunt intelligibiles per quid cognoscuntur? si per essentiam, sicut prius; si per alias, processus in infinitum. Nec potest dici, quod sunt cognoscibiles per se ipsas, quia quodcumque objectum intelligibile etiam minimum, natum est formare in intellectu conceptum suum, sicut in passo approximato, sed si intellectus divinus intelligit infinitas relationes per se, vilesceret, quia pateretur, vel reciperet aliquam perfectionem formaliter ab aliquo, quod formaliter non est Deus. — Deus intelligeret ...s extra — per ipsas, vilesceret.

Dicitur, quod intelligit ut objecta non moventia intellectum, sed intellectus de se movet se ad intelligendum talia intelligibilia, sive cognoscibilia.

Contra, aut intellectus se solo movet se ad intelligendum istas relationes diversas, aut essentia sola, aut istæ relationes solæ movent. Si istæ relationes solæ movent, vel etiam partialiter, vilesceret intellectus divinus: si essentia sola, habeo propositum: si intellectus solus, ergo se solo est ratio cognoscendi distincta, quod est prius negatum.

Item, intellectio lapidis est perfectio simpliciter, et per consequens infinita; sed relatio rationis, qua per te essentia determinatur, est finita et ens minutum, 6. *Metaph.* ergo non potest esse ratio cognitionis alterius infiniti.

SCHOLIUM.

In hac collatione statim post initium ponit opinionem dicentium Deum nihil ad extra cognoscere posse nisi per respectus superadditos essentiæ suæ, seu ideas, contra quam disputat, sed usque ad finem, omnibus objectionibus, et replicis mirabili subtilitate respondet. Ejus resolutio, tales respectus minime admittendos in Deo, ut cognoscat per eas creaturas: et probat 2. d. 35. n. 5. tribus rationibus claris et efficacibus, et aliis rationibus specialibus contra D. Thom. ibi a n. 7. et ponit descriptionem ideæ, n. 12. quod *sit ipsa creatura, ut a Deo cognita*, et sic n. 13. intelligendum vult Augustinum dicentem *neminem esse posse sapientem nisi cognitis ideis*, quia Deus non esset extensive infinite sapiens, si non cognosceret creaturas. Vide eum d. 38. n. 2. et 5. et d. 39. n. 7. ubi probat contra D. Bonaventuram existentias, vel

eorum conditiones non posse sciri per ideas, quia æque repræsentant possibilia, futura et præsentia; videndus etiam 2. d. 1. q. 1. n. 12. ubi tria absurda refert ex ideis practicis, si in Deo ponantur ante productionem ad intra. Doctores alterius partis, si viderent quæ subtilitas Scoti hîc pro eis adinvenit, mirum in modum in sua confirmarentur sententia.

COLLATIO XXXIII.

Utrum intelligi *lapidis a Deo necessario concomitetur in lapide aliquod* esse *reale extra intellectum divinum.*

Alens. 1. p. p. 23. *m.* 4. *art.* D Bonav. *q.* 1. d. 36. *art.* 1. *q.* Rich. 1. *q.* 4 Henric. *quodlib.* 8. *q.* 9. *et sum. art.* 2. *q.* 23. 25. Vasquez 1. *p. d.* 70. Scotus 1. *d.* 36.

1. Quod sic ; omni exemplari in actu correspondet exemplatum in actu ; sed Deus est causa exemplaris lapidis, et hoc in actu ; tale est reale ; ergo. Minor patet de se. Major probatur per hoc, quod relativum requirit correlativum in actu, exemplar refertur ad exemplatum ; ergo exemplar in actu ad exemplatum in actu.

Arguit creaturas habuisse *esse* reale ab æterno.

Item, scientia non dicitur realis, nisi sit objecti realis ; scientia Dei respectu creaturarum est maxime realis, quia maxime Metaphysica, ergo objectum scitum ab ipso est ens reale, quia quale est ens, tale est *esse* ; nec potest dici, quod illud *esse* non est aliud ab *esse* divino, quia Deus cognoscit ea in proprio genere, et sic habet scientiam de illis, ut sunt aliud a se ; ergo habent *esse* reale aliud ab *esse* divino.

Contra, terminus *a quo* creationis est omnino non ens : sed si lapis ante productionem habuit aliquod *esse* reale, non fuit omnino non ens ; ergo non potuit produci per creationem, quod est inconveniens.

Item, per auctorem August. 5. super Gen. loquitur de electis : *Illos ab æterno Deus apud se habuit, non in sui natura qua nondum erant, sed in sui præsentia qua illos novit, ac si essent.*

Dicitur, quod non ; quia si lapis intellectus sit res, aut accidens, aut substantia : non substantia, quia cum illius sit propria ratio subsistere, sequitur quod subsistentia ejus fuisset ab æterno, et per consequens nihil posset Deus facere de novo ; si accidens, cum accidentis sit in esse subsistenti, sequitur quod prius; ergo nullo modo præcessit creationem, ut res alia. 2. Opini

Item, si sic, aut habet *esse* creatum, aut increatum : non increatum, quia tunc esset Deus : si creatum ; ergo totum secundum se novum.

Item, August. ad Volusianum, *tota ratio facti est potentia facientis in rebus mirabiliter factis;* ergo nihil præfuit ejus quod producitur.

Ad primum dico, quod causæ in actu, correspondet effectus in actu; verum est in actu intellecto, sed non in actu reali, realitate propria causati. Ad arg mentum initi

Ad secundum dicitur, quod scientiæ reali correspondet objectum reale intellectum, non reale sub proprio actu, et in proprio genere, et hoc sufficit ad scientiam realem.

Contra positionem quæstionis arguitur sic : substantia dicitur de quidditate substantiæ, quæ est natura, et de prima substantia, etiam secundum perfectiorem rationem realem ; et accidens Contra tionem nionis

dicitur de quidditate accidentis, et ipso ut subsistit in subjecto; ergo negare simpliciter in communi aliquo, per defectum alicujus infimi, et postremi in genere illo, est facere fallaciam consequentis.

3. Item, ratio quidditatis est naturaliter prior ratione suppositi et primæ substantiæ: ergo non oportet ad negationem posteriorum, sequi negationem prioris essentialiter, et hoc ita concludit de substantia et accidente, et de ratione eorum quidditativa et de ratione suppositi.

Item, licet inconveniens sit aliquid simul esse creatum et increatum secundum aliquod *esse*, tamen secundum aliud et aliud *esse* non; sicut secundum *esse* in intellectu divino est increatum, et secundum *esse* extra est creatum. Et tunc arguo; exemplatum terminat actum exemplaris, secundum illud *esse* quod est producibile ab exemplari, sed lapis est producibilis ab exemplari ab æterno, et hoc est in *esse* reali; ergo ab æterno terminabit actum exemplaris secundum illud *esse*; ergo.

Iterum urget esse diminutum ab æterno esse aliquid reale.

Item, si scientia realis est objecti realis; ergo de objecto non reali non est scientia realis; sed Deus ab æterno intellexit lapidem; ergo si non fuisset lapis in aliquo *esse* reali, non habuisset Deus de eo scientiam realem, quod est inconveniens.

Item: non tantum intellexit se, sed alia a se ab æterno, sicut et modo intelligit: sed alia a se non intelligit ut sunt in se, quia sic sunt idem quod ipse; ergo ab æterno intellexit alia a se extra se.

Item, scitum a Deo refertur ad Deum, sicut mensuratum ad mensuram; sed relatio mensurati ad mensuram est realis ex parte mensurati maxime; ergo scitum quod sic refertur, est res.

Item 7. *Metaphys.* causæ in actu correspondet effectus in actu secundum idem genus causæ.

Ad primum dicitur, quod hæc non est formalis consequentia, substantia; ergo subsistentia; tamen hæc est bona consequentia, substantia est realiter extra animam; ergo subsistit, quia nunquam secundum rem separantur; ideo si quidditas ab æterno fuisset realiter, tamen nunquam realiter esset, nisi in subsistente concomitante substantiam realiter ab æterno. 4.

Arguit fortiter esse diminutum non *esse* reale.

Contra, dicit adversarius, non est probatum, quin quidditas posset esse exemplatum, et sic posset habere *esse* reale sine particulari quidditate. Ideo ponitur alia ratio fundamentalis talis: omnis entitas quæ non est Deus, habet entitatem a Deo, et prius nihil erat; ergo est productum; quidditas non habet *esse* a se; ergo a Deo, et non de aliqua materia; ergo de nihilo, et sic creatur, et ita creatio est prima productio.

Item, creatio non est nisi respectu *esse existere*, sed ab æterno habuit *esse* quidditativum, et essentiæ ad quæ non terminatur creatio, scilicet *esse* intelligibile, et est productio rei in *esse* intelligibili; ergo creatio non est prima productio.

Item, ab æterno fuerunt in *esse* volito producto; ergo prius in *esse*

intelligibili; ergo creatio non est prima productio; infert ex ista qualiter sequitur lapidem habuisse ab æterno verum et reale *esse*, quia si lapis ex se non habet aliquod *esse*, cum lapis ex se in nullo *esse* habeat necesse esse; ergo in omni *esse* est productum et creatum; ergo est productum in *esse* intelligibili; ergo creatio non est prima productio. Unde si sit, cum sit ab æterno creatum in *esse* intelligibili, et omne creatum est productum in *esse* reali secundum te; ergo ab æterno habuit verum *esse* reale.

6. Contra istas rationes, quod essentia et *existere* non differunt secundum eos, et ideo si essentia sit ab æterno, sequitur quod creatio sit ab æterno:

Respondeo, licet alia opinio concedat contradictoria, tamen si debet argui contra eam, convenienter debet argui per aliquid prius maximum, quod posset concludere majus inconveniens quam quod ponitur, et non debet argui contra eam per illa quæ sequuntur ad illam, tanquam inferiora ad superius, vel per ea quæ continentur sub ea: sed quod creatio sit ab æterno, et ita existentia, non est magis inconveniens quam quod ponitur, quam etiam dicere existentiam secundum totam realitatem ejus præcedere ab æterno, nec quod non potest Deus annihilare aliquam rem, concederetur ab opinante, et ita per ista non sufficienter arguitur contra eum.

Quam refert Moyses in Genesi 1. c. Contra, tunc creatio Moysi nihil esset quam generatio, si aliquid præfuisset ab æterno, secundum aliquod *esse* reale.

Dicitur quod non, quia aliquid existens præcedit in generatione, ut materia realiter existens, vel aliquid hujusmodi in motu et mutatione præcedit *subsistere*, non tantum materia existens.

Contra, in Eucharistia, quando transubstantiatur panis in corpus, ibi convertitur essentia panis in essentiam corporis, alioquin totum non converteretur; ergo totaliter annihilatur essentia panis.

Dico quod transubstantiatio est substantiæ in actu, in substantiam in actu, quæ sunt termini illius mutationis non *esse* essentiæ, sed *esse* existentiæ, ita quod ante creationem mundi non potuit transubstantiare unum in aliud, ut panem in corpus, nec manent ibi duo *esse* proprie, quia est *esse* existentiæ in proposito, sed tantum istæ duæ essentiæ. 6.

Contra, Deus potest convertere quidditatem in quidditatem. An quidditas converti possit in quidditatem.

Respondeo quod non, quia utraque formaliter necessaria.

Contra, generatio est de *non esse* ad *esse*, ita quod aliquid sibi subsistat, tunc creatio est generatio.

Item, producens aliquid et cognoscens, cognoscit omne illud quod producitur, et *non esse*, et prius *non esse* quam *esse*; ergo omnino nihil præsupponit.

Ad primum dicitur sicut prius, quod generationi præsupponitur *esse* existentiæ, creationi autem tantum *esse* essentiæ.

Ad secundum, quod falsum est quod assumitur, Deus enim licet intelligendo produceret Filium, non tamen cognoscit *non esse* Filii;

falsum est ergo, quando per cognitionem aliquid producitur. Unde respectu illorum Deus non dicitur agens artificiale, sed producit illa ut natura, non ut cognoscens.

7. Argumentum urgentissimum contra ponentes essentias rerum ab æterno.

Contra primam responsionem, quæro de *esse* exemplari; aut *existere* est alia essentia ab essentia existentiæ, aut eadem essentia : si eadem ; ergo creata una, creatur altera, et si una ab æterno, et altera, si esse existere sit; vel alia essentia et aliud ab *esse* existentiæ, et quælibet res secundum istos ; sed *esse* essentiæ est ab æterno; ergo adhuc *esse* existentiæ secundum essentiam erit ab æterno ; et tunc ulterius erit quæstio quæ prior, de *existere* et essentia ejus, utrum sint eadem, vel non ut prius, et est processus in infinitum.

Ad primum, dicitur, quod actio secundi agentis præsupponit *esse existere* alicujus, et termini primi agentis, ut *existere*.

Contra, cognoscens producens aliquid, prius cognoscit illud.

Responsio falsum est quando illud per cognitionem producitur. Unde respectu istorum, Deus est naturalis artifex, et omnia producit ut natura, non ut cognoscens in *esse* essentiæ.

Contra, generatio est de non tali ad tale, id est, de *non esse existere*, ad *esse existere* ; ergo generatio est creatio.

Responsio, verum est, si *non existere* dicat privationem, quæ est in materia.

8. Quidditas an plus habet entitatis, quam materia.

Contra, quidditas magis habet intelligibilitatis, quam materia ; ergo magis habet actualitatis, quam materia ; ergo si materia prohibet creationem, magis quidditas.

Dicitur, quod *esse existere* et *esse* quidditativum, sunt *esse* alterius rationis, et ideo non comparabilia, et ideo non potest concludi, quod unum sit magis ens quam aliud, cum unum sit aliud per virtutem infinitam, quia potest vertere albedinem in Angelum. Unde uno modo quidditas est intelligibilior, et magis ens, quia prior aliquo modo. Aliter *esse* existens est magis ens et actualius, quia imitatur Deum secundum duplicem rationem causalitatis, exemplaris videlicet, et efficientis, ideo habet creationem quia talis entitas est in termino *ad quem*. Aliud est in termino *a quo*, et e converso.

Ad argumenta in oppositum dicitur, quod *esse* volitum lapidis ab æterno est *esse*, quod lapis habet modo, et omne creatum voluit ab æterno modo esse.

Ad aliud, quod *intelligi* lapidis non dicitur ab *intelligi* Dei, etc.

SCHOLIUM.

Disputat subtilissime hac collatione, an creaturæ habuerint *esse* aliquod reale ab æterno, ut tenet Henric. per rationes hic primo positas, dicens illud *esse* non esse a Deo efficiente, sed exemplante, cujus opinionem sequi volentibus, hîc ministrat Doctor miras solutiones et evasiones. Resolutio ejus habetur, 1. d. 36. ubi a n. 3. refutat Henricum. Primo, quia tollit creationem, quod urget 6. rationibus. Secundo, eadem hinc sequerentur absurda, ac si ponerentur creaturæ necessariæ existentes, de quo 1. d. 8. q. 5. n. 18. Tertio sequeretur Deum mutari, qui tamen immutabilis est, d. quæst 5. et d. 30. Quarto ideæ essent perfectiores ideatis, (est ad hominem) et ibi solvit rationes Henrici.

Ibidem, n. 10. docet *esse* creaturarum, ut terminat cognitionem Dei ab æterno, non esse reale, nec essentiæ, nec existentiæ, sed *esse* aliquod diminutum utriusque, ut explicat exemplo, illius *esse*, quod habet Cæsar mortuus in sua imagine, quod non est *esse* diminutum, quasi aliquid Cæsaris haberet talo, sicut Æthiops est albus secundum *quid*, sed est *esse* diminutum totius Cæsaris. Ex quibus patet Scotum, per *esse* diminutum non intelligere ens reale, nec medium inter reale et rationis, sed tantum rationis. Vide quæ de hoc habet 1. d. 3. q. 4. n. 18. et d. 39. n. 30. et 2. d. 1. q. 1. n. 14. et alias passim.

COLLATIO XXXIV.

Utrum relatio creaturæ ad Deum sit realiter ipsa essentia creaturæ, vel alia res ab essentia creaturæ.

Alens. 2. *part. q.* 6. *membr.* 2. D. Thom. 1. *p. q.* 45. *art.* 3. Henric. *quodlib.* 9. *q.* 3. D. Bonaven. 2. *d.* 1. *art.* 2. *q.* 3. Rich. *art.* 1. *q.* 4. Vasquez 1. *p. d.* 173. *c.* 3. Scot. 2. *d.* 1. *q.* 4.

1. Quod non; quia omnis relatio habet suam realitatem a fundamento, et est realitas fundamenti; sed essentia creaturæ est immediatum fundamentum relationis ejus ad Deum; ergo realitas ejus est realitas fundamenti. Probatio majoris, quasi realitas ejus sit alia realitas a realitate fundamenti; ergo ad eam posset esse mutatio realis, quod falsum est secundum Philos. 5. *Physic.* quia *in Ad aliquid* non est motus, neque ut termini, neque ut subjecti.

Item, non minus dependet essentia cujuscumque ad Deum, quam inhærentia accidentis ad subjectum; sed essentia accidentis est sua inhærentia; ergo et dependentia creaturæ ad Deum est sua essentia.

Contra, secundo de Trinit. dicit Augustinus *quod omnis relatio creaturæ ad Deum est accidens.*

Item, 5. de Trin. c. 5. omne, *quod non secundum substantiam dicitur, restat ut secundum accidens dicatur.*

Ad quæstionem dicitur, quod relatio creaturæ ad Deum realiter differt ab essentia creaturæ. Quod probatur per auctoritatem Beati Augustini lib. 7. de Trin. c. 7. et 2. *omnis essentia, quæ relative dicitur, est aliquid excepta relatione.* 2. Henr. quodl. 9. q. 3.

Et ibidem c. 3. *omnis essentia, quæ non est ad se, secundum accidens dicitur.*

Item per rationem sic : quandocumque aliqua duo sic se habent, quod unum potest manere quocumque casu posito possibili et non possibili, alio non manente, illud non est idem realiter cum eo; sed posito casu possibili vel non possibili, quod Deus non esset adhuc essentia creaturæ posset esse, sed independens, quia a quo dependet, ponitur non esse; ergo ejus essentia, et ejus dependentia non sunt eadem res.

Item, si lapis essentialiter dependet ad Deum, ergo includit duas formalitates; ergo et duas realitates, quia formalitates diversæ accipiuntur a diversis rebus et qua ratione duas, et infinitas, ergo est impossibilis.

Ad primum argumentum dicitur, quod major est falsa, quia relationis realitas non est realitas fundamenti nisi materialiter, sed non formaliter; sicut actio et passio sunt diversa Prædicamenta realiter, et tamen sunt idem realiter in motu, in quo fundantur. 3. Ad arg. principii.

Ad probationem dicitur, quod non est inconveniens, quin ad rem

de genere Relationis possit esse mutatio.

Accidens quomodo est sua dependentia. Ad secundum dicitur, quod accidens non est sua dependentia nisi denominative, sed non formaliter, nisi loquendo de relatione, quæ secundum illud quod est, dependet formaliter.

Distinguens idem distincto. Contra solutionem quæstionis; quo aliquid distinguitur ab alio, est idem realiter cum illo. Exemplum de differentia, quæ distinguit unum ab alio, quia idem est principium essendi et distinguendi; sed quæcumque essentia creata, est essentialiter dependens; ergo. Probatio minoris, quia quæcumque alia essentia ab essentia divina, non est ipsum *esse*, sed illi convenit *esse* participatum; tale est dependentia; ergo, etc.

Item quod non potest esse, nec intelligi sine alio, videtur esse idem realiter et essentialiter cum illo: sed essentia creaturæ non potest esse sine dependentia ejus ad Deum; ergo. Probatio minoris, creatura non potest esse, nisi effectus Dei sit; effectus essentialiter includit relationem ad Deum, ut ad causam; relatio includit dependentiam, nec potest intelligi sine alio extremo, quia ut sic, aut ut essentia determinata, aut ut indifferens: si ut indifferens tantum; igitur distincta non potest intelligi sine dependentia; si ut determinata; ergo intelligit relationem ejus ad Deum, quia posita essentia creaturæ, et Deo, statim ex natura extremorum necessario oritur relatio inter illa.

4. Est ad solutionem probationis. Contra responsionem ad primum argumentum: si sit idem materialiter; ergo idem realiter, quod est propositum.

Contra secundum est Philosophus 5. et 7. *Physic.* quod in *ad aliquid* non est motus, et nota rationem ejus ibi.

Contra tertium argumentum sic: *accidentia non sunt entia, nisi quia sunt entis,* 7. Metaphysicæ; ergo eorum essentia est eorum dependentia: et cum non minus dependeat creatura ad Deum, quam accidens ad substantiam, essentia creaturæ non est ens, nisi quia dependet ad Deum.

Ad primum contra solutionem quæstionis. Ad primum dicitur, quod illud quod distinguit, potest esse aliquid illius generis, cum illo, quod distinguit, et de natura sua intrinseca: sic major est vera, ut patet de differentia essentiali, quæ distinguit rem intrinsece, et sic est minor falsa, quia relatio non distinguit primo tanquam intrinsecum rei, sed sicut secundarium et accidens rei.

Quod non potest esse sine alio non ideo indistinctum ab eo. Ad secundum dicitur, quod consequentia non valet, si non potest intelligi, nec esse sine alio; ergo est de essentia ejus intrinsece. Exemplum: vita hominis non potest intelligi, nec potest esse sine proportione humorum ad invicem; tamen illa proportio est accidens homini de genere Relationis, ita hic.

5. Ad probationem dico, quod non potest creatura intelligi, nisi sit effectus Dei, vel actualiter, vel aptitudinaliter; sed istud nomen *effectus* includit duplicem conceptum in omnibus, excepta relatione, quia formaliter dicit conceptum relationis ad causam, et materialiter sive denominative includit omnem

conceptum illius, in quo fundatur, quod formaliter refertur; et cum ulterius infers, quod posita essentia creaturæ et Deo, statim oritur relatio et dependentia ex parte creaturæ, verum est aptitudinaliter, vel fundamentaliter, vel denominative, sed non formaliter, quia inquantum est creatura, dicit conceptum duplicem. Et cum ultra dicis; si per essentiam distinguitur, ergo non distincta, concedo quod per essentiam suam quæcumque creatura distinguitur, et primo a Deo et a quocumque alio, sed secundario per accidens, et communiter per relationem.

Ad impugnationes argumentorum pro solutione quæstionis. Ad aliud dico, quod in *Ad aliquid* est mutatio : quære Henricum et Varronem.

Ad aliud dico, quod accidentia sunt entia, quia entis verum est effective, quia ab aliquo efficiuntur, et causantur ad hoc quod sint essentia, cum hoc tamen stat, quod sint entia in se formaliter, alia a substantia.

6. Contra, relatio si sit alia realitas a realitate fundamenti; ergo illa realitas aut erit formaliter alia habitudo, aut aliquid aliud præter habitudinem : si sit aliud ab habitudine; ergo est absolutum, quod est impossibile, quia dividentia ens sunt incompossibilia; ens ad se, et aliud sunt talia; ergo est indifferens, et indistincta secundum se ad omnem habitudinem hanc et illam, et per consequens genus relationis non habet proprium distinctivum in genere suo. Illud nihil valet, quia dico, quod quidditative est alia realitas a realitate fundamenti; ergo indifferens, falsum est quia omnis relatio creaturæ ad Deum fundatur super tertium modum relativorum; quia super rationem mensuræ et mensurati, vel super primum et secundum, et determinatæ et distinctæ habitudines, et maxime relatio existens in alio, cum sit accidens, maxime erit distincta, quia existit in distincto, sicut albedo, licet per se sit indifferens, ut existat in aliquo supposito, semper est necessario determinata.

Contra, Augustinus 5. *de Trin. c.* 5. docens naturam accidentis, dicit *quod non solet dici accidens, nisi quod aliqua mutatione accidentis amitti potest*; tunc arguo sic : illud, quod non est amissibile, non est accidens; sed aliqua relatio nulla mutatione accidentis amitti potest; ergo non est accidens. Probatio minoris, impossibile est intelligere essentiam lapidis amittere rationem exemplati ad intellectum divinum ut exemplar : ratio exemplati dicit relationem; ergo non est accidens. 7. Arguit relationem creaturæ ad Deum non esse accidens.

Item, si sit aliud a sua relatione; ergo illa relatio qua refertur, habebit aliam relationem, qua referretur, et illa aliam, et sic erit processus in infinitum, quia secundum Augustinum 7. de Trinit. cap. 5. *Omne quod relative dicitur.*

Item, tunc essentia lapidis necessario dependet ad Deum, et quælibet alia res relative habet quatuor terminos, quia essentia creaturæ absolute est dependens ad Deum, et similiter relatio, ut quædam res alia dependet ad Deum; ergo includit alios terminos; ergo quatuor termini, duo reales in

creatura, duo secundum rationem ex parte Dei.

8. Ad primum dicitur, quod Augustinus distinguit ibi duplex accidens, scilicet separabile et inseparabile; separabile potest amitti, non inseparabile. Ad minorem, cum dicis quod relatio nulla mutatione amitti potest, manente subjecto denominative relato, sed non essentialiter; ergo non est accidens; non sequitur, sed est fallacia consequentis ab aliquo habente plures causas veritatis ad unam: non enim sequitur, nulla mutatione amitti potest; ergo non est accidens, quia accidens inseparabile non potest amitti, et tamen est accidens.

Insignes difficultates pro Henrico.

Contra, si hoc est verum, quod secundum substantiam dicitur, secundum accidens dicitur, consequens est falsum. Probatio consequentiæ: nihil destruitur destructo subjecto, quod non est essentiale subjecto; ergo si subjecto destructo destruatur relatio, vel e converso, destructa relatione necessario destruitur subjectum, sequitur quod unum est de essentia alterius.

Ad hoc dicitur, quod peccat secundum fallaciam consequentis, quia etsi dicat Augustinus quod omne accidens est mutabile, non tamen dicit quod omne mutabile sit accidens, sed est consequens ab inferiori ad superius, affirmando.

9. Contra, Augustinus probat hanc passionem, scilicet *esse accidens* de subjecto per hoc medium, quod est *esse mutabile;* sed ego arguo eodem modo, quia est accidens; igitur mutabile, et non e converso.

Ad hoc dicitur, quod mutabile non est medium, sed quia de se est mutabile; igitur quod non est mutabile, non est accidens, non valet pro accidente inseparabili.

Ad secundum dico, essentia creaturæ nullam dependentiam dicit formaliter circumscripta relatione ad Deum, sed formaliter refertur per relationem, et denominative ex se, quia denominatur relatione, quæ est formalis dependentia ad Deum; et cum dicis, ergo relatio habebit aliam relationem, qua formaliter refertur; nego consequentiam, quia relatio seipsa tantum refertur ad Deum, et ibi erit status, nec erunt duo termini ex parte subjecti nisi materialiter, vel denominative tantum; sed formaliter termini erunt ex parte illius, qua refertur formaliter, et correlativum ejus.

Ad 2. argum. positum n. 7.

Relatio seipsa refertur ad Deum.

Item, illa relatione non refertur aliquid formaliter et primo, qua circumscripta, refertur nihilominus, sed circumscripta omni dependentia, et relatione creaturæ, manente creatura non minus ipsa ex se intrinsece dependet ad Deum; ergo relatio creaturæ ad Deum, et ejus dependentia erit ejus essentia.

Item, ideo unum non dependet ex alio totaliter, quia est aliquid secundum quod non refertur ad aliud; ergo per oppositum cum creatura dependeat formaliter ad Deum, et totaliter ejus dependentia erit ejus essentia. 10.

Item, ens dividitur per creatum et increatum sufficienter; ergo omne quod non est creatum, est increatum, quia dividentia prima evacuant totam naturam divisi; sed

Creaturam includere respectum.

essentia creaturæ per se est extremum creationis; ergo est creatura; ergo includit formaliter respectum; ergo, etc.

Item, quandocumque aliquid prædicatur de aliquo primo et per se, et passiones ejus prædicantur de eodem per se secundo modo : si igitur prædicatur ens de lapide, et omnes passiones ejus prædicantur de eo, tam convertibiles quam disjunctæ; ergo sicut lapis est essentialiter bonus, vel unus, sic creatum vel increatum.

Ad primam rationem dicitur, quod minor est falsa, quia circumscripta omni relatione essentiæ absolutæ ad Deum, non refertur ipsa essentia nisi potentia; nec potest fieri circumscriptio, nisi intellectu tantum et non in re, quia simul sunt realiter, et ejus dependentia.

11. Exemplum : positis duobus albis, statim ex natura extremorum oritur relatio similitudinis, et tamen posset natura utriusque albi intelligi, et esse per potentiam Dei sine relatione actuali similitudinis, et ibi similitudo est posterior naturaliter natura extremorum, quia effectus eorum, nec tamen potest intelligi, nec esse sine relatione similitudinis aptitudinali, per quamcumque, credo, potentiam, nisi Deus mutaret alborum naturam, et tunc non essent alba, quia ex natura rei sunt apta nata, ut sint totalis causa similitudinis.

Creaturam tantum materialiter dependere a Deo.

Ad secundum dicitur, quod creatura non dependet totaliter ad Deum, nisi materialiter et subjective, loquendo de creatura quæ essentialiter includit duos conceptus acceptos a duabus rebus, cujusmodi sunt omnia Prædicamenta et res omnium Prædicamentorum, excepta sola relatione, quia res cujuslibet generis includit et essentiam absolute sumptam et creationem, et sic formaliter non dependet ad Deum, nisi per relationem.

Ad tertium dico, quod quælibet res est creata, non tanquam res una includens formaliter dependentiam ad Deum ; sed omnis res excepta relatione, dicitur creata, tanquam duæ res includentes dependentiam ad Deum formaliter per relationem, et subjective vel denominative per propriam essentiam absolutam, quæ nata est materialiter per se, et formaliter referri per relationem.

Ad arg. n. 2. Positio includens contradictionem, non admittenda. de quo 1. dist. 11. q. 2.

Ad primam, dicitur ad majorem, quod tale impossibile non debet poni, quod includit contradictionem ex ratione intrinseca illius, de quo ponitur, ita dicerent ipsi, quod est in proposito ; quia posito quod Deus non esset, ponitur positio impossibilis et includens contradictionem illi, respectu cujus ponitur, nam intrinsece ipsa est essentia essentialis dependentia ad Deum, et ideo posito, quod Deus non esset, ponitur etiam ex hoc consequenter, quod creaturæ essentia non sit, quia essentialiter est dependentia quædam ad Deum, et ideo ponitur incompossibile. 12.

Includens plures formalitates, non ideo est plures res.

Ad aliud conceditur, quod eadem res includit multas formalitates ; igitur realitates ; nego consequentiam, quia in multis eadem res habet multas formalitates acceptas sub eadem re, diversimode significantes illam rem, sicut omnia

attributa sunt eadem realiter, et differunt formaliter, et eadem res in creaturis est ens,et una, et bona, et sic de aliis, et eadem albedo est albedo et color. Unde est fallacia consequentis ab aliquo habente plures causas veritatis, ad unam.

Cum ulterius dicitur, quod continet duas, igitur infinitas, non valet, quia non est res in quocumque genere et in relatione, quin contineat multas realitates, scilicet hæcceitatem et naturam speciei ; et similiter multas formalitates hæcceitatis, naturæ communis, et tamen hîc non continet infinitas, quia nulla talis est, quæ sit, vel contineat naturas, vel res infinitas, si illa sola, quæ est infinita, talis est Deus tantum.

SCHOLIUM.

Resolutio Doctoris in hac collatione habetur 2. dist. 1. q. 4. a n. 21. ubi multis probat relationem creaturæ ad Deum non distingui realiter ab ipsa, et n. 26. solvit argumenta pro opposita sententia, quæ est Henrici et Varronis, pro qua in hac collatione adinvenit tales, tamque varias ac subtiles explicationes, responsiones et evasiones, ut stuporem causent cuicumque rem hanc, vel mediocriter intelligenti, qui in hac sententia et in aliis tractatis præcedentibus duabus collationibus cupit Henricum sequi, legat has collationes et non deerunt miræ solutiones difficultatibus oppositis.

COLLATIO XXXV.

Utrum vestigium sit ratitudo?

D. Thom. 1. *p. q* 45. *art.* 7. et *q.* 39. *art.* 6. Henr. *quodl.* 3. *q.* 9. et *quodl.* 9. *q.* 2. D. Bonav. 1. *dist.* 3. *art.* 1. *q.* 4. Rich. *art.* 3. *q.* 1. Scot. *quæst.* 5.

1. Quod sic : quodlibet præter primum, componitur ex *quod est* et *quo est,* vel ex essentia et *esse,* ex aliquidditate vel ratitudine ; sed essentia rei est vestigium in re, sicut *esse* in eo quod est, et si ratitudo in aliquidditate; ergo vestigium est ratitudo.

Contra hoc arguitur, quod vestigium non sit ratitudo, et ratitudo non sit in aliquidditate. Probatio, quia illa aliquidditas, aut est opinabile, et tunc, cum tale sit fictitium et nihil, ratitudo fundatur in nihil et fictitio : aut aliquidditas est res quidditativa et cum omnis talis sit res rata, sequitur quod ratitudo fundatur in ratitudine, et ita idem in se, et sic erit processus in infinitum.

Item, aut aliquidditas est positivum absolutum, et cum omne tale sit exemplatum et non sit fictitium, et *esse* exemplatum est ratum ; ergo ratitudo fundatur in rato, et ita fundatur vestigium in vestigio ; aut respectivum, et tunc fundatur in nihilo, quod est inconveniens ; aut est dare aliquod aliud, in quo fundatur.

Item, aut illa aliquidditas determinat sibi *esse*, ita ut *esse* clauditur in sua intentione, et tunc semper esset, et esset Deus : aut determinat in intentione sua *non esse*, et tunc non potest fieri, aut est indifferens ad *esse* et *non esse ;* sed omne tale est absolutum, et per consequens exemplatum, quia non fictitium ; ergo ut prius.

Item, quod respectus ratibilis non sit ratitudo rei, quia omnis res est activa sua ratitudine, nulla res est activa sua relatione, *ex* 5. *Physic.*

Item, quod ratitudo non sit tan-

tum respectus ad Deum. Probatio, tum quia plus differrent personæ divinæ inter se, quam Deus et creatura, quia tantum per respectum differunt, rationis ex una parte, et reali ex alia, sed personæ divinæ differunt per respectus reales ex utraque.

Item, quæ differunt formaliter, sunt alia et alia formalitas ; sed absolutum et respectivum differunt formaliter ; ergo sunt alia et alia formalitas ; sed ratitudo est formalitas absoluta, (quia formalitas rei absolutæ est absoluta ; ergo ratitudo,) sed relatio non est formalitas absoluta : ergo ratitudo non est tantum relatio.

Item, Philosophus 4. *Metaphysic.* reducit dicentes omnia apparentia esse vera, ad hoc inconveniens, quod omnia sunt ad aliquid ; sed omnia esse ad aliquid denominative non est inconveniens, cum omnia sint vel causa vel causatum ; ergo est inconveniens, quod omnia sunt ad aliquid essentialiter ; ergo respectus non est illud, quo res sunt ratæ, sicut ponit positio prima.

SCHOLIUM.

Ponit sententiam Henrici de ratione vestigiali, et differentiam quam D. Thom. constituit inter vestigium et imaginem, quam clare impugnat hic, et latius 1. dist. 3. q. 5. a n. 3. Adducit multa et exquisita pro sententia Henrici suadentia respectus ad Deum includi essentialiter in omni alio ente, de quibus agit loco citato.

2. Ad quæstionem dico, quod vestigium est impressio derelicta ex transitu gradientis, conformis sibi ex ea parte, qua tangit in gradiendo ; sed ante mundi creationem intellectus, et voluntas ferebatur super mundum creandum ; ex illo velle et intellectu sequitur in tempore mundus, conformis illi *velle* et *intelligere*, ideo mundus est vestigium Dei. Illud patet 22. *de civit. Dei. cap.* 9. Quomodo mundus vestigium Dei.

Secundo dicendum est de differentia inter imaginem, umbram, et vestigium, et similitudinem. Ad cujus intellectum sciendum est, quod omnia ista important relationem et respectum ; sed similitudo non importat causalitatem, sed vestigium importat causalitatem secundum Augustinum *lib. octoginta trium quæstionum. quæst.* 64. Umbra habet confusam conformitatem ad corpus interpositum, confusam dico, quia videntes umbram, scimus corpus interpositum inter Solem et umbram, sed nescimus cujus figuræ, quia quandoque corpus rotundum facit aliam figuram in umbra ; imago repræsentat rem non secundum genus, nec speciem tantum, sed secundum individuum, et secundum lineamenta, quod scilicet longa sit, lata, etc. Vestigium repræsentat rem medio modo perfectius umbra, et imperfectius imagine, quia non repræsentat rem secundum individuum, nec tantum secundum genus, sed secundum speciem, vel secundum individuum vagum, † sic videntes vestigium cervi, scimus quod transivit cervus, sed nescimus inde, iste vel iste. Sic Angelus, vel anima quantum ad potentias vel actus importat ordinem vel distinctionem formalem in eadem essentia, ideo est imago Dei. Vestigium repræsentat Deum,

Vestigium, imago, umbra, et similitudo quomodo differunt, vide 1. d. 3. q 5. n

† al. u

ut est causa efficiens formalis et finalis, quæ appropriatur personis, tamen non tantum repræsentat Deum ut unum, nec secundum proprietates personales, sed secundum appropriata personis, scilicet potentiam, bonitatem, sapientiam, sive secundum triplicem causalitatem.

3. Refutat differentiam vestigii et imaginis contra D. Thom. art. 1. dist. 3. q. 5. n. 3.

Contra ista arguitur de differentia vestigii et imaginis. Contingit enim animal transiens non habere nisi unum individuum specie, et tunc est species tota in individuo illo, et tunc vestigium, quod est similitudo secundum speciem, erit similitudo secundum individuum.

Item : in Deo non est distinguere genus, nec species, nec individuum; ergo non est dare vestigium Dei, si repræsentat secundum genus, vel speciem, ideo assignat causam accidentalem vestigii.

Ideo est alia differentia, quod vestigium differt ab imagine, quia repræsentat partem quantitativam, imago totum, non autem quod vestigium repræsentat universale, et imago particulare. Ideo quod derelinquitur ex transitu partis, simile parti, est imago partis, et totius vestigium, quia repræsentat totum animal ratione partis.

4. Ad argum. in posita num 3.

Adprimum istorum dico,quod scientia est tantum de universalibus secundum Aristotelem, et significat subjectum essentiale scientiæ, non accidentale : nec est hîc dicendum, cum scientia potest esse de aliquo, cum quo convertuntur propositiones de universali et deindividuo, ut de Deo vel de Sole, tantum universale est subjectum in scientia essentialiter. Unde 7. *Metaphys.* si ali- qua scientia est de uno ut de Deo, vel de Sole, est de Deo, ac si essent mille Dii ; patet secundum Commentatorem 6. *Ethic.* ideo scientia est de eo, ut de universali, ac si essent plures, licet sit singulare : sic tamen convertitur species cum individuo, et repræsentat individuum in universali, ac si mille individua essent in specie.

[Vari scientiam de singulari.]

Ad aliud ; in Deo non est genus, nec species. Unde secundum eos distinctio personarum assimilatur magis individuali distinctioni quam specificæ, tamen relationes differunt quasi specie. Unde prout conveniunt in essentia, ut uno, essentia est quasi species, ideo aliquid est in illa repræsentans personas, quantum ad propria, aliquid quantum ad appropriata, quia personæ differunt, tamen conveniunt in aliquo.

Ad positionem istorum, dicunt falsum : si enim sigillum imprimeretur ceræ, delebitur, ita quod nihil derelinquetur de sculptura et colatura, sed de quantitate est umbra si colatura, et totum quo distinguitur ab illo sigillo derelinquatur, non esset imago, sed vestigium : sic hîc derelictum ex pede, non est imago pedis, nisi distinguat pedem ab alio ejusdem speciei. Impressio sigilli non est imago

De alio dico, quod res componitur ex aliquidditate et ratitudine, et res rationis ex aliquidditate solum, non ratitudine. Unde per aliquidditatem intelligo, quod est per ratitudinem, illud quo existens in aliquo, et habet essentiam, et omne existens, sicut lapidem esse, est, quod est ejus, et existentia est, quo 5. Quid per ratitudinem, et quid per aliquidditatem intelligitur, vide 1. dist. 3. q. 5. n. 8.

est : essentia etiam lapidis distinguitur in *quo est* et *quod est* ; igitur essentia *quod est*, et esse existens *quo esse*, et sic accipiendo essentiam est aliquitas pure potentialis, quæ non habet aliquam formalitatem, sed est omnino informis de illa aliquitate; quæ informis est respectu omnium supervenientium, loquor sicut Philosophi loquuntur de materia, ut in potentia ad omnes formas.

Unde materia sic est in potentia, quod si omnis forma tollatur, materia est tantum in anima, nec tamen forma advenit rei in anima, quando advenit materiæ : sic aliquitas de se non est intelligibilis, nec est ens, tamen ratitudo prima adveniens ei, advenit enti qua est ens, et non enti, sicut patuit de materia. Exemplum aliud, quantitas non est in substantia non quanta, tamen substantia ante omnem quantitatem est non quanta de se, tamen quantitas advenit rei quantæ, et non rei quantæ. Unde per *esse* intelligo *esse* vel rei, vel rationis ; aliquitas, quod est, sicut homo humanitate est homo. Si quæratur, quo humanitas est, dicam quod *esse* est. Et secundum Boetium *esse* præter primum, habet *quo est* et *quod est*, quæ non sunt idem. Unde Commentator, homo est per se *esse*, esse aliquid humanitate ; ergo.

Omne esse præter primum habet quo est, et quod est.

6. Ostendo, quod in omni intelligibili, citra primum, respectus positivus ad Deum intelligitur, ut de primo intellectu ejus. Commentator : *est alia forma quæ non mutuat hoc nomen, et alia forma quæ ab alio mutuat hoc nomen* est : et sequitur, *de illis dicitur,* est *in ordine ad suum principium,* ideo cum *esse* intelligibile positivum primo intelligat esse, et *esse* est respectivum ; ergo, etc.

Item Augustinus. 6. de Trin. c. 4. *quando intelligit hoc bonum, simul intelligit illud cujus participatione est bonum :* sed intelligendo lapidem, intelligit hoc bonum ; ergo simul intelligit bonum ipsum, non ut aliquid ejus ; ergo ut hoc refertur ad aliud.

Arg[...] respec[...] ad De[...] esse de[...] sentia [...] nis e[...] præt[...] Deu[...]

Item Dionysius *de Divin. nom.*

Item 6. *Physic.* non potest intelligi aliquid habens causas nisi extrinsecæ causæ cognoscantur ut pars ; ergo ut terminans respectum.

Item Commentator 7. *Met. circa principium.*

Item, illud quo distinguitur ens a non ente, et hoc positive, est de primo ejus intellectu inquantum est; sed illud quo ens distinguitur a non ente, est *esse* ; sed illud *esse* est respectivum. Probatio ; quia illud *esse* vel est ipsum *esse* a se, vel ab alio *esse;* divisio patet per Avicennam 1. *Metaph.* esse ab alio est, cui convenit esse, *ab alio* dicit respectum.

Negatur ista minor, quia respectus non est primum, quo aliquid distinguitur a Deo. Intelligendo enim Deum absolute, et lapidem absolute, non intelligendo sub ratione causæ vel causati, vel non ab alio, vel ab alio, erunt duo distincta, licet forte ab alio sit primo notum. 7.

Contra, nullus conceptus proprius creaturæ est simpliciter simplex, et primus conceptus quem habeo, est ens ; ergo intelligitur in communi conceptu priori: concep-

Quom[...] intellig[...] concep[...] compos[...] de De[...] creatu[...]

tus creaturæ proprius est posterior conceptu entis (quia ens est commune Deo et creaturæ) quem hîc habemus; non est igitur simpliciter simplex, quia includit ens, et conceptum exprimentem Deum : sed differentia inter conceptum compositum de Deo et creatura, quia compositioni in conceptu proprio de Deo, non correspondet compositio in re ex *esse* et *non esse*, de *esse*, et hoc includitur in proprio conceptu lapidis; ergo si in primo conceptu entis, non a se, intelligitur ab alio; ergo hoc est, et non a se; ergo ab alio.

Dicitur, non sequitur ultima consequentia.

8. Contra, ista negatio *non esse a se*, dependet ab alia priori affirmative in quam reducitur; non ab *esse*, quia tunc omne *esse* esset *esse non a se*, quod est falsum, quia Deus non est *non esse a se*, sed est *esse a se*, relinquitur quod dependet ab *esse* ab alio, tale includit respectum, etc.

Item, in intellectu Dei intelligitur esse per se ipsum; ergo in intellectu creaturæ intelligitur oppositum, scilicet non per se, sed participatum, ita quod sicut Deus distinguitur a quolibet alio per *esse a se ipso*, sic non Deus primo distinguitur per oppositum, scilicet *esse ab alio* sicut *esse* participatum, quia non per se, sive ab alio opponitur ei, quod est per se, et participatum opponitur ei, quod est ipsum.

Confirmatur, quia primæ differentiæ sunt oppositæ, et includuntur in primo intellectu differentium.

Item, sapientia prædicatur communiter de Deo et creatura: quo igitur primo differunt sapientia creata a Deo? non per sapientiam, quia illa communis analogice; ergo per aliam rem, quæ est de suo intellectu, qua distinguitur a Deo, puta, quia est qualitas accidentalis; ergo cum accidentalis includit respectum, et prior et essentialior est ejus respectus, vel dependentia ad Deum, scilicet esse a primo, vel ab alio quam ad subjectum, et *esse* in alio. Essentialior dependentia accidentis ad Deum, quam ad subjectum.

Item, Præsuppositivus quæsivit cum ab *esse* in loco consurgat Prædicamentum, et ab *esse* in tempore similiter, quare ab *esse* in subjecto, non consurgit Prædicamentum undecimum? 9.

Dicit Simplicius, quod aliqui respectus non sunt de intellectu eorum, in quibus fundantur, et alii sunt de intellectu eorum, in quibus fundantur, et ita essentiales secundum eum, et ita in eodem Prædicamento est talis respectus accidentalis ad subjectum; ergo ille respectus est de genere Qualitatis, sicut est respectus secundum eum, quia albedo est in primo modo dicta per aliquid, quod est de primo ejus intellectu; sed analogia accidentis ad Deum est intimior et essentialior accidenti, quam analogia ejus ad subjectum, quia *esse in*, potest separari ab accidente, sicut patet in Sacramento, sed non *esse ab*; ergo si illa est de ejus intellectu, multo magis ista.

Item, primum in ordine essentiali includitur in intellectu cujuslibet posterioris: sed objectum esse est primum in ordine essentiali, quia illud habuit res ab æterno; ergo in- Esse objectum an de essentia creaturæ.

cluditur in *esse* cujuslibet creati; sed esse objectum est relativum, cum sit in *objici*, et aliud esse.

Cognitio causatorum perfecta non habetur sine cognitione causæ.

Item, sicut se habet cognitio perfecta causæ ad cognitionem perfectam causatorum, ita imperfecta ad imperfectam: sed non habetur perfecta cognitio causatorum, nisi habita perfecta cognitione causæ, sicut patet in visione Dei in patria; ergo nec imperfecta, nisi habita cognitione imperfecta ipsius causæ; ergo, etc.

Item, qui nunquam investigavit definitionem justi, nec quid est justum, audiens actionem esse justam, habet penes se, quo judicet de illa actione, an illa actio sit justa, an non, scilicet ipsum justum essentialiter, non habet tamen conceptum ut innatum; ergo impressum audiendo hoc justum; ergo in impressione hujus justi includitur ipsum in ejus intellectu.

Item, indeterminata sunt priora ordine essentiali: sed ipsum *esse* est indeterminatum, cum sit indeterminatum negative, et ens anagum privativelotantum.

Quid esse, et quid aliquitas.

Tunc dico, quod *esse* est id, quo res est; et id quo res est aliquid, hoc vel illud est aliquitas, sicut homo est aliquid humanitate, scilicet homo, sed non *esse*. Unde in humanitate non includitur *esse*, tunc dico, quod homo humanitate est homo, ita quod humanitas est aliquitas tantum, et nulla distincta ab *esse*, sic aliquitas nullum *esse* sibi determinat, nec erit in intellectu ens rationis, nec *esse* ratum. Unde Avicenna 5. *Met.* equinitas est tantum equinitas, nec una, nec multæ, nec actu, nec potentia, nec in intellectu, nec extra; ideo humanitas ut sic, nullo modo est ens, nec rationis, nec ratum, sed tantum determinat sibi consignabilitatem, quod scilicet sit significabile per nomen, et hoc non est determinatum sibi, quod est intelligibile, est enim significare, quæ non sunt et possunt esse, non autem est intelligere, nisi quæ sunt, ut dicit ibidem. Unde ens prima impressione imprimitur in intellectu, secundum Avicennam. Unde nihil significat Hircocervus, similiter tamen non potest intelligi, quod est impossibile.

Humanitas secundum Henricum non est ens.

Hircocervus nihil significat.

Contra illud, omne significabile per nomen est esse aliquid, cui possumus nomen imponere, sed secundum Philosophum 7. *Met.* non possemus nomen imponere, nisi illi quod intelligimus: si igitur aliquitas per te determinat sibi *esse* significabile; ergo et *esse* intelligibile.

Item, quod determinat sibi definibilitatem, determinat sibi intelligibilitatem: sed humanitas determinat sibi vel homini definibilitatem, ut genus et differentiam; ergo, etc.

Item, intellectus distinguit humanitatem ab aliis intelligibilibus; ergo eam intelligit, quomodo enim loqueremur de ea nisi intelligeremus? non solum igitur quod intelligimus, erit intelligibile, sed etiam actu intellectum.

Non intelligibile utrumque nominabile.

Ad primum istorum: imponere nomen est ad placitum, ideo possumus nomen imponere ei, quod non cognoscimus, nec intelligimus, ut quoddam intelligibile, sed ei quod intelligimus esse quoddam

significabile. Exemplum, nullus intelligit nihil, et tamen *nihil esse* significabile, et est intelligibile significabile, licet non sequatur tunc, est intelligibile significabile, ergo est intelligibile.

Unde quidditas omnino nuda præter *esse*, nihil est, nec ens rationis, nec ratum, ideo tantum significabile per nomen, et ideo non est intelligibile quia non ens, tamen intelligibile significabile, non tamen intelligibile.

Ad secundum, minor est falsa : Humanitas unde humanitasnno, est nisi humanitas tantum, nec determinat sibi definibilitatem, quia ut sic, nec in genere, nec specie, sed tantum significabile per nomen. Unde si esset definibile, et in genere similiter, et Hircocervus, et similia

11. arg. in quæst. Ad argumenta principalia. Ad primum in oppositum, quid intelligitur per aliquitatem : dico quod aliquitas non determinat sibi intentionem opinabilis, nec ratitudinis, nec rationis, sed determinat sibi *esse* significabile per nomen.

Ad secundum dico, quod aliquitas nec est aliquid absolutum, nec respectus, sed tantum aliquitas, et significabile per nomen *aliquitas*, aut est aliquid positivum, aut non? Dico quod positivum : sed per illud positivum non intelligo, nec ens absolutum, nec respectum, sed tantum significabile per nomen.

[Ali]quitas [qui]d sit.

Ad tertium dico, quod nec includit sibi *esse*, nec *non esse*, sed tantum est significabile per nomen.

Contra, si non determinat sibi *esse*; ergo de se est nihil : sed in nihil nec potest recipi esse, nec ratitudo alia; ergo in eo non fundatur respectus ad Deum, nec *esse*.

Respondeo, significabile per nomen esse nihil, potest intelligi dupliciter : vel quod significabile, quod est A determinet sibi *non esse* et *nihil*, et sic chimæra est non ens, et significabile per nomen, quod determinat sibi semper *non esse*. Alio modo A, est non ens, quia non determinat sibi *esse*, non tamen determinat sibi *non esse*, sed possibile esse indifferens ad *esse* et *non esse*, tale potest recipere *esse* et respectum, aliter creatio erit impossibilis, quod est contra articulum fidei. Unde quod ante creationem fuit possibile objective, sive vere nihil, tamen non determinavit sibi *non esse*, ita semper in intentione sua intelligitur esse tale, quod potest fieri et esse.

12. Non esse est duplex, cui repugnat esse, et cui non repugnat.

Contra, saltem homo componitur ex ente et non ente, non absolute, sed ex ente et non ente de se æquivoce, cum entitate positiva quæ *esse* recipit, sicut materia prima, ex quo per se de se nullum habet *esse* in effectu, sed tantum in anima, nec tamen sequitur, quod forma recipitur in ea, ut habet *esse* in anima tantum, sed in eo quod secundum se non habet *esse* nisi in anima tantum, tamen *esse* extra per aliquid aliud, scilicet per *esse* ipsius formæ. Similiter patet de quantitate ut supra, ita ratitudo recipitur in aliquitate rata, quæ de se est nihil, rata tamen ipsa ratitudine, nunquam tamen recipitur in non rata, sed in non rata ex se tantum, et hoc est necessarium. Cum dicitur ultra, quod est exempla-

tum, falsum est, nec est enim fictitium, nec exemplatum.

13. Esse an sit ratio agendi. Ad quartum, res rata agit sua ratitudine, etc. falsum est. Unde *esse* rei nulli enti creato est ratio agendi, hoc est elicitiva actionis, inquantum esse aliquitas absoluta formalis sub ratitudine; calori enim calefacienti causalitate tribuit, non suum *esse*, quia tunc non plus ageret ad calorem quam frigus, quia *esse* est indifferens, et ejusdem rationis secundum Boetium *de Hebd.* ergo res non agit ratitudine, id est, illo *esse* quo etiam res rata est formaliter. Si accipis ratitudinem pro re, quæ rata est, sic ratitudo non est respectus, sed res absoluta.

Contra, tunc non sequitur in suo intellectu respectus. Dico, non est forma absoluta, nisi per *esse* et respectivum, tamen respectus non est ejus absolutio, sed tamen respectus sive *esse*, est quo res est absoluta. Unde res agit aliquidditate, non aliquidditate nuda ab ente, quod est nihil, sed aliquidditate, ut sub *esse*.

Ad aliud, creatura minus differret a Deo quam personæ divinæ ab invicem, dico quod non sequitur.

Quid creatura secundum Henricum. Unde male imaginatur, scilicet quod creatura non sit nisi respectus, hoc est falsum; sed dico quod omne creatum componitur ex respectu, et aliquidditate. Unde creatura est aliquitas absoluta sub respectu, tamen ut absoluta includit † respectum, ideo creatura differt a Deo aliquitate absoluta, ut lapis lapiditate, non includente ad aliquid in sua aliquitate.

† al. respectivum.

14. Ad aliud, quæ differunt formalitate, non sunt formalitas una, etc. dico quod ratitudo est formalitas respectiva, non absoluta.

Contra, aliquitas ut sic, nec est absoluta, nec respectiva; ergo non est quo substantia est rata, et absoluta et ratitudo, scilicet respectus non est quo res est absoluta, vel rata; ergo ratitudine non est substantia absoluta, vel rata.

Respondeo : Sicut materia est ens intra intellectum, circumscripta omni forma, forma tamen, quæ est disparata a materia, quæ non est materia, est quæ formaliter materia est materia extra, et quo habet *esse* in re extra, quia est de se materia, non est extra.

Similiter substantia de se non habet partem extra partem, ut substantia est quantitas, tamen est quædam forma disparata a substantia, sicut respectus ab absoluto, quo formaliter substantia habet partes extra partes de genere Substantiæ, sic respectus est quo aliquitas est rata et absoluta.

Unde si *esse* differt realiter ab essentia, essentia ut nuda ab *esse*, nullum habet *esse* extra : de se tamen *esse* reperitur in essentia, quia secundum illos, *esse* est primus actus quo essentia est essentia extra, sic formalitas respectiva est illud quo aliquitas, quæ de se est absoluta, sit absoluta.

Ad illud Philosophi dico, quod illa est falsa; creatura est tantum ad aliquid, et non est ad aliquid præter ad aliquid, tamen est tale per respectum, ut per *esse*. Unde in omni creatura est, et *quo est* in omni creatura, est aliquid præter ad aliquid, etc.

SCHOLIUM.

Difficile valde est capere, quid per terminos, quibus utitur Henricus, in hac quæstione intelligi debeat, scilicet per ratitudinem et aliquidditatem, videri potest quodl. 3. q. 9. et quodl. 5. q. 2. et alias passim. Sed in re vult ad minus respectum ad Deum includi in omni ente extra Deum, pro quo faciunt rationes multæ valde urgentes in hac collatione adductæ : hanc totam ejus sententiam refutat Doctor efficacissime et clare, 1. d. 3. q. 5. a n. 8. Ad intentum autem tituli quæstionis Henricus quodl. 9. q. 1. et 2. ponit rationem vestigii in triplici relatione creaturæ ad Deum, secundum tres modos relativorum. Per respectum similitudinis exemplati ad exemplar, ad Filium per respectum causati ad Patrem, per respectum mensurati ad Spiritum sanctum : hanc refutat Doctor ibi n. 2. et n. 5. Juxta mentem Augustini ponit rationem vestigii quod est in creatura respectu Dei, in unitate, pulchritudine, et ordine, et fatetur aliter rationem vestigii assignari posse, vide hujus rei explicationem ibi clare positam.

JUDICIUM R. P. F. LUCÆ WADDINGI

DE HIS QUATUOR A SE NOVITER ADDITIS COLLATIONIBUS.

Sequentes quatuor collationes inveni in Bibliotheca Vaticana, cod. MS. membraneo. num. 876. *inter reliquas, quæ hîc præmittuntur, quibus omnibus præfigebatur titulus,* Collationes Parisienses. *Et in alio codice MS.* 890, *recensentur istæ quatuor collationes in indiculo, seu tabula resolutionum operum Scoti, quam nos dabimus in tomo postremo. Eamdem sapiunt Scoti doctrinam, et argumentandi dissolvendique acutiem, quam priores præferunt collationes. Incertus est numerus harum collationum, quippe in impressis deerant istæ, et in citatis codicibus Vaticanis aliquot ex iis, quæ excusæ sunt, desiderantur. Non uno eodemque tempore omnes continuata serie scripsit Scotus, sed prout occasiones, concertationesque Academicæ, aut publici congressus, vel conferendæ in Scholis Laureæ postulabant. Proinde singulæ suis inscriptæ schedis facile decidere poterant, aut perire. Porro solutis schedis exaratas insinuat prædictus indiculus,* cedularum *nomine singulas indigitans. Brevia Scholia et reliqua, quæ deerant, nos adhibuimus.*

COLLATIO XXXVI.

Utrum in Divinis possit esse major distinctio, et diversitas, quam conceptuum?

Alens. 1. *part. quæst.* 48. *mem* 3. D. Thom. 1. *part. quæst.* 28. *art.* 2. *et quæst.* 7. *de verit. et in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 1. *art.* 3. Rich. *ibid. art.* 1. *quæst.* 2. *et* 3. Durand. *q.* 2. Henric. *quodlib.* 5. *quæst.* 1. *et quodlib.* 13. *quæst.* 1. Goffred. *quodlib.* 7. *quæst.* 1. Doctor *in Oxon.* 1. *dist.* 2. *quæst.* 7. *a num.* 41. *et dist.* 8. *quæst.* 4. *et in collat* 22. *et quæst. de formalitatibus.* Suarez 1. *part. tract.* 1. *lib.* 1. *cap.* 10. Vasquez 1. *part. dist.* 115. *et* 120.

1. Argum. pro parte affirmativa. An principium unius rationis respiciat determinatos effectus.

Dicitur quod sic, ut personarum quæ est realis, et attributorum quæ differunt præter omnem operationem intellectus, quod probatur sic : Quandocumque aliquid unius rationis respicit plura unius rationis, non determinat sibi quot respicit, nec tot respicit, quin plura; hoc enim patet de comparatione naturæ unius rationis ad supposita unius rationis, ut hominis ad Socratem et Platonem, et infinitos alios. Hoc etiam patet de comparatione causæ unius rationis ad effectus unius rationis; calor enim existens unius rationis qui potest plures calores producere, non determinat sibi, quot possit producere : sed essentia divina respicit plura supposita unius rationis, et non habens diversas rationes prout eis communicatur, non determinabit sibi tot supposita quin plura, et sicut tunc una persona producit aliam, et duæ tertiam, et sic tres producere possunt quartam in infinitum, quod est impossibile. Oportet igitur quod essentia divina in se habeat diversas rationes formales seu perfectiones, ut intellectum et voluntatem, quas deinde communicat Pater Filio, et Spiritui sancto; et si essentia divina ante omnem operationem intellectus habeat ista attributa ex

natura rei, scilicet intellectum et voluntatem, eadem ratione et omnia alia.

Major etiam hujus argumenti patet per rationem, quia si aliquid unius rationis, qua respicit, suus ambitus vel sua virtus non est exhausta per unum illorum, et eadem ratione nec per alind, nec per tertium, et sic in infinitum; ergo tale non determinat sibi tot, quin plura possit habere. Et additur *esse unius rationis,* quia si aliquid habens in se diversas rationes seu perfectiones, respiciat alia unius rationis ut est essentia divina, secundum hanc opinionem determinat sibi quot respicit, ita quod non plura; sed hoc non est invenire alibi, quia per diversas rationes et principia producendi non producuntur alia unius rationis, ibi vero communicatur eadem essentia diversis suppositis; si tamen aliquid unius rationis respiciat alia diversarum rationum, potest determinare sibi illa quæ respicit, ita quod non potest in plura, ut patet de Sole, qui potest plura diversa specie producere, et tamen certum numerum specierum sibi determinat, inquantum potest, et sic patet major.

2. Si vero dicas ad minorem, quod supposita in Divinis non sunt unius rationis, quia non unius speciei, sicut nec relationes, quibus constituuntur; hoc non obstat, quia saltem sunt unius rationis, quantum ad illud, quod eis principaliter communicatur, quod est essentia, quia si sequantur relationes, aut alia quæcumque, non impedit quin sint unius rationis, quantum ad terminum per se communicatum. Et tunc resumatur major sub hoc intellectu sic: quando aliquid unius rationis respicit plura unius rationis, quantum ad illud, quod per se eis communicatur, non potest in tot quin in plura. Et probatur hæc major sicut prius per comparationem virtutis productivæ ad producta, et tunc accepta minore, quod supposit divina sint unius rationis quantum ad essentiam, quæ eis principaliter communicatur, sequitur sicut prius.

Sed contra minorem argumentor sic: Quorum objecta non distinguuntur præter operationem intellectus, neque ipsa distinguuntur sine operatione intellectus: sed *verum* et *bonum* non distinguuntur sine operatione intellectus; igitur nec intellectus et voluntas in Deo distinguuntur sine operatione intellectus. Probatio assumpti per rationem Commentatoris 4. *Metaph. com.* 18: Si *bonum* secundum aliquam perfectionem formalem distinguatur a *vero*, illa formalitas necessario aliquid est et est ens, et sic bonitas inquantum distinguitur a *vero* aliquid est; de illo igitur prædicabitur *verum*. Aut igitur per se, aut per additum? Si per se, habetur propositum, quod illa formalitas, per quam bonitas distinguitur a veritate, cum sit aliquid, sit per se verum. Si per additum, cum prædicetur de illo, de illo etiam addito est quærendum; aut per se est verum, aut per additum? et erit processus in infinitum, nisi stante in primo, quod bonitas et veritas sint eadem formalitas circumscripta operatione intellectus. 3.

Bonum et verum an distinguantur formaliter. Comment.

Respondeo, quod quando dicitur 4.

bonitas, inquantum distinguitur a veritate, est aliquid, dicendo, quod si reduplicatio dicat causam inhærentiæ, falsum est, quia distinctio a veritate non est causa quare bonitas sit aliquid. Si vero reduplicat rationem formalem ipsius reduplicativi, sic verum est, bonitas enim inquantum bonitas, aliquid est et ens est. Et tunc ulterius ad argumentum dico, quod *verum* cum prædicatur de ente, non prædicatur primo modo dicendi per se, sed prædicatur denominative, et sic etiam probatur de *bono*. Unde licet essentialiter formalitas bonitatis sit ens, non tamen essentialiter est vera prædicatio, sed est prædicatio denominativa veritatis de formalitate bonitatis, cum quo stat distinctio formalis eorum ab invicem.

An bonum possit apprehendi ab intellectu, et verum appeti a voluntate.

Contra : Si *bonum* secundum suam rationem formalem distinguatur a veritate, illa formalitas non apprehendetur ab intellectu, cum *verum* sit objectum intellectus, et intellectus nihil apprehendat nisi sub ratione *veri*. Similiter etiam arguitur, quod formalis ratio veritatis non potest esse volita a voluntate, si de se distingueretur a bonitate, cum *bonum* sit objectum voluntatis.

Respondeo quod objectum intellectus et voluntatis est unum et idem, quod est ipsum ens, quod est de essentia cujuslibet, et æqualiter prædicatur de *vero* et *bono*, licet non e converso ; nam est idem quod est apprehensum ab intellectu, et sub eadem ratione est volitum a voluntate, et sunt potentiæ æqualis communitatis in actibus : sed potentiæ apprehensivæ, et appetitivæ sensitivæ est unum et idem objectum formale, et ideo licet illa formalitas, qua bonitas distinguitur a veritate, non sit veritas, est tamen ens, et e converso de veritate, ideo potest apprehendi illa bonitas ab intellectu, et illa veritas potest esse volita a voluntate.

5. Identitas objectoru[m] non argu[it] identitate[m] potentiarum.

Contra : Potentiæ, quæ habent idem formale objectum, sunt eadem potentia; igitur si ens esset formale objectum voluntatis et intellectus, intellectus et voluntas essent eadem potentia, quod falsum est.

Respondeo, quod licet ex diversitate objectorum sequatur diversitas potentiarum, quia visus non potest in sonum, nec auditus in colorem, tamen ex identitate objecti non sequitur identitas potentiæ; idem enim est objectum appetitivæ sensitivæ et apprehensivæ, quia sub eadem ratione appetitur, qua apprehenditur. Unde non dixit Philosophus 9. *Metaph. text. com.* 3. quod potentiæ sunt eædem, quarum objecta sunt eadem, sed quod potentiæ distinguuntur per objecta, sicut et actus. Aristotele[s]

6. Infinita non includ[it] identitatem forma[lem].

Præterea, quodlibet attributorum, et etiam essentia est formaliter infinitum, quia infinitas non est proprium attributum, sed est intrinsecus modus cujuslibet attributi; essentia ergo divina, et bonitas sua est formaliter infinita : sed illud quod est formaliter infinitum, formaliter includit omnem perfectionem, quia est formaliter pelagus omnis perfectionis; ergo essentia divina formaliter includit justitiam et bonitatem, et justitia bonitatem, et per consequens sunt eadem formaliter, et sic in Deo non

distinguuntur præter operationem intellectus.

Respondeo quod illud, quod est formaliter infinitum, includit realiter, et per identitatem realem omnem perfectionem, sed tamen non includit formaliter, quia infinitas addita attributo, ut ipsi sapientiæ, non variat rationem formalem ejus : si igitur sapientia secundum suam rationem formalem non includit bonitatem; ergo nec sapientia infinita formaliter includit bonitatem infinitam.

7. Præterea : quæcumque differunt formaliter, sic se habent ad intellectum, quod intellectus potest intelligere unam rationem formalem, non intelligendo aliam; sicut patet de genere et differentia, quarum formalis ratio unius est extra formalem rationem alterius, et ideo nata sunt facere alium et alium conceptum in intellectu, et intelligi diversis conceptionibus, et per consequens intellectus potest tendere in unum non tendendo in alterum. Si igitur attributa differunt ab essentia secundum suam rationem formalem, intellectus Beati poterit videre essentiam divinam, non videndo eam ut bonam, nec ut justam, quod est inconveniens. Et hæc ratio est contra responsionem prædictam, quia tunc aliquis posset videre essentiam ut infinitam, non videndo eam ut bonam, si illud quod est infinitum formaliter, non includat formaliter bonitatem.

An possit intelligi aut videri unum attributum sine alio?

Respondeo, quod si fiat argumentum de intellectu viatoris, quæstio est concedenda, scilicet quod possumus intelligere Deum ut infinitum, non intelligendo actu ipsum ut sapientem, aut bonum, non tamen separando ipsa. Si autem fiat argumentum de intellectu Beati, tunc non concludit, quia unico actu realiter, differente solum secundum rationem, videt Beatus essentiam divinam infinitam, ut bonam et sapientem, quia ipsa essentia divina movens intellectum Beati ad visionem sui, movet necessario ad visionem eorum, quæ necessario consequuntur essentiam divinam, quæ sunt attributa, ideo licet nata sint de se facere diversum conceptum, tamen quia necessario concomitantur essentiam divinam, non potest Beatus videre essentiam divinam nisi videat attributa.

Præterea : Idem secundum identitatem realem, et formalem potest esse principium diversarum actionum, et productionum absolutarum; igitur idem realiter et formaliter potest esse principium productionum relativarum; igitur in essentia, quæ communicatur Filio et Spiritui sancto, non oportet ponere differentiam formalem attributorum, ut intellectus et voluntatis, propter communicationes relativas, quibus essentia communicatur Filio, et Spiritui sancto, et sic verum est quod ratio superius facta non concludit. Consequentia patet, quia major diversitas in principio videtur requiri ad actiones respectu productionum absolutarum, quam productionum relativarum, eo quod differunt absoluta magis quam relativa. Antecedens patet de calore, qui idem existens re et forma, potest producere diversos calores, nec præterea habet diversitatem aliam 8.

An ex ratione productionum inferatur distinctio intellectus et voluntatis in Deo.

formalem aliquorum in se, quia tunc esset processus in infinitum in illis formalitatibus, sicut in productis ab ipso.

Respondeo, quod hoc solvitur supra, quia ex hoc quod aliqua unius rationis producantur ab alio secundum eumdem modum producendi, non oportet ponere differentiam realem et formalem in producente. Sed quando aliqua unius rationis secundum diversum modum producendi producuntur ab aliquo, necesse est ut in producente sint diversa principia producendi, quia idem principium re, et formali ratione, non potest esse productivum secundum diversum modum producendi alia unius rationis. Nunc autem Filius producitur per modum naturæ et intellectus, Spiritus sanctus per modum voluntatis et libertatis, et ideo necesse est ponere, quod essentia in se formaliter contineat rationem intellectus et voluntatis præter operationem intellectus, ita quod intellectus non libere intelligat, nec voluntas naturaliter velit, sed sunt formaliter distincta in modo producendi.

9. An ex hac distinctione inferatur compositio.

Præterea arguitur sic : Quidquid ex natura rei habet aliquid, quo convenit cum aliquo, et aliquid quo distinguitur ab illo, habet in se compositionem realem : sed si circumscripta operatione intellectus attributa distinguerentur inter se, et ab essentia divina, essentia divina haberet aliquid ex natura rei, per quod distingueretur ab attributo, et certum est quod realiter convenit cum eo : ergo essentia divina realem compositionem haberet, quod est inconveniens.

Identitas formalis major est identitate reali.

Respondeo quod identitas formalis, et realis major est, quam identitas tantum realis, quæ non est formalis, nunc autem quod aliquid conveniat, et sit idem alicui identitate minori, et quod differat non differentia opposita identitati, sed differentia opposita identitati majori, non est inconveniens. Imo per illud idem, quo aliquid convenit cum alio identitate minori, differre potest ab eodem differentia opposita identitati majori, et ideo essentia divina per idem realiter, quo convenit cum attributo identitate reali, potest per idem realiter differre ab eo differentia formali, quæ opponitur majori identitati, et ideo non sequitur quod habeat aliquid quo convenit, et aliquid quo differt ab attributo.

10. An detur distinctio specifica in Divinis.

Præterea arguitur sic : Illa quæ distinguuntur secundum formales rationes specificas, distinguuntur realiter; quod patet esse verum in creatis et etiam in Divinis, quoniam in creatis illa quæ distinguuntur genere et Prædicamentis, realiter distinguuntur; cum igitur species majorem entitatem includant quam genera, sequitur quod realiori differentia distinguentur, quæ specifice distinguuntur.

Hoc etiam apparet in Divinis, in quibus relationes oppositæ, specifice vel quasi specifice distinguuntur; sed si in Deo justitia et sapientia distinguantur præter operationem intellectus, specifice distinguuntur; tum quia ipsæ secundum se dictæ specifice distin-

guuntur, et infinitas non variat rationem formalem sapientiæ et justitiæ, ut concessum est : sic justitia et sapientia quamvis sint infinitæ in Deo, specifice distinguuntur; tum quia si relationes in Divinis, quæ sunt ibi præter operationem intellectus ex natura rei specifice distinguuntur, vel quasi specifice, eo modo quo ibi est ratio speciei, non videtur major ratio cui justitia et sapientia, si sint ibi ex natura rei, specifice distinguantur; ergo relationes realiter distinguuntur.

Respondeo quod in Divinis non est differentia specifica attributorum, quia quodlibet attributum est perfectio simpliciter simplex non resolubilis in alias. Unde in Deo non est genus, nec species præter sui intellectionem; nec justitia, nec sapientia secundum suas rationes formales specifice differunt; sed nec *verum* et *bonum*, quia æqualiter sunt transcendentia, licet enim ut sunt qualitates, specifice differunt, non tamen ut sunt communes Deo et creaturæ.

11. Sed dices, quod sicut in Divinis est ratio generis ut substantiæ et relationis, et etiam ratio speciei ut relationum, sic videtur esse differentia specifica, vel ratio differentiæ specificæ relationum.

Sed dico quod non est simile; quia relationes quasi specifice distinguuntur, quia sunt oppositæ, et præter rationes oppositionis, non sunt finitæ, nec infinitæ; quodlibet vero attributum est formaliter infinitum includens aliud, et ideo non possunt ibi distingui specifice.

Contra autem arguitur, quod attributa distinguantur ex natura rei, præter operationem intellectus, et per consequens quod in Divinis sit major distinctio quam conceptuum, quia illa distinctione, quæ est ex natura rei, distinguuntur; ergo, etc. Minor probatur, quoniam differentia est inter cognitionem intuitivam et abstractivam, quod cognitio abstractiva, quæ est per speciem non est rei, ut est existens, nec ut præsens est, sed indifferenter potest esse rei absentis et præsentis, sicut et species, in qua repræsentatur objectum, et relucet, sed cognitio intuitiva est rei existentis, ut existens est; cum igitur divinus intellectus, sive quicumque alius intellectus beatus videns essentiam divinam ut bonam, ut veram, ut sapientem, et sic de aliis, videat illam cognitione intuitiva et abstractiva, oportet quod videat eam, ut in se existentem, et ut habet formaliter rationem *veri* et *boni*, et cujuscumque alterius attributi.

An possit videri intuitive essentia sine attributis.

Confirmatur ratio, quia quæro : An ratio *veri* et *boni*, et aliorum attributorum præcedant in objecto intellectionem Beati et Dei, aut non? Si sic, habetur propositum, quod non distinguantur per operationem intellectus. Si vero non præcedant formaliter in objecto, cum formaliter ratio objecti cognitionis intuitivæ sit in objecto, et non causatum per intellectum, sequitur quod nec intellectus divinus, nec alicujus Beati videat essentiam divinam sub ratione *boni* aut *veri* cognitione intuitiva, sed solum cognitione abstractiva, qua 12.

fabricat tales conceptus; tunc igitur facerent sibi unam logicam de intentionibus fabricatis. Unde quod cognoscantur in essentia divina esse hujusmodi attributa, et tamen quod fabricentur, includit contradictionem.

Opinio Henric. quodl. 5. q. 1. et quodl. 13. q. 1. Dicitur, quod ratio *boni* et ratio *veri*, et sapientiæ formaliter est in essentia divina præter operationem intellectus, quia formaliter essentia divina præter operationem intellectus, sapiens est et bona in se, tamen distinctio illorum non est nisi per intellectum comparantem illa ad invicem, et ideo cognitio intuitiva est essentiæ divinæ, ut bona est in se formaliter, et sapiens. Sed cognitio intuitiva non est ratio distinctionis attributorum, sed cognitio secunda sequens simplicem apprehensionem, quæ est fabricativa.

13. Sed hoc non videtur solvere, quia formalis ratio objecti cognitionis intuitivæ, ut distincta est ab alia ratione, præcedit cognitionem intuitivam, quia cognitio intuitiva non est alia respectu objecti, ut habet in se distinctam rationem objectivam; igitur cum intellectus divinus et beatus videat essentiam divinam, ut bona est, et ut vera est, necesse est ut videat eam ut in se habet has rationes distinctas ante operationem intellectus.

Præterea: omne absolutum per se intelligibile ab aliquo intellectu, natum est facere conceptum univocum, quo perfecte intelligitur ab intellectu, sicut natum est ab illo intellectu intelligi, ut si sit intellectus, qui comprehendit objectum, tunc intelligitur objectum, quantum intelligibile est; si autem non comprehendit, tunc natum est facere conceptum in illo intellectu ita perfectum, sicut natum est ab illo intellectu intelligi: sed essentia divina est hujusmodi objectum respectu intellectus sui et beati, quia hoc potest etiam objectum creatum, ut lapis; igitur natum est facere in intellectu creato Beati unum conceptum, quo intelligatur secundum quod intelligibile est ab illo intellectu perfecte, et per consequens intellectus Beatus non fabricabit circa essentiam divinam diversos conceptus *veri* et *boni*, sed unico intuitu omnes illas rationes distincte apprehendit, videndo essentiam, in qua relucet eorum formalis distinctio, quæ est ex natura rei, licet non proprie dicatur distinctio realiter, nec realis.

SCHOLIUM.

Licet ubique, et sparsim per universam suam doctrinam Scotus dicat distinctionem hanc formalem inter essentiam divinam, et relationes atque attributa, et inter attributa sibi invicem comparata, præcedere omnem operationem et comparationem intellectus, et ex natura rei distinctionem hanc dari inter prædictas formalitates seu quidditates, attamen non admittit appellari distinctionem *realem actualem*, sed potius *realem virtualem*, de quo videri potest *in Oxon.* 1. *dist.* 2. *q.* 7. *n.* 43. Similiter in aliis locis potest consuli circa varias difficultates, quas in hac collatione breviter attingit. Primam, an scilicet principium unius rationis, quod ad plura ejusdem rationis se extendit determinetur ex se ad certum numerum illorum? habes *eadem q.* 7. *n.* 19. *in additione.* Secundam, de definitione *boni* a *vero*, et an sint objecta intellectus et voluntatis, vide *in* 4. *d.* 49. *q.* 4. *n.* 10. *et in* 1. *dist.* 3. *q.* 3. *n.* 7. *et in Metaph. lib.* 6. *q.* 3. *n.* 3. Tertiam, si

distinctio, aut identitas objectorum distinguat, aut identificet potentias? 1. *dist.* 3. *q.* 3. *ad* 1. *et* 2. *dist.* 24. *q.* 1. *ad* 2. Quartam, an infinitas inducat in attributis identitatem formalem, et proinde necessario omnia simul videri? 1. *dist.* 8. *q.* 4. *n.* 17. Quintam, an ex ratione productionum inferatur distinctio intellectus et voluntatis in Deo? *dist.* 2. *q.* 7. *a n.* 18. Sextam, an distinctio formalis inferat compositionem, et an identitas formalis sit major identitate reali? *dist.* 8. *q.* 4. *a n.* 22. *et dist.* 2. *q.* 7. Septimam, an distinctio formalis inferat specificam, et an detur distinctio specifica, vel quasi specifica in Divinis? *in* 2. *d.* 3. *q.* 4. *n.* 18. *et in* 1. *dist.* 26. *n.* 48. Demum nihil ferme est quod faciat in hac opinione de distinctione formali difficultatem, quod hîc non insinuet breviter, et dissolvat.

14. Præterea arguitur per responsionem illius, qui respondet : Illa distinctio, quæ est ex natura rei, major est illa, quæ est tantum conceptuum. Sed distinctio attributorum in Deo et personarum est ex natura rei; igitur, etc. Minor vera est, quantum ad distinctionem personarum patet; quantum ad distinctionem attributorum probatur sic : quia quandocumque aliquæ operationes et productiones distinguuntur ex rei natura, oportet quod principia illarum operationum distinguantur ex natura rei, quia idem realiter ex natura rei non potest esse principium diversarum operationum differentium ex natura rei : sed productio Filii et Spiritus sancti sunt differentes ex natura rei; ergo cum principium productionis Filii sit intellectus paternus, et Spiritus sancti sit voluntas, oportet quod intellectus et voluntas in Deo distinguantur ex natura.

Sed dices, quod major non est vera, quia Sol per idem principium producit diversas species, diversificatur ex natura rei in hoc, quod producit illa. Sed hæc responsio excluditur per rationem superius factam ad conclusionem. Unde ista ratio efficaciam sumit ex illa ratione, et patet quomodo ista ratio tenet per illam ibi positam.

COLLATIO XXXVII.

Utrum in essentia possit esse aliqua persona producta?

Alens. 1. *p. q.* 15. *memb.* 5. D. Bonav. *hîc art.* 1. *q.* 2. Richard. *q.* 1. D. Thom. 1. *p.* 39. *art.* 2. Henr. *quodl.* 61. *q.* 1. Doctor. *in Oxon. hic q.* 6. et *in Theor.* §. Non potest probari. Suarez 1. *part. tract.* 3. *lib.* 4. *cap.* 1.

Quod non videtur; quia illa productio aut terminaretur ad personam absolutam, aut respectivam : non autem ad personam absolutam, quia tunc in persona esset realis compositio ex essentia, et aliquo alio reali absoluto. Nec terminatur ad aliquod respectivum, quia respectus non potest esse terminus motus, sicut nec principium *ex* 5. *Physic. text. com.* 10. ergo, etc. 1. Argum. primum pro parte negativa.

Dicitur, quod non est simile de respectu in Divinis et in creatis, quia in Deo subsistens in essentia constituit personam subsistentem, non sic autem in creatis. Aristoteles. Responsio.

Contra : Quandocumque formalis ratio geniti non est ratio substantialis, productio illius non potest dici generatio substantialis, ut patet inductione in creatis. Unde si calor sit formalis ratio calidi producti, ejus generatio dicetur calefactio, et sic de aliis. Si igitur Rejicitur.

formalis ratio Filii geniti in Divinis esset relatio, sequeretur quod generatio Filii in Divinis non sit substantialis.

2. Quid est primus, et quid formalis terminus generationis. Ideo dicitur sic ad has rationes, quod non est idem esse primum terminum alicujus productionis, et esse formalem terminum productionis, quia primus terminus productionis est hoc aliquid per se subsistens : et hoc secundum Philosophum 1. *Phys. c.* 7. *et* 7. *Met. c.* 8. est compositum, quod primo generatur, et ad quod primo terminatur generatio; sed formalis terminus productionis est illud in quo productum assimilatur producenti. Unde calor est formalis terminus calefactionis, sed calidum est primus ejus terminus. Sic dico in proposito quod primus et per se terminus generationis in divinis est ipse Filius et persona; sed formalis terminus est ipsa essentia, quia non video quomodo realis productio terminetur ad relationem, sicut ad formalem terminum, non enim esset productio, sed tantum adauctio. Unde ipsa essentia per productionem communicatur Filio, et est formalis terminus productionis, quia ut dicitur in Evangelio, *Quod Pater dedit Filio, majus omnibus est*, et hoc est essentia.

Aristot.

In divinis assignantur hi termini.

Joan. 10. 29.

3. Objectio prima. An relatio possit esse terminus formalis productionis divinæ. Sed contra : Illud est formalis terminus productionis, in quo productum assimilatur producenti. Ista autem assimilatio personarum non potest esse præcedens essentiam, sed præcedens relationem potius, quia similitudo requirit unitatem et distinctionem, nihil enim simile est sibi. Unitas autem non est formale in similitudine, quia hæc unitas est a parte fundamenti, a quo relatio non habet suam rationem formalem; ergo formale in similitudine erit distinctio, et per consequens Filius assimilabitur Patri formalius per relationem, qua distinguitur a Patre, quam per essentiam, qua non distinguitur ab eo, et sic relatio, ut videtur, est formalis terminus productionis Patris.

4. Objectio secunda. Præterea, formalis terminus productionis sequitur productionem, et est posterior productione : sed essentia non sequitur productionem Filii sed præcedit, nec etiam sequitur similitudinem, sed est fundamentum ejus; ergo, ut videtur, essentia non est formalis terminus Filii producti.

Respondetur ad primam objectionem. Respondeo ad primum, quod assumptum est falsum, unitas enim est illud, quod est formalius in similitudine, et fundamentum dat *esse* formalius relationi quam *esse ad aliud*, quia in hoc conveniunt omnes relationes, scilicet per *esse ad aliud*, et non in unitate fundamenti, unde fundamentum formalius intrat rationem relationis quam *esse ad aliud*.

5. Instantia pro prima objectione. Contra : Illud formalius intrat rationem formalem relationis, a quo relatio specificatur : relatio autem non specificatur a fundamento, sed ab opposito et termino; magis igitur, etc.

Solvitur. Respondeo, quod licet relationes disparatæ possint fundari super eodem fundamento, et ideo non distinguantur specifice per rationem fundamenti; relationes tamen communes, quæ fundantur super

unitatem formaliter magis respiciunt fundamentum, prout duo extrema fundantur super idem.

6. Respondetur ad secundam objectionem. An essentia divina sequatur processionem?

Ad aliud dicitur, quod licet essentia secundum se considerata sit prior productione Filii, ut tamen est in Filio, sequitur productionem Filii.

Aliter etiam potest dici ad rationem, quod sicut propter infinitatem, et illimitationem essentiæ, ipsa potest esse fundamentum relationum oppositarum, ita propter sui illimitationem potest esse formale principium communicandi se ipsam, ut formalem terminum, et ita sequi suam communicationem.

7. Argum. 2. pro parte negativa. An esse Filii sit ab alio.

Præterea, secundo ad principale arguitur sic : *Esse* Filii aut est ab alio, aut non est ab alio. Si *esse* Filii non sit ab alio; igitur Filius non producitur ab alio, quia quicumque ab alio producitur, suum *esse* est ab alio. Si vero *esse* Filii sit ab alio, ut Patre, cum impossibile sit, quod idem sit a se ipso realiter, sequitur quod non sit idem *esse* Filii, et *esse* Patris; quod est impossibile, quia in Divinis est tantum unum *esse*.

Responsio.

Dicitur quod *esse* subsistentiæ Filii est ab alio, videlicet a Patre, et ideo Pater et Filius non habent idem *subsistere;* sed *esse* existentiæ Filii, quod est essentialiter in tribus personis, non est ab alio, sed consequitur essentiam, ut essentia est.

Alia responsio.

Aliter dicitur, quod hæc, *esse Filii est ab alio*, est distinguenda secundum sensum compositum et divisum, et in sensu composito vera est, quia *esse* ut est Filii est a Patre; et sic sequitur conclusio vera, quia aliud est *esse* Filii, ut Filius est, et aliud est *esse* Patris, ut Pater est. In sensu vero diviso, falsa est, quia significat quod *esse* sit a Patre, et quod illud sit Filii, et sic non sequitur, quod Filius non sit a Patre.

SCHOLIUM.

Omnes difficultates, quas hîc attingit Doctor, videlicet an essentia sit formalis terminus generationis in Divinis? et an essentia divina, prout est terminus generationis, sequatur, vel antecedat processionem personæ productæ? et an *esse* Filii sit ab alio? late examinat Scotus *in Oxonien. lib.* 1. *dist.* 5. *q.* 2. Aliquas vero responsiones, quas hîc exhibet, ex aliorum profert sententiis.

8. Averroes. Argum. 3. An in Divinis detur notitia genita distincta a gignente.

Præterea tertio arguitur sic per rationem Commentatoris 12. *Metaph. c.* 39. In Divinis si Filius produceretur a Patre, seu Verbum, hoc est per actum intellectus, et sic esset ibi notitia alia genita realiter differens a gignente : sed hoc est impossibile, ut probatur per rationem Commentatoris ubi supra; ergo, etc. Probatio assumpti : Quandocumque potentia et objectum sunt idem realiter, ibi actio medians erit idem realiter cum utroque extremo, et ideo patet quod in separatis a materia, in quibus intellectus et intellectum sunt idem, quod in eis intellectio est eadem. Et hoc probatur sic : quia plus differunt extrema, quam media, sed notitia mediat inter potentiam intellectivam et objectum; ergo si hæc sunt eadem, medium erit idem cum eis. Cum igitur in Patre essentia divina, quæ est objectum intellectus paterni, sit eadem realiter cum intellectu

paterno, sequitur quod notitia medians sit eadem realiter, et per consequens non erit alia notitia genita realiter, differens a Patre.

Hæc autem ratio potest formari aliter, ut majorem difficultatem includat sic : Quæcumque potentia et objectum sunt suppositive, et in eodem supposito seu identitate, oportet quod actio medians sit eadem suppositive, et in eodem supposito, quia non est transiens, et intellectus Patris et essentia sunt idem suppositive; igitur notitia, qua novit essentiam suam, erit idem suppositive, et per consequens una erit notitia genita constituens aliam personam.

9. Confirmatio. Confirmatur hæc ratio, quia notitia qua Pater novit essentiam suam, aut est perfecta, aut non, sed aliquo modo expectat notitiam perfectiorem? Si vero sit notitia omnino perfecta, quæ est in Patre; igitur non requirit notitiam ulteriorem tanquam alium terminum, et sic non erit alia aliqua a Patre genita. Si vero notitia Patris non sit perfecta; igitur non perfecte Pater notitia sua novit essentiam suam, quod non est verum.

Respondetur ad tertium argumentum. Respondeo quod falsum accipitur, quod quando potentia et objectum sunt idem realiter, quod actus medians sit idem realiter : primo, quia actus medians aliquando plus potest differre a potentia et ab objecto, quam objectum et potentia, quia sive objectum cum potentia causet actum intelligendi, sive objectum sit totalis causa, agentia duo particularia, vel activum et passivum plus conveniunt, quam actio illorum cum altero.

Similiter secundum veritatem, quando anima, aut Angelus intelligit se, ibi actus differt, et tamen idem sunt intellectus et intellectum, licet Commentator diceret, quod non, ponens quod separata a materia non sunt receptiva accidentium, etiam quando dicitur, quod medium non tantum differt ab extremis, sicut extrema inter se. Dicendum quod hoc verum est de medio proprie, ut est in naturalibus, ubi transitur ab extremo ad extremum per medium, non sic autem est quando aliquid intelligit se; non enim intellectus existit extra se, quasi stans ante se, ut sic actus mediet inter se, ut intellectus est, et ut intellectum est, nec sic reflectit se supra se, sed solum quia actus quo cognoscit se, recipitur in eo, dicitur supra se reflectere. 10. Qualite[r] differa[t] medium [ab] extremis.

Sed quando arguitur, quod quando intellectus et intellectum sunt idem, quod tunc intellectio et *intelligere*, sive notitia erit idem cum eis suppositive. 11.

SCHOLIUM.

Potissima quæ hîc pertractat Doctor de notitia ingenita in Patre, et de notitia genita per se subsistente in persona distincta, per quam Pater nullo modo perficitur, qui prius origine a se habebat omnem perfectionem, late prosequitur ipse *in scripto Oxoniensi lib.* 1. *dist.* 2. *q.* 7. *a num.* 4.

Dicendum, quod in Patre est alia notitia eadem cum essentia et cum Patre, sed tamen præter illam oportet ponere aliam genitam. Primum ostenditur per hoc, quia Pater beatus est et perfectus notitia, et amore suo et non aliquo geni- In patr[e] est una [no]titia inge[ni]ta, præt[er] quam e[st] alia genit[a].

to; non enim Pater sapit sapientia genita, secundum Augustinum 15. *de Trin. c.* 7. unde Pater non beatificatur per Verbum, sed in actu suo qui est intellectus et voluntatis, et ideo in Patre est notitia, quæ est eadem cum Patre.

August.

12. Dico tamen, quod præter illam oportet ponere notitiam genitam, quia quandocumque aliquid habet principium productivum alicujus, si illud principium quasi producat aliquid, non tamen realiter oportet quod habeat terminum quem realiter producat, cum sua virtus non sit exhausta ex priori productione, ut si ponatur quod sit alia notitia consubstantialis animæ nostræ, quam aliqui secundum Augustinum *de Spiritu et Anima. c.* 7. vocant notitiam abditam, quæ sit quasi, et non realiter producta; nihilominus animæ memoria erit productiva notitiæ simpliciter distinctæ. Nunc autem memoria perfecta Patris quasi producit notitiam Patris, sed non realiter, quia est eadem cum memoria Patris; igitur cum sit principium perfectum producendi, et sua virtus non sit exhausta, sequitur quod producit realiter aliam notitiam, quæ sit simpliciter genita.

[Au]gust. vel [ali]quis a[liu]s hujus [lib]ri auctor.

13. Et hæc ratio confirmatur per rationem superius factam in collatione de memoria, quod in quocumque est summum, in perfectione est principium productivum.

[Vi]de collat. 26.

Per hoc patet ad confirmationem, quod notitia Patris perfecta est, sed propter perfectionem suam ut perficiatur, non producit aliam notitiam, sed hoc est ex plenitudine suæ perfectionis.

[Ad] confir[m]ationem.

Præterea arguitur sic quarto: Cujuslibet rei perfectio ultima consistit in sua operatione, ut patet *ex* 10. *Ethic. c.* 7. *et* 8. Sed propria operatio naturæ rationalis est notitia, et actus intelligendi; igitur ultimata perfectio Patris, qui habet naturam rationalem perfectissimam, consistit in notitia sua, qua perficitur; igitur non habet ulteriorem terminum ad sui perfectionem, et per consequens Pater præter sui perfectionem non producit aliquam notitiam genitam aliam a se, cum illa non perficiatur.

Argum. 4.

Aristoteles.

An in divinis Pater perficiatur sua operatione.

Confirmatur hæc ratio, quia secundum Philosophum 1. *Ethic. c.* 2. in finibus subordinatis semper ille finis, qui est perfectio operantis, est perfectior, ad quem alii fines subordinantur; igitur in Divinis notitia Patris non habebit aliquem finem, aut terminum productum non habentem *esse* in Patre suppositive, et per consequens non erit ibi notitia genita constituens aliam primam.

Confirmatio. Aristot.

Respondeo, quod secundum Avicennam 6. *Metaph. cap. ult.* omne agens ut perficiatur exspectans aliquid ex sua operatione est agens imperfectum, et non agens liberaliter ad modum in actibus humanis, quo ille non dat liberaliter, qui in dando exspectat aliquid, sed ille tantum qui nihil retributionis exspectat, et ideo agens perfectum sine imperfectione, sic agit liberaliter quod non perficitur, nec exspectat perfici sua actione. Cum igitur omne agens imperfectum reducatur ad agens perfectum et liberalissimum, quod est primum agens,

14. Ad argum. 4. Avicen.

oportet quod primum agens sic liberaliter producat, ut sua productione et operatione non perficiatur, et ideo Pater qui est agens perfectissimum, liberalissime agens, non perficitur sua actione.

Ideo dico, quod Pater non perficitur productione Filii, sed in se est beatus, non indigens Filio, nec productione Filii ad suam beatitudinem, sed est propria notitia et dilectione perfectus, cum ex plenitudine suæ perfectionis necessario communicat essentiam suam Filio, sicut Sol necessario producit aliud hîc inferius. Non igitur agit Pater propter ulteriorem perfectionem, qua perficiatur, sed ex plenitudine suæ perfectionis producit Verbum.

Ad confirmationem. Aristoteles. Ad confirmationem dicendum, quod verum est quod Philosophus 10. *Ethic.* c. 7. *et* 8. posuit ultimum finem, et perfectionem esse immanentem ut actum intelligendi, et quod non producatur alius terminus, sed nos, qui ponimus Deum agere liberalissime, habemus dicere, quod ex plenitudine suæ perfectionis per notitiam suam producit notitiam aliquam genitam per se subsistentem.

15. Argum. 5. Præterea arguitur sic quinto : Quæcumque uni et eidem sunt eadem, inter se sunt eadem; igitur cum Pater et Filius in Divinis sunt idem essentiæ, inter se erunt idem, et sic unus non producitur ab alio.

Solvitur. Explicatur illud axioma : Quæcumque sunt eadem. Respondetur primo logice, quod sicut super illam primam : *Quæcumque uni et eidem sunt eadem,* etc. fundantur syllogismi necessario concludentes, ita etiam paralogismi et sophismata non necessario concludentes. Unde ad hoc, quod hæc sit vera, requiritur quod extrema uniantur in medio secundum aliam unitatem, et medium in se habeat illam unitatem; et tunc sequitur unio extremorum inter se secundum unionem eorum in medio, aliter enim non sequitur conclusio, ut si arguatur : Homo est animal, asinus est animal; ergo homo est asinus, vel, igitur asinus est homo, non sequitur. Nunc autem cum accipitur, quod Pater est essentia, Filius est essentia, uniuntur Pater et Filius in essentia secundum *esse* subsistentiæ, et hanc unitatem non habet essentia de se, sed tantum *esse* existentiæ, et ideo non sequitur, quod Filius sit ille, qui Pater, secundum *esse* subsistentiæ, sed tantum sequitur quod Pater sit illud, quod Filius secundum unitatem medii. uni tert etc. Vide Sc in 1. dist q. 7. n.

Aliter dicitur ad rationem, quod quando aliqua uniuntur in aliquo illimitato, non sequitur eorum unio inter se, sicut non sequitur in mensura illimitata, ut de æternitate idem præteriti et futuri. Similiter Deus est illimitatus quoad locum, ideo non sequitur quod quæ sunt simul cum eo, quod sint simul in eodem loco. Similiter anima propter quamdam sui illimitationem est in qualibet parte corporis, ideo non sequitur quod pars carnis in manu et in pede sint simul; sicut in proposito essentia divina formaliter est infinita, et propter sui illimitationem communicatur pluribus personis, et relationes quibus constituuntur, non sunt per-

fectiones simpliciter; ideo non sequitur, quod si personæ sint eadem cum essentia illimitata, quod sint eadem inter se.

16. Argum. 6. Præterea aliter arguitur sic : Vel in constituendo excedit relatio rationem suæ formæ, quod tum contingeret, si relatio constitueret primam substantiam, quia tunc excelleret relatio propriam rationem relationis, et propriam perfectionem.

Respondetur. Respondeo, quod secunda substantia communicabilis est pluribus, et etiam est divisibilis, quia dividitur omni communicatione. Prima autem substantia habet oppositas conditiones, quia nec communicabilis est, nec dividitur in plura numero. Relatio vero constituit primam substantiam, non quantum ad hoc quod est esse communicabile, quia hoc convenit essentiæ secundum se, sed quantum ad rationem non divisibilitatis; et hoc non est perfectio simpliciter, et ideo relatio constituens primam substantiam, quantum ad hanc rationem, non excedit suam virtutem, quia ipsa est incommunicabilis.

COLLATIO XXXVIII.

Utrum in Divinis Filius generetur de substantia Patris, quasi de materia?

Alens. 1. *part. quæst.* 42. *membr.* 4. *art.* 2. D. Thom. 1. *part. q.* 41. *art.* 3. Henric. *in sum. art.* 5. *quæst.* 3. D. Bonav. *in* 1. *dist.* 5. *art.* 1. *quæst.* 2. Richar. *ibid. quæst.* 3. Capreol. *quæst.* 1. Gregor. *quæst.* 2. *art.* 2. Doctor *in Oxon. et Parisien. ibid. quæst.* 2. *et collat.* 27. *et* 9. *Metaph. quæst.* 10. 11. *et* 13. Suarez 1. *part. tract.* 3. *lib.* 6. *cap.* 6. Vasquez 1. *part. disput.* 162.

1. Quod sic videtur : Quandocumque ex duobus fit unum, oportet quod unum concurrat ut actus, et reliquum ut potentia *ex* 7. *Metaph. text. comm.* 49. sed relatio et essentia concurrunt ad constitutionem personæ Filii, ergo alterum ut actus, et alterum ut potentia, sed respectus non concurrit ut potentia; ergo essentia habebit rationem potentiæ, et relatio rationem actus : sed idem est subjectum generationis et formæ terminantis eam; igitur, etc.

Argumentum primum pro parte affirmativa. Aristoteles.

An essentia respectu Patris habeat rationem materiæ aut potentiæ?

Præterea, eadem difficultas sub alia forma sic arguitur : Quandocumque aliqua duo sic se habent, quod unum inest alteri, illud cui alterum inest, habet modum sive rationem materialis, quia subest alteri : sed relatio inest essentiæ, et essentia quasi subest relationi; igitur habet modum materiæ respectu relationis.

Præterea, sub alia forma idem arguitur sic : Quandocumque aliquid est indifferens ad diversas rationes explicabiles de eo, se habet ad illas ut potentiale : sed essentia secundum se est indifferens ad diversas rationes, et proprietates relativas explicabiles circa essentiam, quarum nullam in conceptu suo formaliter includit; ergo, etc.

Major probatur, quia quando aliquid sic est indifferens ad diversas proprietates, circa ipsam explicabiles, nullam includit in conceptu suo. Unde nec essentia divina ut essentia est, includit proprietatem aliquam relativam formaliter; ergo proprietas relativa non est formaliter inclusa, nec per se primo modo in conceptu illius; ergo se habet ad illud per se secundo mo- 2.

do : sed in secundo modo illud quod comparatur alteri, quod per se sibi inest, habet rationem subjecti et materialis : ergo, etc.

Præterea, sub alia forma arguitur sic : Illud, quod est medium inter producens et productum, habet rationem subjecti et materialis respectu productionis, quia si est medium, aut ergo ut medium materiale, de quo producens producit, aut ut medium formale et consubstantiale, de quo producit. Si primum, habetur propositum. Si secundum, contra, si habet rationem medii consubstantialis; aut igitur ut consubstantiale Patri; aut ut consubstantiale Filio? Non ut consubstantiale Patri, quia sic habet rationem incommunicabilis ; nec ut est in Filio, quia secundum rationem debet præcedere.

Ad ista dicitur per idem, quod ex essentia et relatione fit unum, non sicut ex potentia et actu, sed sicut ex fundamento et relatione, et similiter relatio est in essentia, non sicut in subjecto, sed sicut in fundamento, et hoc non est *esse in* sicut in subjecto, quia relatio quando est in aliquo sicut in subjecto, illud denominat et refertur, relatio autem non dat *esse* relatum essentiæ, sed personæ, quia essentia non refertur, nec dicitur esse ad aliud.

3. Objectio. Sed contra hoc arguitur sic : Quandocumque ex aliquibus duobus est aliquid unum, quod est in se magis unum, quam sunt illa ex quibus est, ut distincta sunt, necesse est ut alterum sit ut potentia, et alterum ut actus ; sed ex essentia et relatione est persona, quæ est in se magis unum quam essentia et relatio, ut intelliguntur distincta et separata, quia in se persona est formaliter una. Non sic autem essentia et relatio, ut intelliguntur distincta secundum suos conceptus, quia conceptus unius non est formaliter conceptus alterius; ergo alterum erit potentia respectu alterius, aut modum potentiæ habens.

Sed quia major negatur, probatur sic : Quandocumque aliquid est ex aliquibus, si non est præcise hoc, nec præcise illud, oportet quod sit aliquid præter illa, ita quod aliquid sit in illo toto præter illa; igitur si persona sit ex essentia et relatione, non est præcise altera, oportet quod sit aliquid aliud, illud aliud autem est aliquid absolutum, aut relativum? non absolutum, quia tunc in Divinis essent plura absoluta. Sed relatio est habitudo illorum ex quibus componitur; aut igitur habitudo ad extra, aut habitudo ad intra? Non ad extra, quia per habitudinem ad extra accipitur unitas intrinseca ; ergo per habitudinem ad intra. Sed habitudo aliquorum ad intra, non potest esse causa, quare faciunt unum si sit, quia hic est actus, et illud potentia.

Ista ratio declaratur in exemplo de composito aliquo, ut de igne, qui componitur ex materia et forma, et est magis unum quam materia et forma, ut sunt distincta, quarum neutra est præcise. Et ideo requiritur aliquid aliud ad hoc, quod sit in igne præter illa, ut unio istorum, sine qua non est ignis, licet non formaliter per illam, quia tunc esset formaliter 4.

per relationem, et habitudo istorum ad invicem est potentiæ ad actum.

Quo modo relatio est in essentia? Præterea : Philosophus ponit octo modos *essendi in* vel inessendi, et non videtur quod ad aliquem istorum modorum possit reduci modus, quo relatio est in essentia, nisi ad primum, quo aliquid est in alio, ut forma in materia.

Respondetur ad objectionem. Dicitur quod non, quia infinitum, inquantum infinitum non habet informari, nec determinari; tale autem est essentia, ideo reducitur ad illum modum essendi, in quo totum dicitur esse in aliquo, et pars ejus, licet non primo, sed per se, et ideo sicut persona primo et per se est in essentia, sicut suppositum in natura, ita relatio per se, licet non primo est in essentia eodem modo *essendi in*.

5. Objectio. Contra : eo modo quo relatio est in essentia, ex eis constituitur unum ; sed ex essentia et relatione non constituitur unum ut ex natura et supposito; ergo relatio non est in essentia, ut suppositum in natura.

* Num. 2. Item dictum est prius *, quod relatio est in essentia ut in fundamento; hæc autem non reducitur ad modum *essendi in*, quo suppositum est in natura.

Altera objectio. Præterea, quando aliquid dividitur secundum diversas divisiones, necesse est ut una divisio contineatur sub alia, quia prima divisio non est nisi per duas divisa. Unde si substantia dividatur per corporeum et incorporeum, et per animatum et inanimatum, oportet quod una divisio contineatur sub alia : si igitur potentia et actus sint differentiæ unius, et similiter fundamentum et relatio, oportet ut altera divisio contineatur sub alia : sed potentia et actus non continentur sub fundamento et relatione, sed sunt communiora; igitur oportet ut e converso fundamentum, et relatio contineantur sub actu et potentia, et sic si persona sit ex essentia et relatione, oportet quod sit ex actu et potentia.

Præterea, ad principale arguitur sic : Productio quæ est per propagationem, qua vivum est ex vivo, et Filius a Patre, nobilior est generatione, quæ communis est animatis et inanimatis; igitur illud per quod propagatio distinguitur a generatione, nobilius est in propagatione ; sed propagatio non distinguitur a generatione per communicationem formæ, quia communicatio formæ in genere est inanimatorum, ut quando ignis ex ligno generat ignem; ergo propagatio distinguitur a generatione, non per communicationem alicujus formalis, sed alicujus communis producenti et producto, quod non est formale, et per consequens materiale. Unde in generatis per propagationem semper generans communicat aliquid de substantia sua, de quo ut de materia producit Filium; ergo cum generatio in Divinis sit vera propagatio Filii a Patre, oportet quod illa fiat non solum per communicationem alicujus formalis, sed alicujus quasi materialis, quod est commune producenti et producto, et hæc est essentia. 6. Argumen. 2. principale. Per quid distinguitur propagatio in animatis et inanimatis?

Dicitur, quod propagatio, quæ est in animatis distinguitur a ge- Respondetur ad 2. argumen-

tum. Vide Scot. 1. d. 5. q. 2. n. 13. neratione, quæ est in inanimatis, per hoc quod in generatione propagans communicat aliquem terminum formalem, qui erat pars sui, et aliquid ejus; quod autem communicet illud ut materiale principium, de quo fiat genitus Filius, hoc accidit, sicut quando bos generat per decisionem seminis, semen est terminus, et si esset perfectum agens, potuisset immediate generasse bovem. Unde accidit, quod sit materiale principium, quia tamen non immediate potest generare bovem, quia natura agit ordinate ab imperfecto ad perfectum deducendo, ideo oportet quod communicet aliquid, quod est materiale respectu geniti. Unde generans per propagationem, vel immediate de sui substantia producit formalem terminum perfectum vel terminum, in quo virtualiter continetur genitum, et ideo distinguitur propagatio a generatione inanimatorum, non solum propter communicationem principii materialis (imo hoc est accidentale generationi per propagationem, ut dictum est) sed in communicando formalem terminum, quia propagans communicat formalem terminum partem sui : non sic generans inanimatum, quia de aliena materia producit terminum formalem, et ideo cum Pater in Divinis sit perfectum, propagans communicabit terminum formalem sine materiali principio.

7. Argum. 8. Præterea, illud quod producitur, et non de aliquo consubstantiali et materiali creatur : sed relatio et proprietas, qua constituitur, producitur per generationem, et non de aliquo sibi consubstantiali, quia relatio relationi non est consubstantialis; ergo si non producitur de aliquo quasi materiali, ut de essentia; ergo creatur, quod falsum est.

Præterea, essentia respectu illius, quod non habet a se, sed ab alio, habet rationem materialis : sed essentia non habet relationem a se, sed ab alio, scilicet a Patre, quia quidquid Filius habet, ab alio habet, et quidquid essentia ut est in Filio habet, ab alio habet; ergo cum Filius habeat relationem, et essentia in Filio habet relationem, ergo ab alio habet, ut a Patre; ergo habet modum recipientis respectu illius. Argum. 9.

8. Quintum. Præterea, non solum Filius dicitur esse de substantia Patris, sed e contra Pater de substantia sua generat Filium, et producit Filium : ista autem productio sicut est a potentia productiva Patris, ita est in aliquo, et quasi recipitur in alio : sed illud, in quo perfectio Filii recipitur, habet modum materialis, et receptivi respectu illius; ergo, etc.

Confirmatio. Confirmatur : Ista productio est in essentia, non autem ut est in Filio, quia præcedit, nec ut in Patre ut Patris est, quia sic est ab eo; ergo erit in essentia, ut est medium quasi inter Patrem et Filium productum, et sic essentia habebit rationem subjecti, in quo recipitur productio, ut quasi subjectum generationis.

SCHOLIUM.

In hac collatione potissimis utitur rationibus Henrici et Goffredi, quibus probant Fi-

lium generari de substantia seu de essentia Patris, ut de quasi materia, et essentiam se habere in Filio quasi subjectum generationis, quorum argumentis aliorum adhibet solutiones, suam autem vel data opera omisit, vel collationem non absolvit. Si quæ tamen hîc desunt, videri possunt in utraque lectura Oxoniensi et Parisiensi *dist.* 3. *quæst.* 2. ubi docet simpliciter et absolute dici posse Filium generari de substantia Patris, non tamen ut de materia, vel quasi materia. Quod vero hîc sequitur in argumento sexto, an essentia sit primus, an vero formalis terminus generationis in Divinis, docte expendit ibid. in Oxonien. *a num.* 5. *et quodlib.* 2. *art.* 3. et quod opponit in argumento 7. de ratione totius et partis in Divinis, diffuse tractat in Parisiensi 1. *dist.* 19. *quæst.* 4. ubi a Divinis rejicit omnem rationem materiæ et formæ, et potentiæ receptivæ.

9. Sextum. Præterea, essentia non est formalis terminus generationis seu productionis in Filio, sed relatio; igitur cum non sit primus terminus productionis, et concurrat ad generationem, oportet quod concurrat in ratione subjecti generationis. Assumptum probatur per hoc, quod formalis terminus per se producitur, nec primus terminus producitur, nisi ratione formalis termini, sicut nec calidum producitur, nisi ratione caloris; essentia autem per se non producitur, sed solum si dicatur produci, hoc est per accidens ratione, qua relatio subsistit in ea, cum qua constituit suppositum productum. Unde Filius non producitur per se ratione essentiæ, sed ratione relationis, sicut nec compositum dicitur generari ratione materiæ per se, sed solum per accidens, ratione vero formæ per se.

Septimum. Præterea, in Divinis est ratio totius et partis, laxato nomine *totius* et *partis*; ergo ibi est ratio formæ et materiæ, laxato nomine *formæ* et *materiæ*. Consequentia patet, quia per Philosophum 2. *Physic. text. comm.* 31. et 5. *Metaphysic. text. com.* 3. partes reducuntur ad genus causæ materialis, sicut totum ad genus causæ formalis. Antecedens probatur: Tum per hoc, quod sponsus alloquens sponsam in Canticis ait, et *totus desiderabilis*: tum per hoc, quod dicitur in symbolo *totæ tres personæ coæternæ sibi sunt*. Unde bene dicitur: Totus Pater et totus Filius, tum quia secundum Philosophum, *totum* et *perfectum* idem sunt, vel consequuntur se; sed natura perfectionis conceditur in Deo, quia vere dicitur perfectus Deus, sicut perfectus homo, et perfectus Pater, et perfectus Filius; igitur ibi conceditur esse ratio totius: et si ratio totius; ergo est ratio Patris, quia secundum Avicennam 5. *Metaphys. com.* 2. totum dicitur respectu partis simpliciter. Unde laxato nomine, vel ratione *partis* ad rationem cujuslibet quasi contenti sub ratione perfectionis et complementi in se, sic potest transferri ad Divina. Deus enim Trinitas habet in se multitudinem attributorum, personarum, et principalium proprietatum sub una ratione *esse* perfectissimi. *Videntur aliqua deesse.*

Aristoteles. Cantic. 16. Symbol. Athan. Avicenna.

COLLATIO XXXIX.

Utrum Verbum in Divinis producatur per actum intellectus formati notitia simplici agentis in intellectum nudum conversum supra se, ut informatum notitia simplici ?

Henric. *in summa, art.* 54. *et in quodlib.* 6. *quæst.* 1. *et quodlib.* 2. *quæst.* 6. Doctor *in Oxon. lib.* 1. *dist.* 2. *quæst.* 7. *a num.* 13. *et d.* 3. *quæst.* 7. *et d.* 5. *quæst.* 2. *et d.* 27. *quæst.* 1.

SCHOLIUM.

Hæc quæstio non differt a priori, nisi quia ibi quæritur de Filio, hîc autem de Verbo.

1. Argum. 1. pro parte negativa. Quod non, arguitur : quia intellectus divinus non convertit se supra intellectum informatum notitia simplici, nisi ut habet *esse* particulare in aliqua persona, quia sicut intellectus est quo aliquid convertit et agit, ita est alicujus suppositi agentis. Actio enim non est nisi suppositi; intellectus ergo ut convertitur supra se informatum, aut est in supposito Patris, aut in supposito Filii. Si in supposito Patris; ergo notitia declarativa, quæ est Verbum, imprimetur ab intellectu informato notitia simplici in intellectum conversum, ut Patris est; et sic Pater esset sapiens sapientia genita, quod est contra Augustinum 15. *de Trinit. c.* 6. (Augustinus.) Consequentia probatur, quia passivum approximatum activo, secundum hoc quod natum est pati et illud agere, necessario patitur ex 9. *Metaph. cap.* 6. (Aristoteles.) sed secundum tenentes istam opinionem, intellectus, ut conversus supra notitiam simplicem est potentia propinqua passiva, quasi receptiva impressionis notitiæ declarativæ, ab intellectu informato notitia simplici, eam imprimente; ergo si intellectus ut sic conversus sit in supposito Patris, sequitur quod Verbum et notitia declarativa imprimetur in intellectum Patris ut Patris est.

Hæc etiam ratio formaretur aliter 2. sic propter responsionem, quæ potest dari. Cujuscumque personæ est intellectus, ut conversus supra memoriam perfectam, in intellectum ejus imprimitur notitia declarativa ; si ergo intellectus conversus supra notitiam simplicem, quæ tenet secundum eos locum memoriæ, sit intellectus Patris ut Patris est, sequitur ut prius, quod in intellectu Patris ut Patris est, imprimatur Verbum et notitia declarativa. Major patet, quia in quocumque est proprium receptivum alicujus, necesse est ut in illo mediante tali receptivo recipiatur illud : si ergo secundum eos notitia declarativa imprimatur in intellectum nudum et conversum supra se ut informatum, necesse est ut intellectum illius personæ in qua est, imprimatur Verbum ; ergo patet quod cujus personæ est intellectus nudus conversus supra se, ut informatum, quod in intellectu ejus imprimitur notitia declarativa.

Confirmatio. Confirmatur ratio : si aliquod est receptivum proprium alicujus formæ, de quo producitur et in quo recipitur, necesse est quod illud suppositum, in quo est illud receptivum, quod sit tale per illam formam, ut si albedo recipiatur in superficie et

de ea producatur, necesse est quod illud suppositum, in quo est illa superficies, sit tale per illam formam; si igitur intellectus nudus conversus supra se informatum notitia simplici, ut est in patiente, sit illud de quo et in quo recipitur et imprimitur notitia declarativa, sequitur quod Pater sit talis, scilicet sapiens et noscens notitia genita. Non igitur potest dici, quod intellectus nudus ut conversus supra se informatum, sit in supposito Patris.

Nec potest dici secundum membrum principale, quod sit in supposito Filii, quia iste intellectus ut conversus supra memoriam in Patre, præcedit Filium productum, quia de illo intellectu nudo secundum eos producitur, et in illum imprimitur; ergo si esset in supposito Filii, sequeretur quod Verbum esset antequam produceretur.

Responsio. Dicebatur, quod Verbum producitur in intellectu nudo converso supra se ut informatum, sed ei non imprimitur, quia Verbum cum sit persona subsistens in nullo imprimitur, et per hoc dicitur ad omnes deductiones.

3. Instantia. Contra, arguitur sic in terminis generalibus: Intellectui nudo converso, aut aliquid imprimitur, aut nihil? Si aliquid, tunc sequitur ut prius, cum ille intellectus sit Patris ut Patris, quod illud imprimatur in intellectum Patris, ut Patris est, et sic ut prius probatur esse aliquid, vel aliquale seu tale, per aliquid quod est in Filio, quia quodcumque imprimatur, illud est Filii, cum pertineat ad productionem Verbi. Si nihil imprimatur? ergo omnino receditur ab opinione Gandavensis, qui ita frequenter dicit, quod Verbum gignitur per impressionem factam a notitia simplici, in intellectum nudum ut conversum.

Secundo, probatur ad evidentiam rationis prioris, quod magis evidens est si fiat prædicto modo, quam si fiat ex ratione productionis sic: Si memoria producat de intellectu nudo converso notitiam declarativam; aut igitur, ut est in persona Patris, aut in persona Filii? quia dicerent secundum Gandavensem, quod nec sic, nec sic, sed ut est quasi in medio, ut est potentia subjectiva, quasi præcedens secundum rationem, Filium productum. Unde dicitur quod hæc non est propositio vera: *Filius generatur de substantia Patris*, sed *de substantia quæ est Patris,* et non ut est Patris. Alia instantia.

Sed sic non evacuatur ratio prima, quia secundum ipsum intellectus ut activus est, convertit se supra intellectum informatum, et per consequens, convertere est quoddam agens, et actio non est nisi suppositi, quare oportet quod intellectus, ut sic convertit se, sit in aliquo supposito; aut ergo in Patre, aut in Filio, ut prius argumentatum est.

Præterea, arguitur secundo contra illam conversionem, quam ponit ipsius intellectus nudi supra intellectum informatum notitia simplici. Nam quæro, quare est alia conversio? Aut est aliquid, aut nihil? si nihil, et ista conversio secundum eum præsupponit productionem Verbi; igitur nihil præsupponitur 4. Argumentum.

necessario productioni Verbi. Si vero sit aliquid positivum, aut igitur actus primus, aut actus secundus. Actus primus non potest esse, quia actus primus respectu productionis Verbi, non est nisi memoria vel intellectus in se consideratus, qualis est conversio ipsius intellectus respectu essentiæ, a qua imprimitur secundum eum notitia simplex. Si autem est actus secundus, cum in Divinis non sit actus nisi operatio et productio, neutra potest esse. Non operatio, quæ est notitia essentialis in Divinis, quia hæc secundum eum imprimitur ab essentia, quæ præcedit conversionem intellectus nudi. Nec etiam productio Verbi, quia secundum eum ista conversio intellectus nudi præcedit productionem Verbi: ponit enim primo notitiam simplicem, quasi imprimi ab essentia in intellectum; et secundo, quod intellectus ut nudus convertit se supra notitiam simplicem, et objectum, et intellectum; et tertio quod ab illa notitia simplici imprimitur notitia declarativa in intellectum, ut conversum supra intellectum informatum. Nullo ergo modo ad gignitionem Verbi requiritur talis conversio, sed dicitur quod ista conversio intellectus nudi supra intellectum informatum, non est nisi directio potentiæ intellectivæ secundum se consideratæ, scilicet qua statuitur indirectum respectu notitiæ simplicis, et objecti ut in ipsam sic directam imprimatur notitia declarativa, vel ut de ipsa producatur ipsa notitia declarativa.

5. Instantia prima. Contra, secundum hoc ista conversio non est, nisi aspectus ipsius potentiæ, qua directe suum objectum aspicit: sed talis est conversio cujuslibet potentiæ ad objectum suum, sic enim visus convertitur super colorem ad videndum ipsum. Ergo nec alio modo dicitur intellectus nudus converti supra se informatum, quam quæcumque potentia materialis supra suum objectum, quod est contra Auctorem illius opinionis, qui dicit quod intellectus ex hoc quod immaterialis, sicut et quæcumque alia potentia immaterialis, conversiva est supra se, et supra suum actum, et supra suum objectum.

Instantia secunda. Item, isto modo conversionis intellectus convertitur supra essentiam imprimentem notitiam simplicem qua aspicit illud objectum, quod imprimit sibi notitiam simplicem de illo tum intellectu ut sic negatur quod convertatur supra essentiam, et conceditur in secundo instanti, quod intellectus nudus convertitur supra se informatum; ergo non potest esse talis conversio intellectus nudi secundum ipsum supra se informatum.

Tertia. Item dicit, quod in nobis ad hoc, quod generetur Verbum, requiritur talis conversio intellectus nudi, ita quod ad hoc, quod in nobis generetur Verbum, requiritur quod intellectus in nobis sciat se scire secundum ipsum. Cum igitur ex tali conversione in nobis declaret conversionem intellectus nudi in Deo, non potest secundum intentionem ejus intelligi talis conversio Dei, sed ut qua intellectus intelligat se intelligere, et objectum suum et seipsum.

Quarta. Item dicit, quod intellectus eo quod activus est, sic convertit, sicut et quæcumque alia potentia immaterialis, quamvis non ponat quod intellectus sit passivus respectu notitiæ simplicis : activus tamen est ad convertendum se supra se, sed intellectus, ut statuitur in directum ad hoc, quod de eo producatur Verbum per memoriam, habet rationem passivi tantum ; ergo nullo modo est talis conversio secundum intentionem ejus.

Argum. tertium principale. Præterea, tertio arguitur contra eum, quantum ad hoc, quod ponit Verbum gigni in nobis per conversionem supra notitiam simplicem, quoniam intellectus Beati in patria format Verbum circa essentiam divinam. Quod probatur per Augustinum 15. *de Trinit. cap.* 16. ubi dat differentiam inter Verbum nostrum, et formatum in patria, licet semper maneat, et inter Verbum Divinum, quod etiam in patria prius secundum naturam est formale quam formatum.

Augustinus.

Hoc etiam probatur per hoc, quod in Beato est perfecta potentia respectu suorum actuum, et per consequens ibi est voluntas et memoria pares, et sic intelligentia informata Verbo ; sed in Beato ad formationem Verbi non requiritur actus conversivus ipsius intellectus supra se informatum, etc.

SCHOLIUM.

Videtur imperfecta hæc quæstio, et aliqua adhuc in ea desiderari. Eam novit Doctor contra opinionem Henrici asserentis intellectum paternum, quando est sub actu simplici sive recto, reflectere super se, et media illa notitia simplici producere notitiam genitam; idque ipsum aperit de formatione verbi nostri, quorum utrumque Scotus late impugnat *in Oxonien. lib.* 1. *distinct.* 2. *quæst.* 7. *a num.* 13. *et dist.* 3. *quæst.* 7.

R. P. F. JOANNIS
DUNS SCOTI
DOCTORIS SUBTILIS, ORDINIS MINORUM,
DE
COGNITIONE DEI
TRACTATUS IMPERFECTUS.

CUM NOTIS ET SCHOLIIS R. P. F. LUCÆ WADDINGI.

CENSURA.

Scripsisse Scotum de cognitione Dei librum unum, referunt Trithemius, Henricus Willottus, Antonius Possevinus et Joannes Pitsæus, atque ab iis verbis sumpsisse initium, Quia summa nobis cognitio. *Ego in fine codicis MS. Vaticani num.* 890. *reperi mancum et mutilum tractatum hunc, deerant enim folia aliqua tam in principio quam in fine Opusculi. Quod possumus exhibemus, neque enim aliunde accipere potuimus complementum. Redolent hæ pauculæ quæstiones Scoti doctrinam et notissimis concordant principiis. Breviusculas notas et Scholia nos adjunximus, et Doctorum, quos citat, loca inseruimus.*

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum de Deo possit haberi cognitio media inter cognitionem fidei et patriæ?

D. Thom. 1. *part. quæst.* 56. *art.* 3. Henric. *quodlib.* 3. *quæst.* 1. *et quodlib.* 4. *quæst.* 7. *et quodlib.* 12. *quæst.* 2. Occham *quæst.* 1. *Prolog. art.* 5. Bassol. 1. *dist.* 3. *quæst.* 2. *art.* 2. Capreol. *art.* 3. Durand. *quæst.* 3. *Prologi.* Doctor *in Oxon. lib.* 2. *dist.* 3. *quæst.* 9. *et in Parisien. quæst.* 2. *Prologi. et quæst.* 3. *art.* 2. Vasquez 1. *part. disput.* 134. *cap.* 5.

1. Argum. 1. negativum. Videtur quod non; quia quod est præsens intellectui, si cognoscitur, cognitione intuitiva cognoscitur; quia cognitio intuitiva est præsenti sut præsens est, et existentis ut existens est : Deus semper est præsens ntellectui; ergo, etc.

Secundum. Item, omnis cognitio media est abstractiva, vel intuitiva; sed de Deo non potest haberi cognitio abstractiva, quia illa abstrahit ab *esse*, sed essentia est necessarium *esse*, nec potest abstrahi ab *esse*, quia est suum *esse*; ergo, etc.

Contra : de Deo potest haberi dilectio propria media inter dilectionem viæ et patriæ; ergo et cogni-

tio correspondens. Probatur consequentia, quia potentiæ sunt ad se invicem correspondentes; ergo et habitus etiam, et actus. Probatio antecedentis : quia alias non plus diligerem Deum ex charitate quam lapidem, quia lapides conveniunt in ratione boni, sive univoce, sive analogice.

2. Resolutio quæstionis n quo differunt cognitio intuitiva, et abstractiva. Ad quæstionem respondeo sic, quod Dei est cognitio quædam abstractiva, quædam intuitiva : unde differunt illæ cognitiones in hoc, quod cognitio intuitiva cujuslibet rei concernit ipsum *esse* rei in effectu, sed abstractiva non concernit *esse* rei in effectu, sed abstrahit ab *esse* rei in effectu.

Ad cujus evidentiam sciendum, quod aliqua cognitio potest concernere *esse* rei in effectu dupliciter, uno modo quoad rationem objecti cogniti, ita quod *esse* in effectu sit objectum cognito. Alio modo quoad rationem alicujus necessario secum coexigiti in existentia. Et sicut *concernere* potest intelligi dupliciter, ita *abstrahere ab esse actualis existentiæ* potest intelligi dupliciter. Uno modo fit abstractio ab *esse* actualis existentiæ, quoad rationem objecti cogniti, ita quod *esse* actualis existentiæ non sit objectum cognitum. Alio modo fit abstractio, vel cognitio secundum quod abstrahit ab aliquo necessario secum exigito. Modo quamvis quoad primum modum differant istæ cognitiones, puta quod *esse* actualis existentiæ cadat sub cognitione intuitiva, et non sub abstractiva, licet etiam dici possit quod cadat sub utraque cognitione, quia omnis modus, et omne *esse* se tenens ex parte objecti, potest cadere sub utraque cognitione. Unde sicut *esse* actualis existentiæ cadit sub cognitione intuitiva, ita sub cognitione abstractiva, possum enim abstractive cognoscere, et habere cognitionem abstractivam de *esse* actuali existentiæ alicujus.

Quantum autem ad secundum modum differunt, quia cognitio intuitiva concernit *esse* actualis existentiæ, scilicet quoad rationem objecti cogniti, et quoad rationem alicujus necessario secum cum cognitione coexigitam, scilicet illud quod cadit sub cognitione intuitiva, sit in actuali existentia, sicut ipsa cognitio, quia talis cognitio concernit *esse* ut necessario coexigit rem actu existentem; sed cognitio abstractiva licet possit concernere *esse* quoad rationem objecti cogniti, non tamen quoad rationem alicujus necessario coexigiti cum ipsa cognitione abstractiva. Juxta illa possumus videre quod *esse intellectum* non arguit *esse in effectu*, nam potest *esse* actualis existentiæ esse intellectum, et tamen non erit propter hoc in effectu.

SCHOLIUM.

Præmissa distinctione cognitionis intuitivæ et abstractivæ, de qua agit *in Oxonien.* 2. d. 3. quæst. 5. num. 6. et in 4. dist. 10. quæst. 8. num. 5. resolvit posse dari in viatore cognitionem quamdam de Deo, mediam inter cognitionem fidei et patriæ, quam vocat abstractivam immediatam et distinctam essentiæ, quam in Angelis a sua creatione dari aliquo modo naturalem per speciem concreatam docet probabiliter *in Oxon.* 2. dist. 3. q. 9. ubi multas ex his rationibus congerit ; eamdemque dari posse in viatore docet cum Henrico Gandaven. *in Parisien. quæst.* 2. et 3. *Prologi*, licet rationes quibus Henricus sententiam hanc probat, Doctor rejiciat.

3. De Deo potest dari cognitio abstractiva in viatore. Probatur primo.

His præmissis, probo quod de Deo possit haberi cognitio abstractiva, sicut de aliqua quidditate. Quia quicumque cognoscit actum visionis beatificæ, et respectum fundatum in actu visionis beatificæ, eadem cognitione quoque cognoscit actum, et cognoscit terminum et objectum illius visionis, quia impossibile est intelligere visionem, et respectum fundatum in ea ad objectum, quin habeatur cognitio de termino; sicut impossibile est intelligere Patrem, ut Pater est, quin intelligatur Filius : sed potest aliquis habere cognitionem abstractivam de actu visionis beatificæ, et de respectu fundato in ea ad Deum tanquam objectum; ergo, etc. Probatur minor dupliciter : Primo, quia de omni quidditate creata potest haberi cognitio abstractiva; sed visio beatifica, et respectus fundatus in ea sunt quidditates creatæ; ergo, etc.

Confirmatio.

Item confirmatur, quia actus visionis beatificæ est minus necesse esse, quam quæcumque quidditas substantialis, quia est accidens : sed de substantia Angeli, quæ non includit suum *esse*, nec est suum *esse*, potest haberi cognitio abstractiva; ergo multo magis de actu visionis beatificæ.

Probatur secundo. Augustinus.

Item visio beatifica est perfectior actus, quam quicumque actus intellectus creati; sed ex quocumque alio actu secundum Augustinum 14. *Trinit. cap.* 9. derelinquitur quoddam vestigium in memoria, per quod potest recordari se habuisse talem actum sic : similiter erit de visione beatifica, quod ex ipsa derelinquitur quoddam vestigium in memoria, si poneretur quod ille actus beatificus cessaret, talis autem recordatio est actus cognitionis abstractivæ; ergo, etc.

4. Probatur tertio. Augustinus.

Item secundum Augustinum 10. *de Trinit. cap.* 7. memoria et intelligentia sunt æqualis ambitus; quidquid igitur cadit sub intelligentia, vel quoad actum intentionis, vel quoad actum visionis, potest cadere sub memoria : sed actus visionis divinæ dum est, cadit sub actu intelligentiæ, etiam quando non potest cadere sub actu memoriæ; igitur potest aliquis memorari se habuisse actum beatificum, si caderet ab illo, sed hoc est habere cognitionem abstractivam de tali actu.

Confirmatur.

Confirmatur ratio de raptu Pauli, qui quidem raptus non fuit aliud quam visio beatifica, et tamen recordabatur de raptu, quando dicebat : *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim raptum*, etc. 2. Cor. 1[2]. Cum igitur hoc sit habere cognitionem abstractivam, potest concludi conclusio in prima ratione, scilicet quod eadem cognitione cognoscatur actus et respectus terminatus ad objectum : si prima duo possunt cognosci abstractive, ut probatum est; ergo et objectum seu terminus, et sic de Deo, ut videtur, potest haberi cognitio media inter cognitionem fidei et patriæ.

5. Argum[entum] primum principal[e]. Intellectu[s] non cogno[s]cit se intui[ti]tive.

Ad rationes in principio quæstionis, cum dicitur primo : *Illud, quod secundum se est realiter præsens intellectui, si cognoscatur, cognoscitur cognitione intuitiva*, dico quod ista est falsa : intellectus enim noster se ipsum intelligens est realiter præsens sibi, et per modum objecti

Augustinus. cogniti. Probatur per Augustinum *de Spiritu et anima, cap.* 2. qui dicit, quod anima sui meminit, et tamen certum est quod nullus homo de intellectu suo habet cognitionem intuitivam.

Ad secundum. Ad secundum : *Omnis cognitio vel est intuitiva, vel abstractiva.* Concedo ut expositum est in principio quæstionis. Ad minorem dico, quod falsa est. Ad probationem, cum dicitur quod cognitio abstractiva abstrahit ab *esse*, dicendum quod *abstrahere ab esse* potest intelligi dupliciter : Uno modo, quoad rationem objecti cogniti, et sic falsum est, quod cognitio abstractiva sic abstrahit, quia cognoscit *esse* actualis existentiæ. Alio modo potest intelligi, quod abstrahat ab *esse*, quoad rationem alicujus necessario in eo coexigiti; quia scilicet non necessario coexigit rem secum actualiter existere, et in effectu : sed intuitiva cognitio necessario coexigit rem secum in effectu existere, et sic verum est, quod abstractiva sic abstrahit. Nec est hoc inconveniens de Deo, sicut nec de quolibet alio.

Duplex abstrahere ab esse.

6. An de Deo possit dari cognitio intuitiva mediata.

Sic ad quæstionem posset aliquis dicere, quod rationes illæ non probant quod aliquis habeat cognitionem de essentia divina abstractivam immediate, sed tantum mediate, scilicet mediante aliquo objecto, sicut mediante actu. Et dico quod similes rationes non plus probant, quam quod de Deo potest haberi cognitio abstractiva mediate; et similiter ego probabo tibi quod scilicet de Deo potest haberi cognitio intuitiva mediate et resumitur ratio. Quicumque cognoscit actum visionis et respectum fundatum in eo, eodem genere cognitionis cognoscit terminum illius visionis; sed aliquis habens actum visionis potest cognoscere actum visionis intuitive, quia præsens; ergo si eodem genere cognitionis quo cognoscit actum, potest cognoscere objectum, si cognoscit actum visionis intuitive, et objectum : sed cognoscit objectum mediante actu, et tamen intuitive; igitur de Deo potest haberi cognitio intuitiva mediate, quod falsum est.

7. Vel abstractiva immediata.

Secundo, probatur per illud medium, quod de Deo potest haberi cognitio abstractiva immediate, quia cuicumque objecto infinito non repugnat repræsentari per aliquid aliud, tanquam per objectum repræsentans mediate, prout per actum visionis, eidem objecto non repugnat repræsentari per speciem tanquam per repræsentans immediate. Declaratur propositio, quia sicut objectum finitum et limitatum in infinitum distat ab objecto infinito, ita species creata; si ergo non repugnat objecto infinito repræsentari per actum, sicut per objectum, eidem non repugnat repræsentari per speciem, sicut per rationem repræsentantem; sed omnis habens speciem de aliquo objecto, potest per illam speciem habere cognitionem de illo objecto abstractivam immediatam; igitur ex quo non repugnat objecto infinito repræsentari per speciem, per illam poterit cognosci immediate cognitione abstractiva.

8. Tertio sic : si Deus potest cognosci abstractive per actum visionis mediate, tanquam per objectum

prius cognitum, tunc actus visionis beatificæ inquantum habet rationem objecti primo cogniti, habet habitudinem alicujus causæ respectu cognitionis abstractivæ, ut terminatur in Deum, et tunc quæritur an habeat habitudinem causæ materialis; an causæ formalis inhærentis; an causæ formalis exemplaris; an habitudinem causæ efficientis. Certum est quod actus ille non habet habitudinem causæ materialis; nec habitudinem causæ formalis inhærentis, quia est forma simplex; nec habitudinem causæ finalis, quia causa finalis sua est objectum hujus: secundo, quia operationes materiales in agente ipsæ sunt fines. Restat ergo quod habeat habitudinem causæ efficientis, vel formæ exemplaris. Si formæ exemplaris, illa reducitur ad habitudinem causæ efficientis, tunc enim restat, quod habeat habitudinem causæ efficientis, et tunc argumentor: Quia quidquid Deus potest facere mediante causa secunda, realiter distincta a prima, potest facere per se; igitur si ille actus habet habitudinem causæ efficientis, potest Deus per se facere, et causare notitiam abstractivam immediate de se sine actu.

9. Item, quandocumque aliqua duo sic se habent ad cognitionem abstractivam, quod nata sint æqualiter cadere sub actu cognitionis abstractivæ, si unum illorum per se sumptum potest esse objectum cognitionis abstractivæ, et illud sumptum cum alio poterit esse objectum cognitionis abstractivæ: sed essentia et *esse* actualis existentiæ æqualiter nata sunt cadere sub objecto cognitionis abstractivæ; igitur si essentia per se sumpta potest habere rationem objecti cogniti abstractive; igitur et essentia sumpta cum *esse* actualis existentiæ; sed si essentia divina non clauderet in se *esse* formaliter, de ipsa per se sumpta posset haberi cognitio abstractiva, sicut de essentia rosæ potest haberi cognitio abstractiva; igitur, etc. Probatur minor, scilicet quod *esse* actualis existentiæ, et essentia æqualiter cadunt sub cognitione abstractiva, quia sicut de essentia seu quidditate rosæ potest haberi cognitio abstractiva, quia quidditas rosæ non includit in sui ratione *esse* actualis existentiæ, ita etiam de *esse* actualis existentiæ potest haberi actus cognitionis abstractivæ. Probatur, quia sicut Deus cognovit ab æterno essentias rerum, ita cognovit existentias rerum, et tamen ab æterno non fuerunt res in actu.

Ex his autem apparet, quod si ponatur solum distinctio secundum rationem inter *esse* actualis existentiæ, et essentiam divinam, non potest haberi cognitio abstractiva de essentia divina, sive de *esse*, quia si differunt solum secundum rationem factam ab intellectu, non differunt realiter, imo a parte rei totum est idem; igitur quando cadit *esse* sub actu cognitionis abstractivæ, similiter cadit sub eodem actu *esse* existentiæ, ex quo sunt idem in re, licet non sub isto respectu rationis, qui est causatus a ratione. Unde supposito quod solum differant secundum rationem, habita cognitione abstractiva de essentia divina, non potest concedi

10. In sen[...] tia Tho[...] tarum potest hujus[...] cognit[...] abstrac[...] de De[...]

propter illam differentiam rationis solum, quod non haberem de *esse* cognitionem abstractivam; sed tantum sequeretur quod non haberem cognitionem abstractivam de quodam respectu rationis, quia non differunt, nisi secundum rationem, nec sunt ibi duo nisi secundum rationem, secundum istos.

QUÆSTIO II.

Utrum talis cognitio abstractiva possit dici cognitio scientialis?

Alens. 1. *p. quæst.* 1. *membr.* 3. D. Thom. 1. *part. quæst.* 1. *art.* 3. Mayron. *quæst.* 14. *Prologi.* Doctor *in Oxon. quæst.* 2. *collater. et in Parisien. quæst.* 1. *Prologi et collat.* 19.

1. Argum. 1. negativum. Aristoteles. Inquirendum est, utrum ponens talem cognitionem, possit salvare quod Theologia dicatur cognitio scientialis? et videtur quod non, quia illud quod non cadit sub demonstratione, non cadit, nec potest cadere sub scientia. Hoc patet 1. *Poster. cap.* 2. quia *scire* est per demonstrationem intelligere : sed nihil, quod est in Deo, potest cadere sub demonstratione; ergo. Probatur minor, quia medium demonstrationis est definitio seu quidditas; sed Deus non habet definitionem. Avicenna. Patet per Avicennam *lib.* 1. *suffic. cap.* 2. et per Damascenum *lib.* 1. Damascenus. *orthodoxæ fidei, cap.* 4. qui dicit, quod Deus non habet *quod quid.*

Secundum. Item, demonstratio est universalium; sed quidquid est in Deo, est singularitas.

Tertium. Item, demonstratio est per causam; sed Deus nullam habet causam.

2. Contra : In quocumque genere cognitionis inveniuntur aliqua principia necessaria, et aliquæ conclusiones necessariæ aptæ natæ deduci ex illis principiis, talis cognitio potest dici scientialis : sed in his, quæ cognoscuntur de Deo illa cognitione abstractiva, inveniuntur aliqua principia necessaria, et aliquæ conclusiones necessariæ aptæ natæ deduci ex illis; ergo, etc. Probatur minor, quia in quocumque genere cognoscibilium invenitur aliquis conceptus simpliciter primus, qui non est resolubilis in alium, et ad quem alii conceptus habent ordinem necessarium; in illo ordine est dare aliquod principium necessarium, et aliquas conclusiones aptas natas deduci ex illis principiis; sed in his, quæ cognoscuntur de Deo tali cognitione est aliquis conceptus simpliciter primus, qui non est resolubilis in aliquem alium, ut primum conceptum essentiæ, et alii conceptus habent ordinem ad istum, et sunt resolubiles in ipsum, sicut est conceptus sapientiæ et bonitatis; ergo, etc.

Hîc tria dicenda sunt : Primo distinguetur de cognitione scientiali. Secundo inquiretur, quæ sint conditiones essentiales requisitæ ad rationem scientiæ, et quæ accidentales; et tertio ad quæstionem. 3.

Dicitur ergo quod aliqua cognitio potest dici scientialis dupliciter. Primo virtualiter. Secundo Scientia dicitur dupliciter. proprie et formaliter. Illa cognitio potest dici virtualiter, quæ est principium cognitionis scientialis, sicut aliquid potest dici principium calidi, quod est virtualiter calidum. Sed isto modo dicitur quod Scientia virtualiter. cognitio subjecti, de quo possunt

demonstrari aliquæ passiones, dicitur scientialis virtualiter, quia illud subjectum virtualiter continet illas passiones. Similiter cognitio medii ut medium est, dicitur scientialis virtualiter, quia virtualiter continet conclusiones, et ideo cognitio ejus potest dici scientialis virtualiter. Secundo modo aliqua cognitio potest dici scientialis formaliter et proprie; et isto modo cognitio omnium conclusionum demonstratarum in aliqua scientia, vel demonstrabilium, dicitur cognitio scientialis formaliter et proprie, quod patet per Aristotelem *primo Post. text.* 35. dicentem *quod intellectus est principiorum et scientia conclusionum.*

Scientia formaliter.

Aristoteles.

4. Conditiones essentiales scientiæ.

Vide Scot. in Parisien. q. 1. Prol. n. 4.

Secundo videndum, quæ sint conditiones essentiales scientiæ, et quæ accidentales. Et primo, quæ sint conditiones essentiales. Et dicitur, quod illæ sunt essentiales, *quod scientia sit alicujus complexi mediati alicujus necessarii evidenter deducti ex quibusdam necessariis per se notis mediate, vel immediate.* Per primam conditionem, qua dicitur quod est *complexi,* distinguitur cognitio scientialis a notitia simplicium terminorum. Per secundam conditionem, qua dicitur quod est *complexi mediati,* distinguitur cognitio scientialis a notitia primorum principiorum, quæ est immediata. Per tertiam conditionem, qua dicitur quod est *alicujus necessarii,* distinguitur a cognitione fidei vel opinionis, quia fides et opinio possunt esse de contingentibus. Per hoc quod dicitur *evidenter deducti,* distinguitur a syllogismis peccantibus in materia vel forma, quia licet sit ibi deductio, non tamen evidens, et maxime in peccantibus in forma. Per hoc quod dicitur *ex aliquibus* distinguitur cognitio scientialis a notitia habita per enthymemata. Per hoc, quod subditur *ex aliquibus necessariis per se notis mediate vel immediate,* distinguitur cognitio scientialis a cognitione habita per Syllogismum dialecticum, quia licet Syllogismus dialecticus possit aliquando concludere necessario, quia tamen non concludit ex necessariis, sicut Syllogismus demonstrativus; ideo, etc.

5. Conditiones accidentales.

Secundo videndum est, quæ sint conditiones accidentales scientiæ? Respondetur, quod aliquæ sunt conditiones, quæ se tenent ex parte objecti, aliquæ ex parte subjecti in quo est scientia. Unde illa, quæ se tenent ex parte objecti, quæ accidunt scientiæ ut scientia est in creaturis, sunt quatuor. Prima conditio, quæ accipitur in scientia ex parte objecti in creaturis est, quod cognitio scientialis sit de universalibus. Secunda est, quod medium demonstrationis sit definitio vel quidditas. Tertia conditio quæ accidit, est quod nulla demonstratio concludat passionem de subjecto secundum actum, sed secundum aptitudinem. Quarta conditio, quæ accidit scientiæ, est quod omnis demonstratio est de aliquo causato, quia fit per causas.

Ex parte objecti.

6. Prima probatur, scilicet quod accidat scientiæ ex parte objecti in creaturis, quod scientia sit de universalibus, quia omnis scientia est alicujus passionis propriæ de subjecto, quia omnis scientia sicut habet subjectum proprium, ita pas-

sionem propriam, quam concludit de subjecto; sed nullum singulare in quantum singulare habet passionem propriam, sed universale in quantum universale habet; hæc igitur scientia non est de singulari causato in quantum singulare, sed de universali in quantum universale. Probatur minor, quia omnis passio propria, vel dicit aliquid absolutum, vel dicit respectum, sicut dicunt aliqui de risibili; sed sive dicat absolutum, sive respectum, singulare non potest habere propriam passionem. Probatur, quia omne subjectum propriæ passionis determinat sibi passionem propriam : sed nullum singulare inquantum singulare determinat sibi propriam passionem, unde non magis determinat sibi hanc vel illam, sicut Socrates non magis determinat sibi hanc risibilitatem quam illam : sed homo determinat sibi risibilitatem ex natura sua; ergo, etc. Secunda conditio est, quod medium sit *quod quid*, quia medium in aliqua demonstratione, vel se tenet ex parte subjecti, vel ex parte passionis, vel se tenet a parte utriusque : sed sive se teneat a parte subjecti vel passionis, vel utriusque, cum utrumque sit limitatum ad genus et per differentiam, et per consequens sequatur quod utrumque sit definibile, et per consequens si medium accipitur, erit definitio medium in demonstratione, vel *quod quid est*. Tertia conditio est, quod nulla demonstratio concludit passionem de subjecto secundum actum, sed solum secundum aptitudinem. Hoc patet, quia omnis passio propria sequens subjectum, vel dicit absolutum, vel dicit respectum; sed si dicit absolutum, probatur quod ex hoc sequitur propositum, quia Deus potest facere subjectum sine passione : ex quo enim differt re absoluta subjectum absque aliqua contradictione potest esse sine illa passione, et ita demonstratio concludens passionem talem de subjecto faciens scientiam, non concludit eam secundum actum, sed secundum aptitudinem, alias sequeretur quod scientia posset falsificari, et esset falsa demonstratio; et similiter, si passio dicat purum respectum, probo quod demonstratio concludens passionem de subjecto non concludit eam secundum actum, sed secundum aptitudinem, quia omnis respectus necessario conrequirit duo extrema : modo autem nullam contradictionem implicat, quod unum extremum possit esse sine alio extremo; ergo subjectum respectus poterit esse sine respectu : unde subjectum cujusque respectus poterit esse sine respectu, excepto respectu creaturæ ad Deum, quia est idem creaturæ realiter, differens formaliter; igitur nulla via demonstratio debet concludere passionem inesse subjecto secundum actum, sed tantum secundum aptitudinem. Unde quando demonstratur illa passio, *habere tres angulos æquales duobus rectis*, non demonstratur illa passio actu inesse, sed aptitudine. Istud etiam patet, quia triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, sed possibile est quod non sint duo recti in actu. Quarta conditio patet ex prædictis, quia omnis de-

monstratio est alicujus passionis de subjecto : sed omnis passio et subjectum est aliquid causatum; ergo demonstratio est de aliquo causato.

Ex parte subjecti. Ex parte autem subjecti, in quo est scientia, dico quod accidit scientiæ quod sit per discursum, quia intellectus noster semper discurrit a præmissis ad conclusiones. Advertendum tamen quod ille discursus potest accipi dupliciter : et uno modo accidit scientiæ; alio modo non accidit.

Discursus enim potest accipi pro deductione alicujus conclusionis ex principiis prius notis secundum ordinem durationis; et sic dico, quod accidit scientiæ, et scientia est, quia contingit sibi ratione illius intellectus, in quo est. Alio modo accipitur discursus pro deductione alicujus conclusionis ex principiis, non prius notis duratione, sed natura. Et sic dico, quod talis discursus non accidit scientiæ. Quod probo, quia sicut omnis conclusio scientialis a quocumque intellectu est deducibilis ex principiis, prius cognitis secundum aptitudinem, ita omnis conclusio cognita in actu est actu deducta ex principiis prius cognitis.

SCHOLIUM.

Adhibita distinctione scientiæ in virtualem et formalem, et enumeratis conditionibus essentialibus et accidentalibus scientiæ, tam ex parte objecti quam subjecti, et assignata duplici ratione discursus, resolvit cognitionem hanc abstractivam de Deo posse dici scientiam virtualiter et formaliter, monetque neque primam, neque secundam perfectionem in Deo posse demonstrari. Demum declarat quomodo possit hæc cognitio dici scientia respectu contingentium in Deo, et qualiter possit dari scientia de contingentibus, de quo late agit *in Oxonien. in Prolog. quæst. 2. collaterali, et in Parisien. quæst. 1. et 1.*

Tertio, his præmissis est respondendum ad quæstionem. Et dico quod cognitio illa media potest dici scientialis virtualiter et formaliter. Potest dici cognitio scientialis virtualiter, quia cognitio primæ perfectionis, quæ est in essentia divina, potest dici cognitio scientialis virtualiter. 7.

Cognit[io] scientia[lis] virtualit[er].

Hoc probo, quia in quibuscumque perfectionibus alicujus subjecti est dare aliquam primam perfectionem simpliciter, cognitio illius perfectionis potest dici cognitio scientialis virtualiter, quia talis perfectio continetur virtualiter in subjecto : sed in perfectionibus Divinis est dare aliquam perfectionem omnino propriam et simpliciter primam, quia non est ibi processus in infinitum; igitur cognitio illius perfectionis, de qua sunt aliæ perfectiones demonstrabiles, est cognitio scientialis virtualiter.

Secundo probo quod cognitio aliarum perfectionum de Deo potest dici scientialis formaliter; quia in quibuscumque perfectionibus alicujus subjecti habentibus ordinem, est dare aliquas perfectiones demonstrabiles de subjecto, cognitio illarum perfectionum potest dici cognitio scientialis formaliter. Exemplum : quando habeo notitiam de subjecto, et de subjecto probo passionem, cognitio istarum passionum potest dici scientialis : sed in perfectionibus Divi-

nis est dare perfectiones habentes ordinem ad primam, et sunt demonstrabiles de prima; igitur, etc.

8. In divinis prima et secunda perfectio sunt indemonstrabiles.

Advertendum tamen quod prima et secunda perfectio in Divinis sunt indemonstrabiles, scilicet perfectio essentiæ quæ est prima, quia non habet aliud de quo possit demonstrari, ex quo est prima. Secunda etiam perfectio quæ immediate se habet ad primam, non potest demonstrari, quia licet habeat de quo possit demonstrari, non tamen habet per quod possit demonstrari, quia non perfectionem mediam, quia nulla cadit inter primam et secundam, nec per definitionem primæ perfectionis, quia prima perfectio, cum sit indivisibilis est irresolubilis in plures perfectiones secundum rationem. Impossibile est ergo, quod sit demonstrabilis. Omnes autem aliæ perfectiones sunt demonstrabiles, quia prima perfectio cum secunda est ratio demonstrandi tertiam perfectionem de prima, nec solum sunt demonstrabiles secundum aptitudinem, sed etiam secundum actualitatem, quia quælibet perfectio, quæ ponitur in Deo, est ibi actualiter.

9. Essentia divina est ratio cognoscendi res necessarias et contingentes.

Ulterius ad evidentiam quæstionis sciendum, quod essentia divina potest considerari, ut est prævia determinationi voluntatis divinæ. Alio modo, et sequitur determinationem voluntatis divinæ. Si primo modo consideretur, sic dico quod essentia divina cognita abstractive est ratio cognoscendi terminos absolute, puta quidditatem hominis in se, et est ratio cognoscendi complexiones necessarias, ut quod triangulus habet tres angulos, et est ratio cognoscendi complexiones contingentes non de facto, sed de possibili. Si autem consideretur essentia, ut est sub determinatione voluntatis divinæ, sic etiam essentia divina abstractive cognita, est ratio cognoscendi quidditates terminorum, et complexiones necessarias et contingentes, et de facto et de possibili. Similiter essentia divina clare visa potest considerari ut est prævia determinationi voluntatis, vel ut est sub determinatione. Primo modo est ratio cognoscendi quidditates terminorum, et complexiones necessarias et contingentes de possibili tantum. Ut autem est cognita clare, et ut est sub determinatione voluntatis, est ratio cognoscendi omnia prædicata, et complexiones contingentes de subjecto, et de possibili.

10. Qualiter de contingentibus possit dari scientia.

Nec valet quod dicitur, quod scientia est de necessariis, sed Theologia determinat non solum de necessariis, sed etiam de contingentibus. Respondeo negando, quia hoc argumentum faceret contra omnem opinionem; et ulterius dico quod licet de contingentibus non possit esse cognitio scientialis quoad inhærentiam actualem, tamen contingentibus potest esse cognitio scientialis quoad inhærentiam aptitudinalem. Unde et passio potest separari virtute divina a subjecto. Item, licet de contingentibus secundum se non possit esse scientia, tamen de contingentibus in ordine ad determinationem voluntatis divinæ, qua posita necessario ponuntur, potest

esse scientia. Exemplum, de eclipsi Solis, quæ est quoddam contingens secundum se, non potest esse scientia, tamen de ea in comparatione ad suas causas potest esse scientia.

11. Ad primum argum. principale. Ad argumentum in principio quæstionis, cum dicitur, *Illud quod non cadit sub demonstratione, non habet rationem scientiæ*, verum est, et cum dicitur quod *nihil in Divinis potest cadere sub demonstratione*, dico quod falsum est. Ad probationem dicendum, quod accidit scientiæ in quantum scientia est, quod medium de demonstratione sit *quod quid est*, vel definitio, quia hoc accidit scientiæ ratione subjecti, quod est limitatum, et passio similiter est limitata ad genus et differentiam, et ita subjectum est definibile, et passio definibilis.

Ad secundum. Ad aliud, quod *Demonstratio est de universalibus*, dico hìc, quod demonstratio sit de universalibus, et similiter scientia, hoc accidit scientiæ in quantum scientia est, quia scientia potest esse de omni eo, quod potest habere propriam passionem. Talia sunt aliqua singularia, sicut est essentia divina, et sic oporteret dicere, si quilibet Angelus faceret unam speciem.

Ad tertium. Ad tertium, quod *habere causam*, etc. dicitur, vel in inferendo, vel in essendo : modo dicitur, quod in Divinis est causa in inferendo, non in essendo.

Sed contra, quia tunc non esset differentia inter demonstrationem per effectum, et per causam, quia effectus est causa in inferendo respectu causæ, et e converso; ideo dico ad argumentum aliter, quod scilicet accidit scientiæ inquantum scientia est, et demonstrationi quod sit ex causis in essendo.

QUÆSTIO III.

Utrum cognitio abstractiva proprietatum personalium possit habere rationem scientiæ ?

Vide Doctores citatos *quæstione antecedenti*, et Doctorem *quodlib*. 3. *art*. 2. *et* 3.

1. Argumentum negativum. Quod non : Illud, quod non cadit sub demonstratione, non cadit sub scientia : sed proprietates personales non cadunt sub demonstratione; ergo. Minor probatur, quia si proprietates essent demonstrabiles, aut de personis, aut de essentia : non de personis, quia nulla passio demonstratur de subjecto, quæ non sit extra rationem subjecti sui, sed quælibet proprietas est de intrinseca ratione suppositi, ut patet; ergo, etc. Similiter nec de essentia, quia nulla passio demonstratur de subjecto, nisi illa quæ est convertibilis cum subjecto, sed proprietas personalis non est convertibilis cum essentia.

Argumentum affirmativum. Contra : Omnis propositio necessaria et mediata, et non essentialis est demonstrabilis; illa propositio patet de se : sed propositio, in qua proprietas dicitur de essentia, est necessaria, quia quælibet proprietas personalis necessario fundatur in *esse*, et est mediata, quia inter proprietates personales et essentiam cadunt multæ perfectiones absolutæ, ut intellectus et memoria. Et quod proprietas non sit idem cum ratione essentiæ, patet, quia etiam hoc omnes dicunt, quia

dicunt quod non sunt convertibiles.

2. Hîc primo ostendentur, quæ faciunt difficultatem in ista quæstione, et sunt tria. Primum sumitur ex parte subjecti. Secundum ex parte medii. Tertium ex parte proprietatum.

Omnis passio debet demonstrari de aliquo subjecto.

Primum ex parte subjecti, quod facit difficultatem, est, quia omnis passio demonstrabilis habet subjectum, de quo potest demonstrari; sed proprietas non habet subjectum de quo possit demonstrari, quia illud subjectum aut est personæ, aut essentiæ : non personæ, quia omnis passio demonstrabilis de subjecto est extra rationem subjecti, sed proprietas est intrinseca ratione personæ; igitur. Non potest autem habere pro subjecto essentiam, de qua possit demonstrari. Probatur, quia quando aliqua passio inest alicui subjecto, primo inest ubicumque reperitur subjectum : sed proprietas personalis non reperitur formaliter, ubi reperitur essentia; ergo, etc.

Subjectum demonstrabile debet esse convertibile cum extremis. Aristoteles.

Secundum, quod facit difficultatem ex parte medii est, quia subjectum demonstrabile debet esse convertibile cum utroque extremo, *ex* 2. *post. cap.* 2. sed nullum medium cadens inter proprietatem et essentiam est convertibile cum proprietate personali, licet sit convertibile cum essentia. Patet, quia quidquid præintelligitur ante proprietatem personalem est commune tribus : sed illud quod est commune tribus, non est convertibile cum proprietate personali, ut patet de se ;ergo, etc.

Oppositæ passiones an possint de ullo subjecto demonstrari.

Tertium, quod facit difficultatem ex parte proprietatum, quia de nullo subjecto ut videtur, possunt demonstrari immediate oppositæ passiones; sed paternitas et filiatio sunt oppositæ passiones.

3. Hoc viso, dico ad quæstionem tria. Primo, quod alia est comparatio naturæ ad supposita, et naturæ ad individua, et hoc quia comparatio naturæ præcise ad supposita non est comparatio superioris ad inferiora, et ideo non oportet quod numeratis suppositis plurificetur natura. Hoc vult Augustinus 7. *de Trinit. cap. ult.* ubi vult quod essentia divina comparata ad personas non comparatur sicut superius ad inferius, quia non se habet sicut genus et species. Comparatio autem naturæ ad individua, et singularia est comparatio superioris ad inferiora, et ideo numeratis individuis numeratur natura, sicut numerato Socrate et Platone, numeratur natura humana in eis.

Augustinus.

4. Triplex convertibilitas.

Secundo distinguitur de convertibilitate; quia est quædam convertibilitas secundum universalitatem, et hoc est, quando passio reperitur in quolibet inferiori, in quo reperitur subjectum, sicut habere tria, et triangulum sunt convertibilia secundum universalitatem. Alia est convertibilitas secundum identitatem, et est quando passio est eadem cuicumque subjectum est idem. Alia est convertibilitas secundum singularitatem, et est quando aliqua passio de se est hæc, determinat subjectum primum quod de se sit hoc; similiter subjectum ex ratione sua determinatur ad hanc passionem, quæ de se est hoc.

5. His visis, applicando ad divina,

dicitur quod prima convertibilitas, scilicet secundum universalitatem non est in divinis, et ratio est dicta, quia ibi natura non se habet sicut superius, nec multiplicatur. Similiter proprietas et essentia non sunt convertibilia secundum identitatem. Probo, quia alicui est idem essentia realiter, cui proprietas personalis non est idem realiter; imo differt sicut patet, quia essentia est idem realiter Paternitati, cui Paternitati Filiatio non est eadem realiter, imo differunt istæ duæ proprietates realiter. Sed tertio dico, quod est ibi singularitas secundum singularitatem, quia illa proprietas, scilicet paternitas divina, quæ de se est hæc, ex ratione sui determinat sibi naturam divinam, et natura divina ex sui ratione determinatur ad hanc proprietatem.

SCHOLIUM.

Declaratis iis, quæ requiruntur ad demonstrationes conficiendas, resolvit Doctor posse dari cognitionem scientificam de proprietatibus personalibus respectu essentiæ : et probat discurrendo per omnes conditiones, quæ requiruntur ad rationem demonstrationis.

Resolutio quæstionis. Hoc viso, ad quæstionem dico, quod cognitio proprietatum personalium potest habere rationem scientiæ, et probatur ista propositio : de omni illo de quo potest esse demonstratio, de omni illo potest esse scientia : sed de proprietatibus personalibus, potest esse demonstratio; ergo de iis potest esse scientia. Minor probatur, quia omnis propositio necessaria mediata non essentialis, habens prædicatum convertibile cum subjecto, omnis talis est demonstrabilis. Hæc propositio patet discurrendo per conditiones scientiæ positas in quæstione antecedenti. Sed propositio, in qua dicitur inesse proprietas personalis ipsi essentiæ divinæ, est necessaria. Patet etiam quod sit mediata, quia inter proprietates et essentiam sunt perfectiones mediæ. Est etiam non essentialis, quia proprietas non est de ratione intrinseca essentiæ. Est etiam convertibilitas proprietatis cum subjecto et cum medio, loquendo de convertibilitate singularitatis, quia sicut proprietas quæ determinat subjectum de se est *hæc*, sic etiam illud medium, scilicet intellectus, vel memoria de se est *hæc*, per quod potest demonstrari proprietas de essentia.

6. Ad argumentum principale. Ad rationem in contrarium, quando dicitur; *Si demonstraretur, aut de personis, aut de essentia*? non de personis concedo, et tu dicis quod non de essentia, quia omnis passio est convertibilis de subjecto. Modo proprietas non est convertibilis cum essentia, dico quod verum est primo modo et secundo, sed bene est convertibilis tertio modo.

Ad difficultates objectas. Per idem patet ad illa, quæ faciunt difficultatem. Ad primum, quando dicitur quod non demonstratur de essentia, nego. Ad probationem dicendum, quod loquitur de passione convertibili primo et secundo modo. Ad secundum patet per idem. Ad tertium quod facit difficultatem, quando dicitur quod de nullo subjecto possint demonstrari passiones oppositæ, concedo

quod verum est de subjecto limitato, non de illimitato, cujusmodi est essentia divina, ideo non valet.

QUÆSTIO IV.

Utrum talis cognitio abstractiva, quæ ponitur media, possit haberi de Deo per aliquod commune repræsentativum limitatum?

D. Thom. 1. *p. q.* 56. *art.* 3. Henric. *quodl.* 5. *q.* 15. *et quodl.* 12. *q.* 2. Bassol. 1. *dist.* 3. *q.* 2. Occham *q.* 1. *Prol. art.* 5. Duran. *q.* 3. Doctor *in Oxon.* 1. *dist.* 3. *q.* 9. *et in Parisien. q.* 2. *prol. et q.* 3. *art.* 2. Vasquez 1. *part. disp.* 134. *c.* 5.

1. Argum. primum negativum. Et arguitur quod non, quia essentia divina est suum *esse*: sed nulla species creata est suum *esse*, quia hoc est proprium Dei; ergo de Deo non potest haberi talis cognitio per tale repræsentativum.

Secundum. Item, una species creata magis distat a Deo quam una creatura ab alia; sed una creatura perfecte non potest aliam repræsentare.

Argum. affirmativum. Contra : omnis cognitio est per assimilationem; sed species videtur esse ratio assimilandi potentiam intellectivam objecto cognito : non essentialiter, quia nihil est ratio assimilandi aliud alicui nisi illud inhæreat sibi, sed essentiæ divinæ nihil inhæret; ergo oportet ponere speciem, quæ inhæreat ad hoc quod repræsentat.

2. Objicitur prima difficultas. Hîc ponentur primo aliquæ difficultates, et prima quæ occurrit est illa, ideatum ducere primo et immediate in cognitionem suæ ideæ quia omne exemplatum primo repræsentat suum exemplar : sed quidquid est in creatura est exemplatum et ideatum; ergo primo repræsentat suam ideam, et non essentiam divinam.

Secunda. Secunda difficultas, si aliqua species creata potest repræsentare immediate essentiam divinam apud intellectum meum, eadem ratione alia species repræsentabit eamdem essentiam apud intellectum alium. Tunc argumentor : Istæ duæ species, cum non sint de se *hæ*, conveniunt in specie, et potest abstrahi conceptus communis speciei. Tunc quæritur an istud commune repræsentaret sub ratione universaliori quam illa species et illa, aut sub ratione eadem? nec sic, nec sic, ut probabitur; ergo, etc. Probatur primo quod non sub ratione universaliori, quia tunc in Divinis esset tale, quod non est verum ; nam si duceret sub ratione universaliori, tunc per speciem creatam non haberemus aliquam cognitionem propriam essentiæ divinæ. Nec potest ducere sub eadem ratione, quia quanto species est universalior, tanto sub universaliori ratione duceret, quia illa species sic abstracta ab illis est universalior.

Tertia. Tertia difficultas est ista, quanto aliqua species repræsentat nobilius objectum, tanto species est nobilior; si ergo species creata repræsentat divinam essentiam, cum essentia divina sit objectum nobilissimum, tunc species creata excederet in infinitum omnem creaturam, et esset quasi perfectionis infinitæ.

Quarta. Quarta difficultas, quia nihil potest causare speciem alicujus objecti in aliquo, nisi vel ipsum objectum, vel aliud quod continet perfectionaliter, vel virtualiter

perfectionem objecti; sed essentia divina, quæ ponitur hîc objectum, non potest causare speciem, quia tunc causaret naturaliter, quod non est verum, quia ad extra Deus nihil causat naturaliter: nec potest aliquid aliud, quia nihil est in mundo, quod contineat virtualiter perfectionem divinam; ergo videtur quod non sit dare tale repræsentativum.

Quinta. Quinta difficultas, si deberet poni talis species, aut illa species poneretur ad faciendam præsentiam objecti, aut ad determinandum potentiam? Sed propter neutrum istorum potest poni; ergo, etc. Probatur quod non propter præsentiam objecti, quia essentia divina secundum se est præsens cuilibet intellectui. Item, dato quod ponamus istam speciem, tamen Deus est intimior intellectui quam species. Hæc propter secundum, scilicet ut determinet potentiam, quia sicut se habet principium in speculabilibus, sic finis in agibilibus: sed voluntas secundum se est determinata respectu finis ultimi, saltem ut naturaliter convertibilis; igitur similiter intellectus erit determinatus et non indigebit specie determinante.

7. Ethic.

SCHOLIUM.

Propositis quibusdam difficultatibus, quas in fine quæstionis dissolvit, docet cognitionem Dei abstractivam dari posse per speciem creatam, quæ repræsentare possit essentiam divinam. Potissima quæ hic habet, diffusius tractaverat *in Oxon. 2. dist. 3. q. 9.* præsertim *a n.* 12. in responsionibus ad argumenta Henrici.

3. Resolutio affirmativa quæstionis. Secundo ostendendum, quod non obstantibus istis difficultatibus, talis cognitio potest haberi per aliquod medium repræsentativum limitatum, vel speciem repræsentantem, quia in essentialiter ordinatis, cui non repugnat primum, nec ultimum, nec medium: sed ita est, quod potentia intellectiva, et ratio intelligendi, et actus intelligendi sic se habent, quod sunt essentialiter ordinata, quia ratio intelligendi est media inter potentiam et actum; ergo cui non repugnat potentia intellectiva, et actus intelligendi ad cognoscendum Deum abstractive, nec ratio intelligendi repugnabit sibi, talis autem ratio intelligendi est species.

Item, cuicumque propter suam imperfectionem, vel propter cognitionem importantem imperfectionem, non repugnat illud quod est magis perfectum, nec quod est minus perfectum, quia imperfectum, in quantum imperfectum, non repugnat alicui nisi ratione perfectionis alicujus: sed exprimere essentiam divinam per modum actus ultimi est perfectius, quam exprimere eam per modum speciei; igitur cum cognitioni habitæ de Deo, vel possibili haberi, non repugnat exprimi per actum, ut probatum est, sibi etiam non repugnabit exprimi per speciem.

4. Ad argum. principalia. Ad argumenta in principio quæstionis. Ad primum, cum dicitur, essentia divina est suum *esse*, sed nulla species creaturæ est suum *esse*, etc. Ad hoc dicendum, quod major potest concedi et minor negari, quia in specie creata secundum multos, non differt essentia et *esse*: et dato quod differret, non va-

let ratio, quia ad actum repræsentandi non requiritur conformitas, quæ consurgit ex univocatione omnimoda, sed sufficit conformitas, quæ consurgit ex immutatione, sicut potest patere in illo exemplo de actu, et ideo non valet.

Ad secundum. Duplex instantia. Ad secundum : *Omnis species limitata magis distat*, etc. Respondeo distinguendo de *distantia*, quia est quædam, quæ est secundum gradum perfectionis, et isto modo magis distat species a Deo quam una creatura ab alia creatura. Alia est distantia, quæ est secundum gradum proportionis, et isto modo non magis distat species repræsentans ab essentia quam ab alia creatura, in quam secundum gradum proportionis immutatur essentia divina.

5. Ad primam difficultatem. Ad primam difficultatem, cum dicitur, *omne ideatum*, etc. *quia exemplatum est primo expressivum sui exemplaris*. Respondeo : hîc distinguitur de ideato, quia est aliquod ideatum, quod sic fit ad idem, quod est similitudo ideæ, et non est alicujus alterius similitudo. Aliud est ideatum, quod sic fit ad ideam, quod non tantum est similitudo ideæ, sed alicujus alterius. Modo loquendo de primo ideato, verum est quod primo repræsentat ideam, non de secundo.

Ad secundam. Ad secundam difficultatem de specie, concedo quod qua ratione potest fieri apud intellectum meum species repræsentans essentiam divinam, eadem ratione apud tuum. Et cum quæris de specie abstracta a duabus *utrum*, etc. dico, quod illa species sic abstracta, cum sit abstracta sicut superius ab inferiori, non poterit ducere nec sub ratione universaliori, nec sub ratione propria in cognitionem essentiæ divinæ, quia non potest habere actum realem, sicut nec homo abstractus a Socrate et Platone.

Ad tertiam. Ad tertiam difficultatem de specie, quæ esset perfectionis infinitæ, dico quod illud possit argui de actu. Aliter potest dici quod verum est, quod dicitur in majori. Quando illud repræsentativum repræsentat de se illud, quod repræsentatur, quantum illud est repræsentabile : sed nulla species creata potest repræsentare essentiam divinam, quantum repræsentabilis est ; ergo, etc.

Ad quartam. Ad quartam : Quod nihil potest causare aliquid, quod repræsentet objectum, nisi vel objectum, vel quod continet virtualiter, vel perfectionaliter perfectionem objecti, dico quod omittis istud tertium, scilicet vel nisi sit aliquid, quod sit idem realiter cum objecto : modo dico, quod licet essentia divina non causet, tamen voluntas divina, quæ est idem realiter cum essentia divina, potest causare eam.

Ad quintam. Ad quintam : species requireretur aut propter repræsentationem, aut propter determinationem ; nec sic, nec sic ; dicendum quod illa ponitur nec propter hoc, nec propter illud, sed ponitur propter causationem. Imaginatur etiam aliquis, quod ad causandum actum intellectionis requiruntur duæ causæ partiales, ita quod potentia intellectiva est causa partialis, et species est causa partialis supplens præsentiam objecti, et sic istæ duæ partiales poterunt facere unam causam totalem. Et tu dices, quod

Deus potest supplere causationem speciei, concedo : sed dico non supplendo, hoc est, si Deus non suppleat, requiritur species, et ideo ponenda est.

QUÆSTIO V.

Utrum cognitio intuitiva et abstractiva possibilis haberi de Deo sint ejusdem speciei.

Almain. *in* 3. *dist.* 14. *q.* 1. *art.* 2. Duran. *q.* 3. Doctor *in Oxon.* 2. *dist.* 3. *q.* 9. *n.* 11. *et* 4. *dist.* 49. *q.* 12. *n.* 6. *et quodl.* 13. *art.* 3. §. *circa secundum, et lib.* 2. *Metaph. q.* 3. *et lib.* 7. *q.* 5. Cavell. *in supplem. librorum de Anima, disp.* 3. *sect.* 11. Conimbricen. 3. *de Anima, cap.* 5. *quæst.* 5.

1. Primum arg. negativum. Arguitur quod sic, quia magis clarum et minus clarum non diversificant speciem : cum ergo cognitio intuitiva et abstractiva non differant nisi sicut magis clara, et minus clara cognitio ; ergo, etc.

Secundum. Item, quæ dividuntur in inferioribus, uniuntur in superioribus : sed cognitio intuitiva et abstractiva dividuntur in potentiis sensitivis, patet de visiva et imaginativa ; igitur, etc.

Contra, quod ordinatur ad aliquid sicut ad finem, differt ab eo specie, quia inter finem et id quod est ad finem, est ordo essentialis : ordo autem essentialis non est nisi inter differentia specie, patet 3. *Metaph. cap.* 2. *text.* 11. (Aristoteles.) in individuis ejusdem speciei non est principium perfectius, sed abstractiva ordinatur ad intuitivam, ut ad finem ; igitur, etc.

2. Prima difficultas. De ista quæstione primum quod facit difficultatem est, quia ab eadem potentia respectu ejusdem objecti, et sub eadem ratione non potest dici nisi unicus actus, quia idem secundum idem non est natum facere nisi idem : sed abstractiva et intuitiva sunt ejusdem potentiæ et respectu ejusdem objecti, et sub eadem ratione ; ergo videntur esse unicus actus. Quod sint sub eadem ratione patet, quia sub omni ratione, sub qua potest cognitio intuitiva esse objecti, potest et abstractiva. Confirmatur ratio, quia 2. *de Anima, text.* 33. potentiæ distinguuntur per actus, et actus per objecta ; igitur ubi est idem objectum, et sub eadem ratione, ibi uniuntur actus. (Confirmatio prima. Aristoteles) Confirmatur etiam quia 3. *de Anima, text. com.* 38. secantur scientiæ, quemadmodum et res de quibus : sed hîc est res eadem et sub eadem ratione ; ergo et scientia. (Confirmatio secunda. Aristoteles)

Secundum quod facit difficultatem est, quia illud quod non variat rationem objecti, non variat rationem actus : sed absens et præsens non variant rationem objecti ; ergo nec rationem actus : sed intuitiva est semper respectu præsentis, abstractiva respectu absentis et præsentis, et per aliud non videntur differre nisi per absens et præsens ; igitur, etc. (Secunda difficultas.)

Tertium quod facit difficultatem est, quod inter quæcumque duo extrema natum est cadere medium differens specie ab extremis, non est natum unum extremum immediate succedere alteri : sed secundum Augustinum 20. *Civit. cap.* 20. (August.) cognitionem fidei sequitur visio ; igitur non est illa aliquid tertium differens specie ab utroque ; sed cognitio ista abstractiva differt specie a cognitione fidei, quia illa, (Tertia.)

scilicet abstractiva, potest esse scientifica, et illa quæ est fidei, non; ergo cognitio abstractiva et intuitiva non differt specie a visione.

SCHOLIUM.

Asserit scientiam intuitivam distingui specie ab abstractiva, probatque quatuor rationibus; prima desumpta ex comparatione potentiarum; secunda ex parte cognitionum; tertia, ex differentia objectorum utriusque scientiæ; quarta, quia abstractiva est media inter intuitivam et cognitionem per fidem.

3. Resolutio quæstionis. Secundo ostenditur, quod differt specie intuitiva et abstractiva. Et primo arguitur ex comparatione potentiarum, quia quæcumque arguunt diversitatem specificam in potentiis inferioribus, arguunt diversitatem formalem in actibus potentiæ superioris : sed in potentiis sensitivis cognitio abstractiva variat specie rationem potentiæ; igitur, etc.

Patet etiam ratione, quia si quod minus videtur inesse et inest, et quod magis; sed minus videtur, quod facientia diversitatem formalem specificam in actibus potentiarum inferiorum faciant diversitatem formalem in actibus potentiæ superioris, quam quod facientia diversitatem formalem in potentiis inferioribus faciant diversitatem formalem in actibus potentiæ superioris, quia semper magis uniuntur potentiæ quam actus, et tamen ita est; ergo, etc.

Quod autem illa, quæ diversificant actum in potentia inferiori, diversificent actum in potentia superiori, patet exemplo, quia enim album et nigrum differunt specie, et visio albi differt specie a visione nigri, ideo diversitas istorum actuum est causa diversitatis in actibus intellectivis, quia intellectio albi differt specie ab intellectione nigri; igitur multo magis illa quæ diversificant potentiam inferiorem, sunt causa diversitatis in actibus potentiæ superioris. Probata est igitur major, sed minor patet, scilicet quod in potentiis sensitivis cognitio intuitiva et abstractiva variant speciem ratione potentiæ inferioris. Patet de visiva et imaginativa potentia; igitur, etc.

4. Secundo ostendo ex parte cognitionum, quia quæcumque infra proprium genus differunt plusquam numero, et non differunt secundum magis et minus, differunt specie ad minus. Et dico *infra genus proprium*, quia in genere extraneo non oportet, sicut homo albus et homo niger differunt plusquam numero in genere extraneo, non tamen differunt specie; sed ita est, quod illæ cognitiones infra genus proprium differunt plusquam numero, et non differunt secundum magis et minus; ergo, etc. Patet minor, et probo quod plus differant quam numero, quia istæ cognitionés, scilicet intuitiva et abstractiva plus differunt quam duæ abstractivæ et duæ intuitivæ, et istæ differunt numero; ergo illæ plusquam numero. Quod non *secundum magis et minus*, patet, quia quæ sic differunt, unum per intensionem infra suam rationem specificam factam potest adæquari alteri, sed non sic abstractiva in-

tuitivæ quantumcumque crescat; ergo, etc.

Tertia ratio est illa : Illa cognitio quæ indifferenter est objecti præsentis et absentis, non est ejusdem speciei cum cognitione, quæ determinate est objecti præsentis; sed cognitio abstractiva est objecti præsentis et absentis indifferenter, intuitiva determinate est præsentis ; ergo, etc.

Item, quando inter aliqua extrema est aliquod medium, si differat specie ab uno et ab alio, secundum Commentatorem 6. *Phys. com.* 32. Sed cognitio abstractiva est media inter cognitionem intuitivam et cognitionem fidei, et differt specie a cognitione fidei, quia potest esse scientifica, cognitio fidei non; ergo, etc.

Commentator.

5. Ad primum argum. principale.

Ad rationes : Ad primam in principio quæstionis cum dicitur, quod *magis et minus non diversificant speciem,* dicendum quod licet magis et minus præcise non diversificent speciem, tamen si generaliter accipiatur ista propositio, quod *magis et minus non diversificant speciem,* id est, non sunt nisi in eadem specie, propositio non est vera : substantia enim est magis ens quam accidens, et tamen ens quod dicitur de substantia et accidente, non est ejusdem generis, nec speciei.

Ad secundum.

Ad secundum : *Quæ dividuntur in inferioribus, uniuntur in superioribus,* dicendum quod illa propositio, *quæ plurificantur in inferioribus,* etc. non est universaliter vera, alias cum potentia cognoscitiva et etiam appetitiva plurificentur in parte sensitiva, sequeretur quod essent una potentia intentionaliter. Similiter cum intellectus et voluntas sint duæ potentiæ in homine, sequeretur quod essent una potentia in animali, quod non est verum.

Ad difficultates respondendum est : Ad primam cum dicitur *idem inquantum idem,* etc. dico quod ista propositio potest intelligi dupliciter. Uno modo sic, quod idem activum in quantum idem, semper est natum facere idem, hoc est, eumdem effectum. Aliter potest intelligi, quod etsi activum natum est facere plures effectus, semper tamen idem passivum natum est facere eosdem effectus. Primo modo propositio est falsa tam in agente libero, quam natura æquivoco. Secundo modo est falsa in agente libero. Patet, Deus enim in aliquo passivo posset facere effectus quos nunquam fecit ; vera autem est de agente mere naturali, quia circa idem passivum uniformiter dispositum, natum est eosdem effectus producere.

6. Ad primam difficultatem.

Ad confirmationem *potentiæ distinguuntur,* etc. dicendum quod quædam sunt potentiæ organicæ disparatæ omnino, ut visus et auditus, quædam sunt potentiæ organicæ subordinatæ, ut visus et sensus communis, et de illis habet propositio veritatem. Aliæ sunt potentiæ ordinatæ non ratione majoris et minoris communitatis objecti, sed ratione dignitatis ipsarum, ut intellectus Angelicus et humanus ; et de istis non est propositio vera, quia quidquid natum est esse objectum intellectus Angelici, natum est esse objectum intellectus humani. Aliæ sunt potentiæ ordinatæ, quia actio unius ordinatur

Triplex subordinatio potentiarum.

ante actionem alterius, ut intellectus et voluntas, et de istis etiam est propositio falsa*.

* *Deest responsio ad secundam confirmationem.*

Ad secundam. Ad secundam, cum dicitur : *Illud quod non variat rationem objecti, non variat rationem actus,* dicendum quod falsa est, quia absens et præsens non variant rationem objecti, et tamen variant actum. Ad tertiam. Ad aliud, *inter quæcumque duo extrema,* etc. Respondeo, distinguendum est de immediato et successivo, vel secundum rationem meriti et præmii, vel ex natura rei. Modo dico, quod cognitionem fidei non sequitur visio immediate ex natura rei, sed secundum rationem meriti et præmii.

QUÆSTIO VI.

Utrum cognitio abstractiva possibilis haberi de Deo, et intuitiva de eodem simul possint stare in intellectu?

Vide Doctores citatos *in quæst. anteced.*

1. Arg. primum negativum. Videtur quod non : Quia intellectus immediata cognitione refertur ad objectum cognitum ; si igitur intellectus posset habere simul duas cognitiones de eodem objecto, intellectus bis diceretur ad idem objectum ; consequens est falsum, ut patet 9. *Metaphysic. cap.* 6. (Aristoteles)

Confirmatio. Confirmatur, quia relatio actus ad objectum est essentialior quam relatio habitus, quia habitus non tendit in objectum nisi mediante actu ; habitus autem refertur ; igitur, etc.

Secundum argumentum. Item, adveniente perfecto, evacuatur quod est imperfectum : cognitio intuitiva de Deo est perfectissima possibilis haberi de Deo, abstractiva est imperfecta ; igitur, etc.

Arg. affirmativum. Contra, non plus repugnant cognitio abstractiva et intuitiva de Deo quam cognitio matutina et vespertina de eodem ; sed istæ possunt simul stare in intellectu beato. Patet per Augustinum supra 4. *de Genes. ad litteram cap.* 29. 30. 31 ; igitur, etc.

Circa istam quæstionem dicunt aliqui, quod sic : prima ratio eorum, quia diversa accidentia alterius speciei, et non contraria possunt stare simul. Patet de similitudine et dissimilitudine in superficie : sed istæ cognitiones non sunt contrariæ, et sunt diversarum specierum, ut dictum est prius ; ergo, etc.

Item, licet duæ cognitiones, quarum una est evidens et alia obscura, non possint simul stare, tamen duæ evidentes possunt simul stare, sed istæ ambæ sunt evidentes, quia utraque scientifica.

Reliqua desunt.

R. P. F. JOANNIS

DUNS SCOTI

DOCTORIS SUBTILIS, ORDINIS MINORUM,

QUÆSTIONES MISCELLANEÆ DE FORMALITATIBUS.

TRACTATUS IMPERFECTUS

CUM NOTIS & SCHOLIIS R. P. F. LUCÆ WADDINGI.

CENSURA.

Quæstiones has, præter primam, exscripsimus ex codice vetusto membraneo MS. Bibliothecæ Vaticanæ, num. 869. *in quo post quæstiones Scoti in libros de Anima, hæc promiscue sequebantur. Libri titulus erat :* Scotus in libros de Anima, et alia pulchra. *Miscebantur alii aliorum tractatus et solutæ quæstiones; quædam Alberti Magni; quædam Richardi quæ circumferuntur inter ejus Quodlibeta ad finem libri* 4. *Sententiarum ; aliæ Aureoli nondum impressæ; ut aliæ Nicolai Lirani, qui et Commentarios Theologicos et quæstiones scripsit Quodlibetales. Primam quæstionem de attributorum distinctione, imperfectam tamen, accepimus ex eadem Bibliotheca codice* 879. *ad finem libri secundi Reportatorum Parisiensium. Stylus, methodus, doctrina Scotum redolent, et fortassis quæstiones has aliasque multas, quas tabulæ Guilelmi de Missale indicant, et adhuc desiderantur, sub* Commentariorum imperfectorum *nomine recensuit Pitseus. Nos propter materiæ et disputationum varietatem* Miscellaneas *nuncupamus, et reliquarum more Notis et Scholiis illustramus.*

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum omne intrinsecum Deo sit omnino idem essentiæ divinæ, circumscripta quacumque operatione intellectus.

Alens. 1. *part. quæst.* 48. *mem.* 3. Richard. 1. *dist.* 2. *art* 1. *q.* 2. *et* 3. Henric. *quodl.* 5. *quæst.* 1. *et quodl.* 13. *quæst.* 1. Goffred. *quodl.* 7. *quæst.* 1. D. Thom. 1. *part. quæst.* 28. *art.* 2. *et quæst.* 7. *de verit. art.* 6. *opusc.* 9. *quæst.* 1. 2. *et* 3. *et* 1. *dist.* 2. *quæst.* 1. *art.* 3. Capreol. *disp.* 8. *quæst.* 4. *art.* 1. Durand. *dist.* 2. *quæst.* 2. Arim. *disp.* 8. *quæst.* 1. Aureol. *quæst.* 3. *art.* 2. Antonius Syrectus, Faber, et alii Scotistæ *peculiari tractatu de formalitatibus.* Idem Faber *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 7. *disp.* 19. et 20. Rada *in* 1. *controv.* 4. Suarez 1. *part. tract.* 1. *lib. cap.* 10. Vasq. 1. *part. disp.* 116. *et* 120. Vide Doctorem 1. *dist.* 2. *quæst.* 7. *et disp.* 8. *quæst.* 4. *et collat.* 22. *et alibi passim.*

Respondeo, supposito ex aliis 1.
quæstionibus quid sit tenendum de diversismodis identitatis et non identitatis concedendis, vel negan-

Quænam unt propositiones onceden-læ, vel egandæ ratione stinctio-s forma-lis.

dis in divinis ; suppositis etiam rationibus terminorum explicantium talem identitatem vel non identitatem, hîc videndum est de propositionibus concedendis vel negandis, et oportet dicere de ordine inter illas. Et ad breviter loquendum ; essentia sub præcisissima ratione sit *A ;* paternitas sub propria et præcisa ratione sit *B*. Hæc videtur esse propositio prima concedenda in ista materia : *A non est formaliter B ;* vel ista, quæ æquipollet ei : *A non est formaliter idem B*, quod videtur formaliter remotior a multitudine et varietate intellectuum seu sensuum diversitate. In ista quidem : *A non est formaliter B*, non negatur absolute *A* esse *B*. Sed esse sic, sive sub tali modo, ut *formaliter* et composito modo, negatur, non ratione ejus quod importat compositio, sed ratione modi, sicut ista : *Æthiops non est homo albus*. Similiter hîc : *A non est idem formaliter B*, negatur identitas non absolute, sed sub isto modo, et hoc ratione negationis modi.

Prima opositio nceden-da.

2. cunda cedenda

2. Secunda propositio, qua multi utuntur quasi æquivalenter cum prima, videtur esse ista : *A et B non sunt formaliter eadem*, et tamen ista non est præcise determinata ad illum unum sensum, sicut prima. Nam aliquis altercari volens, diceret quod hîc ponitur pluralitas : *A* et *B non sunt eadem*, tum ex copulatione posita inter *A* et *B* quæ non potest esse sine aliqua distinctione, quia non videtur quod omnino idem possit sibi ipsi copulari ; tum ex pluralitate consignata, et ex copula, et prædicato, cum dicitur, *sunt eadem*. Unde et aliqui in illo verbo Christi, Joannis 10 : *Ego et Pater unum sumus*, notant pluralitatem personarum in copulatione et plurali numero, *sumus;* sed unitatem essentiæ in prædicato singulari *unum*, quare sequitur illud, si *unum ;* non igitur diversum ; si *sumus;* ergo Pater et Filius. Et similis est sententia Magistri ex Augustino et Hilario lib. 1. Sententiarum distinctione secunda, pertractando illam auctoritatem, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, ubi ait, dicendo *Faciamus*, et *nostram* pluralitatem personarum ostendit, dicendo vero *imaginem* unitatem essentiæ.

Confirmatur ratione, quia ad istud antecedens *non semper Pater est idem Patri*, non videtur inferri, *ergo pater et pater sunt commune*. Nam antecedens est verum, sicut istud, *Pater est Pater*, consequens videtur falsum, quia notat pluralitatem in supposito et in apposito.

Objicies : Hîc non videtur quod ista convertantur in negativis, hoc non est formaliter idem illi, et hoc et illud non sunt formaliter eadem. 3.

Respondeo, tamen non faciendo vim in verbis, ubi sanus intellectus haberi potest, ibi negatur identitas *A* et *B* cum dicitur, *A* et *B non sunt eadem*, sicut negatur in antecedente ; sicut in communi modo loquendi pro eodem habemus, Socrates est similis Platoni, et Socrates et Plato sunt similes.

Et cum arguitur de illa pluralitate, quæ videtur poni in consequente propter copulationem in subjecto, et numerum consignificatum in prædicato, potest dici quod ad utrumque sufficit distinctio ra-

tionis, imo minima, illa scilicet quæ sufficit ad distincta nomina synonyma ; hæc enim non negaretur : *Gladius et ensis sunt idem*, vel *Marcus et Tullius sunt idem*.

Et quod notatur in dicto Christi, efficaciam habet in supposito, quod non sit sola distinctio rationis inter copulata, quia suppositum licet non habeatur ex ratione copulationis, habetur tamen ex rationibus illorum quæ copulantur, quia implicatur in eis oppositio relativa realis.

Ad rationem, posset dici quod alia distinctio requiritur inter copulata, saltem rationis vel nominis, ista autem posita est de extremis *A* et *B*. Unde videntur illæ propositiones primæ et ista eumdem intellectum importare, vel saltem sine impropríetate possunt a sane intelligentibus accipi, quasi connaturales quantum ad intellectum.

4. Juxta istas duas in quibus negatur convertibilitas, sunt aliæ duæ affirmativæ distinctionis juxta primam. Ista ; *Deitas est formaliter distincta a paternitate*, et e converso. Juxta secundam ista, *Deitas et paternitas sunt formaliter distinctæ*. Propositionum istarum una est minus determinata ad unum intellectum quam illæ negativæ. Nam ista, quæ minus videtur posse habere diversos intellectus, scilicet *Deitas est formaliter distincta a paternitate*, videtur posse habere duplicem intellectum. Unum, quod modus importatus per ly *formaliter*, affirmetur circa istud determinabile, quod est *distinctum*, sicut affirmatur in ista : *hoc est formaliter idem isti*, circa istud determinabile quod est *idem*. Alius intellectus posset haberi, quod negatio inclusa in hoc quod est *distinctum*, negat modum importatum per hoc, quod est *formaliter*. Et si iste intellectus posset haberi ex vi sermonis, tunc non sequitur : non est idem formaliter, ergo est distinctum formaliter ; sed est fallacia consequentis, quia in antecedente negatur prædicatum compositum ex determinabili et determinante, et verificatur ista affirmatio circa determinabile negatum. Sicut nec tenet ista consequentia : homo non est necessario albus ; ergo est necessario non albus, et in multis aliis, ut *homo non est essentialiter et quidditative, vel per se primo modo risibilis : ergo homo est essentialiter vel quidditative per se primo modo non risibilis*. In antecedente quidem negatur *risibilis* sub isto modo, et hoc est, quia iste modus negatur ; in consequente vero modus affirmatur respectu prædicati negati. Et ideo consequens est falsum, nam istud prædicatum negatum *non primo essentialiter vel quidditative, vel per se primo modo*, dicitur de subjecto ; imo nec alia negatio prædicatur per se primo modo de aliquo positivo, nec negatio alia ingreditur essentialiter in essentiam aliquam positivam.

Contra hoc : *idem* et *diversum* sunt immediate opposita circa ens, *ex* 5. *Metaphysicæ text. com.* 15 ; ergo pari ratione *idem formaliter* et *distinctum formaliter* erunt immediate opposita circa *A* respectu *B*, et per consequens sequitur, si *A* non est formaliter idem ipsi *B* ; ergo est distinctum formaliter ab ipso *B*.

Et confirmatur in simili, quia ita sequitur hîc de *eodem* et de *distincto*, sicut cum aliis determinabilibus. Sequitur enim, si *A* non est realiter idem ipsi *B*; ergo est distinctum realiter ab ipso *B*; et similiter in singulis modis, quos ponit Philosophus 1. *Topic. cap.* 6. puta, hoc non est idem illi genere; ergo est distinctum genere, et si specie, specie; et si numero, numero, et ita in aliis modis videtur, ubi est sola distinctio rationis. Sequitur enim, si ista non sunt eadem ratione; ergo sunt distincta ratione, et in divinis etiam sequitur, Pater et Filius non sunt idem personaliter; ergo sunt distincta personaliter.

Non videtur ergo instantia contra istam consequentiam, nisi dicatur præcise esse in proposito de significatione istius propositionis : *A est distinctum formaliter ab ipso B*, et utrum determinate importet primum sensum prædictum vel alium. Vel dicam multipliciter ad istos duos sensus, et discussionem exquiram, et multa alia hujusmodi relinquo Logicis, sequendo communem modum loquendi. Potest ergo ista concedi, saltem concedendo illum intellectum, secundum quem non videtur multum distare ab intellectu negativæ primæ concessæ.

Nec istæ instantiæ supra adductæ in oppositum movent, quia si accipiatur consequens in eodem intellectu respectu antecedentis, sicut hîc, omnes illæ consequentiæ essent concedendæ, puta exemplificando de uno pro aliis, quod non est *risibilis essentialiter*, vel si esset alia dictio ei imposita, quod est *non risibilis*, puta *C*, tunc hæc esset concedenda, *homo est C essentialiter*. Et cum arguitur quod *C* non cadit in definitionem hominis, sicut nec *A* negatio in definitione positivi.

Respondeo, si negatio libera vel inclusa in hoc, quod est *C*, possit negare modum additum significatum per hoc, quod est *essentialiter*, tunc concedo istam, *hoc est C essentialiter*, et ideo conceditur quod *C* prædicatur essentialiter de homine, quia in antecedente negatur modus ille *essentialiter*, in consequente affirmatur.

Aliter etiam posset dici, quod accipiendo ista adverbia *essentialiter* et *formaliter*, et similia, ut præcise dicunt modum distinctionis, sicut modum identitatis, immediate opposita sunt ista : *A est sic idem B*, *A est sic distinctum B*, non faciendo vim de affirmatione, vel negatione importati per hoc quod est, scilicet *C*. etc.

Contra hoc instantiæ sunt : quia sicut risibile non est essentialiter idem homini, ita est distinctum essentialiter ab homine, hoc est, 6.
distinguitur secundum essentiam, quia essentia est distincta ab essentia, et hæc essentia naturaliter non est determinatio hujus compositionis, *hoc est distinctum*, sed determinatio prædicati hujus, scilicet quod est *distinctum*; obligatio vero quæ procedit secundum quod est negatio vel distinctio, notatur esse de essentia subjecti, et procedet de alio intellectu prout essentialiter intelligitur determinare compositum.

Isto modo intelligendo hoc totum, quod est *formaliter distinctum*, *formaliter* est determinatio diminuens a distinctione, sicut et hîc,

non idem formaliter, formaliter diminuit a non identitate, ita quod sicut formaliter non sequitur : *sunt non formaliter eadem ; ergo sunt non eadem :* sed est fallacia secundum quid et simpliciter. ita non sequitur, *sunt distincta formaliter ; ergo sunt distincta,* sed est similis defectus.

7 Si quis proterviendo per illam propositionem, *A non est distinctum formaliter a B* velit alium intellectum concipere, quam intellectum distinctionis diminutæ, patet quod ista non sequitur ex præmissis. nec potest ex istis ad ultima inferre tanquam sequens ex datis.

Ex tertia et quarta inferuntur propositiones aliæ ut convertibiles, puta juxta primam et tertiam, ista quinta : *A habet distinctam formalitatem a formalitate B*, vel *formalitas A est distincta a formalitate B.* Et juxta secundam et quartam ista, *A et B habent distinctas formalitates ;* vel *formalitas A, et formalitas B sunt duæ*, sive *distinctæ formalitates.*

Quod aliæ sequantur ex præmissis, probatur in simili, quia si *A* est distinctum realiter, ergo alia est realitas *A*, et alia realitas *B*, et similiter; ergo *A* et *B* habent duas realitates a simili, etiam si *A* et *B* sunt distinctæ rationes ; ergo habent distinctas rationes, sic ergo *A* habet distinctam rationem ab ipso *B*.

8. Contra, in antecedente negatur hoc, quod est *formaliter* secundum illum intellectum, secundum quem sequitur ex prima quæ vera est, vel saltem hoc quod est *formaliter*, est determinatio diminuens respectu ejus quod est *distinctum.* In alia autem nec formaliter negatur, nec affirmatur, nec distinctio videtur diminui, quia nulla sibi additur dictio diminuens.

Posset dici, quod ex aliquo diminuto non sequitur idem simpliciter acceptum. Cum ergo ista propositio, *A est distinctum a B* non est concessa, nisi prout negatur hoc quod est *formaliter* per negationem inclusam in hoc quod est *distinctum.* Vel secundum aliam viam, hoc quod est *formaliter diminutum*, hoc est quod est distinctum ; ideo nullo modo sequitur consequens, in quo affirmatur formalitas et distinctio simpliciter. Stat vis in hoc : si ista propositio, *formalitas A est distincta a formalitate B*, vel alia æquivalens sibi, puta *formalitas A et formalitas B sunt duæ*, vel *distinctæ formalitates*, ponet formalitatem, et cum hac distinctionem simpliciter; quia si sic, nulla istarum sequitur ex propositionibus prius datis, secundum intellectum, in quo datæ sunt. Si autem in aliqua istarum distrahatur distinctio, sive diminuatur sicut in antecedente, vel negetur modus importatus per hoc quod est *formaliter*, poterunt istæ sequi ex illis.

De isto, scilicet quod ponitur in antecedente, potest esse duplex modus dicendi. Unus iste, quod hoc quod est *distinctum,* aliquid præexigit quasi materiale, puta entitatem, et aliquid per se ponit quasi formale, puta *non identitatem.* Ad hoc quod sit distinctio simpliciter, requiritur quod sit simpliciter entitas, et simpliciter non identitas ; et per consequens duplex potest esse distinctio secundum *quid ;* vel ex parte materialis, quia est entitas tantum secundum aliquid ; vel ex

parte formalis, quia in identitate simpliciter est non identitas solum secundum *quid*.

9. Utrum autem hoc, quod est *distinctum*, possit diminui primo modo per hoc, quod additur tali determinabili, nullum proprium *esse* est *esse* secundum *quid*, puta cum dicitur : ista est ratio distincta ab illa ratione, dubium est. Videtur enim quod sic, ex communi modo loquendi in quocumque, sicut et hîc.

Et hæc ratio est distincta ab illa ratione, ubi non significat secundum communem modum loquendi distinctio realis, sed tantum in tali *esse*, quale *esse* competit extremis, quod est *esse* rationis. Hoc videtur posse confirmari, quia determinatio habet *esse* secundum *esse* determinabile, vel saltem non verius.

De diminutione distinctionis secundo modo, videlicet quantum ad formalem rationem non identitatis, non videtur quod ista possit haberi per hoc, quod *distinctum* additur tali vel tali determinabili, quia determinabile non est formaliter determinans suam determinationem. Sed si contrahat ipsam, hoc est tantum materialiter; tum, quia quodcumque determinabile potest intelligi determinari distinctione tali vel tali, puta simpliciter vel diminuta; et hoc sine repugnantia intellectuum, utpote quod duæ rationes distinguuntur specifice, et ita simpliciter quantum est ex ratione non identitatis. Si autem determinabile diminueret quantum ad rationem sui, non posset intelligi, vel poni quantum ad illud distinctio simpliciter, sive non diminuta, quin videretur repugnantia intellectuum.

Hoc tenendo, consequenter dicendum esset quod ista est simpliciter falsa : *Formalitas A est distincta a formalitate B*, quæ videtur forsan alicui magis probabilis quam prima, pro tanto, quia hîc ponitur, *formalitas* et *distincta* ex eadem parte compositionis. In prima autem parte non, sed unum tantum in subjecto, et aliud in prædicato. Sicut autem non contrahitur aliquid proprie, nisi per determinationem secum ex eadem parte compositionis positam, alias ista posset concedi : *Omnis homo est albus*, quia subjectum tantum contraheretur ad standum pro homine albo. Ita similiter vel magis non contrahitur aliquid, vel diminuitur per illud, quod non ponitur secum ex eadem parte compositionis. Unde hæc est simpliciter prima : *Omne opinabile est*, vel *est ens*. Sed ista dicuntur inter istas, *formalitas est distincta a formalitate*, et *formalitas est distincta formalitas a formalitate*, non sufficit ad hoc quod secunda sit vera, quia in neutra probatur hoc quod est *formalitas*, distrahere sive diminuere hoc, quod est *distincta*, et hoc quantum ad formalem rationem distinctionis, sive non identitatis. 10.

Notatur igitur in utraque quod est distinctio simpliciter, et hoc quantum ad non identitatem simpliciter; hoc autem falsum est, sicut dictum est in præcedentibus, quia distinctum præcise formaliter, etsi habeat actualitatem plenam contra *diminutum esse*, et actualitatem propriam contra *potentialiter et virtualiter esse;* et actualitatem puram con-

tra *confusum esse* sive *mixtum esse*, et quantum est ex istis distinctionibus habeat alia requisita ad distinctionem simpliciter, tamen deficit ultimum complementum, scilicet non identitas simpliciter, quæ nunquam est *A* ad *B*, nisi reali simplicitati ejusdem entis repugnaret *A* et *B* vere, realiter, et actualiter simul esse in ipso, sic non est de essentia et proprietate.

11. Alius modus dicendi forte placet quibusdam, scilicet quod concederetur; *hæc formalitas distincta est ab illa*, vel saltem quod est distincta formalitas ab illa. Sed tunc oporteret illas exponere, qualiter posset hæc distinctio diminui quantum ad rationem suam formalem per hoc, quod est *formalitas*, quia in quocumque antecedente præconcesso, vel distinctio diminuitur, vel negatur modus importatus per hoc, quod est *formaliter*. Saltem, qui vult uti verbis minus dubiis ista formalitate potest concedere: *formalitas A est formaliter distincta a formalitate B*: sed nec ista formalitas *A* est distincta a *B*, nec.... alia est personalis eadem persona.

Locus corruptus.

12. Ad argumentum in oppositum quod procedit a simili, *distincta realiter, ergo distincta formaliter*, nego consequentiam; quia cum dicitur *distincta realiter*, ponitur distinctio simpliciter, et hoc quantum ad utramque conditionem, tam videlicet quantum ad entitatem, quæ hîc omnis intelligitur per hoc quod dicitur *realiter*, quam etiam quantum ad non identitatem, quia nihil est ibi diminuens rationem non identitatis simpliciter, et ideo sequitur consequens, quod sunt distinctæ realitates, sive res, quia non infertur aliquid simpliciter ex seipso secundum *quid* accepto.

Cum etiam dicitur, *hæc sunt distincta ratione*, diminuitur ibi distinctio, saltem quantum ad *esse*, sicut diminuitur quodcumque aliud sic determinatum, puta cum dicitur *esse in opinione vel in intellectu*. Non autem diminuitur quantum ad formalem rationem distinctionis, quia si ponatur ibi alia determinatio sic per se diminuens, sequitur consequentia, quod sunt rationes distinctæ saltem in intellectu, quia ens rationis non habet *esse*, nisi diminutum, ita et quodcumque determinans ipsum non habet *esse* nisi diminutum. Ideo in consequente sic intelligendo, nihil infertur ex se ipso diminuto, vel secundum *quid* accepto in antecedente.

Aliter est de ista: *A est formaliter distinctum ab ipso B*, nam determinatio *formaliter* diminuit hoc determinabile, quod est *distinctum* non primo modo, scilicet quantum ad entitatem, sed secundo modo, scilicet quantum ad non identitatem; siquidem esse formaliter distinctum non includit simpliciter distingui, sicut apparet ex dictis in isto articulo; quando ergo infertur, *A est distinctum formaliter a B; ergo formalitas A est distincta a formalitate B*, est falsa secundum *quid* et simpliciter, quia distinctio quæ ponitur in antecedente secundum *quid*, in consequente ponitur simpliciter.

Recolligendo igitur a principio istius articuli, qui hucusque consistit in hoc quod est *componere*, vel *distinguere* cum hoc quod est *formaliter*, vel *formalitas*; primo conce-

denda est ista, scilicet *A non est formaliter idem B*, secundo ista ; *A est distinctum formaliter ab ipso B*, intelligendo sane, vel negando modum importatum per hoc quod est *formaliter*, vel intelligendo distinctionem diminui per istum modum additum, sicut dictum est prius.

SCHOLIUM.

Ex hoc loco, et illatione istarum propositionum manifeste colligitur Scotum admittere distinctionem formalem inter eas realitates,quæ non sunt eædem formaliter; et propterea inanem esse illorum scrupulum, qui in divinis negant distinctionem formalem inter essentiam et attributa, atque inter eamdem et relationes, et inter ipsa attributa sibi invicem comparata, qui tamen admittunt non esse eadem formaliter, seu non habere identitatem formalem. Neque sufficienter deducunt hanc suam doctrinam ex illo loco Scoti in 1. dist. 2. quæst. 7. num.44. ubi negat illationem distinctionis formalis ex non identitate formali ; etenim passim et ubique, præsertim dist. 8. lib. 1. quæst. 4. distinctionem hanc formalem ex natura rei ante omnem actum intellectus admittit inter perfectiones essentiales Dei. Caute tamen et cum moderamine loqui voluit, ubi primum distinctionem hanc in divinis sub illis terminis excogitavit, et Scholis invexit. Ne etenim plus æquo unitissima, simplicissima, et actualissima arcana divina videretur distinguere, uti maluit negatione identitatis quam affirmatione distinctionis ; *Melius*, inquit, *est uti ista negativa, hoc non est formaliter idem, quam hoc est sic et sic distinctum*. Securius ita videbatur loquendum tunc, donec explicatis in sequentibus distinctionibus divinarum emanationum distinctis principiis, simplicitate essentiæ, varietate attributorum, et qualitate perfectionum essentialium, clarius licuit distinctionem hanc explicare, et firmiori fundamento stabilire, uti amplissime præstitit dist. 8. Quod autem loco supra citato consequentiam illam, *Non sunt idem formaliter, ergo distinguuntur formaliter*, non admiserit, vel non oportere sequi dixerit, bene explicant Lychetus et alii Scotistæ, propterea dictum, quia ut ipse Scotus dist. 8 quæst. 2. in responsione ad primum principale asserit, aliqua non sunt idem formaliter, et tamen non distinguuntur formaliter, ut gradus intrinsecus non est idem formaliter cum eo cujus est gradus, et tamen non sequitur, ergo distinguitur formaliter ab eo; non enim dicit per se formalitatem, per quam formaliter distinguatur a re cujus est modus, non formalitas. Unde *non identitas* latius patet quam *distinctio*, quod variis instantiis fusius docet hic Tartaretus, præsertim in non identitate et distinctione reali ; probatque non bene sequi, non sunt eadem realiter, ergo distinguuntur realiter. Vide Smising de Deo uno tract. 2. disp. 1. quæst. 2. num. 40. Vide Scholium quæstionis sequentis.

Tertia propositio, scilicet quod *formalitas A est distincta a formalitate B*, simpliciter est neganda, et præcise concedenda cum ista determinatione *formalitas A est distincta formaliter a formalitate B*, et ita quodcumque essentiale concedendum est esse distinctum formaliter a quolibet personali, non autem simpliciter distinctum. 13. Tertia propositio, neganda.

Restat adhuc unum dubium, de multis propositionibus pertinentibus ad istam determinationem importatam per *formaliter*, puta de ista, *Ipsius A ad B distinctio formalis* ; sed ista statim sequitur ex illa, *A est distinctum formaliter a B* : sicut sequitur, *homo est specie distinctus ab asino*, sicut *hominis ad asinum est distinctio specifica*, quia utrobique est eadem distinctionis determinatio in antecedente, quæ in consequente.

Alia propositio : *A formalitate est distinctum ab ipso B* sive *secundum formalitatem*, cum suo causali secundum Priscianum æquivaleat adverbiali determinationi, et ablativus iste *formalitate* cum additur ei quod

est *distinctum*, notet formalem distinctionem ipsius, videtur quod concedens istam esse formaliter distinctam, debeat concedere necessario aliam, quia in consequente per illam determinationem *formalitate*, sive *per illam formalitatem* diminuitur hoc quod est *distinctum*, sicut in antecedente per hoc quod est *formaliter*.

14. Contra : *Formaliter* non dicit identitatem, sed diminuit aliquid aliud, et magis determinat ad completam et propriam rationem ipsius; ergo nec determinans hoc quod est *distinctum*, diminuet ipsum.

Confirmatur, quia *formaliter* videtur includere hoc quod est *essentialiter*, et formalitate aliquid superaddere : sed hoc quod est *essentialiter*, non diminuit distinctionem, quando determinat hoc quod est *distinctum*. Similiter posset argui de hoc quod est *quidditative*, et de hoc, quod est *per se primo modo*.

Item concessum est : *A est distinctum a B* sive *a formalitate ipsius B*. Sed non est distinctum nisi eadem formalitate illius; ergo non est distinctum formalitate alia; sequitur ergo quod formalitas est distincta essentialiter a formalitate.

Confirmatur, quia quidquid est distinctum qualitate, est qualiter distinctum : similiter quidquid est distinctum essentia, est essentialiter distinctum, et quod accidente distinctum, est accidentaliter distinctum, et ita similiter in aliis, et e converso. Ergo a simili in proposito, quidquid est formaliter distinctum, est formalitate distinctum; sed *A* non est distinctum formalitate, nisi illa quæ ipsamet est essentialiter, vel totaliter, et præcise. Hoc maxime patet arguendo de aliqua perfectione in divinis simpliciter simplici, quæ totaliter est, et præcise est ipsum per quod est distincta.

Item, idem videtur esse *formaliter* et *secundum formam*, sed nihil est distinctum secundum formam ab aliquo, nisi forma illa sit distincta, quia secundum formam indistinctam nihil est distinctum, imo nec Pater secundum Deitatem est distinctus a Filio; ergo ad hoc quod est *formaliter*, sequitur formam distingui vel saltem formalitatem. 15.

Item, formalitas scientiæ non distinguitur formaliter a formalitate scientiæ, et distinguitur formaliter ab alia formalitate, et dicatur illa *D*; non autem potest ab alia distingui formaliter, et ab alia non distingui formaliter, nisi hæc et illa sint distincta, quia contradictoria non possunt verificari, nisi sit alietas in subjecto, vel in termino; ergo illa formalitas est distincta ab illa formalitate, quod est propositum.

Item, si *A* distinguitur a *B* formaliter; ergo actualiter, quia *A* est actus : sed distingui actualiter, infert simpliciter distingui, nec diminuit ipsum; ergo nec diminuitur in antecedente.

Idem argueretur de hoc, quod est *distingui realitate*, quia sequitur ad hoc quod est *distingui realiter*, et in consequente non diminuitur distinctio; ergo nec in antecedente.

Sed tota ista difficultas consistit de *distingui realiter*, et de distinctione reali, et de quibuscumque pertinentibus ad distinctionem determi- 16.

natam, per hoc quod est *realiter*, et de pertinentibus ad sequentem ordinem. Totus enim iste ordo stat in distinctione vel identitate, vel determinatur per hoc quod est *formaliter*, et habet tres ordines. Primum negativum ejus quod est *formaliter*. Secundum negativum ejus quod est *formaliter distinctum*. Tertium ejus quod est *distincta formalitas*.

SCHOLIUM

Adductis variis argumentis contra distinctionem formalem, alia octodecim adjungit, in quibus potissimas quasque difficultates, quæ contra eamdem urgeri possunt, et ab adversariis tam vetustis quam recentioribus propositæ sunt, conspicere licebit. Præcipua horum attigerunt Ariminen. et Cajetanus, quæ videre est apud Lychetum et Fabrum citatos. Vasquez plus reliquis et injuriosius objecit, nimirum opinionem hanc Scoti circa distinctionem attributorum coincidere cum errore Gilberti Porretani condemnato in Concilio Rhemensi sub Eugenio III, sed explicatis his terminis *realiter*; *essentialiter* et *formaliter*, in quibus præcipua est argumentorum vis, omnia eliduntur. Vide Fabrum citatum cap 7.

17. Primum argumentum contra distinctionem formalem. Alia adducuntur argumenta contra distinctionem formalem *A* et *B*, arguitur sic : formalitas *A* in quantum hujus, aut differt a formalitate *A*, aut non : si non, idem est differre formaliter et realiter : si sic, aut formalitati et rei, cui est idem re non formaliter, est aliquid commune, aut non : si sic, aut illud commune est reale, et tunc ambo realia ; aut illud commune est ens rationis, et tunc ambo erunt entia rationis, nam tertium videtur improbabile, quia enti in anima, et enti extra animam non videtur aliquid commune, nisi æquivoce vel analogice, *ex Arist*. 5. *Metaphysicæ text. comm*. 13. Similiter si tale daretur commune, sequitur quod unum erit ens, et alterum ratio : sed vere res non potest esse ratio; ergo formalitas est ratio, et sic differentia formalitatum est differentia rationis, quod est contra ponentes distinctionem earum.

Item secundo, formalitas ut formalitas, aut est alia res, aut non : si sic, et idem est re cum formalitate alia; igitur idem formaliter illi. Si nulla; ergo nihil, secundum Augustinum tract. 1. in Joannem post medium, *quod nulla res est, omnino nihil est*.

Item tertio, formalitas hujusmodi non est aliud quam quidditas, vel *quod quid* rei extra animam, non figmentum, vel intentio secunda; formalitas ergo est substantia, quia substantia dividitur in subjectum, et *quod quid erat esse*. Divisum autem prædicatur formaliter de dividente; ergo est formaliter res. Et tunc sic : vel est res illa, quæ est illa formalitas, aut alia ? Si illa; ergo formalitas secundum *quid* hujus est idem cum alia formalitate, cujus contrarium dictum est. Si alia; ergo realiter differunt secundum *quid* hujus, quia utraque formaliter est res.

Item quarto arguitur, quia quæ differunt ex natura rei, differunt realiter. Hoc probatur, quia hoc importat hoc nomen. Et per simile, quia quæ differunt actu rationis, differunt ratione tantum, et e converso, quia differentia quæ ponitur formalitatum, ponitur ex natura rei; ergo realiter. Consequens falsum secundum istos. Quartum.

18. Quintum. Item quinto, si differentia formalis realis sufficit ad faciendum aliqua differre realiter, puta differentia, quæ est inter paternitatem et essentiam, si sufficit ad hoc quod Pater paternitate differat realiter a Filio, non autem per essentiam ; pari ratione ad hoc sufficeret differentia rationis, sed per hoc præcise differentia rationis non facit differre realiter, quia non est differentia realis : ergo cum differentia formalis non sit differentia realis, non faceret differre realiter, hoc est falsum ; ergo differentia formalis est differentia realis, saltem illa quæ est inter relationem et essentiam.

Sextum. Item, conceptus quidditativus *A* non differt a conceptu quidditativo *B*, nisi importaret diversas res in significato vel connotato. Probatur, quia nec *A* nec *B*, est præcise ens rationis, sed realis secundum eos. Si detur quod primo modo differunt isti conceptus; ergo differunt realiter. Si secundo modo, quantum ad connotatum, quia paternitas connotat filiationem oppositam, hic non potest poni ratio distinctionis in proposito, quia essentia est idem illi connotato, sicut significato connotantur.

Confirmatur per simile, quia non potest poni distinctio formalis inter animal et rationale, nisi rationale connotaret aliquid, quod esset distinctum ex natura rei ab animalitate, sive illud distinctum sit anima intellectiva secundum unam opinionem, sive actus ratiocinandi secundum aliam. Quod iterum probatur, quia ens nullo modo distinguitur ex natura rei ab animali vel rationali, quando per se primo modo prædicatur de utroque, quia neutrum istorum aliquid importat, vel connotat realiter distinctum ab ente.

Item, distinctio formalis, secundum ponentes primam, videtur salvari in distinctione conceptuum quidditativorum; sed sic differunt quæ sola ratione differunt secundum communem opinionem; ergo differentia formalis non ponit per se distinctionem ultra distinctionem rationis. 19. Septimum.

Item, Deus non est sciens nisi propter formalem rationem scientiæ, ut distinguitur a ratione justitiæ ; sed distinguuntur tantum formaliter, non realiter; ergo Deus est formaliter sciens, non realiter. Octavum.

Item, sicut realitas essentiæ ad realitatem attributorum, ita ratio formalis essentiæ ad rationes formales attributorum, quæ sunt idem realiter cum ea ; ergo ratio formalis essentiæ sic continet formalitates attributorum, quod sunt idem formaliter cum illa. Nonum.

Item, propria ratio sapientiæ ut distincta ab aliis, aut est res, aut est ratio? Si ratio; ergo est ab intellectu, et in anima : si res; ergo distincta ab essentia, ut res a re; ergo realiter. 20. Decimum.

Item, quæ differunt indifferenter, vel quasi indifferenter, minus differunt quam quæ differunt quasi specifice, sive quidditative : sed attributa non differunt, sed sunt idem quasi indifferenter, quia sunt ipsa essentia; ergo impossibile est ea differre conceptibus quidditativis. Undecimum.

Item, differentia rationis in prin-

Duodecimum. cipiis non sufficit ad principiandum distincta realiter; ergo nec distinctio formalis in principiis sufficit ad principiandum sic distincta, et per consequens quæcumque ratio inducitur ad probandum distinctionem formalem ex distinctione principiorum, ipsa non concludit. Probatio primæ consequentiæ: sicut ratio non est principium rei, quia non est res alia, nec formalitas, quia etsi formalitas ponitur medium inter rationem et rem, tamen non habetur propositum, quia sicut extremum non potest esse principium ejus, cujus aliud extremum est principium, quia non est ipsum, ita nec medium potest esse principium ejus, propter eamdem rationem.

21. Decimum tertium. Item, sicut hæc res significata ad suam rationem, ita res illa ad suam; ergo permutatim, sicut res ad rem, ita ratio ad rationem : si ergo hæc est simpliciter eadem illi; ergo ratio hujus formalis est simpliciter eadem illi rationi formali; ergo formaliter idem.

Decimum quartum. Item, si bonitas ligni non est formaliter eadem ligno; ergo est formaliter sibi addita, sicut si esset realiter distincta, esset res addita : consequens est falsum, quia si esset formalitas addita, aut substantialis, et tunc duæ formalitates substantiales; aut accidentalis, et tunc non idem realiter.

Decimum quintum. Item, res una habet formalitates plures, quia habet conceptus quidditativos distinctos. Res ergo una quasi dividitur in illos conceptus, et ita prædicatur de utroque ; et similiter de formalitatibus, quia divisum prædicatur de dividentibus. Aut ergo res, quæ prædicatur de formalitate *A*, est formalitas *B*, et tunc eadem formalitas; aut alia, et tunc alia res.

Item, omnis distinctio aut est rei, aut rationis : hæc non est rei, quia non est realis; ergo rationis. Probatur, nam distinctio passionum est secundum distinctionem subjectorum, differentia est passio entis ; ens enim dividitur in ens reale et ens rationis, vel in ens in anima et extra animam, 5. *Metaphys. text. comm.* 14. ergo differre formaliter, est differre secundum rationem. 22. Decimum sextum.

Item, formalitas aut est res, aut ratio, aut nihil? Si res, differre formaliter est differre realiter : si ratio; ergo differre formaliter est differre ratione. Probatur autem ab aliis quod ista differentia est realis, quia non ens extra animam non convenit enti extra animam. Decimum septimum.

Item, omne absolutum in divinis est infinitum; omne infinitum est simpliciter idem cuicumque compossibili sibi in eodem supposito; ergo justitia est simpliciter idem sapientiæ. 23. Decimum octavum.

Si dicatur quod est idem identice, non formaliter:

Contra, quidquid intelligitur per *identice idem*, sive intelligitur esse idem identice respectu idem unitive, sive intelligitur eminenter idem, habeo propositum.

Item, omne infinitum est idem cuicumque sibi compossibili, et non tantum identice, sed formaliter secundum eos. Probatur, quia relatio quæ non est infinita formaliter secundum eos, est idem identice cuicumque sibi compossibili in

eodem supposito; ergo infinitum, ut distinguitur contra relationem, qua infinitum, est idem cuicumque sibi compossibili alio modo quam identice; ergo erit idem illi formaliter.

SCHOLIUM.

Positis duabus conclusionibus, explicat naturam et quidditatem formalitatum, eamdemque ostendit ex incompatibilitate earumdem in eadem realitate simplici et indivisibili. Hanc autem incompatibilitatem dari actualiter in ipsis realitatibus, seu formalitatibus ex propria natura ipsarum, ante omnem operationem intellectus non solum hîc, verum et alibi ostendit : unde miror Mauritium Hybernicum in commentariis ad d. 2. q. 7. libri primi, uti refert Faber citatus disp. 19. c. 2. voluisse distinctionem formalem distingui a distinctione ex natura rei, nisi fortassis velit hanc latius patere, quippe etiam comprehendit distinctionem realem rei a re, quæ ex natura sua realiter distinguuntur.

24. Prima conclusio. Dico primo, in divinis Deitas est sub completa actualitate ex natura rei, et paternitas sub incompleta actualitate est ibi ex natura rei, illa est actualitas ad se et communicabilis, et hæc ad aliud et incommunicabilis, hoc totum est ex natura rei. Sic videlicet de entitate *A*, et entitate *B*.

Secunda. Ex hoc infertur secundum, scilicet de identitate, vel non identitate; ubicumque est aliquid non potentialiter, sed actualiter; non virtualiter, sed formaliter; non confuse, non mixte, sed in proprio *esse*, ibi quantum est ex parte actualitatis proprie formalis, habetur illud quod sufficeret ad distinctionem, non tamen habetur complete distinctio, nisi habeatur aliquid quod compleat, scilicet non identice simpliciter, sicut loquimur de indentitate rei simplicis completæ et incompossibilis actualitatis ad actualitatem incompossibilem, non sicut est contrariorum, sed incompossibilem in eodem indivisibili.

Sed unde est, quod aliquæ actualitates formales, et propriæ sunt incompossibiles hoc modo, aliquæ non? Unde etiam est, quod aliquæ actualitates tales sunt idem unitive, aliquæ non. 25. Unde incompossibilitas formalitatum.

Respondeo, ultra idem aggregatione, et idem per accidens, et idem essentialiter, potest dici idem ubi non est nisi una essentia, et hæc simpliciter, vel composita ex principiis facientibus per se unum, ita quod essentialiter contra idem est per accidens, extendendo etiam *per accidens* ad *per se* secundo modo; sive tamen accipiatur in divinis *essentiale* pro *commune* tribus, et ita essentiale pro eo quod est commune tribus, quod non pertinet ad rationem definitivam essentiæ, si definiretur, puta bonum, justum, secundum Damascenum, *lib.* 1. *fidei orthod. cap.* 4.

Vitando istam diversitatem intellectuum hujus vocabuli *essentialiter*, proprie potest dici quod hîc intelligatur *formaliter idem*, illud quod si esset finitum, adhuc esset sic idem; quemadmodum humanitas esset humanitas, sive esset limitata, sive illimitata, imo sive composita, sive simplex. Quidquid ergo esset eadem essentia quocumque dato, quod alterum, vel utrumque esset illimitatum, non tamen esset eadem essentia, dato quod utrumque esset in se, posset secundum unum intellectum, limitatum

illud dici unum, vel idem essentialiter illi, licet non diceretur idem illi formaliter, quia propria formalitas qua ipsum est ipsum, non est tota ratio istius identitatis, si poneretur limitata.

26. Est ergo alia actualitas propria eadem alicui actualitati, quia utraque, vel altera infinita, vel eadem infinito. Vel ut præcisius dicatur, quod non finitum, nam hoc habito quod non sit infinitum, sive neutrum, potest esse idem identitate simplici, licet non formaliter. Si ergo aliquis concedat *distinctum formaliter* hoc importare, quod quantum est ex actualitate propria formali, non deficit quin sit distinctio, licet deficiat aliunde, scilicet ex compossibilitate actualitatis cum actualitate in eodem simplici; ille potest concedere consequenter quod Deitas est distincta formaliter a paternitate, quia plane apparet quod distinctum diminuitur per primum intellectum, qui positus est. Si autem per *distinguitur formaliter* intelligat distinctionem simpliciter, et per hoc additum *formaliter* non diminuat, sed determinet et compleat hoc esse distinctum formaliter. Sed ista semper vera est, quia hoc non est ex defectu actualitatis, est indistinctum illi.

27. Et si quæras, quare actualitas hæc sit incompossibilis simplicitati illi in aliquibus, et in aliquibus non.

Respondeo, extrema simpliciter simplicia se totis sunt incompossibilia et compossibilia. Est igitur paternitas compossibilis Deitati, quia paternitas est paternitas, et Deitas est Deitas ; sicut in aliis, albedo et humanitas sunt incompossibilia in eodem simplici, quia humanitas est humanitas, et albedo est albedo, non sunt incompossibilia in aliquo uno per accidens, tamen sunt incompossibilia albedo et nigredo. Et rationes incompossibilitatis et compossibilitatis, sunt ipsæ propriæ rationes extremorum ; sed tamen ibi potest assignari quædam universalis ratio, quia omnia opposita realia non solum in eodem, sed in eodem composito sunt incompossibilia. Alia, etc.

Quia ergo hæc absolute neganda non est, personæ divinæ sunt realiter distinctæ; Pater realiter distinguitur a Filio, et uterque a Spiritu sancto. Paternitas est relatio distincta a spiratione actione, quia completio identitatis non consistit in non repugnare sibi in eodem simplici sibi, nec completio non identitatis consistit in repugnantia. Antecedens patet, quia non sequitur, formaliter non repugnat sibi; ergo sunt idem sibi; ergo nec cum in eodem simplici formaliter sequitur : e converso autem formaliter sequitur, sunt idem in eodem simplici; ergo si non repugnat in illo, complementum inferioris non consistit in ratione superioris, quod enim inferius est aliquo alio sibi superaddito, inferius est. Consequentia patet, quia nihil positivum requiritur ad verificandum contradictionem affirmativam, quin illius negatio sufficiat ad verificandam contradictionem negativam; quod non esset verum, si negatio negativi solum completur negando superius. 28.

Ad confirmationem tamen, quia posito impossibili non includente contradictionem, sequitur contradictoria esse simul falsa ; nam secundum Augustinum *lib. 5. de Trinit. cap. 5.* posito quod Pater non genuisset, adhuc posset dici ingenitus, et si Filius non spirasset, posset Pater spirasse. Similiter si nec Pater, nec Filius spirasset, posset poni Patrem genuisse. Istæ positiones non includunt contradictionem secundum nos ; sed posita hypothesi prima, et universaliter sequitur, quod ingenitum et paternitas, et Pater, et spiratio activa non sunt idem, nec non idem. Quod non sunt idem, patet, quia ens et non ens non sunt idem ; paternitas non esset secundum primam, et spiratio activa per secundam hypothesim, nec non idem, quia non incompossibiles in eodem simplici, quia adhuc formalibus rationibus eorum non repugnat posse simul esse in eodem simplici.

29. Ideo videtur, quia distinctio non includit talem non identitatem, non ejus completio sit incompossibilis prædicari, sed includit non identitatem indifferenter, ut negat identitatem significandam per illud pronomen relativum, sive masculine, sive fœminine, sive neutraliter ; modo licet negatio identitatis neutraliter significatæ secundum communem modum loquendi in divinis illam incompossibilitatem importat, propter quod simpliciter negatur ista : *Pater et Filius non sunt idem*, et oppositum conceditur, ut identitas masculine, vel fœminine significatur, illam incompossibilitatem non includit. Unde istæ simpliciter in divinis conceduntur, *Pater est persona distincta a Filio* ; et hæc simpliciter negatur, *tres personæ in divinis non sunt distinctæ.*

Ratio autem diversitatis hujus sub diversis generibus grammaticalibus est hæc, quia neutrum genus substantivum includit suum substantivum, circa quod, ad istam quam includit, immediate ponit suum significatum. Substantivum autem in eo inclusum, non est alterum eorum sub propria ratione, qua denominatur esse idem, et hoc ut communiter ; masculinum autem et fœmininum non habent in se sua substantiva, propter quod pronomina relativa sub illis significant ista sua substantiva, sub propriis rationibus immediate referuntur sibi, in neutro autem non referuntur extrema sibi invicem immediate sub propriis rationibus, sed sub ratione communi.

Sed nec videtur sufficere, quod dicitur de genere neutro, quia idem videtur esse, non eo, et non eodem. 30.
Augustinus ait de Trinit. lib. 7. *Non eo verbum, quo sapientia* : ergo simpliciter debet concedi, non eodem Verbum quo sapientia. Similiter capitulo 8. concludit Augustinus, quod *aliud est Deum esse, aliud Patrem esse.* Aliud et non idem, videntur idem. Ergo si non identitas vel in genere neutro, vel simpliciter, includit talem repugnantiam in eodem simplici, nec sapientia ex quo Verbum est Verbum, nec quo Pater est Pater, essent compossibilia in eodem simplici.

Item, contra primum modum sic : Relatio paternitatis, aut est eadem relationi filiationis, aut non

eadem. Si eadem; ergo sicut paternitate pater est formaliter pater, ita et filiatione erit formaliter pater. Si non eadem; ergo sunt incompossibilia in eodem simplici, Deus autem summe simplex est, etc. *Reliqua desunt.*

QUÆSTIO II.

Utrum intellectus et voluntas in Deo, qui dicunt perfectiones absolutas sint idem totaliter, vel distinguantur aliqualiter?

D. Thom. 1. *p. q.* 14. *art.* 1. *ad.* 3. *et art.* 4. *in corp.* Aureol. 1. *d.* 35. *p.* 1. *art.* 3. *difficul.* 2. 3. *et* 4. Capreol. *quæst.* 1. *art.* 2. Ferrar. 1. *cont. Gen. c.* 50. Cajetan. 1. *p. q.* 14. *art.* 5. *ubi* Vasq. et Suar. et hic *in Metaph. disp.* 30. *sect.* 15. Vide Doctorem 1. *d.* 2. *q.* 7. §. Dico tunc. *et d.* 26. *q. un.* §. Ad secundum principale, *et d.* 35. *q. un.* §. Supposito quod Deus, *et in* 4. *d.* 13. *q.* 1. *art.* 2. *vers.* Ex hoc sequitur, *et quodlib.* 1. *art.* 1. §. de altero termino, *et art.* 3. §. Contra ista, *et* Lichetum *ad d.* 26. *citat.*

1. Argumentum primum quod non distinguantur.

Quod sint idem totaliter, probo primo sic : si istæ perfectiones distinguantur aliqualiter ex natura rei, aut talis distinctio est realis, aut non. Ista propositio fundatur super primo principio, *de quolibet est vera altera pars contradictionis*, si non est distinctio realis; ergo est secundum rationem. Istam consequentiam probo; quia omnis distinctio vel est secundum *esse* in anima, vel secundum *esse* extra animam; si est extra animam, est realis; si secundum *esse* in anima, est rationis : sed positum est quod non est realis; igitur est rationis. Illam propositionem assumptam ad probationem consequentiæ, scilicet quod *omnis distinctio vel est secundum esse in anima, et est rationis, vel esse extra animam et est realis*, probo sic : Impossibile est passionem, vel illud quod habet modum passionis, esse majoris ambitus quam illud, cujus est passio primo; sed *unum* et *multum; idem* et *aliud* sive *diversum*; *distinctum* et *indistinctum*, sunt passiones entis; et omne ens vel est in anima, vel extra animam : si in anima, est ens rationis : si extra, est ens rei; igitur omnis distinctio, vel est secundum *esse* extra animam, et ita realis; vel secundum *esse* in anima, et ita secundum rationem : sed tunc ultra, intellectus et voluntas non distinguuntur realiter; ergo distinguuntur secundum rationem tantum, et per consequens sunt totaliter idem ex natura rei.

Secundo probo quod non distinguantur, sic : quæ sunt idem realiter et formaliter, sunt totaliter ex natura rei : sed intellectus et voluntas in Deo sunt idem realiter et formaliter; igitur sunt penitus indistincta ex natura rei. Major est nota; minor habet duas partes; prima est, quod sunt idem realiter. Hanc ita probo, quia si distinguerentur realiter; igitur essent distinctæ realitates. Istam consequentiam probo, quia sicut indistinctio ad unum, ita distinctio ad multa : sed indistincta re sunt una res, ut sic; igitur distincta realiter sunt multæ realitates : falsum est autem quod in Deo sint multæ realitates absolutæ, quia componerentur in eo; igitur omnia absoluta in Deo sunt idem realiter.

Secundam partem majoris, scilicet quod sunt idem formaliter, probo sic : suppono quod intellectus sit formaliter infinitus, tunc arguo sic : essentia divina ex eo quod sit 2.

realiter infinita, est idem realiter cuicumque sibi compossibili; igitur intellectus divinus ex hoc quod est formaliter infinitus, includet formaliter omnem aliam perfectionem, et ita intellectus non distinguetur formaliter a voluntate, nec ab aliqua alia perfectione. Probo eamdem partem minoris ex intentione Augustini 7. de Trinit. cap. 5. dicit enim ibi : *Eo sapiens quo Deus, et eo sapiens quo bonus; sed non eo Deus quo Pater.* Ex hoc arguo sic : Illam identitatem attribuit sapientiæ ratione bonitatis, quam negat abesse respectu paternitatis, sed non identitas essentiæ respectu paternitatis est non identitas formalis; ergo identitas quam habet sapientia ratione bonitatis, est identitatis formalis; sunt igitur idem formaliter intellectus et voluntas.

Aug. sub hoc titulo nullus extat liber inter opera Aug. forte intelligit librum de vita beata, ubi paulo ante finem hæc ferme ipsa habentur.

Item, Augustinus in lib. de gloria Beatorum, et supplicio damnatorum, dicit quod *Sapientiæ in Deo, non est magis sapientia quam bonitas, nec bonitas est magis bonitas quam veritas.* Ex hoc sic, tanta identitate secundum istam auctoritatem, sunt idem sapientia et bonitas in Deo, quanta identitate est sapientia et bonitas, et per consequens intellectus et voluntas, et reliquæ perfectiones absolutæ sunt idem totaliter in Deo.

3. Rationes in oppositum.

Contra : si intellectus et voluntas sunt idem totaliter ; igitur tanta identitate intellectus est idem voluntati, quanta identitate intellectus est idem sibi ipsi. Hanc probo, quia si non esset idem intellectus voluntati tanta identitate, quanta est idem intellectus sibi ipsi, non esset intellectus idem voluntati totaliter, quia non secundum omnes gradus esset intellectus idem voluntati. Tunc ultra, si intellectus tanta identitate est idem voluntati, quanta intellectus est idem sibi ipsi ; igitur quæcumque sunt contradictoria circa intellectum præcise sumptum, sunt contradictoria circa intellectum et voluntatem. Non enim ista contra dicunt, *Intellectus intelligit ; voluntas non intelligit ;* et tamen ista sunt contradictoria, *Intellectus intelligit, et intellectus non intelligit ;* igitur manifeste sequitur quod non tanta identitate est idem intellectus voluntati, quanta intellectus est idem sibi ipsi, et per consequens intellectus et voluntas non sunt totaliter idem.

Item, si intellectus et voluntas essent idem totaliter, essent idem formaliter, sed non sunt idem formaliter ; ergo non sunt idem totaliter. Major est nota. Minorem probo. Quandocumque aliqua duo accepta secundum suas formales rationes in communi sic se habent, quod ratio unius non est ratio alterius, quidquid addatur utrique quod non tollat rationes eorum formales, semper stabit quod ratio unius non erit ratio alterius, nec unum formaliter erit idem alteri ; sed intellectus et voluntas accepta secundum suas formales rationes in communi sic se habent, quod in formali ratione intellectus non includitur voluntas ; igitur per nullum additum utrique, dummodo illud non tollat formales rationes ipsorum, dicetur intellectus esse formaliter idem voluntati, nec e

contrario ; sed infinitas addita intellectui et voluntati non tollit rationem intellectus et voluntatis; igitur quantumcumque in Deo sit intellectus infinitus et voluntas infinita, nihilominus tamen semper stabit quod intellectus non erit voluntas formaliter.

Item impossibile est quod oppositi modi principiandi possint competere principio simplici, et renitus indistincto : sed principiape naturaliter et libere sunt oppositi modi principiandi ; igitur impossibile est illud principium principiare istis modis oppositis : sed intellectus principiat naturaliter, voluntas libere; igitur intellectus et voluntas in Deo non sunt idem totaliter.

SCHOLIUM.

Dubitari forte posset, an hæc quæstio sit Doctoris, maxime quia non admittit aliqualem distinctionem inter essentialia in divinis, licet concedat non identitatem formalem inter eadem. Esse tamen Scoti præfert Autographum, nec difficulter suaderi potest ex stylo et discursu, præsertim dum argumenta omnia huc usque pro utraque parte allata, cujus ingenium strictum, et abstractum modum differendi sapiant; item constantia resolutionis, et constans in scopum collimatio. Nec est verisimile esse alicujus posterioris discipuli, alias conaretur Doctorem explicare, vel respondere principiis ejus, de quibus distinctionem infert, unde copiosior tractatus evaderet. Sive ergo dicamus hanc scriptam esse juniori ætate ante plenam discussionem hujus materiæ, ut alias insinuavimus in Scholio primo, ad præcedentem tractatum de formalitatibus, per quod huic dubio posset satisfieri; sive, ut magis mihi videtur, hic collimat Scotus ad illam quæstionem: an attributa se mutuo includant essentialiter, cujus partem negativam resolvit per non identitatem formalem, quam probat; non vero ad operosam discussionem distinctionis formalis, unde illa non identitas ipsi sufficiebat ad institutum. Valde autem pedetentim, et præmisso serio studio, et operosa ac varia multis in locis discussione, distinctionem hanc formalem in divinis stabilivit. An vero intellectus et voluntas sint vere attributa, atque inter se et ab essentia formaliter distincta, controversum est inter Scotistas : de quo videri potest Lychetus in principio quæstionis, et Smising qui de his latissime tractat de Deo uno, tract. 3. disp. 2. quæst. 1. num. 9. et deinceps.

Circa istam quæstionem brevissime sic procedam ; primo jam declarabo quod intellectus et voluntas in Deo non sunt totaliter idem : secundo, probabo quod nihilominus non distinguuntur aliqualiter. Ad probandam primam partem sufficiat ratio prima adducta arguendo ad oppositum, scilicet a contradictoriis. Ad evidentiam secundæ partis, scilicet quod non distinguantur aliqualiter, præmitto istud quod quantumcumque illa duo sint immediata dividentia, si illa immediata non consistant in indivisibili, sed utrumque illorum vel alterum habet latitudinem, cum negatione gradus supremi ab uno illorum, stat exclusio et negatio alterius dividentis, quantum ad omnes gradus ejus. Ad declarationem istius propositionis suppono quod album et nigrum essent immediata dividentia colorem, quia tamen utrumque habet infra se latitudinem, stant ista simul, quod aliquid non sit summe album, et tamen nullo modo sit nigrum, et tota ratio est, quia cum negatione supremi gradus albedinis, stat negatio nigredinis secundum omnem gradum sui. In proposito identitas et distinctio 4.

etsi sint passiones convertibiles cum ente, quia omne ens omni enti est idem, vel diversum; quia tamen identitas habet gradus, dico quod ista stant simul; intellectus non est totaliter idem voluntati, quia non est idem sibi, isto gradu identitatis, qui est esse idem formaliter, et tamen intellectus et voluntas non distinguuntur aliqualiter.

5. Instantia prima.

Contra istud mirabile dictum potest argui primo sic: Recessus ab uno extremo et maxime in immediatis, est accessus ad aliud; igitur cum *idem* et *distinctum* immediate dividant ipsum ens, sequitur, ut videtur, si intellectus non est totaliter idem voluntati, igitur aliqualiter distinguitur.

Secunda.

Item, inter contradictoria non est medium, sed *idem* et *non idem* sunt contradictoria; igitur intellectus vel est idem voluntati, vel non idem: non est idem, per te; ergo non idem: sed ad esse non idem, sequitur esse distinctum; ergo si intellectus non est totaliter idem voluntati in Deo, sequitur quod aliqualiter distinguatur.

Tenendo quod ista stant simul non esse totaliter aliquid idem alteri, et tamen non distingui aliqualiter ab eo secundum modum positum supra, respondeo ad istas instantias.

Solutio primæ instantiæ.

Ad primam, quando dicitur, *recessus ab uno*, etc. respondeo quod recessum esse ab uno extremo, et accessum ad aliud, potest intelligi dupliciter: vel positive, vel privative, ut sit sensus, quod quando tollitur unus gradus unius extremi ponatur gradus alterius extremi, et sic intelligendo propositionem, dico quod non habet propositio illa vulgata necessitatem. Privative potest intelligi propositio, ut sit sensus, recessus ab uno extremo est accessus ad aliud, id est, quando tollitur unus gradus unius extremi paucioribus mutationibus potest aliud extremum acquiri; facilius enim ex minori albo itur ad nigrum quam ex albissimo; sic autem intelligendo propositionem, non est contra me, quia cum tali accessu stat quod non participat aliud extremum secundum aliquem sui gradum.

Secunda.

Ad aliud de contradictoriis, concedo quod inter contradictoria non est medium. Et quando assumis, igitur intellectus vel est idem voluntati, vel non idem: dico quod est idem, sed non totaliter idem, sicut patet, quia potest aliquid esse album, et tamen non totaliter album; et quando infers, si non totaliter idem; igitur aliqualiter distinctum, nego etiam istam.

6.

Sed dices, quæ non sunt idem formaliter, distinguuntur formaliter; sed intellectus non est idem formaliter voluntati; igitur distinguitur formaliter: distingui formaliter, est distingui aliqualiter, et ita intellectus et voluntas distinguuntur aliqualiter, quod tamen tu negas.

Respondeo, quando dicitur quod non esse idem formaliter est distingui formaliter, concedo in iis quæ sunt limitatæ perfectionis: sed in iis, quæ sunt formaliter infinita, nullus gradus distinctionis est, concedimus, ne forte necessario concluderetur ibi esse compositio. Dico igitur in iis quæ sunt

Vide Scotum in

Oxon. l. 1. d. 2. q. 7. n. 44. et d. 8. q. 4. et in text. de formalitat.

formaliter infinita, non debet concedi, non sunt idem formaliter; igitur distinguuntur formaliter, sed sic : non sunt idem formaliter; ergo non sunt idem totaliter, et tamen nullo modo distinguuntur. Contra istud : esse idem formaliter, et distingui formaliter, sunt opposita immediata ; igitur ad negationem unius sequitur positio alterius. Respondeo, quando di itur esse idem formaliter, et distingui formaliter sunt opposita immediata, nego : sed esse idem formaliter, et non esse idem formaliter, et specialiter in iis quæ sunt formaliter infinita, et ideo bene concedo alterum membrum, quod non sunt idem formaliter, sed tamen nullo modo distinguuntur.

7. Ad primum argumentum principale.

Tenendo istam conclusionem facile est evadere primam rationem, quando dicitur : si tales perfectiones distinguuntur ex natura rei, vel talis distinctio est realis, vel rationis; dico quod istæ perfectiones non distinguuntur ex natura rei, tamen non sunt totaliter idem ex natura rei, ut dixi supra.

Ad aliud, quando dicitur quæ sunt idem realiter et formaliter, sunt idem totaliter, concedo, intellectus est idem voluntati realiter et formaliter; dico quod sunt idem realiter, sed non formaliter sunt idem. Tu probas ; quia sicut intellectus ex hoc quod est realiter infinitus includit per identitatem omnes alias perfectiones, ita intellectus cum sit formaliter infinitus, includit formaliter omne aliud : dico quod non est simile, quia esse infinitum formaliter non tollit formalem rationem ejus cui additur, et ideo cum ratio intellectus in communi non sit ratio voluntatis, nec intellectus infinitus formaliter erit formaliter voluntas ; sed bene erit voluntas realiter, quia aliter esset ibi compositio, si essent distinctæ res ; infinitas autem realis non compatitur secum distinctionem, tamen bene quæcumque infinitas compatitur secum non identitatem formalem, nec propter talem non identitatem potest argui quæcumque compositio, et sic patet ad utramque rationem.

QUÆSTIO III.

Utrum Sacerdos in peccato mortali actus Ecclesiasticos exercens, peccet mortaliter in quolibet actu?

D. Thom. 3. *part. q.* 64. *a.* 4. et *in* 4. *d.* 19. *q.* 2. *art* 2. *quæst.* 2. Richard. *d.* 5. *art.* 3. *q.* 3. Paludan. *q.* 2. Marsil. *q.* 12. *ar* . 1. *part.* 5. Sylvester *verbo* Clericus 2. *num* 2. Angelus *eodem verbo n.* 1. Cajetan. 2. 2. *q.* 60. *a.* 2. *in fine.* Dominicus Soto *in* 4. *d.* 17. *q.* 2. *a.* 6. *concl.* 4. Petrus Soto *lect.* 13. *de necessit. pœnit.* Cano *relect. de pœnit p.* 4. *non longe a fine.* Navar. *in Sum. c.* 22. *n.* 3. et *de pœnit. d.* 5. *in princ. Annot. circa* 3. *part. gloss. n.* 34. Suar. 3. *part. tom.* 3. *disp.* 16. *sect.* 3. et 4.

Quod non videtur. Faciens quod tenetur facere, non peccat mortaliter illud faciendo : sed Sacerdos tenetur ex officio tales actus exercere; ergo non peccat mortaliter faciendo. 1. Arg. primum negativum.

Præterea, dans eleemosynam ad subventionem pauperis, non peccat mortaliter, nec venialiter, imo meretur de congruo gratiam. Secundum.

Tertio, de Cornelio, ad quem propter eleemosynarum largitionem missus est Petrus Act. 10. unde scriptum ibi, *Orationes tuæ, et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Tertium.

2. Rationes in oppositum. In oppositum Exodi 19. *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum sanctificentur, ne percutiat eos*; sed nullus interficitur a Deo, nisi propter peccatum mortale, ergo necesse habent ministri Domini, cum accedunt ad Dominum per ministerium sacrorum, ut sint sancti, hoc est, sine peccato mortali.

Item, *Mundamini qui fertis vasa Domini*, id est, Domini sacra, Isaiæ 52.

Item, de pœnitentia dist. 6. cap. *Qui vult*, in medio capituli : *patentissimum est crimen sacerdotum, et ultra modum detestabile, qui non prius se judicant et alios alligant*, etc.

3. Circa istam quæstionem altius est inquirendum : utrum omnes actus infidelium, et omnes actus facti a fidelibus in peccato mortali, sint peccatum mortale. Et circa istam quæstionem sic procedam ; quia in quæstione ponuntur termini tres, scilicet *peccatum mortale*, *actus*, et *Sacerdos* : Primo ergo declarabo quid est peccatum mortale. Secundo, ponam quasdam distinctiones de actibus. Tertio, de ministris exercentibus tales actus : et quarto, quia tempus est circumstantia aggravans, vel diminuens peccatum, distinguam de tempore exercendi tales actus.

SCHOLIUM I.

Diffuse hic docet peccatum consistere in privatione rectitudinis debitæ inesse actui, et contrarias refellit opiniones, quod brevius præstitit in 2. d. 35. et 37. de quo videndus Faber lib. 4. d. 14. disp. 1. Deinde ostendit quomodo in peccato omissionis possit dari hujusmodi privatio, et per quid distinguitur a peccato commissionis. Videtur autem hæc quæstio scripta post commentarios Oxonienses : ait enim opiniones adversariorum locum habere in 2. dist. 35. ubi et in sequentibus eas ipse recitavit.

Circa primum nota, quod secundum beatum Augustinum homilia prima super Joannem, super illo verbo, *sine ipso Verbo factum est nihil*, exponit, id est, *peccatum, quia peccatum nihil est*; ita quod secundum ipsum, peccatum nihil est, nisi nihilitas, et privatio quædam boni. Privatio autem prout ad præsens spectat negotium, posset dupliciter accipi. Uno modo per remotionem, vel corruptionem alicujus entitatis inexistentis actualiter, et talis privatio est mutatio, quia ab *esse* ad *non esse*, ut quando aliquis habens oculos privatur oculis. Alio modo accipitur privatio pro remotione alicujus entitatis potentis, vel debitæ inexistere ; ut quando homo nascitur cæcus, dicitur privatus esse oculis, non quia aliquando habuit oculos, et ipsis sit privatus, sed quia cum deberet habere oculos, non habet. Modo peccatum non est privatio primo modo, quia nihil corrumpit, nec adimit tali modo, nec de corpore, nec de anima, nec de natura, nec de gratia, nec de habitibus aliis, prout quidam dicere volebant, quod corrumperet naturam ; alii quod gratiam ; tertii quod habitus in anima existentes, quorum opiniones locum habent in 2. Sentent. *circa dist.* 35. Augustinus. Peccatum est nihil. Privatio duplex. Peccatum qualiter est privatio.

Arguo autem contra omnes istas opiniones uno medio sic : Si peccatum sit privatio talis boni, scilicet naturæ vel gratiæ, vel habituum, cum quodlibet horum sit finitum, et peccatum possit in infinitum multiplicari conservata 4.

in infinitum voluntate, et cum quodlibet finitum per ablationem alicujus finiti aliquoties factam minuatur, tandem totaliter consumerentur hæc bona, et corrumperentur per peccatum : consequens est falsum et impossibile ; ergo et illud ex quo sequitur.

Deinde, et redit ad idem, si dimiNueretur aliquid de natura Angeli mali, non haberet integra naturalia, quod est contra Dionysium 4. *de divin. nomin.* et alios Doctores sanctos, qui omnes docent quod Angeli mali habent sua integra naturalia.

Dionysius.

Nec valet si dicatur, ista ablatio fit secundum partes ejusdem proportionis, et cum talis secundum Philosophum 8. *Physic. text. comm.* 68. possit in infinitum extendi ; ergo erit in talibus processus in infinitum.

Contra illud est ; quia secundum peccatum potest esse æquale primo peccato, vel majus eo ; ergo corrumpet æqualem partem ejusdem quantitatis, vel majorem ; et sic eadem natura totaliter consumeretur, quod est inconveniens.

5. Sic ergo patet quod peccatum non est privatio primo modo accepta ; si ergo est privatio, oportet quod sit privatio secundo modo accepta ; quæ est privatio boni alicujus debiti inexistere, et quod talis privatio sit peccatum, probo, primo per Augustini auctoritatem allegatam, et Anselmi *de conceptu virginali et de casu diaboli c.* 16. ubi ex intentione hoc probat : vide eum ibi.

Probo etiam per rationem : Agens inferius, in cujus potestate est se conformare, vel non conformare agenti superiori, cui etiam se tenetur conformare in determinatis conditionibus et circumstantiis rectitudinis, quæ simpliciter debent inesse actui vel effectui, si non conformat se illi, dando ipsi actui debitas circumstantias rectitudinis quæ debent ipsi inesse, privat illum actum rectitudine quæ debet ei inesse ; sed tale agens est voluntas creata ; ergo voluntas creata privat ipsum actum sua debita rectitudine quæ deberet ei inesse ; sed qui ita privat actum debita circumstantia rectitudinis, quæ deberet inesse actui, et non conformat se agenti superiori, peccat ; cum ergo peccat non se conformando, sequitur quod peccatum nihil aliud est quam non conformitas, vel privatio rectitudinis debitæ inesse actui. Quæ autem sint circumstantiæ rectitudinis, quæ debent inesse actui determinato ab agente superiori, in secundo Sententiarum *dist.* 36. poterit videri, ubi de hoc habetur mentio specialis. Peccatum ergo mortale est non conformitas, sive privatio circumstantiæ, sive rectitudinis debitæ et necessariæ simpliciter inesse actui, ad hoc ut sit bonus moraliter vel meritorie, quod dicitur propter administrationem Sacramentorum, cum proposito non tribuendi talem rectitudinem ipsi actui.

Quod autem ipsum peccatum mortale privat animam vita æterna, istud est tantum demeritorie, 6.
quia pœna peccati quæ infligitur pro peccato, non est ipsa quidditas, sive definitio ipsius peccati

mortalis. In prædicta autem descriptione, non conformitas sive privatio rectitudinis est genus ipsius peccati, et ideo peccatum mortale et veniale non differunt genere, quia tam peccatum mortale quam veniale sunt privationes rectitudinis. Sed circumstantiæ et rectitudines debitæ et necessariæ simpliciter inesse actui, ad hoc quod sit bonus moraliter, cum proposito non tribuendi rectitudinem, sunt differentiæ separantes peccatum mortale a veniali, quia privatio vel omissio alicujus rectitudinis, vel circumstantiæ congruæ et utilis, per quam perfectius et melius actus produceretur, non tamen necessariæ simpliciter ipsi actui, ad hoc quod sit bonus moraliter, est peccatum veniale : privatio autem circumstantiæ, vel rectitudinis necessariæ simpliciter ipsi actui, ad hoc quod sit bonus moraliter, vel rectitudinum, si plures desunt cum proposito non tribuendi, est peccatum mortale.

Addidi autem, *cum proposito non tribuendi talem rectitudinem*, quia si actus privatur necessaria rectitudine per violentiam insuperabilem, ut si quis per manum meam violenter idolis thura offerat, non pecco mortaliter. Vel si etiam privetur actus rectitudine ex ignorantia invincibili non affectata, nec crassa, vel occasionata, ut est cum quis in ebrietate committit homicidium, quia talis duplici pœna dignus est secundum Philosophum *in* 3. *Ethicorum*, *cap*. 5. sed ignorantia invincibili non peccat quis mortaliter privando sic actum necessaria simpliciter rectitudine.

Præterea, hoc constat ex illa auctoritate Augustini de vera Religione : *Peccatum adeo est voluntarium, quod si non fuerit voluntarium, non erit peccatum* : sed cum nec violentia insuperabilis, nec ignorantia invincibilis sit voluntaria, per consequens nec erit peccatum.

7. Objectio prima contra definitionem peccati.

Contra dictam descriptionem peccati mortalis arguo, quia videtur quod non sufficiens, quia cum duplex sit peccatum mortale, scilicet commissionis et omissionis, et tantum peccatum commissionis videtur esse privatio circumstantiæ debitæ inesse actui, et non peccatum omissionis, quia peccatum omissionis non privat circumstantiam, imo privat actum totum ; ergo descriptio prædicta non est sufficiens. Quod autem peccatum omissionis sit peccatum mortale, patet per illud, quod acedia quæ est peccatum mortale, videtur esse peccatum omissionis.

Secunda.

Præterea, originale peccatum videtur esse mortale, quia separat animam a vita gratiæ et gloriæ, et tamen peccatum originale non est privatio circumstantiæ debitæ inesse actui, imo est carentia justitiæ originalis.

Ad primum.

Ad primum, cum dicitur quod non omne peccatum mortale est privatio rectitudinis debitæ inesse actui, ut patet de peccato omissionis, respondeo, quod ut solutio istius argumenti clarius pateat, est notandum quod omnis actus exterior in quo potest cadere peccatum, est actus imperatus mediante actu interiori voluntatis, in quo est formaliter peccatum. Probatur hoc, quia semper cum exer-

cet aliquem actum exteriorem, in quo potest esse, vel est peccatum, ille semper est imparatus mediante actu interiori voluntatis, in quo est formaliter peccatum, quia in actibus aliarum potentiarum non est peccatum, nisi materialiter. Illud probatur ex hoc, quia nulla potentia, nec actus alicujus potentiæ, habet rationem meriti vel demeriti, nisi prout dependet ab imperio voluntatis, quæ habet rationem meriti vel demeriti, et ideo nunquam potest esse peccatum in actu exteriori, nisi prout est imperatus ab actu interiori voluntatis, sed non e contrario ; quia bene potest esse peccatum in actu interiori, et tamen non sequitur actus exterior imperatus, ut puta, de peccato cogitationis, quia possum velle alicui malum ex odio vel invidia, vel velle eum occidere ; vel cum volo fornicari actu deliberato, licet nunquam committam fornicationem exteriori actu, tamen pecco mortaliter, propter illud malum *velle* : et huic simile dicit Hieronymus, quod voventibus castitatem, non solum nubere, sed velle nubere damnabil est, et per consequens peccatum mortale.

8. Hoc viso, dico quod in peccato omissionis, licet non sit ibi actus exterior, et per consequens nec privatio rectitudinis actus exterioris, quia tamen voluntarie omittitur aliquis actus debitus exerceri, ratione cujus dicitur peccatum omissionis, ideo illud peccatum licet non habeat actum exteriorem, habet tamen actum interiorem, in quo fundatur, scilicet actum voluntatis, scilicet *velle*, vel *nolle*, vel *non velle*, quem privat rectitudine debita sibi inesse ; atque ita illud peccatum ideo est peccatum, quia privat actum interiorem sua debita rectitudine.

Ex hoc patere potest quod nullus peccat mortaliter peccato omissionis, nisi quia voluntarie omittit aliquid facere ad quod tenetur ; et quia homo tenetur aliquo tempore actualiter Deo reverentiam exhibere in aliqua adoratione, ex dictamine legis naturæ et ex Ecclesiæ institutione, vel etiam ex propria obligatione, vel ex præcepto sui Ordinis, ut puta, Religiosus vel Clericus Horas dicere, vel ad aliam observantiam regularem, ideo si hæc omittit voluntarie extra casum necessitatis, peccat mortaliter peccato omissionis, vel acediæ.

Sed hîc statim oritur unum dubium ex dictis; videtur enim ex hoc, quod omne peccatum mortale sit peccatum commissionis, quia omittit aliquam circumstantiam rectitudinis debitam inesse actui, et sic nullum erit peccatum omissionis, quod non est verum, cum hoc ab illo ex adverso distinguatur. 9. Instantia

Respondeo, quod peccatum omissionis non ideo distinguitur contra peccatum commissionis, quasi peccatum commissionis sit tantum privatio alicujus rectitudinis debitæ inesse actui, et non peccatum omissionis; sed ideo distinguitur peccatum omissionis contra peccatum commissionis, quia peccatum omissionis dicitur tantum illico quando voluntarie privatur, et negligitur actus exterior debitus Responsio. Unde distinguuntur peccata commissionis et omissionis.

exerceri. Sed peccatum commissionis potest cadere tam in actu interiori quam exteriori, ut visum est; et ex hoc patet quod peccatum omissionis est quid particulare respectu peccati commissionis, et respicit tantum privationem actus exterioris.

Ad secundam objectionem. Ad secundum de peccato originali dico, quod peccatum originale non est peccatum mortale, quia ei pro pœna mors debeatur, nec etiam est peccatum actuale, sed distinguitur contra actuale; est enim sola carentia justitiæ originalis, cum debito habendi eam secundum Anselmum, per quam justitiam homo sibi meruisset infundi gratiam, et postea concedi æternam gloriam. Et ideo, quia homo non habet illam justitiam, propterea non datur ei gratia, nec per consequens gloria, nisi per æquivalens illa justitia compensetur, ut puta per Ecclesiæ Sacramenta, scilicet per Baptismum, in quo datur æquivalens justitiæ originali in gratia infusa, et insuper animæ imprimitur indelebilis character.

SCHOLIUM II.

De triplici hac bonitate agit Doctor in 2. d. 7. et 40. sed diffusius hîc, valde tamen utrobique cohæret doctrina. Quod autem dicit dari posse actus bonos morales in infidelibus et fidelibus peccatoribus, id etiam docet in Reportati d. 2. q. 7. q. 1. et præter alios docent ex professo contra Gregor. Arimin. Faber l. 2. disp. 34. q. un. c. 4. et 5. et Vasq. 1. 2. disp. 191. et 192.

10. Bonitas triplex. Viso quid est peccatum mortale, videndum est de distinctione ipsorum actuum, circa quod notandum est, quod cum sint tres bonitates, scilicet naturalis, moralis, et gratuita sive meritoria vitæ æternæ, sic actus potest esse tripliciter bonus, scilicet naturaliter, moraliter, meritorie vel gratuite. Actus tripliciter bonus. Primam bonitatem, scilicet naturalem, habet quilibet actus positivus, quia illa bonitas consequitur quamlibet entitatem inquantum ens, et etiam quemlibet actum, quantumcumque sit turpis moraliter et demeritorie, dummodo sit positivus, est bonus naturaliter. In omni actu positivo est bonitas naturalis. Probatio hujus, quia est quoddam ens, et inquantum ens est bonus et a Deo est, quia in ipso est omne bonum. Unde secundum Augustinum primo de doctrina Christiana, versus finem, *Inquantum sumus, boni sumus; et inquantum sumus, a Deo sumus.* Augustinus. Hoc etiam modo intelligitur illud verbum Genesis primo, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* Et hoc modo intelligendo bonitatem, omnes actus fidelium et infidelium sunt boni, quia secundum hanc bonitatem a Deo sunt effective. Huic bonitati non opponitur aliqua malitia, sed non entitas rei tantum.

11. Actus bonus moraliter. Alia est bonitas moralis, quæ causatur ex proportione, sive compositione actus ad debitum objectum secundum debitas circumstantias, inter quas circumstantia finis est suprema, a quo et nomen accipit a fine, inquit Aristoteles 2. de Anima, si res digne debet appellari. Aliæ autem circumstantiæ sunt tempus, locus, modus et conditio personæ, et cætera hujusmodi; et hæc bonitas est duplex, scilicet Ethicus et Ecclesiasticus. Ethicus. Actus Ethicus dicitur actus elici-

tus secundum rectum dictamen rationis cum omnibus circumstantiis debitis inesse actui; et isto modo potest tam fidelis quam infidelis elicere actum bonum moraliter, et per consequens in eliciendo non peccare mortaliter. Hoc probo statim, quia tam infidelis quam fidelis existens in peccato mortali, potest vestire nudum et orare Deum, secundum debitas circumstantias, propter finem debitum, ut causa pietatis, ut illius indigentia sublevetur; ergo facit propter bonum finem, quia facit propter hoc, ad quod ille actus ex natura sua est ordinatus, eo modo quo fecit Sanctus Martinus, quando chlamydem cum paupere dimidiavit, cum nondum esset fidelis et baptizatus, et ideo de congruo meruit gratiam, quod et fecit etiam Cornelius centurio, superius est allegatum; sed per peccatum mortale, si talia essent peccata mortalia, nec etiam per venialia meretur aliquis gratiam de congruo, imo potius demeretur; ergo non omnis actus fidelium in peccato mortali existentium et etiam infidelium, est peccatum mortale, cum faciant tales actus.

Etiam infideles possunt elicere actus bonos moraliter.

12. Huic bonitati est malitia opposita, quando actus non transit super debitum objectum, vel sine debita, vel debitis circumstantiis causatur super objectum, quando est actus malus ex genere, sicut est adoratio idolorum, quia ibi non est proportio externa actus ad objectum tale, scilicet idola, quia nihil est divinitatis in eis, propter quod eis debeatur talis actus, scilicet adoratio. Additur autem, *cum debita vel debitis circumstantiis*, quando est peccatum ex aliqua circumstantia, vel ipsius finis, sicut quando quis dat eleemosynam propter vanam gloriam, non propter pauperis indigentiam, vel quando dat propter pauperis indigentiam, non tamem loco, et tempore, et modo, et personæ debitæ, tunc est peccatum ex circumstantiis, et si deficit ibi rectitudo, vel circumstantia necessaria ad actum, ad hoc ut sit mortalis, puta circumstantia finis, vel alia talis, est peccatum mortale in tali actu. Si autem contradictio vel rectitudo non necessario requisita, sed tantum congrua est peccatum veniale. Et ista rectitudine et circumstantia necessario requisita, vel non necessario requisita, potest tam infidelis quam fidelis privare actum, et sic uterque peccare mortaliter vel venialiter.

Bonitas moralis habet suam malitiam oppositam.

Antequam dicam de actu Ecclesiastico, qui magis requiritur ad solutionem principalis quæstionis, videndum est de tertia bonitate actus, quæ est bonitas, qua Deus ex mera liberalitate voluntatis suæ acceptat actum elicitum a potentia animæ, scilicet voluntate eliciente vel imperante, informata charitate vel gratia gratum faciente, mediantibus Sacramentis, de potentia ordinata et lege communi, tanquam meritorium vitæ æternæ; quia licet Deus posset quemlibet actum voluntatis acceptare de sua potentia absoluta sine omni gratia vel charitate, quia suam potentiam non alligavit Sacramentis, secundum Magistrum Sententiarum ex dictis Augustini *in 4. d.* 1. tamen de lege communi nullum acceptat actum 13.

Bonitas gratuita actus.

tanquam dignum vita æterna, nec per consequens aliquem salvat, sine gratia et charitate mediantibus Sacramentis. Probatur hoc, *Extra de summa Trinit. et fide Catholica, cap. firmiter credimus* §. *Una vero*, ubi dicitur quod nullus extra unitatem Ecclesiæ Catholicæ omnino salvatur quæ perficitur a septem Sacramentis. Hanc bonitatem actus nullus infidelis, neque fidelis in peccato mortali existens habere potest. Probo statim, quia illius actus non acceptatur tanquam dignus præmio vitæ æternæ, qui non potest habere bonitatem meritoriam vitæ æternæ : sed actus eliciti a talibus sunt hujusmodi ; ergo, etc, Huic etiam bonitati malitia opposita est omnis actus, qui non elicitur ab anima informata charitate, quem Deus non acceptat tanquam ordinabilem ad vitam æternam, et dignum cælesti præmio, ut dictum est de lege communi, sive sit bonus moraliter, sive in aliis mereatur, quia tantum tali acceptatione vitæ æternæ acceptatur actus elicitus a potentia informata charitate, et ut elicitus ab habitu charitatis ; quod dico propter peccantes venialiter, et propter actus indifferentes, qui licet aliquando elicientur a potentia informata charitate, non tamen eliciuntur ab habitu charitatis, et per consequens non sunt actus meritorii, nec gratuiti.

Bonitas gratuita habet suam malitiam oppositam.

SCHOLIUM III.

Distinguit duo genera actuum Ecclesiasticorum; unum quod respicit donum aliquod gratiæ gratum facientis, et aliud quod nullum hujusmodi habeat respectum, etsi respiciat donum gratiæ gratis datæ. Primos actus dicit oportere exerceri a deputatis Ministris in statu gratiæ absque conscientia peccati, non tamen secundos, et toties illos Ministros peccare, quoties primos actus indebite exercent. An vero hæc obligatio puritatis et idoneitatis proveniat ex aliquo præcepto positivo vel naturali, seu ex natura ipsius Sacramenti, supposita tali ipsius institutione, et tali Sacerdotis consecratione, vide Suar. citatum in principio quæstionis.

14\. Actus Ecclesiastici moraliter bonus.

Viso quæ sit tertia bonitas actus, videndum est de actu Ecclesiastico. Actus autem Ecclesiasticus dicitur ille, qui ab institutione Christi et Ecclesiæ per inspirationem Spiritus sancti est institutus exterius, quemadmodum sunt actus psallendi, consulendi, Horas dicendi, Prædicationes faciendi, et Confessiones audiendi, baptizandi, Missam dicendi, et cæteri hujusmodi actus, mediantibus quibus, Ecclesiastica suscipiuntur et ministrantur Sacramenta, qui tantum a fidelibus frequentantur; ideo hîc de infidelibus nulla mentio penitus est habenda. Sed hi actus sunt in duplici differentia ; quia aut respiciunt donum aliquod gratiæ gratum facientis ; aut non respiciunt, etiamsi respiciant donum gratiæ gratis datæ. Actus de secundo genere sunt actus prædicandi, Prædicationes et Confessiones audiendi, Horas dicendi, psallendi, corripiendi, consulendi, Missam audiendi, et ad Ecclesias eundi, et cæteri hujusmodi actus ; et de talibus dicit sine distinctione, quod existens in peccato mortali potest eos exercere absque eo quod peccet mortaliter, si cum debita circumstantia et ad finem debitum ordinentur. Hoc probatur ex definitione peccati

Quinam actus Ecclesiastici possunt exerceri absque peccato mortali.

mortalis superius posita, quia actus qui possunt fieri cum debitis et necessariis circumstantiis, et bono proposito, et non requirunt in eis circa quos fiunt, nec a quibus fiunt, gratiam gratum facientem, non sunt peccata mortalia : isti actus sunt hujusmodi ; ergo, etc. Major et minor ex superioribus patent. Confirmatur hoc, quia actus qui possunt fieri ex aliqua pietate et compassione Christi, et propter debitum finem, non sunt peccata mortalia : isti actus sunt hujusmodi; ergo, etc.

Confirmatur etiam per auctoritatem Salvatoris suadentis Judæis, ut superiores, scilicet Scribas et Pharisæos sequi in verbis Prædicationis conarentur, et eis in talibus obedirent, Matth. 24. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi : omnia quæcumque dixerint vobis, servate et facite.* Et quod tales fuerint in peccato mortali, probatur ex hoc quod sequitur : *secundum opera vero eorum nolite facere,* significans bonos actus prædicationis eorum moraliter, et tamen non meritorie, *quia dicunt et non faciunt.*

15. Actus Sacramentales a quibus et quando possunt ministrari.

15. Actus de primo genere sunt actus Sacramentales, qui respiciunt gratiam gratum facientem, ad minus circa illos, circa quos fiunt, licet non aliquando in Ministris, ut inferius dicetur, et aliquando in peccato mortali a Ministro possunt exerceri.

Quod ut melius videatur, oportet distinguere de tempore ministrandi Sacramenta, et de Ministris ad quos ex ordine spectat eorum ministerium. Tempus ministrandi Sacramenta est duplex, quia aut est propriæ electionis, ut possit commode eorum ministerium transferri, vel differri ; aut est tempus necessitatis, ut sine periculo differri non possit. Similiter est distinguere de Ministro, quia aut est Minister deputatus ex ordinatione Ecclesiæ, ut Episcopus, vel Papa, vel Sacerdos curatus ; aut non, sed est simplex Capellanus, et Sacerdos non habens curam animarum. Modo dico, quod tam ministrans quam suscipiens Sacramenta, sive sit deputatus ex officio, sive non, tempore propriæ electionis, sive sint Sacramenta necessaria, sive non, semper peccant mortaliter, ministrando vel suscipiendo in peccato mortali. Quod probo sic : ministrans aut suscipiens Sacramenta aliter quam sint instituta a Christo, imo modo opposito, multum contemnit Deum in Sacramentis, sed existens in peccato mortali facit hoc. Probatur, quia privat scienter effectum Sacramentorum; ergo contemnit Deum in Sacramentis : qui contemnit Deum in Sacramentis reputando se idoneum ad ministrandum vel suscipiendum, existens in peccato mortali, peccat mortaliter ; ergo iste taliter ministrans vel suscipiens peccat mortaliter. Et pro isto tempore intelligo illud *de Consecr. 4. c. Baptismus,* ubi dicitur, *justos omnes esse tanti Judicis ministros, si ministrare juste voluerint.*

Sed quid est dicendum de tempore necessitatis, de suscipiente Sacramenta ? Dico sine distinctione, quod suscipiens quocumque tempore Sacramenta quæcumque sint illa in peccato mortali, semper peccat mortaliter ; quod probatur, 16.

16. Quocunque tempore recipiens Sacramenta in peccato mortali, peccat.

quia qui privat effectum Sacramentorum contemnendo Deum in Sacramentis, peccat mortaliter quocumque tempore illud faciat, quia nullo tempore est Deus contemnendus in Sacramentis : iste facit hoc; ergo, etc.

Sed de ministrante tempore necessitatis Sacramenta distinguo : quia aut ministrat Sacramenta necessaria propter instans periculum evitandum, ut est Sacramentum Baptismi, ubi periculum imminens timetur; vel Sacramentum pœnitentiæ laboranti in extremis, aut non necessitatis, ut est Sacramentum Ordinis, et celebratio Missæ, et ministratio Eucharistiæ, et hujusmodi. In primo casu dico quod ministrans illa duo Sacramenta necessitatis in peccato mortali, potest esse duplicis conditionis, quia aut est Sacerdos non curatus, ut puta, simplex Capellanus, vel etiam Religiosus qui non est ex ordinatione Ecclesiæ, vel ex officio ad hoc deputatus, et tunc dico quod non peccat mortaliter. Quod ita probo : nam non ministrans Sacramenta voluntate propria præsumendo se esse idoneum, nec est ex debito sui officii ad hoc adstrictus, sed tantum ex necessitate ad subveniendum po puoex pietate, non contemnit Deum in Sacramentis, nec per consequens peccat mortaliter : iste est hujusmodi; ergo, etc. Major et minor satis clarent ex jam dictis, cum hic non ignoret se Sacramentis ministrandis non debere ingerere, nisi causa necessitatis ad subveniendum populo; nec ex debito, vel obligatione sui officii tenetur semper se idoneum ad hoc officium exercendum conservare.

Si autem est Sacerdos curatus, et deputatus ex officio, dicunt aliqui quod peccat mortaliter semper, ministrans in peccato mortali. Quod probatur ex hoc; obligans se alicui officio scienter, et nesciens quando potestas exercendi illud occurrat, si non tempore instante exhibet se paratum et idoneum, peccat mortaliter; quod ex hoc apparet, quia semper debet se idoneum exhibere, aut officio recusare : sed in tali statu hic Sacerdos curatus, vel ex ordinatione, vel ex officio deputatus, non exhibet se idoneum et paratum, quia est in peccato mortali ; ergo semper peccat mortaliter ministrando Sacramenta. Quibus auctoribus satis est consentiendum, maxime cum ex officio et obligatione propria se tali officio obligavit, et cum sciat talia inopinata necessitatis tempore sibi aliquando imminere, ex eadem obligatione certa tenetur se semper ad tale exercendum officium idoneum exhibere, aut certe obligationi et officio recusare. Et ideo peccat mortaliter Sacerdos curatus ex officio deputatus, non autem Sacerdos simplex vel Religiosus, qui non est officio deputatus, qui tempore necessitatis in Sacramentis necessariis ex pietate subvenit populo indigenti.

17. Sacerdos curatus debet es[se] semper idoneo statu min[is]trandi Sacramen[ta].

SCHOLIUM IV.

De munditia et puritate requisita ad ministrationem Sacramenti Baptismi, ad salutem necessarii, agit Scotus in 4. d. 5. q. 2. a n. 5. et de requisitis ad perceptionem Sacramenti Eucharistiæ ibidem d. 8. q. 3. d. 9. q.

un. et d. 3. q. 2. a n. 7. An vero Sacerdos celebrans et communicans, uno vel duplici peccato delinquat, non declarat expresse, licet d. 9. citata videatur potius in illam abire sententiam, quod dupliciter peccet. Etenim n. 5. §. *Ad secundum*, ait Sacerdotem priusquam consecret, teneri laborare ut sit extra peccatum mortale; et si contingat quod post consecrationem, ante tamen communionem, occurrat sibi memoria peccati mortalis, de quo non præcessit pœnitentia interior vel exterior, teneri tunc habere pœnitentiam interiorem antequam percipiat, et differre pœnitentiam exteriorem, donec occurrat opportunitas confitendi. Cum itaque idoneam requirat dispositionem absque peccato ad consecrandum, et post consecrationem pœnitentiam, sive dolorem peccati, cujus recordatur ante perceptionem Sacramenti, videtur duplex ibi statuere peccatum. An autem liceat Sacerdoti ad fugiendum hoc secundum peccatum, vel in alio casu post consecrationem, recedere ab altari absque perceptione Sacramenti, determinat Doctor negative d. 8. q. 3. a n. 4. De contrectatione tandem Eucharistiæ in peccato mortali, an mortaliter fiat, vide de his latius differentem Suar. citatum disp. 62. sect. 4.

18. Celebrans in peccato mortali duo committit peccata. Sed quid de ministrante Sacramentum Eucharistiæ, (quod non est Sacramentum necessitatis) in peccato mortali? Distinguo, quod aut ministrat Sacramentum a se conficiendum, ut puta, quando dicit Missam et conficit, et postea ministrat; aut ministrat Sacramentum prius a se, vel ab alio confectum. In primo casu dico quod ministrans Sacramentum a se conficiendum, peccat duplici peccato mortali: primo, peccat conficiendo hoc Sacramentum, propter summam reverentiam huic Sacramento exhibendam: secundo, peccat mortaliter communicando, quia ex statuto Ecclesiæ sacrificans hoc Sacramentum debet communicare; sed nullus in peccato mortali potest communicare, nisi peccet mortaliter. Probatur hoc, quia illud est Sacramentum unitatis Christi et Ecclesiæ, et non competit alicui, nisi membris in corpore Ecclesiæ, quæ per gratiam Christo capiti sunt unita; ergo peccabit duplici peccato mortali. Et confirmatur secundum Apostolum, 1. Corinth. 11. *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat*, etc.

Sed circa hoc posset oriri dubium, utrum melius et tutius esset existenti in peccato mortali, conficere et non communicare, ut non peccaret isto duplici peccato mortali, ut jam dictum est? vel etiam tutius esset existenti in peccato mortali, simpliciter non conficere, nec communicare, sed simulare se conficere, ut quando Missam diceret, et non conficeret. 19.

An liceat aliquando celebrare et non communicare. Respondeo quod in primo casu, tutius est celebranti, existenti in peccato mortali communicare, quam non communicare. Quod probatur, quia gravissime peccant qui sacrificant et non communicant, et suspenduntur a communione uno anno, secundum quod habetur *de Consecratione dist. 2. cap. Episcopus*, ex Concilio Arelaten. ubi dicitur quod *certum est quod ii qui sacrificantes non edunt, rei sunt dicti Sacramenti, nam quale erit sacrificium, ut nec ipse sacrificans particeps esse dignoscatur; quicumque ergo Sacerdotum deinceps de medio altari oblaturus accesserit, et se a communione suspenderit, a communionis gratia repulsum se noverit uno anno.*

An liceat aliquando simulare consecrationem. In secundo vero casu respondeo, quod similiter multo tutius est existenti in peccato mortali conficere et

communicare, quam non conficere et simulare se conficere. Probatur hoc, *extra de celebratione Missarum, cap. de homine,* ubi dicitur : *Is qui sui criminis conscientia reputat se indignum etsi se ingerat irreverenter ad illud, gravius tamen videtur offendere, qui sic fraudulenter illa præsumpserit simulare, cum ille in solius misericordis Dei manum incidat ; iste vero non solum Deo, cui non veretur illudere, sed populo quem decipit, se astringat ;* ergo multo tutius est existenti in mortali conficere quam non conficere, et simulare se conficere.

Istæ duæ responsiones possunt confirmari per illam maximam, quando de aliquibus duobus sunt duo præcepta, quorum unius transgressio majori pœna plectitur quam aliud, tutius est transgrediendum, quod minori nexu noscitur obligare. Probatur hoc *dist.* 13. *cap. Duo mala :* sed tam in primo casu quam in secundo, transgressiones illæ majori pœna plectuntur ; ergo tutius est existenti in mortali communicare et conficere, quam non conficere et simulare se conficere.

20. An quilibet Sacerdos existens in peccato mortali possit ministrare Eucharistiam.

In secundo casu, scilicet si ministrat hoc Sacramentum ab alio, vel a se prius consecratum ? Respondeo, aut est deputatus ex officio et ordinatione Ecclesiæ, et Sacerdos curatus ; et tunc dico sicut prius dixi de Sacerdote curato ministrante Sacramenta necessaria tempore necessitatis, quod peccat mortaliter ; quia tenetur semper ex propria obligatione se idoneum exhibere ad tale ministerium exercendum, aut officio et obligationi recusare. Si autem est Sacerdos non curatus, nec ex officio deputatus, tunc est duplex opinio : quidam dicunt quod quilibet Sacerdos peccat mortaliter tangendo Eucharistiæ Sacramentum quocumque tempore hoc faciat existens in peccato mortali, nisi prius confiteatur de peccato mortali, etiamsi tempus confessionis non habeat. Quod probatur sic ; sicut sumens Sacramentum Eucharistiæ in peccato mortali peccat mortaliter, et efficitur profanus, ita et tangens, hoc est propter eximiam Sacramenti hujus sanctitatem, licet non ita gravi mortali peccato peccet : sed iste tangit ; ergo peccat mortaliter.

Sed aliis videtur ista sententia nimium dura, et ideo respondent ad eorum rationem, quando dicunt sic ; sicut sumens Sacramentum Eucharistiæ in peccato mortali peccat mortaliter, ita tangens propter nimiam sanctitatem Sacramenti : negant proportionem, et hoc propter tria ; quia sumens Eucharistiam sumit realiter, et veraciter corpus Christi, ut habetur *Extra de Trinit. et fid. Cath. cap. firmiter credimus :* sed tangens Eucharistiam, tangit solum species sensibiles et materiales, quæ non habent sanctitatem nisi sicut signa ; ergo non est bona proportio.

Præterea, si ista esset bona similitudo quod propter reverentiam specierum non deberent tangi immediate, potest Sacerdos digitos panniculo circumvolvere, et non tangeret illas species immediate, et sic non peccaret tangendo.

Præterea, non magis reverenter tangendæ sunt plures species ma-

teriales istius Sacramenti quam verum corpus Christi, dum ambulavit in terra : sed si existens in peccato mortali quantum reverentius potuisset tetigisset corpus Christi, dum ambulavit in terra, non puto eum peccasse mortaliter; ergo nec modo si tangere reverenter posset species Sacramenti, peccaret mortaliter. Propter hoc ergo et alia hujusmodi, non puto quod Sacerdos non curatus tangens Sacramentum Eucharistiæ tempore necessitatis, ut quando est procurandus infirmus, peccaret mortaliter. Nec similiter puto quod Sacerdos curatus ex tactu solum hujus Sacramenti, vel etiam aliorum peccaret mortaliter, nisi quia propria obligatione voluntatis suæ se obligavit Ecclesiæ ad semper exhibendum se paratum ad exequendum officium suum; et transgressio illius obligationis est sibi peccatum mortale, quia enim hic bona Ecclesiæ percipit et dignitatem tenet, ideo hoc onus sibi confertur cum onere.

Quare autem dixi quod Sacramentum Eucharistiæ sit etiam necessitatis Sacramentum, licet non ita necessarium sicut alia duo Sacramenta, ut visum est; hoc est propter curationem infirmorum qui debent communicare, ne sine communione moriantur, secundum quod habetur de Consecratione dist. 2. et probatur, ubi dicitur, *Presbyter Eucharistiam semper paratam habeat, ut quando fuerit infirmitas, statim infirmum communicet, ne sine communione moriatur.*

Ad argumentum principale. Ex his visis facile solvitur ad argumenta principalia. Ad primum, quando dicitur faciens quod tenetur facere, non peccat faciendo illud; respondeo quod aliquis potest aliquid facere, ad quod tenetur dupliciter. Uno modo simpliciter ut faciat illud, sive bene, sive male. Alio modo ut faciat illud eo modo quo tenetur facere, et quando tenetur, et secundum debitas circumstantias. Secundo modo faciens quod tenetur facere cum debitis circumstantiis, non peccat faciendo, non autem primo modo, eo modo quo facit Sacerdos existens in peccato mortali ministrans Sacramenta, quia tenetur ea munde et sine peccato ministrare, et ideo in peccatis ministrans peccat, secundum quod visum est in corpore quæstionis.

Ad secundum. Ad secundum de dante eleemosynam in peccato mortali, dico quod non est simile, quia eleemosynæ quæ pauperi confertur, non est talis reverentia exhibenda, sicut Sacramentis quæ immediate respiciunt gratiam gratum facientem; et per consequens sanctitatem requirunt in ministrante et suscipiente, quia uterque debet spiritualiter Sacramenta suscipere, et hoc tantum facit qui est sine peccato mortali.

Ad rationes in oppositum. Ad argumentum in oppositum de sanctitate ministrantium, intelligi debet de illis qui ministrant tempore propriæ electionis, et qui sunt deputati ex officio, ut sunt Sacerdotes curati; quemadmodum erant Sacerdotes veteris legis omnes deputati singuli ad sua officia, et suo tempore, et tunc ab omni, quod inebriare poterat, et a multis talibus prohibiti ; non autem intelli-

genda est auctoritas de ministrantibus Sacramenta necessaria tempore necessitatis, ut visum est in corpore quæstionis. Hoc sine temeraria assertione, et sine præjudicio sententiæ melioris sit dictum. *Deo gratias.*

QUÆSTIO IV.

Utrum Prælati Ecclesiæ possint dimittere pœnam debitam pro peccatis secundum suam voluntatem? et utrum Indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant?

Alens. 4. *p. q.* 23. *mem.* 1. D. Bonaventura *in* 4. *d.* 20. *part.* 2. *q.* 2. D. Thom. *q.* 1. *a.* 2. *q.* 3. Richard. *a.* 1. *q.* 5. Durand. *q.* 2. Paludan. *q.* 4. Mayron. *d.* 19. *q.* 2. Cajet. *tom.* 1. *opusc.* 15. *de Indulg. c.* 1. 2. *et* 3. Soto *in* 4. *d.* 21. *q. art.* 2. Corduba *q.* 2. *et* 3. *de Indulg.* Roffen. *art.* 17. *contra Lutherum.* Petrus de Soto *lect.* 2. *de Indulg.* Faber *lib.* 4. *disp.* 38. Suarez. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 41. Vide Scotum *quodl.* 20. *art.* 1. *et in* 4. *d.* 19

In hac quæstione ita est procedendum : Primo, ostendetur quod
1. Prælati possunt remittere de pœna debita pro peccatis. Secundo, ostendetur quantum valeant. Tertio, ponentur dubia quædam et solventur. Quarto ponentur argumenta et solutiones eorum. Ad evidentiam primi est sciendum, quod nos spiritualia nequimus cognoscere, nisi per similitudinem corporalium, quæ nobis sunt notoria. Sicut igitur in uno animato corpore naturali sunt plura membra naturalem colligantiam habentia, et quod est uni superfluum, ad aliud derivatur virtute animæ dirigentis et regentis, similiter in corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, sunt multi fideles, quorum omnium Christus est caput, qui fuit infiniti meriti, quod ad utilitatem Ecclesiæ cedit. Similiter fuerunt multi Martyres et Sancti, qui ultima pœna quam pro peccatis debebant, prælia magna sustinuerunt, et multa bona fecerunt, quæ omnia cum merito passionis Christi infinito faciunt Ecclesiæ thesaurum, in quo est omnimoda sufficientia meritorum, et ideo sufficit hujusmodi thesaurus ad solvendam pœnam omnium fidelium, etiamsi essent infiniti, ita quod si eis applicentur hujusmodi merita, non oportet eos aliam pœnam pro actualibus peccatis solvere; nec propter hoc remanet peccatum impunitum, quia in Christo et Martyribus est omnino sufficienter punitum, et talis satisfactio ad alios, qui sunt vere membra corporis Christi potest transmitti.

Unde congregatur thesaurus Ecclesiæ.

Sed dices, quod effectus passionis Christi est in Sacramentis Ecclesiæ, et per ipsa totaliter exhauritur; ergo per Indulgentias non potest applicari, sed solum per Sacramenta. 2.

Dicendum, quod effectus Sacramentorum finiti sunt, meritum autem dictum infinitum est; ideo per Sacramenta vel quæcumque finita, non potest exhauriri.

Non exhauritur.

SCHOLIUM I.

Egregie et Catholice docet dari in Ecclesia thesaurum spiritualem, ex Christi et Sanctorum meritis, ac satisfactione constantem, quod etiam docuit in ultimis verbis d. 17. At thesaurum hunc, ultra hæreticos inter Catholicos ausi sunt negare, licet ex alio capite, Mayron. et Durand. quos late impugnat Suarez citatus disp. 51. num. 1. Immerito autem asserit sententiam illorum juvari posse ex doctrina Scoti, negantis merita et satisfactiones fuisse infiniti valoris, nam si

fuerunt, inquit, finita, nihil ex eis, quod reponeretur in thesauro, superfuit post redemptionem generis humani, et post tot remissiones peccatorum et pœnarum hominibus concessas. Attamen ipse Suarez inferius advertit, dicens, quod licet negaverit Scotus valorem meritorum Christi simpliciter et in entitate, esse infinitum, non tamen negat esse syncategorematice infinitum ex parte divinæ acceptationis, quia potuerunt illa Christi opera acceptari a Deo ad majus et majus præmium, seu majorem et majorem remissionem peccatorum in infinitum. Quod certe expresse docuit ipse Scotus, in 3. d. 13. q. unic. n. 14. dicens : Deus potest acceptare bonum velle Christi et ejus passionem pro infinitis, et num. 7 : Ex circumstantia suppositi et de congrua ratione suppositi habuit quamdam rationem extrinsecam, quare Deus potuit acceptare illud in infinitum, scilicet extensive pro infinitis. Atqui in hoc sensu hîc intelligendus est, cum dicit passim meritum Christi fuisse infinitum, nimirum indeficientem, abundantem, qui exhauriri non possit, neque pro tot quin pro pluribus applicari, ut ipse habet inferius num. 18.

1. Sed dices : Christo et Martyribus præmium meritorum suorum est redditum abundanter; ergo non transit eorum pœnalitas ad alios, cum sit sufficienter eis pro omnibus laboribus recompensatum.

nctorum nerita iomodo nsferun-ur ad alios.

Dicendum, quod opera Christi et Martyrum dupliciter possunt considerari, scilicet inquantum meritoria et sunt reddita eis; vel inquantum satisfactoria, et sic cum per se non indigerent satisfactione omnino, vel saltem non tanta, derivari possunt ad alios reliquæ partes hujus satisfactionis, ideo non valet. Possunt hujusmodi igitur opera satisfactoria quæ Christo et Sanctis quasi superfluunt vel abundant, transferri ad membra Ecclesiæ meritis indigentia, quæ membra obligata sunt ad pœnam pro peccatis, et hoc fit virtute alia dirigente. Hæc autem virtus est Prælatorum auctoritas, quibus a Christo commissum est regimen et dispensatio thesaurorum spiritualium Ecclesiæ; qua auctoritate possunt membris indigentibus Sanctorum merita applicare, ad satisfaciendum pro ipsis, et hoc est Indulgentias conferre. Patet igitur quod Prælati Ecclesiæ possunt de thesauro Ecclesiæ conferre Indulgentias membris Ecclesiæ, id est, existentibus in charitate ; aliter non sunt membra potentia recipere influentiam aliorum, sicut nec mortuum membrum in corpore naturali recipit influentiam seu alimentum ab aliis.

Item, hoc patet sic : Unus fidelis 2.
in charitate existens potest pro alio in charitate existente satisfacere, quia potest in debito corporali vel temporali, multo fortius in debito Dei, cum Deus sit pronior ad miserendum quam homo ; et tamen homo satisfacit homini pro alio temporaliter; ergo et merita Sanctorum pro aliis maxime apud Deum possunt satisfacere, maxime, quia intentio Sanctorum fuit, ut hujusmodi bona opera in Dei honorem, et totius Ecclesiæ utilitatem redundarent, ut patet per verba Sanctorum in Legendis ; dicunt enim se sustinere pro re publica; ergo per eum, qui est bonorum Ecclesiæ dispensator, hujusmodi merita possunt indigentibus, si sint in charitate, applicari.

SCHOLIUM II.

Communiter omnes tam Theologi quam Canonistæ tres conditiones istas, præsertim ter-

tiam requirunt, ut licite concedatur Indulgentia. Septem præscripsit Altisiodorens. ad valorem Indulgentiarum, sed tres prædictas sufficere communis tenet opinio, et tertiam ita necessariam esse, ut absque illa concessio sit nulla. Unde et Scotus hîc eam tanquam omnino necessariam in descriptione Indulgentiæ apposuit. Vide Fabrum citatum cap. 9. et Suar. disp. 4. sect. 2.

3. Ut Indulgentiæ valeant, tria requiruntur.

Ex iis patet quod tria requiruntur ad hoc ut Indulgentiæ valeant, scilicet auctoritas ex parte conferentis; indigentia, ex parte recipientis; pia causa, ut honor Dei vel Ecclesiæ utilitas ex parte finis moventis. Quod tertium requiratur, quia de duabus prioribus dictum est, patet sic; quia Prælati non sunt vere domini principales bonorum Ecclesiæ, etiam temporalium, sed dispensatores; ergo nec spiritualium : quare magis est dissipatio quam dispensatio, nisi secundum beneplacitum Dei de his ordinetur.

Item, contra intentionem merentis non debent bona eorum communicari; sed, ut dictum est, Christus et Sancti opera sua bona, et merita volebant penitus in laudem Dei cedere, et Ecclesiæ utilitatem, quare iis tribus concurrentibus possunt Indulgentiæ valere.

SCHOLIUM III.

Varias aliorum auctorum descriptiones Indulgentiæ recitat Faber citatus cap. 4. et quam ex Navarro refert cum ista Scoti per omnia coincidit. Singulas particulas docte explicat, et varias deinde subjicit difficultates, quas solide et breviter expedit, in quibus enodandis alii se latissime diffundunt.

4. Indulgentiæ descriptio.

Ex iis potest Indulgentiæ descriptio colligi : *Indulgentia est remissio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus pœnitentium, non remissæ per absolutionem Sacramentalem, factam per Prælatos Ecclesiæ, de thesauro Ecclesiæ, id est, meritis Christi et Sanctorum ex causa rationabili.* Ibi *remissio* ponitur tanquam genus, quia est in plus, quam *Indulgentia;* reliqua autem ad modum differentiarum, quia *pœnæ* dicitur ad differentiam remissionis culpæ, quæ remissio fit a Deo immediate, vel a Prælatis, qui absolvunt instrumentaliter, mediantibus Sacramentis Ecclesiæ, sine quibus Sacramentis Deus potest remittere pœnam cum vult. Dicitur *temporalis* ad differentiam pœnæ æternæ jam peccatoribus mortuis inflictæ. Dicitur *debitæ*, ad differentiam pœnæ quæ indebite Martyribus illata est. Additur *pro peccatis*, ad differentiam pœnæ, quæ aliter juste infligitur, quandoque pro peccatis aliorum, quando scilicet suscipitur pro eis. Additur *actualibus,* ad differentiam pœnæ debitæ originali peccato, quæ non est pœna sensus, sed carentia visionis divinæ, ut in pueris sine Baptismo mortuis. Additur *pœnitentium*, ad differentiam obstinatorum in peccatis, qui quandoque hîc incipiunt puniri temporaliter, postea vero æternaliter; tales igitur, ut dictum est, non suscipiunt Indulgentias nisi prius confiteantur de peccatis mortalibus. Additur *non remissæ per absolutionem Sacramentalem,* ad differentiam etiam pœnæ temporalis, quæ in absolutione Sacramentali remittitur virtute clavium, et ex devotione et humilitate confitentis, quæ tamen non est Indulgentia. Additur *facta per Prælatos Ecclesiæ,* ad differentiam ejus, qui satisfacit

particulariter pro alio, si uterque sit in charitate, qui cum sit persona privata, non dispensator Ecclesiæ, non dicitur tales Indulgentias dare. Additur *de thesauro Ecclesiæ*, in quo est omnimoda sufficientia, ad differentiam unius personæ tantum, vel congregationis particularis, in qua non est ista sufficiens abundantia meritorum. Ultimo additur *pro causa rationabili*, in quo notatur causa finalis, ad differentiam dispensationis quæ non esset Indulgentia, ut dictum est.

5. Unde hæc merita habent valorem. Circa secundum sciendum est, dimissis variis modis dicendi, qui in Scripturis et in Jure recitantur, potest dici quod valor earum est pensandus ex earum causa, quia ex eodem *esse* habent efficaciam et valorem. Causa autem Indulgentiarum, ut dictum est, est passio Christi et merita Sanctorum, et applicata aliis per Prælatos Ecclesiæ, quæ merita vel thesaurus, habent virtutem et efficaciam infinitam.

Sciendum etiam quod hujusmodi applicatio, vel largitio Indulgentiarum non debet proprie dici *datio*, quia datio fit omnino secundum voluntatem dantis et liberalitatem; Prælati autem, qui hujusmodi applicationem faciunt, non possunt dare hujusmodi pro libito, quia non sunt domini talium, ut dictum est.

Item, non debet dici *redditio*, quia Indulgentiæ non dantur istis secundum debitum justitiæ, Prælati enim non obligantur dare istis hujusmodi Indulgentias, quoniam non secundum quantitatem operis conceduntur, quia quandoque idem opus facientibus dantur Indulgentiæ inæquales. Similiter pro diversis et inæqualibus operibus æquales quoque Indulgentiæ dantur, secundum dispositionem rationabilem Prælatorum.

Patet igitur, quod hujusmodi collatio Indulgentiarum, cum nec sit datio, nec redditio, debet appellari *dispensatio*, quæ tenet medium inter duo dicta. Unde 1. Corinth. 10. ait Apostolus : *sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei*, etc. loquitur de Prælatis. Patet etiam quod valor Indulgentiarum non est attendendus secundum quantitatem operis absolute, nec secundum voluntatem Prælatorum simpliciter, sed secundum voluntatem eorum rectam et ordinatam secundum Dei beneplacitum, scilicet ut conferantur ad ejus honorem et Ecclesiæ utilitatem, aliter, ut dictum est, non valent. Valent etiam illis, quibus Prælati intendunt conferre, concurrentibus dictis conditionibus, et tantum valent, quantum Prælati intendunt eas valere rationabiliter. Prælatorum autem intentio non innotescit nobis, nisi per verba ipsorum in suis litteris; unde tantum valent, quantum eorum litteræ dicunt, si rationabiliter intelligantur, quia credendum est quod Prælatorum intentio fuerit recta in conferendo hujusmodi; aliter enim subverterent Ecclesiæ fundamentum, si falsitas in prædicationibus et litteris ipsorum, vel deceptio connecteretur : hæc de secundo.

Circa tertium, dubitaret aliquis 6.
an verum dicant quæstuarii, dicen- Varia dubia. Primum.
tes quod tantum valeant quadra-

Quantum valeant Indulgentiæ.

ginta dies Indulgentiæ isti, qui dat eleemosynam, quantum si jejunaret quadraginta diebus? Dicendum quod falsum dicunt, cujus ratio est, quia Indulgentiæ tantum valent ad Indulgentiam pœnæ temporalis, ut dictum est, sed opera pœnalia et bona, quæ quis facit, valent ei non solum ad hoc, sed ad multa alia, ad refrænandam carnis concupiscentiam, ad domandum corpus, ad merendum præmium æternum, ad gratiæ augmentum, et sunt cautela contra peccata futura; valent igitur Indulgentiæ tantum quantum sonant, scilicet quoad pœnæ temporalis dimissionem, quia per inferiores Prælatos et confessores injunctam possunt relaxare per modum prædictum.

Secundum. Quas ob causas solent concedi plenariæ?

Secundo dubitaret aliquis, in quibus casibus dare solet Papa plenarias Indulgentias, scilicet ut remittat totam pœnam peccatis debitam? Dicendum quod in quinque casibus: primo quando instituit aliquem Inquisitorem hæreticæ pravitatis, quia talis durum officium sibi assumit et morti se exponit propter fidem. Secundo, quando est transitus generalis contra infideles et Tyrannos ad oppugnandum eos, quia adversantur fidei et terram sanctam occupant, quæ debet esse fidelium. Tertio, eis, qui tempore pacis visitant terram sanctam ob Dei reverentiam et honorem, et alia loca sancta, ut Apostolorum limina. Quarto, quando aliqui ex devotione et fervore charitatis hoc instanter petunt, præsertim ii qui in subsidium Ecclesiæ propria bona consueverunt concedere, ut per hoc magis animati et ad bonum provocati, magis proficiant. Quinto, quando confidenter probatur de aliquibus, quod eorum merita in thesaurum Ecclesiæ redundabunt propter eorum sanctitatem. Et Papa si vellet hoc idem facere propter aliam causam rationalem posset; nec hoc esset ei imputandum ad levitatem, quando in iis honorem Dei et Ecclesiæ utilitatem attendit, ut dictum est, et thesauri Ecclesiæ augmentum.

7. Tertiu[m]. Concess[io]nes Ind[ul]gentiaru[m] quomo[do] intelligu[n]tur.

Tertio, dubitaret quis, quomodo intelligenda sunt verba hujusmodi in litteris, *Papa concedit, ut quicumque fecerit tale opus, habeat quadraginta dies, vel unum annum Indulgentiæ.* Dicendum quod sive in littera exprimat, sive non, semper debet intelligi de pœnitentia injuncta in confessione, vel quæ deberet injungi; non enim semper injungitur tanta pœna, quantam peccata requirunt propter periculum transgressionis, quia pro uno peccato mortali homo debet pœnitere secundum Jura per septem annos, quam si hîc non faciet, faciet in Purgatorio, vel nisi per Indulgentias relaxetur. De hujus igitur pœna tantum minuitur per opus Indulgentiæ, quantum litteræ Prælatorum sonant.

Quartu[m]. An pro[pter] Indulg[en]tiam o[mit]ti possit p[œ]nitent[ia].

Quarto, quis dubitat, an faciens opus Indulgentiæ potest dimittere pœnitentiam sibi injunctam, nec per hoc sit transgressor? Dicendum, quod non est consulendum alicui quod dimittat facere pœnitentiam, quia non est certus an sit in charitate et per consequens, si non sit in charitate, Indulgentiæ nihil valent sibi; unde bonum et securum est,

quod homines faciant pœnitentias sibi injunctas, quia in eis plus merentur, ut dictum est, et dent etiam, et faciant cum hoc opus Indulgentiale, ut per hæc, pœna quæ eis non imponitur hîc, quam deberent sustinere in Purgatorio, minuatur. Si tamen aliquis attendens probabiliter se esse in charitate, sic faciens opus Indulgentiæ dimittat sibi injunctam pœnitentiam, non est transgressor; quia Superior potest a tali absolvere, et absolutum declarare opus Indulgentiæ, ut patet quantum est in talibus litteris; tamen, ut dictum est, malum est dimittere pœnitentiam facere propter hujusmodi Indulgentias, licet bonum sit facere hoc opus Indulgentiæ.

8. Quintum. An æqualiter valeat Indulgentia. Quinto, dubitaret quis, an duobus existentibus in æquali charitate, dantibus æqualem eleemosynam, æqualiter valeat hoc, quod dicitur, *tertiam partem injunctæ pœnitentiæ relaxamus?* Videtur quod non, quia forte unus fuit magnus peccator, qui centum annis debet pœnitere; alius forte unum peccatum solum fecit, et sic septem annis solum tenetur pœnitere. Si igitur per opus Indulgentiæ cuilibet tertia pars pœnæ sibi dimittatur, certum est quod non æqualiter valeant illis Indulgentiæ.

Dicendum quod in casu posito non possunt valere æqualiter, sed tantum valent quantum sonant cuilibet, ita quod plus uni, qui magis est obligatus quam alii; sed hoc est per accidens, in quantum scilicet plus inveniet de pœna relaxanda ; nec hoc videatur incongruens, si Prælati Ecclesiæ inæqualiter relaxant pœnas, quia non possunt scire determinate quantum quis est obligatus.

Item quandoque contingit quod parva gratia justificans delet peccata plura in uno quam æqualis in alio, secundum quod plura delenda invenerit. Similiter si sit maximus peccator, et resurgit in parva gratia, illa quantumcumque parva, omnia peccata delet; alius autem parvus peccator quandoque resurgit in gratia majori satis, et tamen illa major peccata pauciora delet, quia non invenit tot, sic de Indulgentiis.

Item ad exemplum, si dentur centum solidi uni pauperi multum indigenti, plus ei valent quam diviti centum libræ, cum tamen secundum donum sit in se magis satis, sic est in proposito.

Sed dices, ergo iste magnus peccator reportat commodum de multitudine peccatorum, cum per hoc plures recipiat Indulgentias. Dicendum quod non, imo incommoda et pœnas; tum, quia peccatum ipsum est pœna quædam, et sic verificatur dictum Augustini, quod non est dedecus temporale sine decore justitiæ et punitionis etiam ad momentum. Item, iste magnus peccator oportet quod de pluribus contristetur quam alius : contritio autem est magna pœna; ideo, etc. 9. Objectio. Solutio. Aug. lib. 1. confess. c. 12 et l. 3. de lib. arbit.

Sed utrum dantes inæqualiter vel ex inæquali devotione æqualiter participant, dato quod ad pœnam æqualem obligati sint? Dicendum, quod si sunt æqualis potestatis in divitiis, certe puto quod qui plus dat, vel qui ex devotione majori, plus participat, licet non plus ha-

beat de remissione pœnæ per Indulgentias, quam alius, quia hoc non exprimitur in litteris, tamen plus valet ei illud opus. Quod potest considerari non solum inquantum ad acquisitionem Indulgentiarum, sed etiam inquantum est in se bonum, et ex magno conatu dantis, et sic est meritorium æterni præmii, ita quod iste ex devotione meretur, quandoque augmentum gratiæ, vel præmio suo aliquid addit, quod satis majus est quam pœnæ temporalis remissio per Indulgentias solum.

10. Unde sumenda sit proportio obligationis.

Sed esto quod sint æque divites, unus autem dat una vice tres denarios, alius autem tribus vicibus dat tres tantum; habetne tantum de Indulgentiis primus quantum secundus? Dicendum quod sic; quia non sonant aliud litteræ Prælatorum, quia forte primus æque habet de merito, quia opus æque difficile, vel plus, facit una vice, sicut alius tribus vicibus; Deus enim magis attendit affectum quam opus in se. Sed si unus sit maxime dives, dat autem tantum unum denarium, vel obolum, sicut pauper, dicendum quod illi valet, licet valde modicum det, si est in charitate, ut dictum est; sed puto quod non acquirit sibi illas Indulgentias plene, cujus ratio est, quia cum Prælati dicant in suis litteris, *quicumque faciet tale opus, habet tot dies Indulgentiæ,* debet sane et rationabiliter intelligi, sic quod qui facit illud, secundum quod convenit sibi secundum suam facultatem; dives autem dans unum denarium vel obolum, non facit secundum prædicta, ideo licet sibi valeat aliquid per donum parvum non tamen tantum quantum pauperi, nec Indulgentias plene per hoc acquirit. Nec oportet quod Prælati dicant hæc in litteris suis, quia satis datur hoc intelligi sane intelligendo; nec poterit dari forma determinata de dando, quia quod uni est parum, alteri est minimum, et e contra; et ideo debet intelligi, ut dictum est. Hæc de articulo tertio.

SCHOLIUM IV.

Contra concessionem et valorem Indulgentiarum octo ingeniosa profert argumenta, quæ disertissime solvit. In iis præcipuas tangit difficultates, quæ in hac materia solent ab adversariis coacervari. Vide alias plerasque apud Fabrum citatum cap. 3.

Circa quartum arguitur primo quod Indulgentiæ non possint dari. Agens instrumentale non extendit se ultra operationem principalis agentis. Prælati sunt instrumentalia agentia respectu operationis principalis, quæ est dimissio culpæ a Deo per Sacramenta Ecclesiæ; quare si Prælati pœnam dimitterent relictam post Sacramentum Confessionis, extenderet se ultra operationem principalem principalis agentis, quod est inconveniens; calor enim ignis licet ad formam substantialem disponat, non tamen ultra, sed citra.

11. An indulgentiæ possint concedi. Argumentum primum negativum

Dicendum quod ita est, quod Deus remittit culpam sicut agens principale, Sacramenta autem sunt tanquam instrumenta divinæ misericordiæ, et Prælati sunt ministri adhibentes Sacramenta; unde nec Sacramenta remittunt, sicut principale agens ipsam culpam, nec Prælati sunt agentia instru-

Solvitur

mentalia, quod tamen supponit argumentum et male; sed tamen Prælati per modum dictum possunt pœnas relaxare, nec per hoc dicuntur excedere operationem principalem, sed post principalem operationem, id est, culpæ dimissionem, non autem possunt hoc ut instrumentum. Sed hæc duo opera sunt inter se ordinata, et primum necessario præsupponitur antequam secundum valeat; ex quo patet quod Prælati non tantum faciunt quantum Deus, qui est agens principale, imo quod faciunt respectu Dei; incomparabiliter enim majus est remittere culpam quam pœnam temporalem.

Item, dictam pœnam Prælati a se non dimittunt, sed de thesauro Ecclesiæ datur eis unde hoc faciant.

Argumentum secundum. Secundo sic Apostolus dicit, ad Galat. cap. 6. *Unusquisque onus suum portabit;* ergo Christi passio vel Sanctorum non satisfacit pro aliis.

Solvitur. Dicendum potius quod sic, ut dictum est; quia alio loco dicit Apostolus ad Galat. c. 6. *Alter alterius onera portate*, etc. Unde unus potest pro alio satisfacere, sicut et debitum temporale solvere; verbum autem primum debet intelligi de pœna æterna, qua unus non punitur pro alio, sed temporaliter bene unus pro alio punitur, etiam a Deo. Vel potest dici, quod Christus et Sancti assumpserunt sibi onera nostra, et pro eis satisfecerunt per modum dictum, scilicet si nobis eorum merita applicentur per Prælatos Ecclesiæ.

Item, unusquisque existens in charitate, qua meretur ut sibi applicentur, dicitur quodammodo suum onus portare, licet alii pro ipso sic solvant.

Tertio sic: Inferior non potest absolvere a pœna ad quam quis per superiorem obligatur: pœnitens a Deo obligatur, ad pœnam temporalem; ergo a nullo Prælato potest absolvi. Tertium.

Dicendum, quod Deus de liberalitate sua sic ordinavit, et Sancti sic intellexerunt, quod eorum merita in alios indigentes redundarent; ergo per Prælatos possunt applicari modo dicto. Nec dicuntur absolvi simpliciter et a se, sed secundum Dei beneplacitum datur istis de thesauro Ecclesiæ unde satisfaciant pro peccatis suis. Solvitur,

Sed contra hoc quarto: Si homo infirmus est, non curatur per medicinam sumptam ab alio; ergo a simili, cum secundum Philosophum 2. *Ethicorum* pœnæ sint medicinæ, pœna unius non satisfaciet pro alio; ergo nec merita Christi, nec Sanctorum nobis valent. 13. Quartum.

Dicendum, quod pœnæ Christi et Sanctorum possunt dupliciter considerari, velut pœnæ hominum quorumcumque; primo in quantum præservant a malis futuris, quia corpus domant et subdunt spiritum; et sic verum est, quod pœna unius non valet alteri quantum ad hoc, quia si tu jejunas, non propter hoc corpus meum maceratur. Secundo considerari possunt inquantum sunt satisfactoriæ, et sic patet quod Christus nihil demeruit, nec erat obligatus ad pœnam nisi voluntarie, scilicet pro nobis, et sic pro nobis satisfecit, et alii Solvitur.

Sancti si eorum merita et pœnæ nobis applicentur.

14. Quintum. Solvitur. Sed dices contra, unius confessio, vel contritio nihil valet alteri; ergo nec satisfactio.

Dicendum quod non est simile, primo de contritione, qui est actus interior amarus respondens libidini peccantis interioris; satisfactio autem est actus exterior. Similiter de confessione non est simile, quia sicut unus potest absolvi pro alio, cum absolutio debeat esse super materiam determinatam, ita nec unus pro alio confiteri potest. Item, confessio ad absolutionem Sacramentalem ordinatur; satisfactio autem non sic ordinatur ad absolutionem, ideo non est simile. Item, quando quis pœnitet et confessus est, licet a culpa sit liber et a reatu, tamen remanet obligatus Ecclesiæ, ideo Prælati possunt ei Christi merita et Sanctorum applicare unde satisfaciat. Vel dicendum, quod licet contritio vel confessio unius non valeat alteri, potest sibi valere satisfactio; cujus ratio est, quia antequam pœniteat et confiteatur, si habeat copiam Sacerdotis, non est membrum vivum, nec recipit influentiam ab aliis vivis, sed post confessionem bene potest, cum tunc sit membrum vivum.

Sextum. Sexto sic : dicit Præcursor Matth. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ;* ergo necesse est qui digne satisfacere vult, quod ipsemet operetur.

Solvitur. Dicendum secundum Philosophum 3. *Ethicorum*, quod hoc facimus velut possumus, quod per alios possumus adimplere; ideo Christi merita et Sanctorum nobis applicata, reputantur a Deo esse nostra, si, ut dictum est, primo pœniteamus et digne confiteamur, tamen ut superius dictum est, melius esset quod unusquisque suam pœnitentiam faceret.

15. Septimum. Septimo sic : solus Christus potest in effectus Sacramentales sine Sacramentis; sed dimittere pœnam est effectus Sacramentalis virtute clavium Ecclesiæ; ergo solus Christus, non Prælati dimittere possunt pœnam hujusmodi sine clavibus; quare Prælati per Indulgentias, cum sint sine clavibus, non possunt hæc.

Solvitur. Dicendum, quod effectum principalem Sacramentorum sine Sacramentis solus Christus et Deus potest dare, sed de effectu non principali non ita debet dici. Dicendum igitur, quod effectus principalis Sacramenti Pœnitentiæ est dimittere culpam, et iste non potest fieri per aliud, scilicet per Indulgentias. Item, alio modo hic et ibi dimittitur culpa, quia in Sacramento Pœnitentiæ virtute clavium, per Indulgentias autem per modum recompensationis, ideo non valet.

Octavum. Octavo sic : si Prælati possunt dare Indulgentias; igitur idem dabit sibi; consequens est falsum, quia debet esse distinctio inter dantem, donum, et eum cui datur. Probatio antecedentis, quia ipse est capax Indulgentiæ, non est deterioris conditionis aliis; ergo, etc.

Solvitur. Dicendum, quod nullus per se et directe potest sibi Indulgentias dare, quia non sunt dandæ nisi ex causa rationabili; et ad hoc ut ille,

cui dantur sit magis excitatus ad bonum et Dei honorem : Prælati autem ex officio suo satis debent ad hoc provocati esse ; ideo, etc. Tamen per accidens et indirecte, si Prælatus det aliis Indulgentias pro rationabili causa, si postea faciat ipsum opus potest eas sibi acquirere, non inquantum Prælatus est, sed inquantum est membrum Ecclesiæ indigens, sicut et alii ; et sufficit talis distinctio inter dantem et cui datur, quia dat inquantum Prælatus, accipit autem non inquantum talis, sed inquantum membrum indigens.

SCHOLIUM V.

Quæstionem hanc : *an indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant*? Theologi antiqui communiter proponunt, circa quam in varias et extremas aliqui abierunt sententias. Pars tutior et magis pia affirmat, modo causæ omnes ad Indulgentiam lucrandam necessariæ concurrant; de hac autem Indulgentia in particulari non est certum et infallibile, quod operetur quantum sonat; nihilominus ubi evidenter non constiterit sine legitima causa concessam esse, non est contemnenda neque si constiterit est publice spernenda. Dubium aliud de necessitate gratiæ in lucraturo Indulgentiam, majorem habet difficultatem in doctrina Auctoris, dum ex professo probat in 4. d. 15. q. 1. a n. 15. posse satisfieri pro pœna temporali extra statum gratiæ. Id tamen prudenter et reverenter, *absque præjudicio, inquit, contrariæ sententiæ* docuit; et intelligendus est de satisfactione secundum *quid* seu imperfecta, non autem de perfecta quæ conciliat et placat, de qua solum intelligendus est locus Conc. Trident. sess. 14. c. 8. qui videtur favere oppositæ sententiæ. Vide Fabrum in 4. disp. 35. c. 6. et Cavellum in Scholio ad prædictum locum Doctoris ; fortassis quæstionem hanc scripsit ante commentarios Oxonienses.

Quod autem non tantum valent semper quantum sonant, arguitur sic : Quia tunc quilibet posset se quittare* a tota pœna debita peccatis suis sine pœnitentia et evolaret sine punitione, faciendo multoties opus Indulgentiæ, quod videtur justitiæ Dei multum derogare. 16.

16. An tantum valeant Indulgentiæ, quantum sonant.

* Verbum Anglicum pro liberare, seu excluere.

Dicendum quod non est inconveniens, nec per hoc remanet peccatum aliquod impunitum ; tum, quia peccator concurrendo punitur in se ; tum, quia etiam peccando punitur, cum peccatum sit etiam pœna ; tum, quia sufficienter in Christo et aliis Sanctis satis est punitum, ut dictum est *supra*.

Quorumdam responsio.

Dicunt tamen aliqui, quod talis quantumcumque multiplicasset opus Indulgentiæ, maxime dando pecuniam, non statim evolaret ; quorum ratio ista est, quia ut dicunt, peccatum etiam post Confessionem, relinquit in anima quamdam scoriam quæ tolli non potest, nisi per pœnalitatem ipsius qui peccavit, ideo non sufficit dare pecunias ad Indulgentias.

Refutatur.

Sed hoc non videtur valere, quia ex peccato in anima tria solum relinquuntur, scilicet macula culpæ ; secundo pronitas ad actum similem ; tertio obligatio ad pœnam æternam. Primum autem per contritionem deletur, et cum hoc tertium illud quod est obligatio ad pœnam æternam in temporalem commutatur. Secundum autem per gratiam quæ datur in contritione, deletur, scilicet pronitas ad actum peccati, quia gratia inclinat ad actus oppositos. Peccatum etiam tollitur per assuefactionem in bonis operibus, et ideo amota culpa et pœ-

Pronitas ad peccatum non retardat a gloria.

na temporali per Indulgentias soluta; sicut est possibile et rationabile (quia, ut dictum est, in Christo satis est satisfactum) non potest quis impediri nisi per hujusmodi pronitatem, sed per ipsam non potest retardari post mortem, maxime quia patet in simili. Parvulus enim Baptizatus mundatus est totaliter a reatu culpæ originalis, tamen in eo dum vivit remanet semper pronitas vel fomes, seu quædam inclinatio ad peccatum, quod tamen non est in eo culpa post Baptismum. Unde si statim post Baptismum moriatur non retardatur, etiam modicum a gloria per hujusmodi pronitatem, quia ipsa tenet se magis ex parte corporis, ideo anima exuta a corpore non impeditur per hoc nisi aliud obstet. Quare similiter cum per gratiam et contritionem peccator sit a culpa liber et a pœna æterna, a temporali autem per Indulgentias, nequaquam per dictam scoriam vel inclinationem retardatur ejus anima a gloria, cum exuta sit a corpore.

17. An prærequiratur gratia ad lucrandum Indulgentias. Negatur.

Quod autem non requiratur gratia ad recipiendas Indulgentias, probatur sic: quia ante primam gratiam in peccatore non requiritur alia gratia, aliter esset abire in infinitum; ergo a simili ad pœnæ remissionem non requiritur gratia.

Et confirmatur, quia excommunicatio est pœna temporalis, et tamen bene tollitur sine gratia, quia potest absolvi etiam invitus; ergo et pœna temporalis ad quam quis est obligatus ex peccatis, de quibus confessus fuit et contritus, potest sibi dimitti, dato quod postea peccet mortaliter, nec sit in gratia, cum facit opus Indulgentiæ.

Affirmatur.

Dicendum quod non est simile. prima enim gratia datur homini, si vult se disponere per liberum arbitrium, quod potest quilibet per adjutorium gratiæ datum, quæ omnibus viatoribus datur, non sic autem est de pœna satisfactoria; nullus potest Deo per opera sua satisfacere nisi illa placeant Deo, cui non placent, nec digna sunt acceptatione nisi homo sit Deo gratus, quod non potest sine gratia. Ideo non potest quis satisfacere, dum est in mortali peccato. Quare non est securum confitentibus pœnitentias multum longas imponere, ne forte priusquam impleatur, reincidant in peccatum, et per consequens non satisfaciant per hujusmodi pœnitentias.

Item, non valet confirmatio de excommunicatione, illa enim est ab homine illata, pro aliquo peccato forte manifesto communiter, ideo in potestate Judicis illam inferentis, nec Superioris, est, illam, si vult, revocare. Dato etiam quod excommunicatus non pœniteat, et absolvitur quandoque propter ejus periculum, quando videlicet Judex videret eum sic fatuum, quod non curat, sed propter hoc magis induratur, tunc relaxat excommunicationem, ut sic forte talis per mansuetudinem redeat. Non sic autem dum est in peccato, nihil facit dignum acceptatione, nec per consequens potest ut sic satisfacere, sed statim cum pœnitet de peccatis commissis, cum proposito confitendi tempore opportuno, tunc

enim bene sibi valent opera sua, et sunt tunc satisfactoria et meritoria.

SCHOLIUM VI.

Tribus modis ait hîc aliis applicari posse merita, qui ferme coincidunt cum aliis totidem modis, quos enumeravit et explicavit in quodl. 20. art. 1. Secundo docet quinam conferre possent Indulgentias auctoritative sive ex commissione. Tertio, quod potestas concedendi Indulgentias non sit ordinis, sed jurisdictionis. Quarto, quod toties Indulgentias locales quis lucratur, quoties loca, vel Ecclesias destinatas visitat. Quinto, quod peregrini non lucrantur in alienis Diœcesibus. De his omnibus videri possunt auctores citati in principio quæstionis, præsertim Suarez disp. 49. et 52. et pro ultima assertione Sylvester verbo *Indulgentia*, num. 14. Panorm. in cap. *Quod autem*, de pœnit. et remiss. Rodriguez in summa, verbo *Indulgentia*, num. 2. Barbosa de Episcopis allegat. 83. num. 25.

18 Qui possunt concedere Indulgentias.

Juxta hoc quæritur, qui Prælati possunt dare Indulgentias? Circa quod notandum est, quod Indulgentiæ dicuntur concedi ab eis, qui possunt merita Christi et Sanctorum aliis applicare, ut dictum est. Hujusmodi autem applicatio potest fieri tripliciter; primo in singulari; secundo in speciali; tertio in generali. Applicare in singulari potest quicumque existens in charitate, alii existenti in charitate sua opera. Applicatio autem in speciali dicitur, quando aliquis vel aliqui de una congregatione orant pro illis de eadem congregatione vel pro suis familiaribus; tunc ille, qui præest tali communitati, potest merita hujus communitatis alteri communicare, et eos associare ad beneficia hujusmodi. Sed persona privata talis communitatis hoc non potest concedere, quia ejus non interest de communitate ordinare. Sed his duobus modis meritorum applicatio non dicitur Indulgentia proprie: primo, quia talis communicatio non satisfacit Ecclesiæ universaliter, sed Deo pro iis, quibus fit applicatio. Indulgentiæ autem non solum Deo, sed Ecclesiæ dicuntur satisfacere de pœna pro peccatis injuncta, a quibus dictæ communitates, nec absolvere possunt, nec eas relaxare, cum super Ecclesiam non habeant potestatem. Secundo, quia bona per se privatæ personæ et communitatis specialis sunt finita, ideo non sufficiunt ad dandum Indulgentias, sicut thesaurus Ecclesiæ, qui est omnino indeficiens et abundans meritis infinitis. Applicatio tertia, scilicet in generali, est quando de thesauro universalis Ecclesiæ, merita scilicet Christi et Sanctorum aliquibus applicantur, quod potest fieri de jure ab eo qui toti præest Ecclesiæ, quia est Christi Vicarius, aliis autem ex commissione.

Applicatio meritorum triplex.

Solus igitur Papa potest auctoritative et principaliter dare Indulgentias, nec habet auctoritatem ab alio nisi a Christo. Sed utrum Episcopi? dicendum quod cum sint sponsi Ecclesiæ suæ, id est, Diœcesis, et Archiepiscopi sui Archiepiscopatus, et sint vocati in partem sollicitudinis, secundum Apostolum 2. *Cor.* 11. ideo ex commissione Papæ possunt Indulgentias conferre, aliter non possunt. Similiter Legati, sicut per totam suam Provinciam vel legationem, possunt facere constitutiones perpetuas, ita etiam conferre Indulgentias, quia eis hoc Papa concessit.

19. Solus Papa auctoritative concedit Indulgentias.

Quis possit ex commissione.

Sed utrum Abbates? dicendum quod licet habeant super suos subditos jurisdictionem, non tamen conferunt Indulgentias, quia hoc eis non concessit Papa, posset tamen eis concedere si vellet.

Sed Episcopi quantum possunt dare : Dicendum prout dicitur *Extra de pœnitentia et remissione, cap. cum ex eo,* possunt de lege communi pro una causa quadraginta dies, in dedicatione autem Ecclesiæ unum annum, et licet sint plures Episcopi, non tamen plus; in anniversario autem dedicationis tantum quadraginta dies, non autem possunt dare perpetuas, scilicet pro quolibet tempore; sed solus Papa vel Legatus, quia istis non concedit jus Papale.

Sed utrum electus in Episcopum et confirmatus, non tamen consecratus? dicendum quod sic, etsi non sit Sacerdos, quia hujusmodi potestas non super characterem Sacerdotalem, vel super consecrationem Episcopalem fundatur, sed magis super jurisdictionem, quam talis habet per electionem confirmatam. Verumtamen Ostiens. in cap. *cum ex eo,* citatum dicit quod tutius est quod non conferat nisi sit Sacerdos.

20. Quibus et quoties valeant Indulgentiæ.

Juxta hoc quæritur, quibus valeant? Utrum cum dicitur, *visitantibus talem Ecclesiam, concedimus quadraginta ;* an quicumque vadat illuc, et quotiescumque semper acquirat hujusmodi Indulgentias? Videtur quod non omnis vadens illuc habeat, quia non debetur dari, ut dictum est, nisi pro causa speciali ad quam homines alias non tenebantur ire ; sed multi tenentur ire quolibet die ad Ecclesiam, scilicet Canonici et Religiosi; ergo si Indulgentiæ sint in Ecclesiis talium non acquirunt eas, quia vadunt pro horis dicendis, ad quas ex debito alias tenebantur.

Dicendum quod quantumcumque Indulgentiæ conceduntur absolute sic : *quicumque talem Ecclesiam visitabit, vel tale opus faciet, habebit tot dies Indulgentiæ :* dico quod quicumque id facit existens in charitate, dum tamen non intendat actu contrarium, puto quod Indulgentiam habet. Non enim oportet quod intendat actu lucrum Indulgentiæ, sed habitualis intentio ad hoc sufficit, quia ex quo est in charitate, vult opera sua habitualiter saltem habere omnem efficaciam; et justum est quod in omnibus operibus suis lucretur quæcumque sunt lucrabilia per talia opera, quare cum ire ad Ecclesiam ad Dei honorem sit lucramentum Indulgentiarum, sequitur quod quicumque existens in charitate vadit illuc tunc ad Dei honorem, dato quod hoc actu non intendat, percipit Indulgentiam.

Et confirmatur ratio, quia quando aliqui vadunt ad Ecclesiam tantum intentione Deum honorandi, et officium audiendi vel dicendi, si fiat tunc ibi generalis distributio, isti qui non intendebant hoc, ita bene percipiunt distributionem sicut alii qui hoc sciebant, et actualiter intendebant, et ad hoc venerant ; si igitur homines sunt ita liberales, multo fortius Deus, et Prælati Ecclesiæ conferentes Indulgentias ad honorem Dei.

Patet igitur quod ratio in contrarium non valet, scilicet quia

alias tenebantur; unum enim opus factum in charitate bene est meritorium præmii, et inquantum fit ex obligatione voluntaria et satisfactoria cum hoc, valet ad acquisitionem Indulgentiarum, ut ostensum est.

21. Sed utrum toties quoties vadit quis, habet Indulgentiam? Dicunt quidam quod si sunt Indulgentiæ perpetuæ, ut ad Ecclesiam Petri et Pauli, sic; si vero non sint perpetuæ, habet eas acquirere semel. Quorum ratio est, quia quando ponuntur perpetuæ, patet esse de intentione Prælati, quod omnes quoties vadunt, habeant. Sed quando sunt temporales, scilicet per octo vel novem dies, videtur esse de intentione dantis quod solum semel quilibet veniens, habeat; et ideo ponuntur octo dies, ut ii qui prima die vel secunda nequeunt venire, veniant saltem infra octavam.

Sed hoc non videtur, quia potest esse diœcesis ita parva, scilicet una civitas, quod omnes possent venire una die vel duobus, et sic superfluerent alii dies. Dicendum igitur quod toties quoties quicumque vadit ad Dei honorem, existens in charitate, toties habet Indulgentias, sive sint perpetuæ, sive temporales. De perpetuis conceditur ab omnibus, sed de aliis probo, quia sicut se habet totum tempus ad opera facta in toto tempore, ita pars temporis ad opera facta in illa parte temporis; quare si Indulgentiæ sint perpetuæ, et in omni tempore et hora possunt acquiri, non videtur ratio quare temporales in suo speciali tempore non possint acquiri in qualibet hora illius partis.

Item, agens agit propter finem, et per consequens intendit attingere finem suum meliori modo quo potest; ergo quando concedit aliquis Indulgentias visitantibus talem Ecclesiam ad Dei honorem, debet hoc intendere intensius quam potest; sed Deus plus honoratur si homines frequenter illuc vadant, quam si tantum semel; ergo quoties vadunt ad Dei honorem, semper illas sibi acquirunt.

Utrum in alicujus diœcesibus peregrini possint acquirere? Videtur dicendum quod non, cujus ratio est, quia ut patet ex superioribus, Prælatorum est eas dare ratione auctoritatis et jurisdictionis; sed super alienas personas, quæ non sunt suæ diœcesis, non habent jurisdictionem; ergo non possunt Indulgentias dare. Verumtamen si habeant ibi devotionem ipsi peregrini, et opus Indulgentiæ faciunt et sint in charitate, multum prodest eis et multum mereri possunt, licet forte Indulgentias non acquirant. Unde bene consulendum est eis, si quærant consilium quod hujusmodi opera faciant. 22. Utrum peregrini lucrantur.

Sed diceres, imo videtur quod sint de eorum jurisdictione, quia si peccant in terra eorum, quantum ad hoc fiunt eis subditi; ergo similiter ratione bonorum operum.

Dicendum quod non est simile: pro peccatis enim non quibuscumque, sed publicis, fiunt de eorum diœcesi, ut scilicet ibi peccata puniantur, ubi oriuntur, ut qui fuerunt peccatis scandalizati, sint eorum punitione reædificati, non au-

tem sic pro occultis fiunt alienis Prælatis subditi. Sic autem non est de Indulgentiis, quia non est causa sufficiens quantum ad hoc, quod super extraneos habeant auctoritatem jurisdictionis, ideo non possunt conferre Indulgentias; ergo, etc.

QUÆSTIO V.

Utrum perfectissimus conceptus possibilis haberi de Deo a viatore ex puris naturalibus, sit conceptus entis infiniti?

Alens. 1. *p. quæst.* 2. *mem.* 1. *art.* 1. D. Bonav. 1. *d.* 3. *quæst* 1. *art.* 1. Richard. *ibidem.* D. Thom. 1. *p. q.* 12. *art.* 2. *et* 4. *et q.* 85. *art.* 3. Henr. *in Summa art.* 22. *q.* 1. 2. *et* 3. *quodl.* 7. *q.* 4. Occham *in* 1. *d.* 3. *q.* 5. Gregor. *q.* 3. *art.* 2. Baccon. *quæst.* 3. Mayron. *q.* 1. Landulphus *in prolog. q. ultima a.* 1. Alphon. Tolet. *q.* 6. *prol. art.* 2. *concl.* 3. Cajetan. *de Ente et essentia q.* 1. Faber *lib.* 1. *dist.* 3. *q.* 7. *disp.* 27. *Vide* Scot. *in* 1. *d.* 3. *q.* 2. *num.* 17. *et d.* 8. *q.* 3. *et in* 2. *d.* 3. *et quodl.* 5. *et collat.* 20. *et* 21. *et* 1. *Met. q.* 10.

1. Argument. negativum. Videtur quod non : Ille conceptus, quo cognoscitur Deus trinus et unus, est perfectior conceptus de Deo quam conceptus entis infiniti ; sed conceptus, quo cognoscitur Deus trinus et unus, possibilis est haberi a viatore ex puris naturalibus; ergo conceptus entis infiniti non est perfectissimus. Conceptus enim quo cognoscitur Deus trinus et unus, est conceptus adæquans naturam divinam, et omnia contenta in essentia divina, conceptus entis infiniti non est ita. Minor probatur, quicumque naturaliter potest cognoscere unum relativum, potest naturaliter cognoscere reliquum, simul enim cointelliguntur : sed naturaliter potest cognosci anima nostra, et respectus imaginis ad Deum trinum et unum fundatus in ea; ergo naturaliter potest cognosci Deus trinus et unus. Minor istius secundi syllogismi probatur sic : potentia habens aliquod pro primo objecto et adæquato, habet quodlibet contentum sub illo pro objecto per se : sed intellectus nostri primum adæquatum objectum est ens, saltem ut est commune ad decem genera prima; ergo quodlibet contentum sub hoc communi est per se objectum intellectus nostri ; sed respectus imaginis fundatus in anima nostra cum sit creatus, continetur sub aliquo decem generum; ergo intellectus noster potest cognoscere talem respectum.

Oppositum arguitur sic : Conceptus correspondens perfectioni intrinsecæ rei, est perfectior conceptus quam ille, qui correspondet perfectioni extrinsecæ; sed conceptus entis infiniti est intrinsecus essentiæ divinæ ; infinitas enim est gradus intrinsece naturæ divinæ, cæteri autem conceptus possibiles haberi de Deo a viatore ex puris naturalibus, cujusmodi sunt conceptus *boni* et *veri*, et hujusmodi, correspondent tantum perfectionibus secundis essentiæ divinæ; ergo conceptus entis infiniti est conceptus perfectissimus possibilis haberi de Deo a viatore ex puris naturalibus. Quod autem conceptus correspondens, ut est trinus et unus, non possit haberi a viatore ex puris naturalibus, patet infra. 2. Argum. affirmativum.

SCHOLIUM I.

Refert latissime opinionem Joannis a monte S. Eligii, Belgæ, qui sibi fuit synchronos, negantis conceptum entis infiniti esse per-

fectissimum omnium, qui de Deo naturaliter possint haberi in via, sive ille comparetur ad conceptum quemcumque, sive simplicem, sive compositum. Similem habet opinionem Henric. in Summa citatus in initio quæstionis, de qua Scotus in 1. d. 3. q. 2.

3. Ad istam quæstionem respondet Magister Joannes de monte S. Eligii, in uno Quodlibeto, primo distinguendo quæstionem; secundo, de quæstione juxta duplicem ejus intellectum tenet duas conclusiones, quas nititur confirmare per plures rationes. Distinctio quam ponit, est ista : De perfectione conceptus entis infiniti in comparatione ad alios conceptus possibiles haberi de Deo ex puris naturalibus, vel fit comparatio entis infiniti ad aliquem alium conceptum unum et simplicem, sicut est conceptus *boni* per se, vel *veri* per se, et sic de quolibet alio per se sumpto ; vel fit comparatio non tantum ad conceptum unum simplicem per se sumptum, sed ad conceptum aliquem multiplicem sive compositum, includentem multos conceptus partiales, sicut est conceptus compositus aggregans in se conceptum *boni, veri, sapientis, justi*, et alios plures.

4. Probatur non esse conceptum entis infiniti. Hac distinctione præmissa, respondendo ad quæstionem, tenet duas conclusiones negativas; prima est, quod si accipiatur quæstio secundum primum intellectum, conceptus entis infiniti non est conceptus perfectissimus possibilis haberi de Deo a viatore ex puris naturalibus. Secunda conclusio est, quod si accipiatur quæstio secundum alium intellectum dictum, conceptus entis infiniti non est perfectissimus conceptus possibilis haberi de Deo ex puris naturalibus. Utraque probatur, et primo sic : conceptus quo concipitur res secundum *esse* substantiale et primarium, est perfectior conceptu quo concipitur res secundum *esse* accidentale et secundarium. Ista probatur : sicut *esse* substantiale rei et primum est perfectius quam *esse* ejus accidentale et secundarium, ita proportionaliter conceptus correspondens *esse* substantiali et primo ipsius rei, debet esse perfectior conceptu correspondente *esse* secundario et accidentali ipsius rei : sed concipiendo Deum ut ens infinitum, non concipitur ipse Deus secundum ejus *esse* substantiale et primum, sed secundum quamdam perfectionem communem sibi accidentalem; ergo conceptus entis infiniti non est conceptus perfectissimus possibilis haberi de Deo a viatore ex puris naturalibus. Minor ista probatur : Infinitas enim videtur esse passio quanti et magnitudinis, dicente Philosopho primo Physic. text. 35. deinceps : *Infinito respectu quanti congruit etiam quantum, et finitum et infinitum sunt differentiæ quantitatis.* Unde infinitas non convenit Deo, nisi prout inesse supponitur ratio quantitatis, non molis, sed perfectionis. *In his enim*, secundum beatum Augustinum 5. de Trinitate cap. 8. *quæ non sunt mole magna, idem est majus esse quod melius esse.* Concipere ergo Deum ut *ens infinitum*, non est aliud quam concipere ipsum sub ratione magnitudinis non habentis finem ; sed conceptus ut *magnus*, non est conceptus quo con-

cipitur Deus secundum *esse* suum primarium et substantiale, sed potius secundum *esse* ejus quasi secundarium et accidentale.

5. Confirmatur ista ratio : quia cum quæritur, *quantus est Deus?* Convenienter respondetur, *infinitus et immensus;* et ideo dicunt Doctores communiter, quod infinitas naturalis nihil aliud est quam divinæ magnitudinis immensitas. Cum autem quæritur per quæstionem de substantia, *quid est Deus?* Non respondetur, nec bonus, nec sapiens, nec immensus, sed potius *substantia pura intellectualis* vel hujusmodi ; ergo conceptus entis infiniti non respondet *esse* quidditativo et primario ipsius Dei, et per consequens non est conceptus perfectissimus possibilis haberi de Deo a viatore ex puris naturalibus.

Secundo. Item, conceptus correspondens perfectioni attributali in Deo, non est ita perfectus, sicut conceptus correspondens perfectioni primariæ et essentiali; quia perfectio attributalis est quodam modo accidentalis, superveniens subjecto perfecto in *esse :* sed *infinitas* est perfectio attributalis in Deo, et quasi de secundario intellectu divinæ naturæ, et consequenter spectat ad primarium intellectum essentiæ divinæ, quo scilicet Deus intelligitur actus purus, substantialis, primus; ergo conceptus *infiniti* non est perfectissimus conceptus possibilis haberi a viatore ex puris naturalibus. Major est evidens, minor probatur. Illud quod importat in Deo perfectionem simpliciter absque defectu et immutatione, pertinentem quasi ad aliud genus a Substantia, videtur esse ipsi Deo perfectio accidentalis ; sed infinitas est hujusmodi, quia sequitur magnitudinem Dei spiritualem, et ideo quasi ad aliud genus quantitatis, *infinitas* quæ est quasi ejus passio, ad aliud genus a substantia pertinet, et per consequens præsupponit conceptum correspondentem primario *esse* ipsius Dei. Similiter *infinitas* dicit perfectionem simpliciter sine defectu et limitatione, quasi supervenientem *esse* substantiali ipsius Dei; *infinitas* ergo est perfectio attributalis ipsius Dei.

Confirmatur, quia quod *infinitas* sit perfectio attributalis, videtur esse intentio Augustini 5. de Trinitat. cap. 5. *Si dicimus, æternus, incorruptibilis, immortalis, immutabilis, unus, sapiens, potens, speciosus, justus, bonus, beatus, spiritus, horum omnium novissimum quod posui, quasi tantum modo videtur significare substantiam ; cætera vero hujus substantiæ qualitates.* Qua ratione autem *æternum* et *immortale,* dicuntur perfectiones attributales supervenientes quasi *esse* primario ipsius Dei, eadem ratione videtur *infinitum,* quod consequitur magnitudinem Dei esse perfectio attributalis. Conceptus ergo, quo concipitur Deus in toto genere entium, substantia prima specialissima est perfectior conceptus, quam ille quo concipitur ut ens infinitum. 6. Confirmatio.

Tertio. Item conceptus subjecti est perfectior quam sit conceptus passionis, sicut et subjectum perfectius est passione; sed conceptus quo concipitur Deus ut substantia prima perfectissima, est conceptus subjecti : conceptus autem quo concipitur ut ens infinitum, est con-

ceptus quasi passionis; ergo conceptus entis infiniti non est perfectissimus conceptus possibilis haberi a viatore ex puris naturalibus. Minor probatur ex hoc quod Deus est ens substantiale primum, consequenter intelligimus ipsum per modum passionis esse infinitum, nam ex hoc quod est primum, consequenter infertur ipsum esse interminatum et ab intra et ab extra, et ex hoc consequenter ipsum esse illimitatum, et per consequens ipsum carere fine et termino in perfectione, et hoc est ipsum esse infinitum; ergo *infinitum* consequitur ipsum Deum quasi passio ejus, ut est ens substantiale primum simplicissimum.

7. Quarto. Item, ille conceptus ex quo a priori quasi causaliter et *propter quid* sequitur alius, est perfectior illo qui sequitur; sed ad conceptum quo concipitur Deus ut ens primum et simplicissimum a priori, quasi causaliter et *propter quid* sequitur conceptus, quo concipitur ut ens infinitum. Quamvis enim ex conceptu *infiniti* sequitur illud quod est infinitum esse ens primum, et a se et per se, et actum purum illimitatum, hoc est tamen quasi a posteriori arguendo: sed ex hoc quod Deus est *esse* substantiale primum, sequitur a priori ipsum habere magnitudinem perfectam, illimitatam et infinitam; ergo conceptus quo concipitur Deus, ut ens substantiale primum, est perfectior conceptus conceptu quo concipitur Deus, ut est ens infinitum.

Quinto. Item, conceptus quo concipitur res in speciali et distincte secundum naturam ejus et quidditatem, et quasi differentiam specificam, est perfectior illo conceptu, quo concipitur res indistincte et confuse etiam in quodam involuto; sed conceptu quo concipitur Deus ut infinitus et in perfectione, non cognoscitur divina natura, nisi in quodam involuto multum confuse et implicite; nam cognoscendo Deum ut ens infinitum, adhuc restat inquirere cujus conditionis sit illa perfectio infinita; non enim ex hoc statim est manifestum an pertineat ad substantiam vel ad accidens? an sit corporea vel incorporea? an vivens, an non vivens? conceptu autem quo cognoscitur Deus, quod est *intelligere* substantiale primum actualissimum magis acceditur ad cognitionem specialem et distinctam ipsius Dei, et quasi differentiam specificam explicantem, prout est possibile a nobis quidditatum differentiam intelligi; ergo conceptus quo sic concipitur Deus, est perfectior conceptu quo concipitur ut ens infinitum.

Confirmatur ratio ista ex intentione: nam circa istum conceptum, scilicet quod in Deo sit *intelligere* perfectissimum et actualissimum, tanquam circa conceptum nobilissimum possibilem haberi de Deo ex puris naturalibus, multum laboravit Philosophus 12. *Metaphysicæ text. com.* 39. ubi dicit sic: *Quamvis optima pro voluptate nobis et speculatio delectabilissimum, et optimum. Si ergo sic bene habet, ut nos quandoque, Deus semper mirabilis est, si autem magis adhuc mirabilius habet, et vita utique existit: etenim intellectus actus, vita, illud autem ipse actus est, actus autem quod* 8. Confirmatur.

secundum se illius vita optima et sempiterna. Unde post concludit : *sic autem habet ipsam sui ipsius intelligentiam toto æterno.* Et ibi dicit Commentator : *manifestum est quod intelligere per intellectum qui est in nobis, est valde voluptuosum, et nobilius omnibus rebus existentibus in nobis.* Videtur ergo quod conceptus quo concipitur Deus sub ratione primi intellectus, primi substantialis, super omnia speculantis et intelligentis actum, sit perfectior quam ille quo concipitur Deus sub ratione entis infiniti.

Sexto. Item, ille conceptus de Deo est perfectior quo concipitur sub ratione volitiva, declarativa et optima; perfectio autem optima et super omnes delectabilis ab omni intelligibili ente, est nobilissimum intelligibile semper actu perfecte intelligere, et nihil nobilius, aut excellentius potest cogitari quam vivere vita intellectuali perfecta secundum actum, quod satis apparet ex 10. *Metaph.* et ex eo quod dicit Philosophus *libro* 12. *text.* 51. *Quid utique erit insigne et venerabile, si non intelligat?* ergo conceptus quo concipitur Deus perfectissimus intellectus, vivens vita intellectuali perfectissima, est perfectior conceptus, quam conceptus quo concipitur ut ens infinitæ perfectionis.

9. Septimo. Item, conceptus ille quo concipitur Deus secundum *esse* absolutissimum, abstractissimum, est perfectior conceptu quo concipitur secundum aliquam rationem determinatam et contractam. Ista probatur, quia conceptus quo concipitur secundum *esse* absolutissimum, actualissimum et abstractissimum magis explicat et indicat naturam divinam secundum suum *esse*, quod habet in rerum natura, quam conceptus quo concipitur secundum aliquam specialem rationem et determinatam. Et probatur ex sacra Scriptura, per quam Deus indicans naturam suam habere *esse* actualissimum, sine omni potentia absolutissimum et abstractissimum, nominat se *qui est,* dicens in Exod. cap. 3. *Sic dices filiis Israel, qui est, misit me ad vos :* sed *esse* actualissimum, sive conceptus ille quo concipitur natura divina inquantum habet *esse* in rerum natura secundum *esse* actualissimum, sine omni potentia absolutissimum et actualissimum : conceptu autem *infiniti* concipitur secundum aliquam rationem particularem et determinatam, est enim *infinitas* una distincta ratio, contra alias, sicut *bonitas, æternitas* et hujusmodi; ergo conceptus quo concipitur Deus ut ens infinitum, non est perfectissimus conceptus possibilis haberi de Deo ex puris naturalibus.

Octav[o]. Item, illa scientia est perfectior quæ ordinatur ad cognoscendum Deum absolute sub ratione Deitatis, quam illa quæ ordinatur ad cognoscendum Deum sub ratione infinitatis : propter hoc enim Deus non ponitur subjectum in Theologia sub aliqua ratione speciali et determinata, et quasi secundum modum intelligendi naturam divinam determinate, quia talis cognitio dicitur esse particularis; nec esset ita perfecta et nobilis, sicut illa quæ absolute tradit cognitionem de Deo; ergo cognoscere Deum absolute sub ratione Deitatis, ut est cognoscibilis ex creaturis, est

perfectius cognoscere Deum quam cognoscere ipsum sub ratione entis infiniti, quod est cognoscere ipsum sub aliqua una ratione speciali distincta contra alias.

10. Confirmatur primo. Et confirmatur ista ratio, quia Deus nec intelligenti se, vel videnti ipsum objicitur sub aliqua ratione speciali, et secundum rationem suæ nudæ quidditatis et naturæ, in quidditate et natura includuntur omnes rationes de Deo cognoscibiles ; nunc autem certum est quod Deus habet de se conceptum perfectissimum; et similiter Beati habent conceptum perfectiorem de Deo quam nos; ergo conceptus quo concipitur Deus a viatore sub ratione Deitatis absolute, est perfectior, quo concipitur sub ratione entis infiniti.

Confirmatur secundo. Confirmatur secundo ratio sic : Voces sunt signa conceptuum, qui sunt in anima; nomen ergo naturæ divinæ magis sibi proprium et impositum ad significandum naturam divinam quam in specie sub differentia specifica prout continet quidquid ad naturam et perfectionem ejus essentialem pertinet, et ab omni alio differt, perfectiorem conceptum exprimit quam nomen, quod non est tale; sed hoc nomen *Deus* secundum communem usum, tam fidelium quam infidelium, sicut imponitur ad significandum naturam divinam in modo prædicto, prout cognoscibilis est a viatore ex puris naturalibus magis exprimit divinam naturam quam nomen *infiniti*.

11. Nono. Item, ille conceptus quo habito, quolibet alio circumscripto, illud de quo habetur, est ens nobilissimum et perfectissimum, est perfectior illo quo habito, quolibet alio circumscripto, illud a quo habetur, non est ens nobilissimum et perfectissimum ; sed conceptus quo cognoscitur Deus, ut ens primum intellectivum, vel Intelligentia prima, est talis, quod eo habito, circumscripto quolibet alio, adhuc illud de quo habetur, est ens nobilissimum naturæ in gradibus entium, poterit perfectior gradus inveniri; conceptus autem *infiniti* non est talis, quod eo habito, circumscripto quocumque alio, illud de quo habetur non erit ens nobilissimum. Posito enim quod Sol esset infinitæ perfectionis, et duraret in infinitum, adhuc non esset tantæ perfectionis, sicut anima intellectiva, quæ hodie inciperet esse et cras desineret esse; ergo conceptus, quo concipitur Deus ut Intelligentia prima, est perfectior conceptu quo concipitur ut infinitus.

Item, conceptus correspondens rei secundum naturam suam absolute, est perfectior conceptu correspondente modo ejusdem rei. Ista patet : Modus enim rei consequitur ipsam rem, et habet debiliorem entitatem, et si aliquam perfectionem dat, illam sortitur ex natura rei, cujus est modus; sed *infinitas*, etiam secundum tenentes opinionem contrariam, dicit modum intrinsecum naturæ divinæ, et cujuslibet perfectionis essentiæ divinæ; ergo conceptus quo concipitur natura divina in se, et etiam quælibet ejus perfectio in se et absolute, est perfectior conceptu entis infiniti. Decimo.

Confirmatur ratio, quia *infinitas* 12.

Confirmatur. ut dicit modum rei, non importat perfectionem nisi rei, cujus est : unde cum linea non dicat ens magnæ perfectionis, nec infinitas lineæ dicet magnam perfectionem ; infinitas autem sapientiæ et potentiæ dicet magnam perfectionem, quia sapientia et potentia dicunt magnam perfectionem ; conceptus ergo *infiniti* secundum se, ut distinctus contra conceptum rei cujus est modus, non videtur esse perfectior conceptu quo concipitur natura ipsa absolute cujus est modus ; conceptus igitur naturæ divinæ, ut concipitur ut actus primus absolute, est perfectior conceptu quo concipitur ut ens infinitum.

Undecimo. Item, Philosophus, qui processit ad cognoscendum Dominum ut cognoscibilis est ex puris naturalibus, parum locutus est de infinitate primæ Intelligentiæ, qui Deus est, et specialiter de infinitate perfectionis naturæ, et non in hoc terminavit suam cognitionem *libro* 12. *Metaph.* sed in hoc quod Deus est summum bonum totius universi, gratia cujus sunt omnia, sicut quæ in domo propter dominum, in exercitu propter Ducem ; conceptus igitur entis infiniti non videtur conceptus perfectionis simplicissimus possibilis haberi ex puris naturalibus de Deo a viatore.

13. Duodecimo. Item, generaliter in quolibet esse causam finalem agentem vel formalem extra rem, est magnæ perfectionis et dignitatis ; igitur esse causam primam omnium, et nullam habere causam est summæ dignitatis ; et ideo quia ex motu et ordine entium secundum gradum speciei, et secundum ordinem causæ et causati, potest eminenter evenire quod primum in entibus talem habeat ordinem ad alia, ut sit prima causa agens omnium, et prima forma exemplaris, mensura omnium entium, et ulterius finis, in quo sunt omnia ordinata, et cujus causa sunt omnia ; et in cognitione talium de Deo multum laboravit Philosophus, et dixit quod causa finalis est nobilissima omnium et causa causarum. In hac cognitione terminavit Philosophus suam inquisitionem de Deo, dicens quod esset *bonum, sive finis omnium dicitur ; unus ergo princeps ;* conceptus ergo quo concipitur quod est causa finalis omnium et primum agens, est perfectior conceptus, quam ille conceptus quo concipitur esse perfectionis infinitæ præcise : nam ex eo quod concipitur præcise perfectionis infinitæ, non habetur quod sit causa omnium, et quod sit unum. Imo posset dubitari, an quælibet Intelligentia esset talis ; sed de una sola substantia verum esse potest quod sit causa omnium, et ideo tanquam ad conceptum perfectissimum possibilem haberi ex naturalibus, videtur terminari inquisitio Philosophorum, quod Deus in toto universo sit tale, quod ab ipso efficiente primo et fine ultimo dependent omnia, ut satis innuit Commentator in libro de substantia orbis. Et etiam Scriptura dicit, *Ego sum alpha et omega.* Commentator.

Tertio decimo. Item, quod Deus, qui non est nobis cognoscibilis naturaliter, nisi per creaturas magis similes et res magis notas, potest perfectius cog-

nosci : sed creatura Deo magis similis et nobis magis nota, est anima nostra ; ergo per eam potest Deus a nobis perfectius cognosci, sed per eam per se et directe cognoscitur sub conceptu intellectualitatis, non perfectionis; sic est ergo conceptus quo concipitur sub ratione perfectionis infinitæ.

Sic patet prima conclusio negativa, quod conceptus entis infiniti non est perfectissimus conceptus possibilis haberi de Deo a viatore ex puris naturalibus, comparando conceptum entis infiniti ad aliquem unum conceptum non aggregantem multos.

14. Aliunde probatur conceptum entis infiniti non esse perfectissimum qui de Deo possit haberi. Primo.

Secunda conclusio, scilicet quod conceptus entis infiniti non sit perfectissimus conceptus possibilis haberi a viatore de Deo ex puris naturalibus, comparando conceptum entis infiniti ad aliquem conceptum compositum aggregantem in se multos conceptus partiales. Probatur primo sic : cum Deus naturaliter non cognoscatur a nobis nisi per conceptus acceptos a creaturis, quorum nullus potest adæquare perfectionem divinam, sed quilibet proportionaliter deficit a perfectione divina, conceptus aggregans in se plures partiales acceptos a particularibus creaturis, est perfectior conceptus ad cognoscendum, quam conceptus unus singularis acceptus ab una creatura tantum ; sed compositus aggregans in se conceptus partiales, *boni, veri, justi, sapientis,* sumitur a pluribus perfectionibus repertis in eis quam conceptus entis infiniti, qui est conceptus unus singularis; igitur conceptus compositus aggregans in se multos, scilicet conceptus particulares, est perfectior conceptus quam conceptus entis infiniti.

Confirmatur hæc ratio per simile in creaturis sic : Conceptus, qui habetur de re per orationem definitam, est perfectior conceptu qui habetur nomine definiti, quia conceptus definitus est explicatus, et ideo magis distincte et determinate cognoscitur res per ipsum conceptum definiti; ergo similiter in Deo conceptus compositus aggregans in se multos conceptus partiales, sumptos ex diversis perfectionibus repertis in creaturis, fit quasi conceptus definitus ipsius Dei secundum nostrum modum intelligendi ; conceptus autem entis infiniti fit quasi conceptus definiti includens implicite perfectiones, quas dicunt alii conceptus partiales explicite; sequitur quod conceptus compositus aggregans in se omnes partiales possibiles haberi de Deo a viatore ex puris naturalibus est perfectior quam conceptus entis infiniti. Confirmatur primo.

Confirmatur hoc idem, cum enim intellectus noster qui naturaliter rem desiderat perfecte cognoscere, magis quietatur cognoscendo et concipiendo Deum conceptu composito aggregato ex omnibus particularibus possibilibus haberi ex puris naturalibus, puta, concipiendo ipsum bonum, justum, et sapientem, actum purum, intelligentem et sic de aliis, quam concipiendo ipsum ens infinitum : quod patet, quia concipiendo ipsum ut ens infinitum, et nihil plus adhuc contingit dubitare et inquirere in 15. Confirmatur secundo.

speciali : utrum ens tale infinitum sit bonum, intelligens? utrum corpus vel spiritus, et multa talia; qui autem concipit eum sub omnibus aliis conceptibus, sub quibus cognoscibilis est a viatore ex puris naturalibus, de nullo tali habet dubitare; conceptus ergo talis compositus magis quietat intellectum nostrum quam conceptus entis infiniti, et per consequens est perfectior.

Probatur secundo. Item, cognitio habita de re cui non potest fieri additio, est cognitio perfectissima possibilis haberi de re, perfectum enim est cui nihil deest, ut patet. Sed ex conceptu aggregato ex omnibus possibilibus de Deo cognosci, colligitur cognitio de Deo, cui ex naturalibus non potest fieri additio; ergo talis conceptus est perfectissimus conceptus possibilis haberi de Deo ex puris naturalibus, et non conceptus entis infiniti.

SCHOLIUM II.

Præmisso notabili de triplici modo conceptus simpliciter simplicis, mere simplicis et multiplicis et de trino actu intelligendi, de quibus late agit in 1. d. 2. q. 7. a n. 21. distinguit infinitum in negativum et positivum; et explicato quid intelligatur per hos terminos, *viator* et *pura naturalia*, quæstioni respondet per quinque conclusiones, quibus docet Deum non posse cognosci a viatore ex puris naturalibus intuitive, neque abstractive conceptu simplici sibi proprio, posse tamen conceptu composito. Ex conceptibus tamen, qui de Deo possunt a viatore naturaliter haberi, perfectissimum esse entis infiniti, non negative, sed positive sumpta infinitate. De his late agit loco proxime citato et quodl. 5.

16. Contra istam opinionem non intendo aliter arguere quam per rationes, quibus conclusionem oppositam, quam intendo tenere, volo probare.

Ad evidentiam ergo istius opinionis sic intendo procedere; cum enim in quæstione ponantur quatuor termini, scilicet *conceptus*, *infinitum*, *viator*, et *ex puris naturalibus* : primo, præmittenda sunt aliqua ad intellectum istorum terminorum, quia qui virtutum nomen ignorant, facile paralogizant *in primo Elenchorum, cap.* 1. Secundo, investigandum est ad quem conceptum, tanquam ad perfectissimum possibilem haberi de Deo ex puris naturalibus, terminatur humana inquisitio, et hoc est principale propositum.

Circa primum, ad evidentiam primi termini : primo videndum est quid intelligatur per *conceptum*. Secundo, videndum est quot modis accipitur conceptus. Tertio, videndum est quot modis potest accipi *concipi proprio conceptu?* Quamobrem ad primum est sciendum, quod cum conceptus non possit accipi nisi per actum rei, necesse est ut principia objecti applicentur intellectui, eo modo quo sufficienter et actualiter terminat actum intellectus.

De secundo est sciendum, quod triplex est conceptus; est enim conceptus simpliciter simplex, est conceptus simpliciter, non tamen simpliciter simplex; et conceptus multiplex, qui nec est simpliciter simplex, nec simplex. Declaratio istorum, conceptus simpliciter simplex est ille, qui non est resolutus in plures conceptus, et talis conceptus correspondet enti et 17. Conceptus triplex. Conceptus simpliciter simplex.

omnibus transcendentibus, conceptus enim entis non est resolutus in plures conceptus. Conceptus simplex, sed non simpliciter simplex, est conceptus per se unus et resolutus in plures, quorum alter sit per se determinabilis, alter per se determinans; aliter non fieret ex eis per se unus; quorum etiam conceptuum particularium alter, scilicet determinabilis sive possibilis, dicitur de conceptu tertio in *quid;* alter autem, scilicet per se determinans, dicitur de eo in *quale*, utrumque tamen est ei æqualis, scilicet et determinabilis et determinans. Ex quo per modum corollarii inferri potest, quod in plus est esse essentiale quam dici in *quid*. Talis autem conceptus, scilicet simplex, non simpliciter simplex, correspondet cuilibet enti perfecto in genere. Conceptus multiplex est conceptus compositus resolutus in plures conceptus, quorum unus non est per se determinabilis; et alter per se determinans, et talis conceptus correspondet toti per accidens, ut est homo albus, vel toti aggregato connaturaliter, sicut est triplex conceptus.

Conceptus simplex.

Conceptus multiplex.

Sed ut conceptus se tenet ex parte objecti, sic definitur triplex, ut se tenet ex parte intellectus est etiam triplex actus intelligendi. Est enim quidam actus intelligendi simpliciter simplex, qui terminatur ad primum simpliciter simplex, quod quidem objectum est tantum distincte cognoscibile, et non confuse. Quod probo, quia quod natum est cognosci distincte, si cognoscatur confuse, quando cognoscitur confuse, aliud non patet intellectui, quam illud quod correspondet notitiæ confusæ; et aliud non latet, quam illud quod correspondet notitiæ distinctæ. Ex hac proprietate sequitur quod est impossibile aliquod objectum cognoscibile solum distincte, cognoscere confuse, nam non est in eo sic aliud et aliud; ergo tale objectum non est cognoscibile primo confuse, postea distincte, vel si distincte cognoscitur, simpliciter cognoscitur, vel simpliciter ignoratur. De illis enim objectis ita loquitur Philosophus 8. Physic. text. 46. et 7. Metaph. c. 60. dicens, quod *Simplicia vel totaliter sciuntur, vel totaliter ignorantur.* Actus autem intelligendi qui determinatur ad objectum simplex, sed non simpliciter simplex, est simplex, sed non simpliciter simplex. Actus etiam determinatus ad objectum multiplex, non est per se unus, sicut nec objectum ad quod terminatur.

Actus intelligendi simpliciter simplex.

Actus intelligendi simplex.

19. Restat modo videre quot modis potest aliquid concipi conceptu proprio? Ubi primo sciendum, quod aliquid concipi conceptu proprio, potest esse dupliciter: Primo, quando objectum sic concipitur sicut existit in natura sua, et non aliter; et iste modus concipiendi aliquid conceptu proprio, est ipsum concipere intuitive. Alio modo potest aliquid concipi conceptu proprio, quando concipitur conceptu, qui convenit rei soli; non tamen concernit talis conceptus actualem existentiam rei, sed abstrahit ab actuali existentia. Et iste modus concipiendi dicitur modus concipiendi abstractivus. Et iste

Aliquid potest concipi conceptu proprio dupliciter, Intuitive et abstractive.

modus duplex cognoscendi maxime patet in potentiis sensitivis, scilicet in visu, qui cognoscit rem tantum ut in se existentem et præsentem, et in imaginatione, quæ imaginatur rem non tantum præsentem, sed etiam absentem. Sed qualiter iste modus cognoscendi sit possibilis ex parte intellectus nostri, et differentia inter utrumque modum, habebitur diffusior sermo infra.

Loquendo autem de secundo modo concipiendi objectum conceptu proprio, adhuc contingit aliquod objectum concipi dupliciter, vel conceptu simplici, vel conceptu composito seu multiplici dupliciter; vel ita quod totalis conceptus correspondeat totali objecto, et particulari parti objecti, velut homo albus; vel ita quod objectum quo concipitur, concipiatur tantum concipiendo objecta partialia, sicuti concipitur mons aureus, concipiendo montem per speciem montis, et aurum per speciem auri; et intellectus postea virtute sua activa componeret istos duos conceptus partiales, sicut facit virtus phantastica.

20. Infinitum dupliciter accipitur. De secundo termino posito in quæstione, scilicet de *infinito*, est dicendum quod *infinitum*, ut dicitur de Deo, potest accipi negative et positive. Quando accipitur negative, tunc est sensus: Deus est infinitus, id est, nullo fine clauditur nec extrinseco, nec etiam intrinseco, cujusmodi sunt genus et differentia, sed omnis finis terminans ejus perfectionem negatur ab eo, et secundum hunc intellectum, *infinitum* dictum de Deo non dicit quid est Deus, sed quid non est; sicut in corporale et ingenitum, de quibus dicit Damascen. lib. 1. cap. 12. quod *Incorporale et ingenitum, et interminatum et similia, non quid Deus, sed quid non est, significant*. Et hoc modo loquendo de infinito. conceptus *infiniti* erit conceptus maxime negativus. Alio modo potest accipi *infinitum* positive; licet enim *infinitum* secundum nomen significandi dicatur negative cum negatione finiti, tamen ut dicitur de Deo, significatur primo, et significari intenditur aliquid realiter positum. Quicumque enim dicit infinitum Deum, intendit quod dignitatis et perfectionis est significare in Deo. Unde per *infinitum* intenditur significari illud poni in perfectione divina, ad quod consequitur exclusio sive negatio cujuslibet termini et finis tam intrinseci quam extrinseci. Per *infinitum* enim dictum de Deo intelligitur illud significare, quo Deus omne infinitum excedit, quod non potest esse negatio tantum, sed necessario est aliquid positivum maximæ dignitatis et perfectionis. Quod autem talia positiva et tales perfectiones significentur per nomina negativa, hoc est, quia talia positiva et tales perfectiones sunt nobis magis ignotæ quam eorum contraria, et ideo talia positiva significamus per nomina negativa, et eorum contraria significamus per nomina positiva.

De termino tertio, scilicet *viatore*, est sciendum quod per *viatorem* intelligo hominem nihil in se habentem, nec simpliciter, nec pro aliquo instanti, quod repugnet statui viæ, vel ponat hominem extra 21. Quid intelligatur per nomen viatoris.

statum viæ. Per *cognitionem* autem *possibilem haberi ex puris naturalibus* intelligo præcise per *pura naturalia,* causas naturales et naturaliter activas respectu intellectionis, cujusmodi sunt intellectus, secundum ponentes intellectum totaliter causam intellectionis universalium, vel ponentes intellectum totaliter passivum, vel utrumque. Secundum magis credo, circumscripta omni speciali influentia, stante sola generali influentia, quæ requiritur ad omnem effectum inferiorem causæ secundæ.

22. His præmissis, ad intellectum terminorum quæstionis, est secundo investigandum, ad quem conceptum, tanquam perfectissimum possibilem haberi a viatore ex puris naturalibus de Deo, terminatur investigatio humana? Ad cujus evidentiam declaro quinque conclusiones, tres negativas et duas affirmativas. Tres negativæ sumuntur ex declaratione tertii termini, quarum prima est : Ex puris naturalibus non potest haberi proprius conceptus de Deo, quo concipitur res ut existens, et ut præsens in sua existentia. Hoc probatur sic : Nullus conceptus potest haberi de Deo a viatore, qui ponit viatorem extra statum viæ, (ista patet ex declaratione tertii termini quæstionis) sed conceptus quo concipitur Deus ut existens, et ut præsens in sua existentia, ponit viatorem extra statum viæ; ergo talis conceptus non potest haberi de Deo a viatore. Minor probatur, quia cognitio, qua cognoscitur Deus ut existens, et ut præsens in sua existentia, est nuda et aperta visio Dei; nuda autem et aperta visio Dei ponit hominem extra statum viæ.

Prima conclusio. Deus a viatore non potest cognosci intuitive ex puris naturalibus.

Secundo probatur eadem conclusio sic : Talis conceptus non potest haberi de re, nisi re existente præsente secundum naturam suam apud intellectum, nec est secundum se naturaliter motivus intellectus nostri ; igitur a viatore ex principiis naturalibus non potest Deus cognosci conceptu proprio, quo cognoscitur res intuitive.

Secunda. Neque conceptu simplici sibi proprio.

Secunda conclusio est ista, quod Deus a viatore ex puris naturalibus non potest cognosci conceptu simplici, abstractive. Conclusio ista probatur sic : Quando aliquid cognoscitur conceptu proprio et simplici, talis conceptus est causatus ab eo, quod sic cognoscitur : sed Deus non causat naturaliter conceptum sui in intellectu nostro; ergo Deus a viatore ex puris naturalibus non potest cognosci conceptu simplici.

Objectio.

Si dicas quod Deus a viatore ex puris naturalibus potest concipi conceptu simplici, proprio sibi, causato tamen in intellectu nostro a creatura :

Solutio.

Contra, quod nullus conceptus simplex proprius Deo, possit causari in intellectu nostro ab objecto creato, probo sic : Nullum objectum causat conceptum simplicem alterius objecti nisi contineat illud virtualiter vel formaliter, sicut inferius continet superius virtualiter, sicut subjectum continet propriam passionem. Sed nullum objectum creatum continet isto modo, nec illo, Deum, imo contra rationem posterioris est

sic continere suum prius ; ergo per nullum objectum creatum potest causari in intellectu nostro conceptus simplex proprius ipsi Deo ; sed si Deus in intellectu nostro possit de se ipso causare talem conceptum, non nego, sed nihil est ad propositum.

23. Tertia conclusio. Potest tamen conceptu composito.

Tertia conclusio est : A viatore ex puris naturalibus potest haberi de Deo conceptus compositus et multiplex proprius ipsi Deo. Hæc conclusio declaratur sic : de Deo potest haberi a viatore ex puris naturalibus conceptus proprius, accipiendo *proprium*, quod convenit omni et soli, quo distinguitur ab omni alio. Ista est manifesta : sed talis conceptus non causatur a Deo, cum non sit naturaliter notus intellectui nostro, nec potest a creatura creari conceptus simplex proprius Deo ; ergo oportet quod conceptus proprius de Deo, quo cognoscitur ex creaturis, sit conceptus multiplex et compositus ex pluribus conceptibus sumptis ex diversis ex perfectionibus repertis in creaturis, ut ab hoc bono et illo abstrahendo conceptum boni, et ab hoc albissimo et illo possum abstrahere intellectum summi albi ; et sic componendo istos conceptus ad invicem, formabit intellectus unum conceptum nulli convenientem nisi soli Deo, nec alio modo potest Deus secundum conceptum sibi proprium naturaliter cognosci a nobis pro statu isto.

Quarta conclusio. Conceptus infiniti negative non est omnium perfectissimum.

Quarta conclusio, quæ magis accedit ad principale propositum, est ista : quod accipiendo *infinitum* negative, sicut declarabatur in declaratione secundi termini, conceptus entis infiniti non est conceptus perfectissimus possibilis haberi de Deo a viatore ex puris naturalibus. Ista conclusio declaratur sic : Conceptus quo cognoscitur quid non est res, non est ita perfectus, sicut conceptus quo cognoscitur quid est res ; conceptus enim negativus ut negativus mere nihil perfectionis dat, negatio enim ita potest dici de non ente sicut de ente ; sed plures conceptus possunt haberi de Deo, quibus cognoscitur Deus positive, puta, quod est intelligens, quod est volens ; igitur conceptus entis infiniti, (accipiendo *infinitum* mere negative) non est perfectissimus conceptus possibilis haberi de Deo a viatore ex puris naturalibus.

Quinta conclusio principalis est ista, quod perfectissimus conceptus possibilis haberi de Deo a viatore ex puris naturalibus, et ad quem ultimate terminatur investigatio humana, est conceptus entis infiniti, accipiendo *infinitum* positive, sicut expositum est in declaratione secundi termini, et sicut exponetur in minore primæ rationis ad conclusionem istam. 24. Est tamen positive.

Hæc conclusio probabitur, sed in probando eam sic procedam : primo ostendam quod conceptus entis infiniti est perfectior quocumque conceptu respondente perfectioni attributali. Secundo ostendam quod est perfectior quocumque conceptu, quo cognoscitur Deus in ordine ad extra. Tertio ostendam quod est perfectior conceptu quocumque, quo etiam videtur Deus cognosci per perfectiones sibi intrinsecas, cujusmodi est, Deum esse intellec-

tum, vel intelligentem in abstracto; et loquor de cognitione possibili haberi de Deo a viatore ex puris naturalibus, quæ tantum habetur per conceptus sumptos ex perfectionibus creaturarum.

Conceptus entis infiniti est perfectior conceptu perfectionis attributalis. Probatur primo.

Primum probo sic: Ille conceptus est perfectior quo cognoscitur aliquod subjectum secundum gradum perfectionis suæ sibi intrinsecum, quam ille quo cognoscitur tantum secundum perfectionem aliquam sibi accidentalem. Ista est manifesta: magis enim per primum conceptum, scilicet per illum quo cognoscitur subjectum secundum gradum perfectionis sibi intrinsecum, explicatur natura, quam explicetur per conceptum quo cognoscitur tantum secundum quamdam perfectionem sibi quasi accidentalem; sed cognoscendo Deum conceptu entis infiniti, cognoscitur ipse Deus secundum gradum perfectionis sibi intrinsecum; cognoscendo autem Deum conceptu quocumque correspondente perfectioni attributali, cognoscitur Deus tantum secundum quasdam perfectiones sibi quasi accidentales, et constituentes eum in *esse* secundo; igitur conceptus entis infiniti est perfectior quocumque conceptu correspondente cuicumque perfectioni attributali, et hæc est ratio contra utramque opinionem. Major istius rationis est declarata. Minor est manifesta quantum ad unam partem, scilicet quod concipiendo Deum conceptu correspondente perfectioni attributali, cognoscitur secundum perfectionem quasi sibi accidentalem, et ipsum in *esse* secundo constituentem. Sed alia pars, scilicet quod infinitum non dat talem perfectionem attributalem secundum gradum perfectionis intrinsecum ipsi Deo, non est ita manifesta, imo negatur ab adversario. Probo ergo quod *infinitas* non dicat perfectionem attributalem in Deo, sed gradum perfectionis intrinsecum, sic: Illud quod inest alicui, circumscribendo omne illud, quod dicit proprietatem vel quasi passionem ejus, non dicit perfectionem accidentalem, nec quasi accidentalem ejus; sed est modus ejus, et gradus intrinsecus, et magis intrinsecus, quam quæcumque proprietas, vel perfectio ejus quasi accidentalis: sed intellecta essentia divina, circumscripta ab ea omni proprietate, vel quasi passione, adhuc essentiæ divinæ convenit *infinitas*, quia non potest dici quod ei conveniat finitas; ergo *infinitas* in Deo non dicit aliquam proprietatem, nec quasi passionem essentiæ divinæ, sed gradum perfectionis intrinsecum ipsi essentiæ divinæ.

Item, et est secunda ratio et confirmatio minoris præcedentis rationis: Illud quod circumscripta omni proprietate ejus vel quasi passione, habet ordinem essentialem ad essentiam, includit aliquem gradum perfectionis; ordo enim essentialis inter entia, et maxime excedentis ad excedens, attenditur penes gradus perfectionis in ipsis ordinatis; sed circumscripta ab essentia divina omni proprietate vel quasi passione, adhuc essentia divina excedet in perfectione alia entia; circumscriptis enim ab ho- 35. Secundo.

mine omnibus proprietatibus vel passionibus, adhuc homo in perfectione excederet asinum scilicet in rationalitate; ergo circumscripta ab essentia divina omni proprietate vel quasi passione, essentia divina dicit gradum perfectionis sibi intrinsecum non finitum; sequitur ergo evidenter quod conceptus entis infiniti est conceptus magis intrinsecus essentiæ divinæ, quam sunt conceptus proprietatum vel quasi passionum essentiæ divinæ, cujusmodi sunt omnes conceptus correspondentes perfectionibus attributalibus, et per consequens est perfectior, et perfectiori modo cognoscitur Deus, cognoscendo ipsum sub conceptu entis infiniti quam sub conceptu correspondente cuilibet perfectioni attributali principali.

26. Est perfectior conceptu rerum ad extra in Deo. Probatur primo.

Secundum, scilicet quod conceptus entis infiniti sit perfectior quocumque conceptu habito de Deo in ordine ad extra, probatur primo sic; quando duo conceptus sic se habent quod ex uno demonstrante quasi concluditur alius, perfectior est ille conceptus qui concluditur ex alio, quam ille ex quo concluditur; in omni enim tali demonstratione proceditur ab effectu ad causam, vel ab imperfectiori ad perfectius; sed ex quo Deus est causa, in quocumque genere causæ tanquam ex posteriori, concluditur ipsum in se et ad se esse perfectum; et ex hoc quod potest causare infinita vel terminare, de providentia infinitorum, tanquam a posteriori, concluditur ipsum esse infinitæ perfectionis, sicut patet declarando modum, quo Philosophus *in* 8. *Physicorum* probat ipsum esse infinitæ perfectionis, licet non curem modo utrum illæ rationes concludant, vel non. Ergo conceptus quo concipitur Deus, ut ens infinitum, est prior, et per consequens perfectior conceptu quo cognocitur ut causa, vel sub quocumque alio conceptu concludente respectum ad extra.

Idem etiam probat ista ratio generaliter, quod quicumque conceptus ad se habitus de Deo, est perfectior quocumque conceptu concludente respectum ad extra, sic : Conceptus correspondens perfectioni simpliciter, est perfectior conceptu correspondente alicui includenti aliquid, cui repugnat perfectio simpliciter : sed conceptus quicumque ad se habitus de Deo, et dictus de eo formaliter, correspondet perfectioni simpliciter; nihil enim dicitur formaliter de Deo, quod non dicit perfectionem simpliciter ; conceptus autem habitus de Deo, ut dicit respectum ad extra, correspondens alicui creaturæ, repugnat perfectioni simpliciter; igitur conceptus infiniti, qui correspondet perfectioni simpliciter, est perfectior quocumque conceptu habito de Deo, dicente respectum ad extra. Secundo.

Quod autem conceptus habitus de Deo, ut dicit respectum ad extra, includat aliquid, cui repugnat ratio perfectionis simpliciter, probatur sic : Enti rationis, cum sit ens diminutum et imperfectum, repugnat ratio perfectionis simpliciter : sed conceptus correspondens Deo in ordine ad extra correspondet enti rationis, quia respectus qui

convenit Deo ad extra, est respectus rationis, et ens rationis tantum, ut declarabitur infra; ergo conceptus quo cognoscitur Deus in ordine ad extra, correspondet enti cui repugnat perfectio simpliciter; quocumque ergo conceptu cognoscitur Deus in ordine ad extra, imperfectius cognoscitur quam cognoscendo ipsum sub conceptu entis infiniti, vel sub alio conceptu ad se.

27. Perfectior etiam conceptibus perfectionum intrinsecarum.

Tertium quod conceptus entis infiniti sit perfectior conceptibus, qui videntur correspondere perfectionibus intrinsecis ipsius essentiæ divinæ, probatur sic : Ille conceptus qui virtualiter plures includit, qui magis excludunt omnem potentialitatem, est magis perfectus quam ille qui pauciores includit qui non excludunt omnem potentialitatem ; sed conceptus entis infiniti ex ratione infiniti præcise plures includit, sicut enim ens virtualiter includit verum, bonum, et similia, sic ens infinitum virtualiter includit verum infinitum, bonum infinitum, et magis excludit omnem potentialitatem et compossibilitatem, quam quicumque alius possibilis haberi de Deo a viatore; ergo conceptus entis infiniti est simpliciter perfectior conceptus possibilis haberi de Deo a viatore ex puris naturalibus. Probatur, nam de ratione infiniti in perfectione est esse idem omni modo indentitatis possibilis cuicumque possibili, et per consequens infinitum excludit omnem potentialitatem; nihil enim componit cum aliquo, quod est idem sibi omni modo possibile, alioquin idem componeret cum se ipso; et etiam includit omnem conceptum dicentem perfectionem simpliciter, vel correspondentem perfectioni simpliciter, quia sunt sibi compossibiles in eodem : sicut enim ens includit virtualiter verum, bonum et similia, sic ens infinitum virtualiter includit verum infinitum, bonum infinitum ; nullus autem conceptus alius ex ratione sua formali habet includere omnem alium virtualiter, nec excludere omnem potentialitatem ; igitur conceptus entis infiniti est perfectissimus conceptus possibilis haberi a viatore ex puris naturalibus. Minor ista patet discurrendo per singulos conceptus alios, a conceptu infiniti.

Probatur primo.

Item, ille conceptus est aliis perfectior, qui ultimo cognoscitur demonstratione *quia* ex creaturis : sed talis est conceptus entis infiniti, de ente enim infinito ultimo demonstratur esse demonstratione *quia;* ergo conceptus entis infiniti est conceptus perfectissimus possibilis haberi de Deo a viatore ex puris naturalibus. Major probatur, cum enim naturaliter non cognoscamus Deum nisi ex creaturis, quanto conceptus remotior est a creaturis, tanto est difficilior ad cognoscendum. et tanto posterius cognoscitur tanquam perfectior et magis abstractus. Minor declaratur diffuse et prolixe *in dist.* 2. *primi libri*, ubi ex illa ratione habetur magna via solvendi omnes rationes alterius opinionis. Nam omnes rationes, quæ probant quod conceptus quo concipitur Deus, ut prima causa, ultimus finis et primum perfectione, et, ut breviter dicam, 28. Secundo.

omnis conceptus quo concipitur Deus in ordine ad extra nihil valent, quia cum talia cognoscantur de Deo demonstratione *quia*, ex uno relativo statim cognoscitur reliquum; nullus talis conceptus potest esse conceptus perfectissimus, possibilis haberi de Deo a viatore ex puris naturalibus; sed ille erit perfectior, qui posterius demonstratione *quia* cognoscitur ex talibus conceptibus, quibus cognoscitur Deus in ordine ad extra.

Ulterius, cum conceptus abstractus possibilis haberi de Deo ex creaturis, sit magis communicabilis creaturis quam conceptus infiniti in perfectione, includentis virtualiter omnem perfectionem, sequitur quod conceptus *infiniti* est remotior a creaturis quam aliquis alius, et per consequens posterius cognoscibilis a viatore ex puris naturalibus quam alius, et per consequens perfectior omni alio possibili haberi a viatore ex puris principiis naturalibus, quod est principale propositum.

SCHOLIUM III.

Respondet succincte primo ad argumentum principale positum in initio quæstionis. Secundo ad tredecim argumenta Joannis a Monte S. Eligii, pro prima conclusione ejusdem. Tertio ad rationes et confirmationes adductas pro conclusione secunda; et inter respondendum multa breviter tangit, quæ viam aperire possint ad multarum difficultatum faciles solutiones.

29. Ad unicum argum. principale.

Quoad rationes ad aliam partem, quia magistrales sunt, volo discurrendo respondere ad singulas. Ad primam, quando arguebatur ad principale sic : conceptus, quo cognoscitur Deus trinus et unus, est perfectior conceptu entis infiniti, licet posset hìc dici quod ista est falsa, inquantum ille conceptus concipitur de Deo, ex creaturis, sicut alias declarabitur, tamen non curetur admitti. Sed quando dicit in minori, talis conceptus est possibilis haberi ex puris naturalibus, accipiendo istum conceptum ut est mere creditus, nego; dum autem additur ad probandum quod qui potest naturaliter cognoscere unum relativum, potest naturaliter cognoscere reliquum, nego. Deinde dum dicitur : naturaliter potest cognosci respectus imaginis fundatus in anima nostra ad Deum trinum et unum, nego. Dum probatur, quia talis respectus continetur sub objecto primo intellectus nostri, respondeo, dico quod entitas respectus dependet a duabus causis, scilicet a fundamento et termino : unde respectus imaginis dependet ab anima nostra sicut a fundamento, et a Deo sicut a termino; licet ergo respectus imaginis sit cognoscibilis ab intellectu nostro inquantum dependet ab anima nostra quæ est ejus fundamentum, quia tamen alia ejus causa, scilicet Deus, non est naturaliter cognoscibilis, hinc est quod nec respectus imaginis est naturaliter cognoscibilis ab intellectu nostro. Licet ergo fortassis anima nostra secundum illud quod est sic naturaliter cognoscibile a nobis (quod tamen negaret Thomas ponens primum objectum intellectus nostri *quod quid est* rei materialis) tamen anima nostra, ut fundaret respectum imaginis ad Deum trinum et

Thom. 1. p. q. 5. art. 2. et q. 12. art. 4. et q. 85. art. 2.

unum, non est naturaliter cognoscibilis ab intellectu nostro, quia ejus terminus non est naturaliter cognoscibilis.

30. Ad primum argum. primæ opinionis num. 4. Ad primum pro opposito, quando arguitur sic : Conceptus quo cognoscitur res secundum *esse* primarium, etc. oncedo : sed concipiendo Deum ut ens infinitum, concipitur secundum *esse* secundarium, nego; et oppositum hujus probatum est in quæstione, conclusione quinta. Tamen ad declarationem istius rationis, et solutionem minoris, est sciendum quod *infinitum* non tantum dicit gradum perfectionis intrinsecum naturæ divinæ, ut prius concipitur omni ratione attributali, sed etiam dicit modum perfectionis intrinsecum cujuslibet perfectionis attributalis. *Infinitum* ergo, ut dicit modum perfectionis intrinsecum, bene dicit perfectionem quasi accidentalem, sicut illud cujus est gradus intrinsecus. Unde *infinitas*, ut dicit gradum intrinsecum sapientiæ, dicit perfectionem quasi accidentalem, sicut sapientia, et ita de aliis : sed *infinitum*, ut dicit gradum perfectionis substantialis intrinsecum essentiæ, non dicit perfectionem quasi accidentalem essentiæ divinæ, imo convenit ei, ut declaratum est in quinta conclusione, circumscribendo ab essentia divina omnem proprietatem, vel quasi passionem; et per hoc patet ad rationem, quantum ad ejus probationem, et quantum ad confirmationem, si scias aliquid applicare.

Ad secundum. Ad secundum, concedo majorem, nego minorem. Tu probas quod infinitas sic attribuitur : concedo majorem probationis, nego minorem quantum ad hoc quod dicit, quod pertinet ad aliud genus a Substantia ipsa infinitas.

Ad Augustinum dico quod non ponit illud nomen *infinitum*, vel si sic, potest dici quod accipit ibi *infinitum* non pro gradu intrinseco essentiæ divinæ, sed aliarum perfectionum attributalium.

31. Ad tertium. Ad tertium concedo majorem, nego minorem, et totam ejus declarationem, quia pono quod nullus conceptus in via potest haberi naturaliter, ex quo *propter quid*, concludatur Deum esse infinitum ens : unde quod dicit ex conceptu quo concipitur ens primum et substantia prima, concluditur *propter quid* ipsum esse infinitum, patet per supradicta quod falsum est; quia esse primum dicit respectum ad extra, et per consequens est primum conceptibile ex creaturis et imperfectius.

Ad quartum. Ad quartum concedo majorem, nego minorem, et ratio tacta est in solutione tertii.

Ad quintum. Ad quintum, major est vera, minor et ratio ejus est ex deductione falsa; quia cognoscendo Deum ut ens infinitum, sicut patet per supradicta, distinctius et perfectius, et magis in particulari concipitur, quam concipiendo ipsum quocumque alio conceptu habito ex creaturis, et ad istum tanquam ad distinctissimum, et simpliciorem, et perfectiorem terminatur inquisitio humana.

Ad sextum. Ad sextum dico, quod optima, delectabilissima et distinctissima est ratio infinitatis.

32. Ad septimum. Ad septimum, major est nota :

sub illa majore sumatur illa minor, conceptus entis infiniti inter conceptus possibiles haberi a viatore est hujusmodi, et tunc sequitur oppositum conclusionis suæ. Minor autem ista est declarata in conclusione quinta. Tu dicis : conceptus entis infiniti non est talis, sed conceptus *qui est*, quia sic nominavit se Deus. Dico quod ad conceptum illum, quo concipiebat se Deus, quando sic se nominavit, non possumus ex puris naturalibus attingere. Unde bene concedo quod aliquis conceptus est perfectior conceptu entis infiniti, ut conceptus essentiæ divinæ et hujusmodi : sed talis non est nobis possibilis ex puris naturalibus, nec secundum talem conceptum est nobis naturaliter cognoscibilis, quia talis conceptus non potest in nobis causari ex creaturis, sed tantum ab ipsa essentia divina, quæ non est objectum naturaliter motivum intellectus nostri, sed voluntarium, quia si vult videtur, si non vult non videtur.

Ad octavum. Ad octavum concedo quod ratio Deitatis ut *hic*, sub qua ponitur Deus subjectum Theologiæ, est perfectior et prior alia, sed ad illam non possumus ex puris naturalibus attingere.

Ad confirmat. Ad confirmationem, concedo quod ratio illa, et conceptus ille quo concipit se Deus, et quo concipitur ab objecto, est perfectior conceptu entis infiniti, sed talis non est nobis possibilis ex puris naturalibus.

33. Ad nonum. Ad nonum, concedo majorem, et sumendo sic minorem *conceptus entis infiniti est hujusmodi*, concluditur conclusio vera ; sumendo autem minorem sicut sumimus, nego eam ; impossibile est enim quod aliquid sit ens infinitum in perfectione, et non sit Intelligentia prima ; sed forte saltem evidens contradictio non implicatur, quod sit Intelligentia prima, et non sit infinita in perfectione intensiva, et puto quod hoc posset ostendi ex intentione Philosophi.

Ad decimum. Ad decimum, concedo majorem, quando conceptus alicujus naturæ, ut *hæc*, est ita naturaliter possibilis haberi, sicut conceptus modi istius naturæ. Nunc autem conceptus istius modi, scilicet *infiniti*, non ita impossibilis est haberi naturaliter, quia ex creaturis ; conceptus autem naturæ divinæ, ut *hæc*, non est possibilis haberi ex creaturis. Quando vero dicitur quod conceptus entis infiniti est perfectissimus, intelligitur de possibilibus haberi ex puris naturalibus.

34. Ad undecimum. Ad undecimum, procedit ab auctoritate negative. Puto quod Philosophus in libro 12. Metaph. non terminavit inquisitionem possibilem haberi de Deo : dato tamen quod ita sit, non sequitur, Philosophus non dixit talem conceptum esse perfectissimum ; ergo non est perfectissimus. Sequitur tamen aliquando quod ex puris naturalibus multi Catholici Doctores perfectiorem conceptum habuerunt de Deo, quam aliquis Philosophus.

Ad duodecimum. Ad duodecimum, patet ex supradictis quod conceptus quo concipitur Deus, ut causa finalis, efficiens, et hujusmodi, cum dicant respectum ad extra, non est perfectissimus conceptus possibilis haberi de Deo ex puris naturalibus a viatore.

Ad ultimum. Ad ultimum, quantum ad conclusionem primam, patet quod concipiendo Deum esse Intelligentiam ex anima nostra, non concipitur conceptu perfectionis possibilis haberi de Deo ex puris naturalibus.

35. Respondetur ad ea quæ dicta sunt in concl. 2. num. 14. Quantum ad secundam conclusionem, dico quod conceptus entis infiniti est perfectior, et perfectius concipitur Deus isto conceptu, quam concipiendo ipsum conceptu aggregante omnes alios possibiles haberi de ipso. Et potest hoc probari tali ratione : Perfectiori conceptu concipitur subjectum, quando concipitur conceptu correspondente perfectioni intrinsecæ, et essentiali ipsius subjecti, quam concipitur quando concipitur conceptu aggregante omnes conceptus correspondentes proprietatibus, vel quasi passionibus ejusdem subjectis ; magis enim distincte, et magis secundum naturam suam concipitur, quando concipitur secundum gradum suæ perfectionis sibi intrinsecum, quam quando concipitur secundum omnes proprietates, vel quasi passiones ejusdem subjecti ; sed concipiendo Deum conceptu entis infiniti, concipitur secundum gradum perfectionis suæ sibi intrinsecum : concipiendo autem conceptu aggregante omnes alios possibiles haberi naturaliter, concipitur secundum gradum proprias passiones ; ergo conceptus entis infiniti est perfectior conceptu composito, et aggregante omnes conceptus possibiles haberi ex naturalibus.

Ad primam rationem pro prædicta conclusione. Ad rationes alterius opinionis contra conclusionem istam. Ad primam, quando dicitur quod conceptus talis compositus magis adæquat naturam divinam, quam conceptus entis infiniti ; nego. Tu probas, quia conceptus entis infiniti sumitur ex una perfectione reperta in creatura ; dico quod falsum est, sed sumitur ex infimo et supremo gradu perfectionis cujuslibet repertæ in creaturis.

Ad confirmationem de conceptu divisivo, dico quod magis explicat naturam divinam conceptus entis infiniti, ut patet ex dictis, quam conceptus aggregans alios conceptus. 36. Ad confirm. primam.

Ad secundam. Ad alteram confirmationem dico, quod magis quietatur intellectus in conceptu entis infiniti, quam in omnibus aliis simul sumptis, isto circumscripto.

Ad rationem secundam. Ad secundam dico, quod cognitioni habitæ de Deo sub conceptu entis infiniti, ut Deus naturaliter a nobis est cognoscibilis, non potest fieri additio ; ideo cognitio habita de Deo sub conceptu entis infiniti, est perfectissima. Igitur sic patet quod sive comparetur conceptus entis infiniti ad alium conceptum per se unum, sive ad conceptum compositum, aggregantem in se omnes potentiales alios conceptus haberi de Deo ex naturalibus, est simplicior, prior et perfectior, etc.

QUÆSTIO VI.

Utrum per sacram Scripturam possit efficaciter probari finalis salus Salomonis?

Cyprian. *epist.* 7. Prosper *part.* 2. *de prædict. c.* 27. Glossa *in illud Isaiæ.* 2. *Idola conterentur* Lyra *Proverb.* 30. *et peculiari de hac re quodlibeto, quod citat in comment. ad* 2. *Reg.* 7. ubi etiam Petrus Comestor, Joann. Major. *in c.* 1. Matth. Alvar. Pelag. *lib.* 2. *de planctu Eccles. c.* 45. Jacobus de Valen. et Ludov. de Soto, Major *in præfat. ad Cant.* Arbor. *lib.* 17. *Theosophiæ c.* 7. Abulen 2. *Reg.* 7. *q.* 13. Joan. Capistran. *lib. de auctorit. Papæ.* Vega *in Trident. lib.* 12. *c.* 2. Perer. *in epist ad Rom. cap.* 8. *disp.* 27. Delrius *in præfat. ad Cant.* Barrad. *tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 9. Joan. Pineda, qui diffusissime et doctissime dubium hoc expendit *lib.* 8. *de rebus Salomonis, et pro salute ejus ultimam fert sententiam.*

1. Argum. negativum. Videtur quod non, quia *Dei perfecta sunt opera*, Deut. 32. et sacra Scriptura perfectissima est, quæ a Deo speciali modo est, scilicet per revelationem; si igitur salvatus fuisset, Scriptura expresse loqueretur de ejus pœnitentia, sicut expresse loquuntur de ejus peccato: hoc non facit; ergo falsum est quod sit salvatus.

Affirmativum. Contra, 88. Psalmo; *visitabo in virga iniquitates eorum*, etc. sequitur, *misericordiam autem meam non auferam ab eo*, etc. et loquitur de filiis David in generali, specialiter autem de Salomone; ergo, etc.

2. Respondeo, hoc est altius aliquantulum inchoandum; et quæro primo, quæ sit Scriptura sacra, cujus auctoritas sit probatio necessaria? Secundo, qualiter per eam aliquid probatur? Tertio, quibus? Quarto, de certitudine hujus probationis; et quinto, si talis probatio se extendat ad salutem Salomonis.

SCHOLIUM I.

Divisa quæstione in quinque partes, in prima tractat quæ sit sacra Scriptura? quanta sit ejus auctoritas? unde dicatur Canonica? dubitat an omnes veteris Testamenti libri habendi sint pro Canonicis? et demum insaniam refellit Manichæorum, qui totum Testamentum vetus tanquam a Deo malo, vel a diabolo traditum effinxerunt. Hæc ferme omnia Doctor breviter perstrinxit in quæstione secunda prologi scripti Oxoniensis. Quod dubitaverit de auctoritate librorum Judith, Tobiæ, Sapientiæ, etc. nihil mirum, cum Hieronymus constitutus tanquam discretor et judex librorum sacrorum a Gelasio Papa in cap. *Sancta Romana*, in prologo Galeato et in præfatione ad libros Salomonis, eos inter apocrypha connumeret, et ante eum et sequentibus sæculis fuerint viri doctissimi, qui de auctoritate illorum dubitarent, etsi tanquam utiles ad instructionem morum in Ecclesia legi permitterentur. Attamen nunc inter Canonicos enumerantur, et tales esse declaravit Conc. Trid, sess. 4. neque immerito, cum multa Concilia ex eis fidei dogmata comprobarint, et in omnibus sæculis ex Patribus et Doctoribus multi eos pro canonicis acceptaverint et citaverint, quorum testimonia citant Medina lib. 6. de fide c. 9. Sixtus Senens. lib. 8. Bibliothec. Bellarm. lib. 1. de verbo Dei scripto cap. 10. De hac controversia latius agunt Canus lib. 11. de locis, Lorca de virtutibus Theolog. tractat. peculiari de locis Cathol. disp. 3. mem. 3.

Circa primum sic dico, quod Scriptura sacra proprie dicitur illa, cujus auctoritas tanta est, quod præcellit omnem demonstrationem; de qua dicit Augustinus 2. super Genesim ad litteram cap. 9. *Major est hujus Scripturæ auctoritas, quam omnis humani ingenii perspicacitas.* Talis autem est Scriptura quæ Canonica a Sanctis nominatur; *canon* enim regula dicitur, quia ipsa est infallibilis regula, ut quidquid in 3. Quanta sacræ Scripturæ auctoritas. Augustinus.

ea teneatur indiscusse teneatur, et quidquid in ea teneatur quod sibi repugnet, ut falsum repudietur. Ab ista autem excluditur Scriptura sacrorum Doctorum beati Augustini et aliorum multorum, et multo magis Philosophorum. Unde dictus Augustinus dicit in epistola 48. ad Vincentium arguentem sibi ex dictis Hilarii, qui ante eum fuerat Doctor valde solemnis, dicens sic : *Hoc genus litterarum ab auctoritate Canonis distinguendum est, non enim ita leguntur tanquam ex eis sic testimonia proferantur, ut contra sentire non liceat, si tibi aliter sapiunt quam veritas expostulat ; in eo quippe numero sumus, ut non dedignemur etiam nobis dictum ab Apostolo recipere, et si quid aliud sapit, illud quoque Deus nobis revelabit.* Item, in epist. 9. ad Hieronymum : *Solis eis Scripturarum libris, qui Canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, ut nullum Doctorem eorum scribendo errasse firmiter credam : alios autem ita lego, ut quanta licet sanctitate præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita scripserunt.* Et ideo ista auctoritas ad scriptores veteris et novi Testamenti restringitur. Sed nec tamen ad totam, quia liber Judith, Tobiæ, Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum, non sunt de Canone,ut dicit Hieronymus in prologo Galeato, qui licet inter divinos libros numerentur, ut dicit Isidorus 16. Etymologiarum, hoc est, quia ab Ecclesia recepti sunt, et approbati ad legendum in Ecclesia, ad morum informationem, non autem ad dubiorum confirmationem vel determinationem, quia, ut dicit Hieronymus citatus, auctoritas eorum ad probandum ea, quæ in contentionem veniunt minus idonea reputatur.

Augustinus.

Augustinus. Habetur in can. d. 9. cap. si ad.

An omnes libri Bibliorum sint canonici.

Isidorus.

Fuerunt aliqui, ut Manichæi, qui totum vetus Testamentum ab hac auctoritate repellere voluerunt, dicentes quod a Deo malo, vel diabolo fuerit datum, quia promittit bona carnalia, talia autem a diabolo dicunt esse. Sed falsitas hujus patet, quia ista Scriptura retrahit a cultu idololatriæ, et inducit efficaciter ad cultum unius Dei, quod non facit diabolus. Item, Christus qui est auctor novi Testamenti, et Apostoli et Evangelistæ allegant Scripturam illam tanquam sacram, et a Deo datam. Et amplius probatur, quia ista erat dispositio ad novam, et ad Christum, ut dicit Apostolus ad Galat. 3 : *Lex pedagogus noster fuit in Christo*, ab eodem autem agente est dispositio ad formam, et ipsa forma licet alio modo, quia dispositionem aliquando per alium inducit, formam per se inducit, sicut patet de architecto, qui disponit ligna per manum artificis, sed formam inducit per se ipsum, ut dicitur *primo magn. Moral. cap. ultimo.* Sic Deus vetus Testamentum dedit per Angelum, sed novum per seipsum ; propter quod dicitur Hebr. 1. *Novissime diebus istis locutus est nobis in Filio,* etc. qui est unus Deus cum ipso, ut statim sequitur, *qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus,* etc. Sic igitur sacra Scriptura, per quam aliquid probari potest, ut per regulam infallibilem, est novum Testamentum et vetus, exceptis libris prædictis, et sic patet primum.

Error Manichæorum de veteri Testamento.

SCHOLIUM II.

Multiplicis hujusmodi sensus sacræ Scripturæ hoc ipsum exemplum civitatis Jerusalem adducit Lyranus in prologo commentariorum ad Testamentum vetus, quo etiam alii plerumque utuntur. Hanc sensuum divisionem sub his vocibus et numero primus, quem sciam, tradidit Eucherius in formulis spiritualibus, et invenitur apud Cassian. collat. 14. cap. 8. a quibus demum Theologi acceperunt, et aliquis his versibus comprehendit,

Littera gesta docet, quid credas Allegoria :
Moralis quid agas, quo tendas Anagogia.

An vero, quod hic Doctor negat, efficax desumi possit argumentum ab alio sensu præter litteralem, multi disputant. Vide Lyran. prologo 2. et Lorcam citatum disp. 18. De iis autem, qui varias sacræ Scripturæ partes rejiciunt, quod tertio loco hic auctor admonet, vide Sixtum Senen. lib. 7. Bibliothec. de his late disserentem, et Scotum quæst. 2. prologi, num. 2. breviter attingentem.

4. De vario sensu sacræ Scripturæ.

Circa secundum, sciendum quod sacra Scriptura habet duplicem sensum, scilicet litteralem, qui primus est; et spiritualem seu mysticum, et iste dividitur in tres : Allegoricum, Tropologicum seu moralem, et Anagogicum. Litteralis significat quasi rem gestam; Moralis autem seu Tropologicus, est quando ex re gesta significatur quid agendum sit in moribus. Allegoricus autem, quantum ad ea quæ credenda sunt. Anagogicus quantum ad speranda, sicut patet in hoc nomine *Jerusalem*, quod in sensu litterali significat civitatem unam in terra promissionis; secundum moralem, animam sanctam; secundum Allegoricum, Ecclesiam militantem; secundum Anagogicum, triumphantem. Tamen solum potest argui aliquid, seu probari ex sensu litterali. Unde Augustinus in epist. ad Vincentium Donatistam : *Quis non impudentissime innitatur aliquid in Allegoria positum, per se interpretari, nisi habeat manifestissima testimonia, quorum lumine illustrentur obscura.* Hoc etiam patet primo, quia si ex aliis sensibus sumeretur probatio, sequeretur quod in argumento semper esset fallacia æquivocationis et amphibologiæ, et sic patet secundum. Augustinus

5. Apud quos valet auctoritas sacræ Scripturæ.

Circa tertium dicitur a quibusdam, quod illis solis per Scripturam sacram potest aliquid probari, apud quos est authentica, et ideo Judæis non potest aliquid probari per novum Testamentum; similiter nec omnibus Judæis per vetus, quia sunt aliqui Judæi, scilicet Sadducæi, qui non recipiunt nisi quinque libros Moysi, et similiter Samaritani ; et ideo Salvator volens eis probare resurrectionem et immortalitatem animæ, quam negant, assumpsit illam auctoritatem *Marc.* 12. de resurrectione mortuorum : *Non legistis quod dictum est a Domino : Ego sum Deus Abraham,* etc. sequitur, *non est Deus mortuorum, sed viventium :* de quo tamen habuisset auctoritatem magis expressam de aliis Scripturis veteris Testamenti, sed non fuisset efficax contra eos.

Similiter sunt aliqui hæretici, qui non recipiunt totum novum Testamentum, sicut Nazaræi epistolas Pauli, quia in illis observatio legalium damnatur, quam dicunt esse necessariam ad salutem. Similiter Alogi Evangelium Joannis, quia negant Dei Filium esse Ver-

bum, et ideo dicuntur *Alogi*, ab *A* quod est *sine*, et *logos, verbum*, ut dicit Augustinus in lib. de hæresibus, et sic patet tertium.

SCHOLIUM III.

Diffuse et clare tractat hîc Doctor omnia ferme, quæ circa donum prophetiæ solent ab aliis tractari. Ait distinctum esse lumen, habitum et scientiam prophetiæ et fidei; deinde assensum fidei esse liberum, non tamen adeo liberam esse frequenter adhæsionem, seu assensum in Prophetis. Tertio, Prophetas certo scire se verum loqui, quia experimentaliter cognoscunt Deum sibi loquentem. Quarto, varia contra hæc adducit et dissolvit argumenta, ubi multa habet notatu digna. Demum, infert scientiam Prophetalem esse subalternam scientiæ Dei et Beatorum. De his autem late agit, et doctissime disputat Doctor in scripto Oxon. 3. d. 24. et in Parision. quæst. 2. prologi. Vide D. Thom. et ejus expositores 2. 2. q. 172.

6. Duplex certitudo. Circa quartum, sciendum quod duplex est certitudo : Una adhæsionis, et talis est in iis quæ tenemus per fidem, et in iis quæ ex fide sequuntur de necessitate. Sicut enim fide tenemus quod Deus est homo, ita quod habet veram animam rationalem, quia hoc sequitur ad illud, sic quod destructo secundo, destruitur primum, et talis certitudo conceditur in iis, quæ manifeste per sacram Scripturam probantur, quia fide tenemus ipsam a Deo traditam. Aliam certitudinem experimentalem ponunt alii circa res fidei et sacram Scripturam, quia supposita fide, studentibus in sacra Scriptura devote et viventibus pie, infunditur lumen superius lumine fidei, in quo fiunt intellecta quæ solum prius erant credita. Sed hoc videtur fictitium, quia nullus quomodocumque se exerceat in studio sacræ Scripturæ et sancta vita, experitur se habere talem intellectum, quem tamen oporteret experiri, dato etiam quod lumen, in quo sit intelligentia, non posset cognoscere. Auctoritates autem Augustini, quibus innituntur hi auctores, non habent magnam efficaciam, quia habent alium intellectum, et ideo alii dicunt quod forte talis notitia non est habita ab aliquo, sed sufficit eis quod ostendant possibilitatem habitus. Alii autem dicunt quod est illa certitudo major prima per hoc, quod Deus potest creare aliquam scientiam abstractivam in viatore, qua cognoscatur divinitas ita perfecte, sicut cognosco modo rosam; et in veritate talis conceptus cognosci possunt omnia, quæ includuntur in isto conceptu virtualiter, cujusmodi sunt illa, quæ Deo insunt de necessitate, sicut est Trinitas personarum et hujusmodi, non tamen dicunt quod talis cognitio sit alicui data.

Istas duas opiniones omitto : tum, quia secundum aliquos isti modi dicendi sunt impossibiles, dato etiam quod essent possibiles, dicere tamen quod Theologia sit scientia per aliquid, quod Deus potest facere, videtur inconveniens ; sicut dicere quod de quadratura circuli est scientia, quia potest sciri, imo plus quam hoc, sequitur, scibilis Trinitas personarum via naturali, illi autem modi non habentur nisi via supernaturali.

Loquendo igitur de factis, non de fieri possibilibus, sciendum quod præter istos modos possibiles, sunt duo modi cognoscendi sa- 7. Duplex modus cognoscendi sacram Scripturam

cram Scripturam et intelligendi eam. Unus est communis, qui acquiritur per exercitium studii, quo intelliguntur dicta Prophetarum, quo modo sint exponenda et contrarietates solvendæ. Alius est specialis, qui fuit in Prophetis, qui hanc scientiam scripserunt, quia spiritu Prophetico scripta est et divina revelatione; et cognitio ista certa est certitudine evidente, quidquid sit de alia, quæ per studium acquiritur, supposita fide.

Quæ sit cognitio Prophetica. Augustinus. Ad evidentiam hujus primo videndum est quæ sit cognitio Prophetica proprie dicta? Ad cujus intellectum sciendum, quod instinctus est quoddam imperfectum respectu prophetiæ, de quo Augustinus 12. super Genesim ad litteram cap. 22. quod ipsum patiuntur aliquando humanæ mentes et nescientes, non quia ignorent talem motum in se, sed quia nesciunt a quo principio, sicut de bono fortuito loquitur Philosophus 11. *Metaph. cap.* 9. (Aristoteles.) et ideo vocatur a Sanctis casus prophetiæ, quasi aliquid imperfectum, et ideo ex tali instinctu non dicitur aliquis Propheta proprie. Talis autem casus contingit in locutione, et opere, et cognitione prophetica, verbi gratia in locutione: Isaias enim *cap.* 7. prædicens; *Ecce Virgo concipiet et pariet filium,* intellexit quid hoc significabat; sed non Caiphas, dicens : *Expedit vobis, ut unus homo moriatur,* Joann. 11. Similiter Jeremias, qui posuit lumbare in Euphrate, et invenit illud putrefactum, *Jerem.* 2. intellexit quid hoc significabat ; sed milites dividentes vestimenta Christi *Joan.* 19. nesciebant ; atque ita est casus prophetiæ in verbo et facto, quia Danielis 10. dicitur, *Intelligentia opus est in visione.* Similiter est talis casus vel instinctus in cognitione, et hoc dicitur uno modo, si aliquis videat visionem imaginariam, et non intelligat, sicut Pharao spicas, et Balthasar manum scribentem, unus dormiens, alter vigilans. Alio modo, si intelligat illud quod sibi revelatum est, tamen nescit si est facta revelatio a Deo; et in tali casu dicit Joannes prima Canonica sua *c.* 4. *Probate spiritus,* etc. quando circumstantia est sufficiens motivum ad dubitandum; et iis duobus modis non est aliquis Propheta perfecte, nec talis cognitio dicitur proprie prophetica, sed aliqua participatio ejus.

Aliquando autem sic fit revelatio, quod homo non solum intelligit illud quod sibi revelatur, sed etiam certus est quod hoc sibi a Deo revelatur. Talis autem varietas contingit propter varium tactum Spiritus sancti, qui tangit animam, sicut placet. Isto autem ultimo modo est cognitio prophetica proprie et perfecte ; et hunc modum cognoscendi habuerunt illi, qui hanc sacram Scripturam nobis tradiderunt, saltem quantum ad ea quæ ibi ex intentione principali scribuntur. Et hoc patet Jerem. 26. *In veritate me misit Dominus Deus ad vos, ut loquerer verba hæc in aures vestras.* Non autem posset hoc esse verum, nisi esset certus quod Dominus sibi revelasset. Et eodem modo patuit hoc per factum Abrahæ, Gen. 22. *Tolle filium unigenitum,* etc. statim surrexit de loco, ut iret ad immolandum filium, quem tantum dili- 8 Vera cognitio Prophetica.

gebat, quod esset malum nisi esset certus quod Dominus mandaret hoc.

9. An prophetia sit libera. Sed dices, hoc erat tantum certitudine fidei. Contra, quia talis certitudo adhærentiæ sive adhæsionis, subjacet voluntati in Prophetis, nullus enim credit nolens; sed talis assensus et certitudo non subjacet voluntati in Prophetis, quod patet *Num.* 28. de Balaam, cui displicebat quod videbat prosperitatem filiorum Israel, et tamen non poterat aliter sentire. Imo etiam ipsa demonstratio prophetiæ vel locutio, non subjacet eorum voluntati, sicut patet ibidem : *Non potero aliud loqui, nisi quod Deus dederit*, etc. Et hoc aliquando dicunt Sancti et Doctores antiqui, quod revelatio prophetica taliter fiebat Prophetis, quod non poterant dubitare; et propter talem certitudinem Prophetæ de futuro loquebantur per modum præteriti, secundum sanctos Patres et Doctores Hebræorum. Dicunt etiam Doctores, quod cognitio fidei perficit intellectum in ordine ad vocem, ut scilicet per medium vocis assentiat iis, quæ sibi proponuntur credenda; prophetia vero perficit ipsum abstracte, sine ordine ad vocem. Patet tamen talis certitudo ex hoc, quod mens Prophetæ experimentaliter cognoscit Deum sibi loquentem, tangit enim mentem hominis secundum quod sibi placet; et cum sit causa virtuosissima, sic potest tangere, quod non solum intelligit illud quod sibi revelatum est, sed principium a quo tangitur mens per experientiam virtutis motivæ in tali motu. Et Augustinus 6. *Confessionum* dicit quod mens sua quodam sapore discernebat, et talis cognitio fuit in iis qui sacram Scripturam scripserunt, saltem quantum ad illa quæ scribuntur ex intentione principali, cujusmodi sunt necessaria ad salutem, et hoc sive sint credibilia, sive sint agibilia. His suppositis ex dictis Sanctorum et sacræ Scripturæ, respondeo sic : illa notitia est scientifica et probatio certa certitudine evidentiæ, quæ procedit ab altero noto per experientiam. Ista patet ex *primo Metaph.* ubi dicitur quod ex multis experimentis fit una acceptio universalis, quæ est principium artis et scientiæ, ut ex hoc quod talis herba sanavit Socratem et Platonem, et plures alios, accipitur hoc, quod talis herba est sanativa talis infirmitatis, et si per unum factum posset haberi certitudo, et veritas hujus propositionis, idem esset; sed cognitio prophetica est hujusmodi, quia experientiam habet modo prædicto, quod Deus locutus est sic, et certus est Deum non dicere falsum, quia nec scienter, nec ignoranter; et sic concluditur quod tale dictum est verum, per medium deductum ab experientia, et per consequens quidquid ex hoc concluditur est certum experimentali, vel evidenti certitudine in eo, qui habet talem experientiam, cujusmodi sunt Prophetæ; secus autem est in aliis, qui non habent talem experientiam. Sed ideo sciunt, quia credunt locutum fuisse Deum Prophetis, nec habent de hoc experientiam, ideo quod dictum eis credunt esse verum.

Prophetæ certo sciunt se verum loqui. Probatur primo.

10. In intellectu datur experientia. Nec valet si dicas quod experientia tantum est in sensu, et cognitio prophetica est in intellectu, quia contrarium patet; quia sicut experior me sentire, ita experior me intelligere principia actus intelligendi in me ipso. Imo experimentum de quo loquitur Philosophus *primo Metaph.* proprie pertinet ad intellectum, quia est collectio singularium, quod non facit æstimationem, nec cognitionem, nisi prout subest intellectui, et sic principalius pertinet ad intellectum.

Probatur secundo. Augustinus. Hoc idem sic probatur auctoritate Augustini 15. *de Trinitate, c.* 12. *et* 1. *Retract. cap.* 14. Dicit enim quod nos scimus Romam esse, et multa alia quæ certitudinaliter scimus. Nec potest dici quod hæc scientia sit notitia fidei, quia non fidei infusæ, quia ad ipsam non pertinet; nec acquisitæ, quia talis fides minus habet de certitudine quam oportet; nos autem firmiter valde tenemus talia, ut ipse dicit, et patet per experimentum. Quomodo ergo sciuntur? Dico quod talis certitudo experimento procedit, quia licet non viderimus Romam, tamen multos valde audivimus hoc dicentes, quod pertinet ad experientiam sensus, audiendo scilicet, et tandem accipimus istam, quod est impossibile tot et tales concurrere ad mendacium fingendum; ergo, etc. Hunc autem modum scientiæ tangit Algazel, et aliqui alii Philosophi, qui vocant scire per crebram famam.

11. Tertio. Tertio sic: non solum dicitur scientia a Philosopho 1. *Posterior. cap.* 13. illa quæ considerat *propter quid*, sed illa etiam quæ considerat *quia;* et hoc manifeste patet ex prædictis et a Philosopho 1. *Metaph. cap.* 1. ille enim, qui expertus est quod hæc herba sanavit multos, cognoscit secundum eum certitudinaliter quod tali herba sanata est talis infirmitas, sed non scit *propter quid*, quia non cognoscit virtutem per quam sanat; nec per consequens habitudinem prædicati ad subjectum, sic, quod sciat, quia ratio prædicati includatur in subjecto, et ideo dicunt, hoc habet, v. g. aconita semper; sed iste qui cognoscit naturam et speciem herbæ, et virtutem continentem speciem, ipse cognosceret *propter quid*. Nunc autem talis cognitio *quia*, secundum eum, est scientifica, licet inferiori modo, et illud quod deducitur ex talibus principiis sic cognitis per experientiam sensus, vocat scientiam. Cum ergo cognitio prophetica sit hujusmodi, et illud quod concluditur ex ipsa, sequitur quod sit vera scientia.

Sed contra prædicta arguitur primo, quia cognitio prophetica estde singularibus, de quibus non datur scientia; ergo, etc. 12. Objectio prima.

Item, prophetia est de rebus certis et occultis, et non de futuris contingentibus, saltem in pluribus, ut patet per Gregorium *hom.* 1. *super Ezech.* et per definitionem ejus: est enim *prophetia inspiratio divina futurorum eventus immobili veritate denuntians;* ergo, etc. Secunda.

Item, contra illud quod dicitur, quod prophetica cognitio est certa, quia Jonas dubitavit de veritate suæ prophetiæ, et ideo fugit a facie Domini in Tharsis, ne inveniretur Tertia.

mendax, si denuntiaret aliquid evenire et non eveniret.

Quarta. Item, scientia importat notitiam ex rei evidentia, quæ non est in prophetia.

Quinta. Item, contra illud quod dicitur, quod alia est ibi certitudo quam fidei vel adhæsionis, quia prophetiæ certitudo innititur veritati dicentis; sic est de fide; ergo, etc.

13. Ad primam. Ad primum, dicendum quod de singularibus non est facta scientia isto modo quo *scientia* accipitur primo Metaphysicæ prout distinguitur contra experimentum, sed accipiendo *scientiam* pro certa notitia, bene est scientia singularium, aliter Deus non haberet certam notitiam sui, cum sit quædam singularitas, et quoddam necesse esse. Octavo etiam Physicorum, *text.* 22. dicit Philosophus, quærere rationem de hoc quod habetur per sensum, infirmitas quædam est intellectus nescientis distinguere inter notum et ignotum, quia aliquid certius demonstratione habetur, cum principia demonstrationis non sint nota nisi per sensum. Vel dicendum, quod de singularibus necessariis bene est scientia, sicut Philosophus demonstrat Deum unum et actum purum, et sic est revelatio de unitate essentiæ et trinitate personarum.

Ad secundam. Ad secundum, dicendum quod futurorum contingentium non potest haberi certa cognitio, prout sunt in causis secundis quæ mutabiles sunt, sed prout sunt in se ipsis habetur certa cognitio; ita enim certitudinaliter video Socratem currere, sicut Solem oriri, sic prout sunt in causa prima immutabiliter aliquid volente et determinante. Et hoc modo Deus certitudinaliter cognoscit futura contingentia, prout ejus intuitus fertur super rerum principalitatem secundum aliquos, vel prout cognoscit perfecte intellectum suum et voluntatem, quibus immutabiliter determinatur aliquid futurum in tali tempore, licet media per quæ producitur sint contingentia, quia sicut ordinat ad immutabiliter venturum, ita et media, quia non solum eventus rerum cadit sub ejus præordinatione, sed etiam modus eveniendi. Et hoc modo Prophetæ certitudinaliter talia cognoscunt, quia eorum notitia derivatur ab ipso Deo sic cognoscente, quia est quædam impressio divinæ scientiæ in hominibus, et ideo licet de futuris contingentibus non sit certa notitia a rebus accepta, est tamen certa ut a Deo accipitur.

(Quomodo Prophetæ habent certam notitiam de futuris contingentibus.)

14. Ad tertiam. Ad tertium, sciendum est quod Deus dicitur cognoscere futura uno modo, quia scit ordinem causarum; alio modo, quia cum hoc scit executionem, quia ejus intuitus fertur super omnia quæ sunt in quolibet tempore. Homo autem, si præscit futura, hoc est tantum primo modo, sicut Astrologus futuram eclipsim, quia motus cœli est ad hoc ordinatus velut ad pluvias futuras. Deus autem revelat secundum quod placet sibi, et ideo aliquando revelat ordinem causarum ad effectum, ut demerita populi exigentia talem pœnam, ut Jonæ subversionem Ninivitarum, et tunc est prophetia comminationis solum; aliquando autem cum hoc revelatur exitus rei, vel executio, ut Sa-

mueli revelavit destitutionem Saulis I. Reg. 15. *Scidit Dominus regnum tuum a te, et dedit illud proximo tuo meliori te: porro triumphator in Israel non parcet,* etc. Igitur Propheta semper est certus de veritate illius, quod est sibi revelatum, non de aliis, et ideo si utrumque sit sibi revelatum, scilicet ordo causarum et executio, tunc est certus de utroque; si primum tantum, de primo est tantum certus; et quantum ad hoc, est Propheta. Et sic fuit de Jona, qui fuit certus quod demerita civitatis exigebant ejus subversionem; sed quid de facto eveniret, nesciebat, quia sciebat Deum esse misericordem, et hoc est quod dicit Jonas, cap. 4. *Propter hoc præoccupavi, ut fugerem in Tharsis, scio enim quia tu Deus clemens et misericors,* etc. Et sic timebat pronuntiare prophetiam suam, ne ex divina misericordia parceretur populo, qui meruerat civitatis subversionem, sicut et factum fuit, et per consequens homines reputassent eum locutum fuisse ex spiritu humano et non divino.

An certo judicaverit Jonas Ninivem subvertendam.

15. Ad quartam.

Ad quartum, dicendum quod aliter fides innititur veritati divinæ, et prophetia, quia fides sic innititur, quod credit Deum locutum fuisse Prophetis, qualis est fides illorum qui simpliciter ad prædicationem credunt, et forte de illis qui credunt visis miraculis aliud est, quia per consequens credunt quod verum est dictum Prophetæ, sed Prophetæ certi sunt per experientiam quod Deus eis locutus est ut visum est, et certi sunt lumine intellectus naturali quod non potest mentiri; et multo fortius lumine tali, confortato lumine supernaturali, qualis est prophetia, et ideo non est simile.

Ad quintam.

Ad quintum, dicendum quod licet non sit ibi evidentia *propter quid*, tamen est evidens ipsum *a quo*, et hoc sufficit ad rationem scientiæ inferioris gradus. Isto enim modo Perspectiva est scientia distincta a Geometria, licet habeat principia sua probata et declarata per experientiam, ex quibus probat sequentia, et sic est in proposito, quia principia Theologiæ secundum aliquos, sunt articuli, et isti sunt habiti per experientiam a Prophetis modo prædicto.

16. Prophetia est scientia subalternata.

Ex prædictis sequuntur duo: primum est, quod scientia Prophetarum est scientia subalterna, scientiæ Dei et Beatorum; hoc enim proprium est scientiæ subalternæ, quod cognitio subalterna sciat ipsum *quia,* et scientia subalternans ipsum *propter quid.* Sic est in proposito, *propter quid* enim quod hæc est vera, *Deus est trinus et unus*, cognoscunt Deus et Beati, accipientes *propter quid* large, quia vident quod hoc convenit ei ex natura divinitatis. Sed Prophetæ, quibus est hoc revelatum, sciunt tantum *quia est,* quia per experientiam Dei loquentis, quem impossibile est dicere falsum.

Secundum est, quod cognitio fidei a cognitione prophetica differt, sicut cognitio illius qui audit ab experto, Propheta enim expertus est Deum sibi loqui; alius autem credit, quia audit hæc, Propheta mediante, sicut nos.

Aliæ etiam sunt rationes duæ ad hæc; tum, quia cognitio pro-

phetica et ejus assensus non subest voluntati Prophetæ; tum, quia stat cum infidelitate, sicut patet 3. *Reg.* 13. de Propheta falso, est idololatra; tum ex parte finis, quia fides datur ad salutem personæ habentis; prophetia aliquando non, sed ad bonum aliorum, sicut patet in Balaam. Sunt etiam aliæ rationes quas nunc omitto.

17. Variæ aliorum rationes rejiciuntur. Rationes aliorum non valent, ut cum dicitur 1. *Corinth.* 13. omnis cognitio viæ est *per speculum, et in ænigmate;* ergo et prophetia. Dicendum quod hoc verum est respectu patriæ, imo etiam omnis demonstratio hoc modo dicitur ænigmatica.

Item, arguitur sic 2. Corinth. 5. *Quamdiu sumus in hoc corpore peregrinamur*, etc. ergo tantum per fidem illuminamur. Dicendum, quod loquitur de communi statu fidelium, qui non habent talem cognitionem.

Tertio, cognitio prophetica solum innititur veritati dicentis, sic est de fide. Dicendum, quod aliter et aliter, ut patet ex prædictis, quia dicens in fide simplicium, sicut est homo docens, non est certitudinis infallibilis, sed aliter et infallibiliter Propheta certus est de Deo sibi loquente.

Quarto, oculus creatus a Deo et a natura generatus, est ejusdem speciei. Dicendum, quod non est simile; non enim sic solum differunt cognitio fidei et prophetiæ, sed quia una perficit in ordine ad voluntatem, altera non; et quia una habet experientiam infallibilem annexam, altera non; propterea fides quæ per auditum est, est acquisita, non infusa. Sic igitur patet quod cognitio sacræ Scripturæ, ut fuit in scriptoribus ejus fuit scientifica, et probatio per ipsam est certa certitudine evidentiæ, et hoc sufficit mihi pro modo. Utrum etiam ita sit in nobis qui non sic experimur, sed accipimus sic dicta ab expertis, non intermitto me modo, sed tantum scio quod in Astronomia sufficit experientia facta a Ptolemæo et aliis, et tamen nostri Astronomi dicunt se scire.

SCHOLIUM IV.

Ut ad resolutionem quæstionis accedat, monet ea quæ necessaria sunt ad salutem, sufficienter tradi in sacra Scriptura, uti probat in q. 2. prologi : quæ autem non sunt hujusmodi, dicit non oportere ibidem tradi, et ex horum numero asserit esse dubium hoc de salute Salomonis. In eam tandem partem inclinat, quod fuerit condemnatus propter gravissima peccata, præsertim multiplicis idololatriæ quæ in eo graviora erant, et minus excusabilia, quo majorem pro aliis obtinuit a Deo sapientiam et dona præstantiora. His eisdem argumentis in eum gravissime Scotus invehitur 4. d. 39. n. 8. et in Reportatis d. 42. ubi pessimum hominem, et Deo suo ingratissimum appellat. Neque tamen vult præcludere omnes vias, per quas possit obtendi ejus salus; imo quæstionem reliquit indecisam, neque sequi ejus damnationem ex eo capite monuit, quod in Scriptura ejus pœnitentia non legatur, quod tanquam efficax argumentum adhibuit pro parte contraria. Adeo ancipitem, obscuram, infirmis dubiisque conjecturis inhærentem quæstionem merito dixerit Sanctius in lib. 3. Reg. cap. II. ut omnino ab ea discutienda sibi judicaverit abstinendum. Pineda in principio quæstionis citatus plus omnibus laboravit pro ejus salute asserenda, neque tamen omnibus persuadet; nam si ab auctorum numero, et auctoritatis pondere rem expendas, æquum utrinque ab auctoribus et a sacra Scriptura momentum esse percipies.

Dum hæc scriberem, et Lyranum circa intelligentiam quorumdam locorum, quæ de Salomone plurimi interpretantur, consule-

rem, incidi in c. 7. lib. 2. Regum, ubi multa apposite ad hanc disputationem congerit, et se peculiarem de hac re quæstionem Quodlibetalem scripsisse commemorat ; quædam etiam ibi delibat, quæ hîc atttinguntur, unde dubitare et hæsitare cœpi, an hæc nostra, illa esset. Plano ipsius testimonio constat eum de hac re scripsisse. Pro Scoto non habeo quem assertorem, aut testem appellem, ubique et per omnia ejus doctrina cum istis cohæret. In codice Vaticano utriusque cum alienis permixta erant opuscula. Cui potius hoc attribuendum sit, non ausim definire ; Scoto relinquo, donec potiora appareant pro Lyrano argumenta. Utriusvis sit, operæ pretium duxi in lucem proferre. Lectori placebit quæstionem ab illo tempore et ante alios, quos sciam auctores, utrinque et exacte discussam, nunc primum accipere. Si Scoti sit, apposito illius operibus adnecto. Si Lyrani, laudabunt omnes conatum, ne pereat.

18. *Quæ sunt necessaria ad salutem, tradita sunt in sacra Scriptura.*

Circa septimum sciendum, quod sacra Scriptura est quædam notitia divinitus data, ad dirigendum homines in finem supernaturalem ; omnes enim qui de necessitate sacræ Scripturæ locuti sunt, hanc rationem assignaverunt; ergo ad illam oportet etiam se extendat prophetia, vel revelatio prophetica perfecte et proprie dicta. Quæ autem sunt necessaria ad salutem, oportet esse expresse in sacra Scriptura ; et si in uno loco habentur obscure, in alio traduntur clare, sive sint credibilia, sive agibilia; et ideo Sancti determinantes ea quæ ad salutem sunt necessaria, semper pro certa regula recurrerunt ad sacram Scripturam. De iis enim quæ excedunt facultatem naturalem intellectus, non habemus
19. aliam regulam. Alia autem quæ non sunt necessaria ad salutem, non est necessarium ibi expresse tradi, sed alia multa ibi expresse tractantur, inquantum habent aliquam habitudinem ad prædicta. Salus autem Salomonis non est de talibus, scilicet de necessariis ad salutem nostram, ut patet ; nec est de annexis ad salutem, et ideo non fuit necessarium quod ejus salus ibi expresse tractaretur, licet fuerit possibile. Non enim fuit necesse ex hoc, quod per lineam ejus Christus descendit, quia multi fuerunt pessimi in ista genealogia, ut Hieronymus dicit super Matth. quod conveniens fuit quod ibi essent aliqui peccatores; nec fuit necesse ad hoc ut Scriptura quæ est in Canone authentica redderetur, quia prophetiæ Balaam inter Scripturas Canonicas sunt, et tamen fuit idololatra, et inter idololatras mortuus, quia docuit provocare filios Israel ad fornicationem et idololatriam, ut habetur *Num.* 24. *et Apocalyps.* 2. et ideo salus ejus non est determinata per Scripturam, nec ejus damnatio expresse.

Verisimilius videtur fuisse damnatum Salomonem.

Sed quid, illorum salus, an condemnatio est Scripturæ magis consonum ? Dicendum quod damnatio ejus, quia sicut allegatum est, facit de peccato ejus mentionem, et videtur justissime damnatus ratione peccati, quia idololatria (ut dicitur in glossa Psalm. 18. *Emundabor a delicto maximo*) est peccatorum gravissimum; et ratione multiplicationis, quia ædificavit templa et idola plura, ad multiplicandum cultum idololatriæ; et ratione loci, in quo talia construxit, quia in monte Oliveti, qui erat juxta Jerusalem ad distantiam mille passuum, ita quod vallis Josaphat solum est intermedia ; ita quod existentes in 20.
Jerusalem et potissime in templo,

poterant clare videre immolantes idolis, et populus erat pronus ad talia, et maxime exemplo Regum ; et ratione personæ peccantis, cui enim Dominus dederat sapientiam, et divitias, et populum plusquam alicui Regum ante eum, vel post, et a pueritia sua, ex quibus omnibus peccatum ejus augmentatum fuit. Et de pœnitentia ejus nihil loquitur Scriptura, sed statim post hæc flagitia determinat ejus mortem, quia non videtur verisimile quod tacuisset de pœnitentia ejus, sicut non tacuit de pœnitentia Manasse, de qua expresse loquitur ; et si tacuisset, saltem Josephus aliquid tetigisset, qui omnia ejus facta narrat diligenter. Et hoc etiam videtur probabilius, quia si pœnituisset vere, fecisset destrui templa quæ ædificaverat, quia tunc erat Rex potens valde, cui nullus fuisset ausus in hoc resistere, quæ tamen steterunt usque ad tempora Josiæ, qui ea destruxit ut dicitur 4. *Reg*. 13. et tamen fuit per magnum tempus post Salomonem, quia fuit decimusquintus Rex ab eo.

20. Qua de causa scripsit librum Ecclesiastes. Et quod dicitur ab aliquibus, quod fecit librum Ecclesiastes de pœnitentia, non est aliquo modo probabile, quia in libro isto non procedit ut peccator pœnitens, peccata sua recognoscens humiliter et misericordiam Deo implorans, sicut fecit David pœnitens de adulterio cum uxore Uriæ, et Manasses rex Juda in oratione ; sed procedit per modum Doctoris determinantis quæstionem quamdam dubiam, inducens rationes opinionibus variis et diversis, unde dicitur Hebraice *Coheleth,* quod interpretatur *concionator*. Ad cujus evidentiam considerandum, quod tempore Salomonis studium sapientiæ fuit in Jerusalem, et determinatio dubiorum erat apud ipsum, quia omnes veniebant ad audiendam sapientiam Salomonis. Dubium autem apud multos tunc erat, in quo consistebat felicitas, aliis ponentibus ipsam in honoribus, aliis in divitiis, aliis in voluptatibus ; et ipse plenus sapientia non solum humana, sed etiam divina, ostendit quod non est in talibus, nec in vita ista mortali, sed in reversione spiritus ad Deum per apertam visionem : *Et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum*, etc. Ecclesiastæ 12. Et quod modus perveniendi est per mandatorum Dei observationem : unde in fine concludit : *Deum time, et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo.* Et hæc est sententia Salvatoris Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Quia autem Judæi hæc dicunt, 21.
non est in aliquo credendum propter dictum illorum, nisi de Scriptura habeatur ; sed eadem facilitate contemnendum, quia innumeras absurditates dicunt passim in suis libris, præsertim in libro Barahoc, ubi inter alia exponitur illud Ezech. 21. *Plaudam manu ad manum, et implebo indignationem meam*, sic allegatur ibi : *percutiam manu ad manum, et suspirabo indignationem meam;* ubi dixit Rabi Barahoc, quod *quando Deus recordatur de destructione templi, dolens percutit manus ad invicem, et hoc est tonitrua ejus, et lacrymæ cadunt ad terram, et hoc est fulgur*. Similiter si dicatur ab eis Salomon pœnituisse, non est tenendum nisi ex Scriptura ostendatur. Multo expressius

loquuntur de salute Saulis, quem dicunt salvatum in libro Barahoc, et Josephus finem ejus laudabilem describit, et robur perfectæ fortitudinis *lib. 6. antiquitatum,* cum tamen omnes Doctores Catholici reputent eum damnatum, quod expresse dicitur primo Paralipomenon, cap. 10. *Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quod prævaricatus sit mandatum Domini, quod præceperat et non custodierit illud : sed insuper etiam Pythonissam consuluerit, nec speraverit in Domino, propter quod et Dominus interfecit eum.* Et maxime, quia fecit se occidi, ut habetur 1. *Reg. ultimo.* Similiter si Judaei dicant Salomonem salvatum fuisse, vel aliquid aliud, non est standum nisi appareat ex Scriptura.

22. Respondetur ad arg. contraria. Ad auctoritates Scripturæ, quæ videntur facere pro ejus salute, Psalm. 88. *Misericordiam autem meam,* etc. manifeste patet quod loquitur de David, quia propter ejus meritum, regnum permansit filiis ejus, quamvis essent pessimi, ut patet ex discursu libri Regum et Paralipomenon. Similiter quod dicitur Ecclesiastici 47. *Finem habuit Salomon cum patribus suis,* licet iste liber non sit efficax * ad probandum dubia, tamen dicendum quod habuit finem cum eis, quia sepultus est in civitate David, in sepulcro regum, ut habetur 2. *Reg.* 11. Quare autem scribitur de eo 1. Paralipomenon 17. *Cum compleveris dies tuos, ut vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis, et stabiliam regnum ejus, ipse ædificabit mihi domum, et firmabo solium ejus usque in æternum. Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium, et misericordiam meam non auferam ab eo.* Et idem habetur 2. *Regum* 7. nisi quod additur, *qui si inique egerit, arguam eum in virga virorum et in plagis filiorum hominum, misericordiam autem meam non auferam ab eo.* Sciendum quod aliqui, ut Petrus Alphonsi *, exponunt eam de Christo, non de Salomone nisi in figura, et hoc probatur ex eo quod dicitur ibi : *Cum compleveris dies tuos, suscitabo semen tuum post te :* Salomon autem regnavit vivente patre, ut patet 3. *Regum, cap.* 1. Similiter cum dicitur, *firmabo solium ejus in æternum,* quia tempore filii sui tribus recesserunt ab eo, et in captivitatem Babylonis ductum est residuum, saltem ad tempus, et ideo hæc exponunt de Christo. Quod autem additur, *et si iniqui aliquid gesserit,* non dicitur de Christo absolute, sed sub conditione. Dicuntur etiam iniquitates membrorum suorum, suæ, et eas gessit pro pœna quam pro ipsis sustinuit.

* Vide scholium primum.

* De hoc auctore ex Judæo ad fidem converso circa an. 1091. vide si placet, Eysengren. et Possevinum.

Si tamen exponatur de Salomone, non arguit finalem ejus salutem sufficienter, quia hoc esset maxime ex eo quod subditur, *quod si iniqui aliquid gesserit, misericordiam meam* etc. quia determinatur modus, cum subditur : *sicut a Saul, quem amovi a facie mea :* et idem loquitur 1. *Regum* 17. Ex quo patet quod hæc materia intelligitur in hoc, quod non abstulit totaliter regnum propter peccata Salomonis, sicut propter peccata Saul, quæ tamen fuerunt minora.

Similiter ex adverso non sequitur quod Salomon sit damnatus, ex hoc quod non sequitur ex Scriptura ejus pœnitentia, quia multa sunt facta quæ non sunt scripta, 23.

etiam de factis Salvatoris, ut dicitur *Joan. ultimo*, quæ tamen dignius deberent scribi. Et quod dicitur quod sacra Scriptura perfectissima est, dico quod verum est quod nihil omissum est de iis, quæ debent ibi scribi, quæ sunt illa quæ sunt necessaria ad salutem humanam, ut dicit Augustinus 14. de Trinitate, cap. 1. *Huic tamen scientiæ tribuitur, quo fides saluberrima quæ ad veram vitam ducit, gignitur, defenditur et roboratur,* etc. Augustinus.

QUÆSTIO VII.

Utrum scientia naturalis sit scientia una?

Avicen. *lib.* 1. *sufficientiæ.* Averroes, Simplicius, Jandunus *in initio libri Physicorum.* Albert. *ibidem tract.* 1. *cap.* 2. D. Thom. *ibidem lect.* 7. et 8. 1. 2. *quæst.* 54. Henric. *Quodlib.* 9. *q.* 4. Ferrarien. *q.* 2. Soncinas 4. *Metaph. q.* 10. Cajetan. *in opusculo de subjecto Philosophiæ naturalis.* Conimbric *q.* 4. *in proœmio Physic.* Aversa *tom.* 1. *Philos. q.* 1. *sect.* 2. Compluten. *disp.* 1. *proœm. q.* 4. Fuentes *ibidem difficult.* 2. Faber *Theorem* 20. *Vide* Scotum *q.* 1. *Phys. et* 6. *Metaphys. q.* 1. et *ibi*, Anton. Andr. *q.* 3.

1. Argum. primum negativum. Videtur quod non : illa scientia non est una, cujus principium et per se subjectum, non est ens per se unum; ergo naturalis scientia non est scientia per se una. Major declaratur auctoritate et ratione. Auctoritas est Aristotelis *primo Posteriorum, text.* 24. ubi dicit quod scientia una est unius generis subjecti. Ratione probatur eadem major sic : sicut se habet potentia ad objectum, sic scientia ad subjectum ; sed unius potentiæ est unum per se objectum ; ergo unius scientiæ est unum per se subjectum. Minor probatur sic : corpus mobile non est ens per se unum ; corpus mobile est subjectum naturalis scientiæ ; igitur subjectum naturalis scientiæ non est ens per se unum. Major istius prosyllogismi probatur : Nullum ens includens res diversorum generum est ens per se unum ; sed corpus mobile dicit res diversorum generum quas includit, sicut Substantiæ et Qualitatis ; ergo corpus mobile non est ens per se unum. Minor istius prosyllogismi probatur, primo auctoritate Avicennæ in principio sui libri Physicæ ubi assignat subjectum istius scientiæ corpus sensibile sive mobile, ut subjacet mutationi. Aristoteles.

Secundum. Secundo probatur hoc idem ratione sic : Illud et sub illa ratione est subjectum in naturali scientia, per quod distinguitur a Mathematica et Metaphysica, quia istæ tres scientiæ distinguuntur penes sua subjecta, sicut innuitur sexto Metaphysicæ, *text.* 2. sed per corpus mobile inquantum mobile, distinguitur ista scientia ab aliis duabus ; nam quia ista scientia considerat de corpore mobili, distinguitur a Metaphysica quæ magis est de substantiis abstractis quam de mobilibus corporibus : per hoc vero quod additur *inquantum mobile*, distinguitur a Mathematica quæ licet sit de mobilibus secundum *esse*, tamen ejus consideratio abstrahit a motu; igitur corpus mobile est subjectum in naturali scientia. Aristoteles.

Item, illud videtur esse subjectum in naturali scientia, quod supponitur in scientia, cujus quæritur in scientia cognitio; sed corpus mobile esse supponitur a naturali scientia, alioquin nisi supponeretur motus, posset disputare contra 2. Tertium.

negantem motum, quod est falsum; et ideo Philosophus primo Physic. *text.* 11. ut naturaliter loquens, dicit, *Nobis autem supponantur ea quæ natura sunt aut omnia, aut quædam virtute moveri*; sequitur ergo quod corpus mobile sit subjectum in naturali scientia, secundum quod mobile; sed tunc redeundum est ad principalem conclusionem, scilicet quod corpus mobile non est per se unum; igitur scientia naturalis non est per se una.

Ratio in oppositum. Oppositum arguitur sic: Illa scientia est una, quæ sub una formali ratione considerat omnia, quæ pertinent ad scientiam illam. Ista propositio habetur ex primo Posteriorum *text.* 42. sed scientia naturalis sub una formali ratione considerat omnia, quæ sunt suæ considerationis, sicut Metaphysicus et Mathematicus; ergo generaliter scientia ista est scientia una. (Aristoteles.)

3. Circa istam quæstionem sic procedam: quia enim ista quæstio quærit de unitate scientiæ, impossibile est veritatem hujus quæstionis scire, nisi sciatur unde sumitur unitas et distinctio scientiarum. Primo igitur investigabitur unde sumitur unitas et distinctio scientiarum? et penes quid attendatur major unitas in scientia, et minor unitas? et quid sufficiat ad unitatem scientiæ? Secundo, declarabitur quomodo scientia naturalis est una, et quomodo non; et qua unitate est una, et qua non. Tertio, respondebo ad rationem adductam ad principale, et ibi investigabo primum subjectum naturalis Philosophiæ, excludendo minus probabiles opiniones Ægidii, Thomæ et aliorum. (Tripartita hæc quæstio.)

SCHOLIUM I.

Præcipuam hujus quæstionis partem habet Doctor lib. 6. Metaph. q. 1. ubi etiam hanc Henrici Quodl. 9. q. 4. de multiplicandis specie scientiis secundum pluralitatem conclusionum demonstrabilium, hic ipsis probat, et improbat argumentis. Sed in Theologia visus est mutasse sententiam, præsertim q. 3. prologi q. 2. laterali num. 5. et 1. d. 3. q. 7. num. 41. §. *Ad secundum* et 3. d. 36. q. un. n. 21. ubi circa hoc se citat in loco illo l. 6. Metaph. Quare et commentarios in Metaphysicam, et quæstionem hanc ante opus Oxonien. scripsisse manifestum est.

Quantum ad primum articulum sic procedam: Primo, recitabo duas opiniones cum motivis suis. Secundo, arguam contra utramque. Tertio, dicam quantum ad istum articulum, illud quod videtur mihi probabilius. Quantum ad primum, dicunt aliqui quod unitas et distinctio scientiarum sumitur ex unitate et pluralitate conclusionum demonstrationis; sic quod respectu plurium conclusionum demonstrabilium sunt distinctæ scientiæ, et quot sunt tales conclusiones tot sunt scientiæ. Ista opinio confirmatur primo sic: Scientia ut haberi potest ex primo Posteriorum, *text. comm.* 5. est habitus cognitivus conclusionis; igitur alterius conclusionis scientiæ est alius habitus scientificus specie. Consequentia probatur sic: Scientiæ dividuntur per scibilia, sicut habitus per objecta; sed diversæ conclusiones specie distinctæ sunt scibiles specie; ergo respectu earum diversæ scientiæ specie. 4. (Primus articulus. Unde sumatur unitas scientiæ. Prima opinio quod ex unitate conclusionis. Aristoteles. Probatur primo.)

Item, habitus generantur ex ac- (Secundo.)

tibus; igitur actus differentes specie, causabunt habitus differentes, scilicet specie; sed ratio diversarum conclusionum specie, sunt actus differentes specie: primo, quia plus differunt actus considerandi diversas conclusiones specie, quam actus considerandi eamdem conclusionem, et isti differunt numero; igitur quibus considerantur diversæ conclusiones differunt plus quam numero; sed illa quæ differunt plus quam numero, differunt specie; ergo actus considerandi distinctas conclusiones specie, differunt specie, et per consequens habitus generati ex actibus erunt differentes specie.

5. Tertio. Aristoteles. Item, demonstratio est syllogismus faciens scire, *primo Posteriorum, text.* 5. igitur distinctæ demonstrationes specie, causabunt distinctas scientias specie; sed diversarum conclusionum specie sunt diversæ demonstrationes specie. Probatur, quia plus differunt demonstrationes circa diversas conclusiones specie, quam demonstratio una circa eamdem conclusionem pluries iterata; demonstrationes autem iteratæ circa eamdem conclusionem differunt numero, et per consequens et demonstrationes circa diversas conclusiones differunt specie, quia differre plus, quam numero est differre specie.

Secundum istam opinionem patet quid esset dicendum ad quæstionem; quia cum in naturali Philosophia includantur multæ conclusiones, naturalis Philosophia non est scientia una, sed plures et tot, quot conclusiones continet. Ponit et ista opinio cuilibet complexo correspondere distinctum habitum, et quia aliud complexum est principium, et aliud complexum conclusio, dicit quod habitus conclusionis et principii est alius, et alius.

Contra istam opinionem arguo sic, primo: Si cuilibet conclusioni correspondet una scientia, nullus habitus includens plures conclusiones specie distinctas, erit habitus unus, nisi unitate aggregationis, et per consequens cum Geometria includat conclusiones multas, Geometria non erit habitus unus, cujus contrarium innuit Philosophus *primo Posteriorum.* 6. Refutatur primo. Aristoteles.

Item, secundum istam opinionem videtur quod tanta sit unitas naturalis scientiæ et Geometriæ, quanta est unitas naturalis scientiæ tantum, quia naturalis scientia et Mathematica possunt dici una scientia unitate aggregationis: sed inconveniens est dicere tantam unitatem habere scientiam naturalem et Mathematicam, quantam habet naturalis tantum; igitur non omnis scientia includens plures conclusiones specie distinctas, est una tantum unitate aggregationis; plurium ergo conclusionum poterit esse una scientia formalis. Secundo.

SCHOLIUM II.

Sententiam Ægidii et aliquorum, quæ etiam videtur D. Thomæ I. 2. q. 54. art. 4 scientiæ unius unum esse simplicem habitum circa subjectum unum sub una ratione formali, qua considerantur omnia quæ per attributionem reducuntur ad illud subjectum late explicat, et positis fundamentis reducit ad quatuor assertiones. Deinde singulas peculiaribus rationibus refellit, clariori methodo, quam in citata quæstione lib. 6. Me-

taph. Vide de his Suar. in Metaph. disp. 44. sect. 11.

7. Secunda opinio quod unitas sumatur ex unitate subjecti. Alii ergo quantum ad istum articulum dicunt aliter quod unitas scientiæ secundum speciem specialissimam attendatur penes unitatem subjecti, de quo est talis scientia; si tamen cum unitate subjecti concurrat una formalis ratio considerandi omnia, quæ attribuuntur ad subjectum illud, et quæ considerantur a scientia illa; talis scientia habens subjectum unum ad quod plura attribuuntur, et unam formalem rationem per quam considerat omnia, quæ pertinent ad scientiam illam in una anima, est una numero ex multis actibus intelligendi generata; sicut est una albedo intensa in una superficie, licet ab eodem agente, vel a diversis unica transmutatione, vel pluribus inducta.

Explicatur. Ad majorem autem declarationem positionis suæ distinguunt de formis recipientibus intensionem et remissionem : quædam enim formæ inducuntur unico actu secundum gradum perfectionis suæ et complexionis suæ, ut albedo; quædam inducuntur secundum gradum perfectionis suæ pluribus actibus difformibus, et non tantum distinctis specie, sed etiam genere, cujusmodi forma est scientia, in cujus generatione ponunt fieri talem processum. Ex primo actu intelligendi, quo cognoscitur principium primum alterius scientiæ, habetur tota essentia habitus scientifici, sed in gradu primo et imperfectissimo, et iste habitus in isto gradu dicitur intellectus principii. Ulterius per alios habitus cognoscendo alia principia augetur idem habitus, et dicitur scientia; et iste habitus in suo ultimo gradu non est magis compositus, quam in primo gradu, quia tales gradus contenti in isto habitu non differunt nisi secundum rationem; pluritas autem distinctorum secundum rationem non ponit in aliquo compositionem secundum rem; et licet, dicunt ipsi, isti actus intelligendi principia et conclusiones differant genere, et actus intelligendi diversas conclusiones specie, differant specie, quia actus distinguitur genere et specie, penes objecta distincta genere et specie, cum ex eis generatur habitus specie et numero unus in anima una, ex talibus sic differentibus augetur idem actus habitus ad consimiles actus inclinans; nec ex actibus intelligendi conclusiones inducitur novus habitus distinctus ab habitu inducto per actus intelligendi principia, sed præexistens augetur.

Et hoc ipsi probant sic : Principium perfectius cognoscitur, quando ex ipso conclusio deducitur quam ante : sed hoc, dicunt ipsi, non esset, si novus habitus induceretur, non igitur novus habitus inducitur, sed tantum præexistens augetur 8. Probatur primo.

Additur etiam ad hanc rationem, quod iste habitus sic generatus ex diversis actibus, non tantum intenditur ex talibus actibus difformibus, et ex consideratione diversorum principiorum et conclusionum; sed augetur ex frequenti consideratione ejusdem principii, Secundo

ejusdem conclusionis, ut sic eodem habitu perfectius cognoscatur unum principium quam aliud, et una conclusio quam alia, inquantum actus cognoscendi tale principium vel talem conclusionem, est frequentius iteratus.

9. Refutatur in quatuor assertionibus. Hæc opinio est fideliter recitata, ut distinctius habeatur intellectus opinionis, et clarius appareat falsitas ejus. Ista enim opinio ponit quatuor in summa colligendo, contra quæ intendo arguere. Primum est, quod scientia quædam potest generari et induci pluribus actibus difformibus, et non tantum distinctis specie, sed genere. Secundum est, quod gradus istius habitus non distinguuntur inter se, nisi ratione tantum. Tertium est, quod habitus non tantum intenditur ex actibus difformibus, sed ex eisdem pluries iteratis. Quartum est, quod idem habitus specie est principiorum et conclusionum.

In prima refellitur primo. Contra primum arguo primo sic : Non magis videtur repugnare habitibus moralibus, sive virtuti morali, augeri et generari ex actibus difformibus quam habitui intellectuali ; sed una virtus moralis, puta temperantia, non generatur, nec augetur ex actibus difformibus; ergo nec scientia generabitur ex talibus actibus difformibus.

Vel si dicas quod generatur et augetur ex talibus actibus difformibus, eodem modo dicam quod non est nisi una virtus moralis in appetitu, quæ secundum totam essentiam, (licet in gradu infimo) inducitur per actum fortitudinis : eadem autem virtus, non alia augetur per actum temperantiæ, et ita per actus aliarum virtutum moralium ; non enim video rationem quare plus concedat de uno habitu quam de alio.

Item contra illud arguo sic, et præcipue contra illud, quod dicebat quod non obstante diversitate actuum, quibus cognoscantur principia et conclusiones, differant genere et specie, habitus tamen generatus ex eis erit idem specie, arguo sic : Secundum eos, actus est generatus habitus, per hoc quod agens naturaliter suam similitudinem imprimat in passo ; tunc sic : Agentium differentium genere et specie, secundum proprias rationes agentium, sunt diversæ similitudines reales specie ; sed actus, quibus cognoscuntur principia, et conclusiones, sunt actus differentes genere et specie, qui agunt ad generationem habitus secundum proprias rationes ; ergo generant habitus differentes specie. 10. Secundo.

Confirmatur ista ratio sic : Ideo actus morales difformes, verbi gratia, temperantiæ et justitiæ, generant distinctos habitus specie, quia secundum proprias specificas rationes habent distincta objecta, et distincta objecta distinctas similitudines naturales imprimunt potentiæ ; cum ergo actus circa principium et circa conclusiones differant genere, relinquunt in intellectu suas similitudines similiter differentes, et per consequens causabunt in intellectu diversos habitus, et non eumdem habitum. Confirmatur secunda ratio.

Contra secundum dictum arguo sic : Quando gradus ejusdem formæ sic se habent, quod tota essentia formæ potest salvari in uno 11. Refellitur in secunda assertione.

gradu, alio corrupto, illi gradus non distinguuntur tantum secundum rationem in illa forma, sed distinguuntur realiter ; sed tota essentia scientiæ potest salvari in uno gradu, alio corrupto ; igitur non differunt tantum ratione.

In tertia. Contra tertium dictum arguo sic : Idem est habitus numero, quo cognosco istam conclusionem et illam ; sed ex frequenti consideratione circa istam augetur iste habitus circa conclusionem, quia perfectius cognosco illam, iterando actum circa illam, et non augetur circa illam conclusionem, quia ex hoc, quod frequenter considero unam, non perfectius cognosco aliam ; igitur idem habitus numero augetur et non augetur, quod est dicere contradictionem.

Item in quarto refellitur primo. Circa quartum dictum arguo primo sic ; illa quæ distinguuntur sicut alia contenta sub eodem genere propinquo, sunt magis disparata et minus incompossibilia, quam quæ distinguuntur sicut contenta sub genere remotiori. Ista declarantur, quia magis sunt disparata et minus incompossibilia album et nigrum, quæ sunt ejusdem generis propinqui, quam album et dulce, quæ sunt contenta sub genere remotiori ; sed secundum Aristotelem 6. *Ethicorum*, *cap.* 3. distinguitur intellectus a scientia, sicut alius habitus, contentus tamen cum scientia sub eodem genere propinquo et remotiori, quam sit intellectus vel scientia cum opinione, et primo differentia ; igitur magis disparata et minus compossibilia sunt intellectus et scientia, quam scientia et opinio : sed impossibile est eumdem habitum esse scientiam et opinionem ; igitur impossibile est intellectum et scientiam esse eumdem habitum indistinctum.

Aristoteles.

12. Secundo. Formatur sic ratio breviter : Distincta sub eodem genere propinquo repugnant esse idem indistinctum ; intellectus et scientia secundum Aristotelem 6. *Ethicor.* distinguuntur sicut duo contenta sub eodem genere propinquo ; igitur non est idem habitus indistinctus.

Tertio. Item, impossibile est in eodem intellectu respectu ejusdem complexi stare simul oppositos habitus, sed cum notitia principiorum in Geometria et etiam conclusionum, stat ignorantia alicujus conclusionis Geometricæ, et non tantum ignorantia negationis, sed etiam dispositionis generata per syllogismum falsigraphum ; igitur impossibile est quod habitus, quo cognoscimus principia et conclusiones illas scientifice in Geometria, sit habitus ille quo nata est ista conclusio ignorata cognosci, quia de illa habetur habitus oppositus illi, qui natus est per se cognosci, alioquin ratio ejusdem complexi esset in intellectu modo habitus oppositi.

13. Quarto. Item, impossibile et inconveniens videtur, quod aliqua potentia habeat habitum aliquem respectu alicujus objecti, et tamen quod illa potentia per illum habitum circa illud objectum, non possit habere aliquem actum, saltem imperfectum ; sed intellectus cognoscens principia in Geometria et aliquas conclusiones, per illum habitum

scientificum, quem habet respectu principiorum et illarum conclusionum, nullum actum quantumcumque imperfectum, circa conclusionem illam potest habere, de qua habet ignorantiam dispositionis generatam per syllogismum falsigraphum; igitur impossibile est dicere quomodo cognoscuntur principia in Geometria, et illæ conclusiones scitæ, si est idem ille habitus, quo habet cognosci talis conclusio ignorata.

Quinto. Item, quanto habitus est intensior, tanto potentia mediante illo habitu potest habere perfectiorem actum circa quodlibet objectum illius habitus; sed experimur quod addiscendo secundum librum Geometriæ frequenter obliviscimur conclusionum primi libri, vel saltem non ita perfecte cognoscimus eas, sicut quando actualiter occupamur circa primum librum; igitur non est idem habitus, quo cognoscuntur illæ conclusiones et istæ, nec quo cognoscuntur principia et conclusiones.

14. Sexto. Item, habitus secundum gradum imperfectum non potest esse causa habitus secundum gradum perfectiorem, alioquin effectus excederet suam causam; sed cognitio principii est causa cognitionis conclusionis, cum arguat Aristoteles primo Posteriorum, text. comm. 5. *Propter quod unumquodque tale, et illud magis :* sed propter principia cognoscimus conclusiones; ergo cognitio principii est causa cognitionis conclusionis, et efficiens, quia major Aristotelis non habet veritatem, nisi in causis efficientibus; igitur iste habitus, qui respicit principia, non est infimus gradus in habitu recto ordine generato; esset autem infimus gradus si idem esset habitus principiorum et conclusionum; igitur habitus principiorum et conclusionum non est idem, sed distinctus. Sic igitur patet improbabilitas illius opinionis.

SCHOLIUM III.

Triplicem hanc unitatem habitus alicujus complexi, et triplicem unitatem, sive distinctionem scientiarum, atque unde sumenda sit major, vel minor unitas scientiæ, tractat aliquanto brevius, et paucis mutatis, hoc ferme modo in supra citata quæstione 1. 6. Metaph. et q. sequenti num. 4. et 5. ubi videndus Scholiastes in utraque quæstione, nec non ampla illa additio ad primam quæstionem. Deinde infert unitatem scientiæ naturalis non esse specialissimæ, neque generis intermedii, sed immediati generi generalissimo.

Quantum igitur ad istum articulum, unde scilicet sumatur unitas 15.
et distinctio scientiarum, duo declarabo : Primo, quomodo potest intelligi respectu alterius complexi esse habitum unum? Secundo, ex hoc apparebit quomodo diversimode sumitur unitas et distinctio scientiarum? et quomodo respectu plurium conclusionum potest esse idem habitus, et quomodo non? Quantum ad primum est sciendum, quod respectu alicujus complexi esse unum habitum, potest intelligi tripliciter. *Quomodo possit esse unus habitus alicujus complexi.* Uno modo, ut talis complexi intelligatur esse unus habitus specie specialissima. Secundo modo potest intelligi quod alicujus complexi sit unus habitus unitate generis subalterni intermedii. Tertio

modo unitate generis immediati generi generalissimo. Declaratio istorum : habitum unum respectu alicujus complexi unitate speciei specialissimæ, dico illum, quo intellectus inclinatur ad speculandum formaliter tale complexum, sicut frequenti consideratione hujus conclusionis, quæ est *habere tres angulos*, etc. derelinquitur in intellectu meo quædam naturalis consimilitudo, quia intellectus meus inclinatur ad speculandum formaliter istam conclusionem. Secundo modo ratio ejusdem complexi potest esse unus habitus secundo modo, scilicet unitate generis intermedii, quando intellectus aliquo habitu non inclinatur ad speculandum formaliter illud complexum, sed inclinatur ad speculandum formaliter aliquid extra hoc, quod tamen virtualiter contineatur in alio, ut v. g. illud complexum, quod est *habere tres angulos*, etc. Et si iste habitus debet esse unus unitate generis intermedii, oportet quod notitia illius, in quam formaliter inclinatur, virtualiter contineatur in aliquo ; alioquin si ejus notitia non virtualiter contineretur in aliquo, talis habitus erit unus unitate generis immediate proximi generi generalissimo. Tertio igitur modo potest intelligi habitus esse unus unitate generis immediati generi generalissimo, quando est talis habitus, quo inclinatur intellectus ad speculandum aliquid formaliter, cujus notitia non continetur in aliquo formaliter; iste autem habitus inclinando intellectum ad speculandum formaliter aliquid, inclinat naturaliter ad speculandum aliud, sicut illud complexum *habere tres angulos*, etc.

16. His declaratis, apparet manifeste unde sumitur unitas, et distinctio scientiarum, quia unitas specialissima sumitur ex unitate complexi, in cujus notitiam formaliter inclinatur intellectus per istum habitum. Unitas generis subalterni sumitur ex hoc, quod illud in quod inclinatur intellectus per istum habitum, continet virtualiter notitiam alicujus alterius, de quo natus est haberi unus habitus specie, ita tamen quod notitia ejus, in quam inclinat iste habitus, virtualiter contineatur in alio superiori. Unitas generis immediati generi generalissimo sumitur ex hoc, quod notitia in quam formaliter inclinatur iste habitus, non continetur in aliquo superiori, in ipso tamen virtualiter continentur principia aliqua, de quibus nati sunt haberi distincti habitus specie.

Ex his apparet manifeste quomodo respectu diversorum complexorum potest esse una scientia, et quomodo non; quia secundo et tertio modo plurium complexorum potest esse unus habitus : primo autem videtur ratio complexi esse proprius habitus, sicut sufficienter concludunt rationes factæ secundum secundam opinionem quæ erat eadem.

17. *Secunda pars primi articuli. Penes quid attenditur major, vel minor unitas in scientia.*

Quantum ad secundum articulum inclusum in primo principali, penes quid scilicet attendatur major, vel minor unitas in scientia ? Dico quod major, vel minor unitas in genere scientiæ non attenditur penes hoc, quod subjectum unius est magis commune per prædica-

tionem, et minus unum quam subjectum alterius. Hujus ratio est, quia quatumcumque aliquid sit communius altero, æque tamen illud communius natum est cognosci uno actu intellectus sicut minus commune; æque enim magis commune est cognoscibile, sicut minus commune. Tunc deducitur ratio sic : Ille habitus non est minus unus, quam alius, cujus objectum æque natum est attingi per unum actum, sicut objectum alterius. Illud probatur, cum enim habitus generetur ex multis actibus, æque minus communis ac magis communis actus generabit unum habitum ; sed, ut declaratum est, objectum commune æque natum est attingi per unum actum sicut objectum minus commune; igitur ex hoc quod objectum unius erit communius quam objectum alterius, non erit scientia minus una, quam alia.

Ex isto per modum cujusdam corollarii potest inferri, quod quamvis subjectum Metaphysicæ sit magis commune quam subjectum naturalis Philosophiæ, non propter hoc Metaphysica est minus una scientia in genere scientiæ quam naturalis Philosophia.

18. Viso igitur quod major unitas, vel minor in genere scientiæ, non attenditur penes majorem, vel minorem communitatem objecti per prædicationem, dico quod major unitas, vel minor in scientia attenditur penes hoc quod subjectum scientiæ, in cujus notitia formaliter inclinat scientia, virtualiter inclinat in plura, vel pauciora, de quibus nati sunt esse distincti habitus genere subalterno, vel specie. Quandocumque igitur aliquæ scientiæ sic se habent, quod una inclinat intellectum ad speculandum formaliter aliquid, et virtualiter inclinat ad speculandum plura, de quibus possunt esse distincti habitus quam alia, illa scientia est minus una.

Hoc declarato, videndum est de tertio incluso in articulo primo principali, quid videlicet sufficit ad hoc quod respectu plurium possit esse una scientia? Ad cujus evidentiam est sciendum, quod habitum aliquem inclinando intellectum ad speculandum formaliter aliquid, inclinare ad speculandum aliud, potest intelligi dupliciter, vel potentiale et in confuso, quomodo habitus de aliquo communi per prædicationem priorum illius communis inclinat ad speculandum proprias passiones inferiorum. Alio modo potest habitus inclinans intellectum ad speculandum formaliter aliquid, inclinare intellectum ad speculandum aliud virtualiter, ita quod ejus notitia virtualiter contineatur in eo, ad quod formaliter speculandum inclinatur intellectus. Primus modus non sufficit ad unitatem habitus in genere scientiæ. Hoc probo sic : si unus habitus erit respectu ejus, in quod formaliter inclinatur intellectus et reliquorum, in quæ inclinat in potentia, non erit nisi una scientia prima, scilicet Metaphysica, quia cum Metaphysica inclinat intellectum ad speculandum formaliter ens, inclinat etiam in potentia et in confuso intellectum ad speculandum omnia contenta sub illo ente,

19. Tertia pars primi articuli. Quid sufficit ut respectu plurium possit esse una scientia.

et per consequens entis, et omnium contentorum sub ente, erit unus habitus ; sed falsum est quod sit tantum una scientia prima, scilicet Metaphysica, sicut patet per Aristotelem in 6. *Metaphysicæ, text. com.* 2. ubi dividit scientiam in Metaphysicam, Physicam et Mathematicam, tanquam in tres partes scientiæ speculativæ; igitur habitus inclinans intellectum ad speculandum formaliter aliquid, et in potentia et in confuso, omnia contenta sub illo, non est unus unitate requisita ad habitum in genere scientiæ. Respectu autem eorum, quæ sic se habent, quod intellectus virtualiter inclinatur ad speculandum ea, ex hoc quod inclinatur ad speculandum formaliter suum subjectum, potest esse unus habitus unitate requisita ad habitum in genere habitus.

Aristoteles.

Ex dictis in isto tertio articulo, et in secundo præcedenti, posset deduci quod Metaphysica est magis una quam scientia naturalis; quia, secundum dicta in secundo articulo, non sufficit ad unitatem habitus inclinare intellectum ad speculandum formaliter aliquid, et in potentia et in confuso inclinare intellectum ad speculandum contenta sub eo; in priori articulo dictum est quod illa scientia est minus una, quæ est ratio plurium, quorum nati sunt esse distincti habitus genere, vel specie : sed objectum naturalis Philosophiæ continet virtualiter plura, quorum nati sunt esse distincti habitus, respectu quorum habent unitatem habitus quam objectum Metaphysicæ; igitur Metaphysica est magis una in genere scientiæ, quam naturalis Philosophia, quoniam objectum naturalis Philosophiæ continet virtualiter plura, de quibus nati sunt esse distincti habitus quam objectum Metaphysicæ. Patet consideranti primum subjectum naturalis Philosophiæ, quod investigabitur in hoc secundo articulo.

21. Articulus secundus. Quomodo scientia naturalis est una. Prima conclusio.

De secundo articulo principali, qua scilicet unitate sit una scientia naturalis, pono tres conclusiones. Prima est, quod naturalis Philosophia non est una scientia naturalis, unitate specie specialissimæ. Secunda conclusio, quod non est una unitate generis subalterni intermedii. Tertia conclusio, quod est una unitate generis immediati generi generalissimo. Prima conclusio probatur primo sic : Prima divisio generis generalissimi non est per species specialissimas ; sed naturalis Philosophia immediate dividit genus scientiæ; ergo naturalis Philosophia non est una unitate speciei specialissimæ. Major est manifesta. Minor patet per Philosophum 6. *Metaphysicæ*.

Secunda. Tertia.

Aristoteles.

Secundo probatur eadem conclusio sic : Illa scientia, cujus subjectum non continetur virtualiter in notitia alterius, non est una unitate speciei specialissimæ; subjectum enim habitus habentis unitatem speciei specialissimæ continetur virtualiter in notitia subjecti superioris scientiæ; sed subjectum naturalis Philosophiæ, cum sit una prima scientia, id est, primo dividens genus scientiæ non continetur virtualiter in notitia alterius subjecti superioris scientiæ, alioquin non erit prima; igitur naturalis

Philosophia non est una unitate speciei specialissimæ. Per easdem rationes potest probari secunda conclusio.

22. Tertia conclusio. Tertia conclusio probatur breviter sic : Illa scientia, quæ immediate dividit genus generalissimum, est una unitate generis proximi, immediati generi generalissimo ; sed naturalis Philosophia primo et immediate dividit genus scientiæ; igitur est una unitate generis immediati generi generalissimo. Major est nota. Minor habetur 6. *Metaphysicæ, text. com.* 3.

His visis, satis patet quid veritatis continet prima opinio, quæ ponebat cuilibet complexo respondere proprium habitum, quia si intelligat de habitu uno unitate speciei specialissimæ, vera est; et hoc concludunt rationes adductæ ad confirmationem illius opinionis. Si autem secunda opinio intelligeretur multorum complexorum, ut principiorum et conclusionum esse unum habitum unitate generis immediati generi generalissimo, haberet veritatem, sic patet per declarata in primo articulo principali.

SCHOLIUM. IV.

Respondet ad argumenta, quibus in principio quæstionis videbatur probari objectum scientiæ naturalis, sive librorum de Physico auditu esse ens mobile, quod tamen ipse etiam docuit lib. 1. Physic. q. 1. modo ipsius opus sit. Deinde docet proprium Physicæ subjectum esse substantiam corpoream habentem formam determinatam, quæ sit principium determinatæ operationis, videlicet motus et quietis, quod etiam docet q. 1. lib. 6. Met. n. 11. Adhibita tamen distinctione hujus verbi *mobilis*, quam ipse Scotus assignat ibidem n. 17. et si accipiatur pro aptitudine remota ad motum, facile conciliari possunt hæ opiniones, ut recte insinuant Aretinus ad q. 1. Phys. n. 16. et Faber theorem. 20. c. 2. in principio.

Nunc restat tertio respondere ad rationem adductam in principio. In respondendo autem ad rationem illam sic procedam. Primo, ostendam falsitatem ejus, quod assumebatur in ratione, scilicet quod corpus mobile sit subjectum in naturali Philosophia. Secundo, ostendam quod *mobile* non potest esse formalis ratio subjecti naturalis Philosophiæ. Tertio, investigabo quid est illud, quod est immediatum subjectum scientiæ naturalis? Quarto, respondebo ad motiva, quibus probatur illud assumptum. 23. Articulus tertius.

Primum, scilicet quod corpus mobile non sit subjectum naturalis Philosophiæ, arguitur primo sic. Suppono duo : primum scilicet quod scientia naturalis est scientia prima primo dividens genus scientiæ. Secundum, quod scientia naturalis sit per se una, et sequitur secundum ex primo, quia nullum per accidens potest esse primum. Tunc arguo sic : ejus cujus non est *quid*, non potest esse scientia proprie et maxime prima : sed corpus mobile non habet proprie *quid;* ergo corpus mobile non est subjectum naturalis Philosophiæ. Major probatur, quia de eodem cujus non est *quid*, non potest aliquid demonstrari, quia non potest esse scientia proprie. Probatur minor, quia nihil includens conceptus diversorum generum habet proprie *quid*, sicut nec ens inclu- Philosophiæ subjectum non est ens mobile.

dens res diversorum generum, est ens per se unum.

24. Item, de eo non est scientia et maxime prima, de quo non potest demonstrari aliqua passio, et accipi ut unum. Probo : Demonstrari passionem de aliquo ut distinctum, nihil aliud est quam demonstrari de eo per partem : sed de ente includente res diversorum generum, non potest demonstrari aliqua passio una primo, sed quæcumque passio demonstraretur de eo, demonstraretur per partem ejus ; sicut patet quod *disgregare* non potest demonstrari primo de homine albo, sed demonstratur de eo per partem, scilicet per albedinem. Et ratio propositionis assumptæ est, quod una passio oritur ex principiis unius per se entis ; igitur de tali ente per accidens non potest esse scientia per se una et maxime prima ; tale autem ens per accidens, est corpus mobile ; ergo de ipso, sicut de subjecto, non poterit esse scientia naturalis quæ est scientia per se una et prima.

Objectio. Sed oritur dubium unum, quia subalterna aliqua, puta, Perspectiva est scientia una, et tamen ejus subjectum est ens per accidens, quia ejus subjectum est linea visualis.

Dico quod Perspectiva non est scientia una, sicut est naturalis Philosophia vel Geometria, imo Perspectiva subalternatur duabus scientiis, scilicet naturali, ratione visualitatis, et Geometriæ, ratione lineæ ; unde per illud dubium non tollitur vis rationis adductæ.

25. Ex his rationibus patet falsitas opinionum Ægidii et Thomæ, quia cum corpus mobile et ens mobile includat diversos conceptus, non facientes per se unum, neutrum eorum poterit poni primum subjectum naturalis Philosophiæ, quæ est per se una et prima.

Sed tenentes alteram partem dictarum opinionum, possent respondere ad istas rationes. Virtus enim illarum rationum videtur consistere in eo quod id o corpus mobile, vel ens mobile, non potest esse subjectum, quia est per accidens, et de ente per accidens non est scientia. Distinguunt autem de *ente per accidens* : quoddam est per accidens, quod includit res diversorum generum, ut homo albus. Alio modo dicitur ens per accidens in ordine ad suam causam, scilicet quod non habet causam determinatam sui *esse*. Loquendo de ente per accidens primo modo propositio est falsa, sicut patet de linea visuali et de Perspectiva ; et tale ens per accidens est corpus mobile. Loquendo autem de ente per accidens secundo modo, proprie habet veritatem, et tunc non est ad propositum.

Potest etiam responderi ad majorem, quando dicitur corpus mobile est ens per accidens, verum est, sed corpus consideratum inquantum mobile, non est objectum unum per accidens, sed est unum cognoscibile, habens unam formalem rationem, sub qua consideratur.

Istæ resolutiones non evacuant rationes. Prima solutio data ad majorem non valet, quia sicut patet intuenti rationes illas, non tantum concludunt non posse esse scientiam naturalem de ente per

accidens secundo modo, sed etiam primo modo, et instantia de Perspectiva est exclusa. Deinde aliam deduco rationem contra opiniones illas sic : Ex actu uno per accidens non potest generari in causato major simplicitas quam in causa ; sed actus, quo cognoscitur ens per accidens primo modo, et actus unus includens duos actus genere distinctos, sicut in objecto includuntur duo objecta nata attingi distinctis actibus ; igitur habitus derelictus ex talibus actibus non erit per se unus.

20. Circa solutionem ad minorem, quando dicit quod corpus mobile inquantum mobile, non est ens per accidens, quæro a te, accipiendo corpus inquantum mobile, vel intelligo præcise corpus, vel præcise mobile, vel utrumque ? Non præcise corpus, quia mobile non includitur in formali ratione corporis ; nec præcise mobile, quia sic tunc mobile erit subjectum naturalis Philosophiæ, quod repugnat sibi, eo quod prima scientia est, quia ejus subjectum debet virtualiter contineri in notitia alterius ; *mobile* autem cum sit accidens, virtualiter continetur in notitia alterius, scilicet substantiæ; igitur intelligendo corpus inquantum mobile, intelligo utrumque ; sed utrumque est unum cognoscibile per accidens ; igitur nec corpus mobile, nec in eo quod mobile potest poni subjectum naturalis Philosophiæ.

21. Probo secundo quod *mobile* non potest esse formalis ratio subjecti scientiæ naturalis, sic : Quandocumque alicui subjecto insunt plures passiones ordine quodam, impossibile est posteriorem passionem esse formalem rationem subjecti, ut de ea nata est esse scientia prima, quia prima scientia est de eo per rationem ejus, quod sibi primo inest. Posterior autem passio non potest esse ratio sciendi de eo primam passionem, quia cum prima passio sit ratio cognoscendi posteriorem passionem de subjecto, si per posteriorem passionem concluderetur prior passio de subjecto, tunc esset circulus in causis, et idem erit causa sui ipsius. Si enim *A* est causa *B*, et *B* causa *C*, et *C* causa *A*, tunc *A* est causa *A* ; sed *mobile* non est prima passio corporis, etiam inquantum est de consideratione naturalis Philosophiæ ; igitur *mobile* non est formalis ratio subjecti scientiæ naturalis. Major est declarata. Minor probatur, quia prius intelligitur corpus esse quantum quantitate terminata, quam intelligatur esse mobile secundum quantitatem, et prius esse quale quam esse mobile secundum qualitatem, et etiam esse prius quantum quantitate terminata quam esse mobile secundum *ubi*. Prius etiam intelligitur esse quantum quantitate terminata, et etiam quale quam sit mobile secundum *ubi*, accipiendo *ubi* secundum determinatam positionem loci, puta *ubi* sursum, vel deorsum; *mobile* igitur non est prima passio corporis, etiam ut corpus est de consideratione naturalis Philosophiæ.

Restat nunc investigare tertio quid est primum subjectum naturalis Philosophiæ ? Circa quod sic procedam : Primo, investigabo conditiones requisitas ad hoc, quod 23.

aliquid ponatur primum subjectum scientiæ naturalis. Secundo, inquiram quid illud, cui illæ conditiones attribuuntur et conveniunt, et illud ponetur subjectum in naturali Philosophia.

Quod est primum subjectum naturalis Philosophiæ.

Quantum ad primum est sciendum, quod naturalis Philosophia est scientia realis speculativa, primo dividens genus scientiæ speculativæ, magis contracta in consideratione sui subjecti, quam ipsa Philosophia prima. Ista patent per Philosophum 6. *Metaphysicæ, text. comm.* 4. Ex his conditionibus naturalis Philosophiæ, patent quæ debent esse considerationes primi subjecti scientiæ naturalis, quia enim Philosophia est scientia realis, ejus subjectum debet esse reale et non ens rationis, ex quo concluditur quod nullum ens rationis potest esse objectum istius scientiæ, quia est magis contracta quam Metaphysica ; ejus subjectum debet esse minus commune per prædicationem quam subjectum Metaphysicæ, quia est scientia speculativa, proprie et stricte ; ejus objectum debet esse mere speculabile, quia primo dividit genus scientiæ, ejus subjectum debet esse tale, quod de ipso sit primo demonstrabilis aliqua passio. Et intelligo *primo* dupliciter : Uno modo, quod si de ipso demonstretur passio, quod sit per rationem ejus, non per rationem alicujus superioris. Secundo modo, quod si de ipso demonstretur passio primo, quod ipsum nullius alterius sit passio, quia cum omnis passio virtualiter contineatur in suo subjecto, de eo quod est passio alterius, non potest esse scientia prima, sed præsupponit priorem in cujus notitia virtualiter ipsa continetur. Et ex ista conditione per modum corollarii licet inferre quod quantitas non est subjectum in Metaphysica, quia cum Metaphysica sit prima scientia naturalis, illud cujus notitia continetur in alio, non potest poni primum ejus objectum ; omnis autem generis accidentis notitia virtualiter continetur in substantia quantum ad suas species et individua.

Breviter igitur colligendo, subjectum primum naturalis Philosophiæ requirit quatuor conditiones : 29.
Prima, quod sit ens reale, minus commune quam Metaphysicæ, mere speculabile. Secunda, quod de ipso primo demonstrabilis sit aliqua passio primo modo exposito. Tertia, quod talis passio sit cognoscibilis de ipso via sensus. Quarta et ultima conditio est, quod ratio illa, per quam demonstratur talis passio de ea, distinguat eam ab aliis scientiis, et hæc conditio est formalissima.

His visis, videndum est quod est illud ens, in quo istæ conditiones habent reperiri, et primo in quo non habeant reperiri. Secundo, concludetur illud, in quo habent reperiri. Et primo istæ conditiones non possunt reperiri in ente rationis, nec in ente transcendente, quod est unum cognoscibile reale abstractum ab omnibus inferioribus, nec in aliquo accidente, nec in Substantia, ut est genus generalissimum, nec in aliqua substantia una unitate speciei specialissimæ, vel individui, nec in sub-

stantia incorporea immediate dividente substantiam, nec in substantia corporea abstracte accepta. Reperiuntur autem omnes istæ conditiones in substantia corporea immediate dividente genus Substantiæ, inquantum talis substantia consideratur, ut habet formam determinatam, ratione cujus consequitur ipsam esse principium determinatæ operationis, motus et quietis, mediantibus determinatis accidentibus, quæ sibi determinant, inquantum sic considerantur ut habent determinatam formam. Igitur *naturale* aliud a substantia corporea sic accepta, potest poni subjectum naturalis Philosophiæ.

30. Hujus rationis probatio declaratur, et primo pars negativa quantum ad omnes sui partes : secundo declarabitur pars affirmativa. Prima pars illius negativæ patet. Dictum est enim quod cum Philosophia sit scientia realis, ejus subjectum debet esse cognoscibile reale. Secunda pars de ente transcendente patet etiam, quia cum sit magis contracta quam Metaphysica, ejus subjectum debet esse contractum magis quam subjectum Metaphysicæ, quod est *ens* inquantum *ens*, ut *ens* dicit quoddam cognoscibile reale abstractum ab omnibus inferioribus entibus realibus. Tertia pars de accidente, patet quod cum sit scientia prima, ejus primi subjecti notitia non debet virtualiter contineri in aliquo; notitia autem omnis accidentis virtualiter continetur in alio, ut in subjecto. Quarta pars de substantia, ut est genus generalissimum, probatur ex hoc quod nullum genus generalissimum habet passionem primo demonstrabilem de ipsa; sed tantum de ipso demonstrantur passiones entis, et ideo sunt de consideratione Metaphysicæ. Quinta pars de substantia una unitate speciei, vel numero, probatur de una numero, quia individui non est aliqua passio primo, nec similiter alia a passione primo demonstrabili de specie; sed ista supponit priorem habentem unitatem generis proximi generi generalissimo. Sexta pars de substantia incorporea patet, quia etsi talis substantia habeat passiones primo demonstrabiles de ipsa, utroque modo accipiendo, et per consequens de ipsa sit scientia una ; quia tamen tales passiones non sunt demonstrabiles de ipsa, via sensus, non potest poni subjectum in naturali Philosophia, quæ est scientia possibilis haberi via sensus. Ultima pars probatur, quia substantia corporea considerata abstracte, cui primo nata est inesse quantitas, est subjectum Mathematicæ, quia per rationem quantitatis, tanquam primæ passionis, quam supponit inesse ipsi substantiæ, demonstrant illa quæ demonstrant; quantitas tamen non est prima ratio subjecti, sicut est ostensum *supra*.

Pars affirmativa probatur primo 31.
ex sufficienti divisione. Cum autem nihil aliud relinquatur, quod possit poni subjectum scientiæ naturalis, nisi substantia corporea accepta inquantum habet determinatam formam, per quam determinat sibi determinata accidentia, medianti-

bus quibus est principium determinatarum operationum, ut motus et quietis, sequitur quod substantia corporea sic accepta sit subjectum naturalis Philosophiæ.

Secundo declaratur idem sic : Illud est subjectum primum scientiæ et nihil aliud, cui præcise et nulli alii conveniunt omnes conditiones requisitæ ad primum subjectum talis scientiæ ; sed conditiones requisitæ ad primum subjectum naturalis Philosophiæ, præcise conveniunt substantiæ corporeæ, immediate dividenti genus Substantiæ, acceptæ sub ratione illa, sub qua dictum est ; igitur substantia corporea sic accepta, est subjectum naturalis Philosophiæ. Major est nota. Minor patet discurrendo per omnes conditiones. Sequitur igitur conclusio, et illud quod teneo, quantum ad subjectum scientiæ naturalis.

Nunc ultimo respondeo ad rationes in contrarium, quibus probatur quod est *corpus mobile*. Ad primum ad Avicennam, dico quod Avicenna ponit *corpus mobile* subjectum, quia ratio *mobilis* est ratio magis nota nobis. Et si dicatur, quod ipse ponit inquantum mobile, dico quod reduplicatio non reduplicat formalem rationem subjecti, sed convertibilem passionis cum subjecto. 32. Ad primum principale.

Ad aliud dico, quod per *corpus mobile* non distinguitur hæc scientia ab aliis, sed per aliam rationem priorem, ut patet ex declaratis. Ad secundum.

Ad aliud, quando dicit quod supponit motum, dico quod supponit respectu conclusionum cognoscibilium per naturam motus, non tamen absolute supponit omne corpus esse mobile actu. Aristoteles autem non dicit, *Nobis autem supponantur, quæ sunt natura omnia corporea*, sed *quædam moveri*, etc. Ad tertium.

FINIS

R. P. F. JOANNIS
DUNS SCOTI
DOCTORIS SUBTILIS, ORDINIS MINORUM,
IN XII LIBROS METAPHYSICORUM ARISTOTELIS EXPOSITIO

CUM SUMMARIIS ET NOTIS R. P. F. HUGONIS CAVELLI HIBERNI

CENSURA R. P. F. LUCÆ WADDINGI.

Opus hoc Scoti esse omnes admittunt, nullus expresse negat, præter unum Thomam Dempsterum, ejusque amicum et collegam, Matthæum Ferchium Veglensem, Ordinis Minorum Conventualium, virum doctissimum, mihi spectatissimum, qui eodem tempore Bononiæ scribebant. Ille ut facilius declinaret quorumdam argumentum ex hoc opere desumptum, quo Hiberni suæ genti Scotum adscribebant, opus non ipsius Scoti, sed Antonii Andreæ Aragonii esse contendit, cui Ferchius accessit. Uterque novæ suæ assertionis fundamentum posuit in verbis Aragonii, ad operis finem subjectis. Statim atque uterque prodiit, monui eruditissimum virum P. F. Hugonem Cavellum, qui tunc emaculandi, et tersius recudendi operis laborem subibat. Hoc suum ille protulit judicium, et operi inter alia præfixit; in eo tamen lapsus, quod Ferchium prius scripsisse, et hunc secutum asserat Dempsterum; prior enim scripsit Dempsterus, quippe quem eo ipso loco Ferchius ex isto opusculo testem compellat.

Dempster. de Scoti patria. Ferchius in vita Scoti c. 1. num. 40.

JUDICIUM R. P. CAVELLI.

Cæterum quia auctor quidam, vir alioquin undequaque doctissimus, ex quibusdam verbis ad calcem hujus operis positis, inductus, asseruit et aperte scripsit non Scotum, sed Antonium Andream, ejus auctorem extitisse; quod et ipsum secutus affirmat quidam Scoto-Britannus; nos ad defensionem rerum nostrarum impulsi, operæ pretium esse duximus hunc errorem profundius eruere, et aperta veritate convellere, ne ulterius se dilatet ad aliorum gravium virorum, et doctorum minus dignam æstimationem et præjudicium veritatis. Conabimur itaque apertis veritatis argumentis, ac virorum gravium testimoniis ostendere, dictum opus genuinum esse Scoti nostri fœtum, ornatum tamen, et illustratum a clarissimo ejus discipulo Antonio Andrea. Ac in primis ex ipsomet Scoto, cujus in hoc testimonium reliquis omnibus præferendum est. Is igitur in quæs-

tionibus Metaphysicalibus, quas ab ipso conscriptas nemo negat, lib. 7. quæst. 1. ad 1. in oppositum, quo probatur accidens essentialiter inhærere, seu inhærentiam esse de ejus essentia, quia Aristoteles 7. Metaphys. text. 15. videtur dicere accidens esse ens, sicut non scibile dicitur scibile. Respondet Sc us his verbis : *illud exemplum corrigitur per paragraphum sequentem, sicut exposui textum, unde exemplum quodlibet aliquid veritatis insinuat.* Exponit autem in text. 15. citato, quomodo non scibile est scibile secundum *quid* non simpliciter, quatenus scilicet scitur non sciri seu non posse sciri. Et paritas stat in hoc, quod sicut scibile per se primo est tale, et non scibile non primo est tale; sic substantia primo est ens, et habet suum *quod quid*, et accidens posterius seu non æque primo. Sed similitudo non est in eo, quod sicut non scibile est tantum secundum *quid* scibile, sic accidens est tantum secundum *quid* ens seu æquivoce cum substantia; quia accidens est ens simpliciter, et univoce cum substantia, etsi non æque primo ac ipsa.

Item quæst. 7, §, *Dico ergo quod*, ad locum Aristotelis 7. Metaphys. text 39. quo suaderi videtur *quod quid est* non esse idem cum eo cujus est : *Quære*, inquit, *expositionem textus in glossa juxta textum.* Quæsivi in hoc opere eumdem textum, et inveni quod bene rem explicat ; et in notabili adjuncto, quod vocat *glossam juxta textum*, exponit Philosophum refutantem Socratis junioris parabolam (quam ipse vocat fabulam) qui auferebat materiam a specie, et quidditate, asserens partes non esse de quidditate hominis, sicut nec æs de quidditate circuli.

Item, quæst. 19. ejusdem libri 7. ad 1. quo probatur conceptum Generis non esse alium a conceptu Speciei, quia Aristoteles ibi text. 43. ait, Genus nihil esse, præter eas quæ sunt Generis Species. Respondet dicens : *addit aut si est, est quidem ut materia, et exemplificat de voce; et illud membrum est verum, pro quo exemplum adducitur, et oportet intelligi ad manifestandum quod singulare in re correspondet conceptui communi Generis, sicut expositum fuit legendo textum.* Locus iste, ad quem se remittit, est in hoc opere ad textum jam allegatum, in quo optime explicat quomodo Genus se habet ut materia, quia determinatur per differentias, et quomodo vox quæ est genus, sit quasi materia, quam differentiæ additæ contrahunt ad species.

Item lib. 8. quæst 4. §. *Ideo aliter*, posita, et refutata sententia eorum, qui dicunt ex materia et forma fieri unum per se ; quia illud idem quod prius fuit in potentia per rationem materiæ, jam est in actu per formam, et extractio de potentia in actum non largitur multitudinem, sed perfectionem, resolvit in hunc modum : *Ideo aliter potest dici, quod sicut dictum est exponendo textum hujus capituli, quod realiter, et naturaliter compositum est in potentia propter materiam existentem, quæ potest esse aliquid ejus.* Quod probat ex Philosopho 7. Metaph. text. 22. dicente in omni generatione oportere aliquid præexistere, quod sit pars geniti ; hoc autem bene explicat Doctor in hoc opere, ad text. 15. circa quem movit dictam quæstionem quartam ad vers. *Palam itaque*, ubi docet non ideo compositum ex materia et forma, fieri unum per se, quia illud quod prius fuit in potentia per rationem materiæ, jam est in actu per formam, ut dicebat illa sententia : *Sed quia*, inquit, *in definitione seu quidditate rei, hoc quidem est ut materia, illud vero ut forma, et hoc quidem, scilicet materia, est potentia, illud vero, scilicet forma, est actu* ; et text. 13. ejusdem capitis, ostendit accidentia non habere materiam ex qua ; nec etiam substantias sempiternas, quia non includunt duas par-

tes, quarum una sit potentia, tamen secundum dictam sententiam dicerentur fieri ex materia. Et exponendo locum Philosophi adductum ex 7. Metaph. declarat tam in generatione naturali, quam artificiali manere materiam.

Hæc clare convincunt nullam,vel apparentem esse rationem dubitandi, hanc expositionem vere Scoti esse, nisi velimus etiam ejus quæstiones in dubium vocare, quas tamen omnes Auctores communi consensu ipsi adscribunt. Verum ad majorem hujus veritatis confirmationem, placet aliquid ex ejusdem Doctoris Theologia in medium afferre, quo facilius, quod hactenus prosecuti sumus, evincamus.

In 4. distinct. 11. quæst 3. §. *Ad confirmationem.* num. 47. proponit locum Aristotelis 7. Metaphys. cap. de unitate defin. text. 43. quo in favorem D.Thom. I. part. quæst. 76. art. 3. 4. probatur unius compositi unam tantum esse formam, et consequenter non dari formam corporeitatis, quia dicitur : *Genus nihil est præter eas, quæ sunt Generis Species* ; et iterum, *Finalis Differentia, substantia rei erit, et definitio.* Ex quo colligitur, cum Genus nihil sit præter Species, et Differentia, quæ habet rationem formæ, dicat totam substantiam rei, non dari aliam et aliam formam in eodem composito, quia tunc si ab una acciperetur Genus, et ab alia Differentia, Genus esset aliquid præter Species,saltem secundum *esse* quidditativum. Respondet Doctor, *Ad confirmationem*, inquit, *adductam de 7. Metaphys. cap. de Definitione, capitulum illud non videtur bene exponi, sicut patet in expositione, quam edidi super illud caput : auctoritates autem illæ truncatæ sunt, et nihil ad B. Prima quidem truncata est, quia sequitur ; ergo Genus nihil est præter eas, quæ sunt Generis Species; aut si est, quidem ut materia est ; et hæc secunda pars disjunctionis vera est; unde ad illud secundum membrum subdit exemplum : vox quidem ut Genus;* quam expositionem in terminis habet eodem cap. de Definit. text citato in hoc opere his verbis : *Notandum, quod negantes pluralitatem formarum, hinc volunt sumere argumentum, quod unitas definitionis est per hoc, quod Genus nihil sit præter Generis Species,saltem se undum esse quidditativum. Sed hoc non est verum, quia accipitur auctoritas truncata, nam sequitur: Genus non est præter eas, quæ sunt Generis, Species ; aut si est quidem, est ut materia. Secunda pars disjunctionis est vera ; unde ad illud secundum membrum subdit exemplum : vox enim Genus est et materia,* etc. Hæc notavi dum percurrerem opus quæstionum; quod si præfati doctissimi viri assertionem advertissem, plura fortassis ad hoc collegissem. Verum hæc ipsa pauca, quæ adduxi, satis clare ostendunt, non magis adscribendas Scoto quæstiones in Metaphysicam et Theologiam, quam hanc textus expositionem, quam in utrisque toties citat, et ita quidem exacte, ut in locis ex hac expositione citatis, non solum reipsa id quod asserit, reperiatur, sed aliquando etiam iisdem plane verbis expressum sit, ut in ultimo loco citato, et partim in tertio, qui de eadem auctoritate tractat, visum est.

His accedit non levi argumento auctoritas Mauritii nostri, Doctoris Subtilis fidelissimi quondam interpretis, et in ejus operibus examinandis et discernendis vigilantissimi speculatoris, qui sequenti post Scotum sæculo floruit. Is in titulo, quem præfixit huic de quo agimus, Commentario (quod et antea in sua ad eumdem Præfatione annotaverat) ita habet : *Joannis Duns Scoti Doctoris Subtilis Ordinis Minorum in* 12. *libros Metaphys. Aristotelis, secundum novam translationem scriptum, recollectum, ordinatum, et pluribus additionibus decoratum ab excellentissimo ipsius discipulo Antonio Andrea ejusdem Ordinis Provinciæ Aragoniæ*, etc. Quæ verba Antonium Andream dicti Commen-

tarii non auctorem, sed auctorem seu ampliatorem faciunt, ut qui illum pluribus additionibus decorati; et huc non immerito cuipiam videri possent referenda quædam Antonii verba inferius adducenda, ex quibus hæc primum suborta dubitatio seu conjectura, litterali duntaxat verborum rigori innixa fomitem sumpsit.

Huic insuper veritati suffragantur omnes, qui Auctorum catalogum texunt, quorum nullus vel verbum de ulla expositione Antonii Andreæ in Metaphysicam habet, cum tamen alia ejus opera, ut quæstiones in duodecim libros Metaphys. et quatuor libros Sententiarum exacte recenseant. In primis Henricus Willot ,qui ex professo catalogum Scriptorum Ordinis nostri texuit, quæstiones quidem Metaphysicæ Antonio Andreæ, expositionem autem illi nullam, sed Scoto tribuit. Valerius quoque Andreas Taxander in catalogo Scriptorum Hispaniæ, qui diligenter Auctorum Hispaniæ operum indicem collegit, indicat quidem Antonium in Metaphysicam quæstiones edidisse, Commentarium autem nullum agnoscit. Idipsum loquuntur Conradus Gesnerus in sua Bibliotheca, et Fabianus Justinianus in indice universali, verbo *Metaphysica*, quorum posterior Scotum bis nominavit, tanquam duarum diversarum in Metaphysicam lucubrationum auctorem. Bellarminus de Script. Eccles. et Possevinus in Apparatu nullam Antonii expositionem adducunt, bene tamen Scoti, hic expresse, ille tacite. Si ergo nullus Auctorum, vel Scriptorum collector, sive eorum qui generaliter Ecclesiæ, sive qui specialiter, et ex professo Ordinis, et nationis dicti Antonii, Scriptores recensent, nullam de hujusmodi Antonii expositione mentionem fecit, mirum est, quomodo post 300. et amplius annos vir ille doctissimus hanc nostri Doctoris expositionem ei voluerit adscribere, quam tamen Scoti esse et ipsius discipuli semper observarunt, et loca per nos ex ipsomet adducta aperte convincunt.

Ad hæc, si dictus Commentarius Antonii esset, numquid vel levem aliquam ejus mentionem in quæstionibus super Metaphysicam, vel (si has prius elaboravit) saltem in Theologia, in qua passim Metaphysicalia discutiuntur, fecisset.

Huc spectat alia non levis conjectura, nam Auctor hujus operis lib. 7. text. 17. explicata definitione accidentis copulati, dicit in definitione albi non necessario poni hominem, *Sed in definitione*, inquit, *Francisci, vel S. Patritii necessario ponitur animal.* Ex quibus verbis cap. 1. vitæ Scoti præmissæ ejus operibus Antverpiæ impressis, argumentum confeci seu probabilem suasionem, Doctorem Subtilem Hibernum esse, non Anglum, vel Scoto-Britannum; quia exemplo rem declarans patrono, et patri suæ religionis Francisco adjunxit patrem, et patronum nationis Patritium; si enim Anglus esset, Francisco verisimiliter S. Georgium adjunxisset; si Scoto-Britannus, Andream, vel Columbam. Cum ergo Hiberniæ patronum adjunxerit, Hibernus et ipse merito censendus est. Quo argumento longe solidius suadetur opus hoc non esse Antonii Andreæ Hispani, qui ad rem exemplo monstrandam, Francisco non Patritium, quem forte parum novit, sed S. Jacobum suæ gentis Apostolum copulasset. Ut huic argumento satisfaceret quidam Scoto-Britannus, hoc opus Scoto detraxit, præfati viri doctissimi auctoritate suffultus; quod inter alia me movit, ut conarer ostendere dictam dubitationem nullo niti fundamento.

Superest nunc ut ad rationem, et motivum præfati viri ad asserendum, quod scripsit de dicti Commentarii auctore, respondeamus. Fateor sane rationem ipsius difficilem videri posse iis, qui motiva nostra pro hac veritate confirmanda hucusque adducta non viderunt, quibus mature, et attente expensis facillima apparebit. Stat autem dicta ratio in hoc, quod in fine dicti operis legantur sequentia: *Volo autem omnes scire litteram istam*

legentes, quod tam sententiando, quam notando secutus sum doctrinam illius subtilissimi Doctoris, cujus fama et memoria in benedictione est, qui sua sacra et profunda doctrina totum orbem implevit, et fecit resonare Joannis Duns Scoti, etc.

Ad hanc rationem itaque respondeo: Cum evidenter constet ex ipso Scoto, tam in Metaphysicis quam Theologicis quæstionibus, hoc opus ipsius esse, dicta verba ejus esse nullatenus possunt, sed Antonii Andreæ, qui opus castigavit, ordinavit et auxit, ut habetur ex titulo ipsius operis supra posito. In his igitur, quæ ipse adjecit de suo sententiando vel notando, protestatur se secutum Doctoris Subtilis mentem Addo, cum ille opus hoc antea indigestum et inordinatum, in ordinem redegisset, multa prætermisisse, primaria præceptoris sui capita, et sententias seligendo; et in iis quæ problematice disputabat, alteram tantummodo partem, quæ magis ad ejus mentem videbatur accedere, assumendo. quædam explicationis causa addendo; loco ejus vacua, vel cancellata supplendo (constat ex Mauritio etiam in Theologia multa vacua, et cancellata mansisse) in quibus præstandis oportebat nonnulla de suo apponere, et quædam aliquando mutare, et loca corrosa, et exesa, aut obliterata restituere, et sensum, quando necesse erat, conjecturis investigare.

Similia fecit idem Auctor in Scoti quæstionibus super Metaphysicam, teste Mauritio in epistola ad Antonium Trombetam earumdem quæstionum castigationibus præmissa, *Quas*, inquit, *accurate castigavit, primaria sui præceptoris dicta eligendo*: Et post, *Sed sicut in Dialecticis, ita et hîc obscuriora et difficiliora prætermisit.* Verisimile ergo, hæc et plura effecisse in castigatione dicti Commentarii, qui minus tritus, minusque notus semper extitit quam quæstiones. Unde et hîc locum habet quod ibidem Mauritius iisdem quæstionibus, etiam post castigationem Antonii Andreæ accidisse scribit, nimirum quod *earum textus varie correctus erat, nunc additione, nunc detractione, ut moris est antiquis Scriptoribus id in margine annotantibus.* Neque negaverim præmissorum occasione, castigatorem aliquando Doctoris dictionem, sensu servato, mutasse. Quod, cum integra hac glossa colligere mihi videor ex ultimis verbis ipsius: *Nam ego*, inquit, *quantum sapio, quantumque capio quidquid est hîc, quod ipse exprimere intendebat, pes meus ejus vestigia secutus est.* Quasi diceret opus digerendo, in mutatione, omissione, notatione, suppletione, etc. id tantum posui, quod Doctor exprimere intendebat. Quia tamen alicubi falli potuit, subjungit claudendo opus: *Ideo si aliquid aliud repugnans sibi inveniatur quandoque, nunc pro tunc revoco, paratus libenti animo revocare.* Hæc sunt, benigne Lector, quæ pro veritatis defensione et objecti argumenti solutione, dicenda occurrerunt, de quibus te monitum volui, et præmunitum, ne dicti Auctoris lectio, de operis hujus Auctore dubium te reddere posset. Expositio nostra ad ejus rationem iis, qui in antiquorum operibus digerendis et ad prælum parandis, experientiam habent, in quibus multa ex his quæ diximus necessario interveniunt, non extorta, sed persuasibilis videbitur. Tu æqui bonique consule, et Vale.

DILUCIDISSIMA EXPOSITIO IN DUODECIM LIBROS METAPHYSICORUM ARISTOTELIS.

PROŒMIUM

1\. 4. 6. 7. et 12. metaph. et alibi sæpe. 1. 6. et 12. Metaph. Nobilitas scientiarum unde? Text 1. Com.

Gyrum cœli circuivi sola, Ecclesiastici 24. Secundum doctrinam Aristotelis et eum communiter sequentium, scientia Metaphysicæ, quæ Theorica Philosophorum et sapientia nominatur, versatur circa totum ens, et signanter circa substantias separatas, ut circa nobiliores partes sui primi subjecti; et ideo, quia circa nobilissima entia nobilissima scientia est, inter omnes alias scientias naturaliter adinventas. Nobilitas enim scientiarum ex nobilitate oritur subjectorum *ex* 1. *de Anima*. Idcirco quasi in persona hujus scientiæ congrue potest dici: *Gyrum cœli, etc.* ubi describitur ejus dignitas admiranda quantum ad quatuor, scilicet quantum ad amplexum ambitionis magnificæ, influxum correctionis authenticæ, actum inquisitionis amplificæ, gradum prælationis mirificæ.

Quadruplex excellentia Metaphysicæ.

Metaphysica ambit omnia.

Primum probat ipsius gyri continentia generalis, cum præmittitur, *Gyrum*. Ad instar enim cujusdam gyri sive circuli, quæ est figura capacissima, secundum Geometras, scientia Metaphysicæ omnia entia ambit. Nam ut dicitur 1. Met. in prologo: *Sapientis*, id est Metaphysici, *est omnia scire, ut contingit.* Consideratio enim Metaphysica gyrat omnia entia, sive immobilia et incorruptibilia; sive mobilia et corruptibilia, in quantum, in eis entis ratio reperitur pro quo potest intelligi illud Eccl. 43. *Vide arcum, et benedic qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo et gyravit cœlum in circuitu gloriæ suæ.* Habitus quidem Metaphysicus est quidam arcus mysticus jaciens sagittas veritatis contra hostes falsitatis, ideo est quasi *Arcus refulgens inter nebulas gloriæ.* Eccl. 50. Vide ergo ipsum, et benedic Deum qui fecit illum; nam gyravit cœlum, id est, totam universitatem entium, et specialiter entium quorum habitatio est in cœlo.

2\. Vide 12. Metaph. ad finem ubi dicit, quod Metaphysica nullam scientiam habet contrariam. Text. 23.

Secundum probat cœli influentia virtualis, cum additur *Cœli;* sicut enim cœlum influit in hæc omnia inferiora, sic scientia Metaphysicæ in omnes alias scientias humanas, utpote qui habent istam scientiam, possunt omnes alias et earum principia corrigere virga veritatis, defendere hasta probitatis, approbare et reprobare norma æquitatis, sicut innuit Aristoteles. 1. Poster. parum ante illud Capitulum : *Difficile autem est nosse.* Idcirco de hac scientia potest intelligi illud Eccl. 43. *Altitudinis firmamentum, pulchritudo ejus est species cœli in visione Dei.*

Inquirit de omnibus veraciter

Tertium probat efficacia regularis, cum subjungitur *Circuivi;* circuivit quidem inquirendo de omnibus veraciter sine deceptione et plurimum efficaciter sine defectione, et generaliter sine exceptione; et ideo in figura, ipsa est sicut fluvius Phison, de quo dicitur Genesis 2. *Ipse circuit omnem terram Evilath*, *ubi nascitur aurum*, scilicet sapientiæ, *et aurum terræ illius optimum est.* Evilath interpretatur stolidus, cujusmodi sunt omnes scientiæ humanæ de se, Metaphysica excepta.

Excellit omnes alias scientias humanas.

Quartum probat eminentia solitaris, cum concluditur *sola;* inter omnes enim humanas scientias ista sola præcellit, et omnibus principatur. Sola enim est cui nulla alia assimilatur. Sola est cui omnis alia famulatur. Sola est, quam omnis alia admiratur, ut admirative dicere possimus illud Thren. 1. *Quomodo sedet sola civitas plena populo*, *princeps provinciarum*, *etc.* certe sedet ut Regina respectu omnium cæterarum, etc.

LIBER PRIMUS

SUMMARIUM R. P. CAVELLI.

Primus iste liber est totus proœmialis, et dividitur in tres Summas : quarum prima continet duo capita, secunda quatuor, tertia vero tria. Summa secunda refert antiquorum opiniones de causis ac principiis rerum. Tertia easdem impugnat. Prima vero tractat de dignitate hujus scientiæ quam triplici medio probat Philosophus, primo ex ejus naturali appetibilitate, probans cæteris scientiis appetibiliorem esse. De quo Doctor pulchra doctrinalia habet hic q. 1. *rem hanc fuse tractans. Quod dicitur, visum esse aliis scientiis nobiliorem, tractat Doctor q.* 6. *de Anima. vide ibi Commentarium. De aliis duobus mediis, infra suis locis.*

SUMMA PRIMA.

De natura et perfectione Metaphysicæ.

CAPUT I.

De ordine cognitionum et cognoscentium in perfectione, et qualiter hujus scientiæ dignitas ostenditur ex ejus naturali appetibilitate?

Omnes homines natura scire desiderant.

1. Hanc propositionem examinat Doctor quæst. 1. l. 1.

Juxta consuetudinem, in hoc libro primo præmittit proœmium, secundo subjungit tractatum. Secunda ibi : *Quoniam vero manifestum.* In tota autem prima parte ad prologum pertinente, intentio Aristotelis est ab benevolentiam, et ad amorem hujus scientiæ trahere auditorem. Circa quod duo facit. Nam primo reddit auditorem benevolum ex scientiæ dignitate, secundo ex scientiæ utilitate. Secunda ibi juxta finem prologi : *Oportet autem aliqualiter ejus ordinem constituere.* Circa primum quatuor facit. Nam primo probat hujus scientiæ dignitatem ex ejus naturali appetibilitate; secundo ex ejus essentiali speculabilitate ; tertio ex ejus libertate ingenua ; quarto ex ejus honorabilitate præcipua. Secunda ibi : *Quia vero non activa.* Tertia ibi : *Sed ut dicimus homo liber.* Quarta ibi : *Nec tali aliam honorabiliorem oportet.*

Scientia maxima maxime desideratur

In tota prima parte intendit talem rationem : Omnes homines natura scire desiderant; ergo maximam scientiam maxime desiderabunt ; sed scientia Metaphysicæ est maxima scientia; ergo ipsam maxime desiderabunt omnes homines, quia maxime est desiderabilis et per consequens est dignissima. Circa istam rationem sic procedit, nam primo pertractat hanc propositionem : *Omnes homines,* etc. in qua stat virtus majoris. Secundo investigat minorem ibi : *Quoniam autem hanc scientiam quærimus.* Circa primum duo facit. Quia primo facit, quod dictum est. Secundo quia mentionem fecerat de *scire* et *cognoscere,* gratia hujus distinguit et determinat de diversis gradibus cognoscendi in entibus cognitionem participantibus. Secunda ibi : *Animalia*

quidem igitur, etc. Circa primum duo facit : primo proponit dictam propositionem; secundo subjungit ejus probationem. Secunda ibi : *Signum autem*. In principio igitur hujus libri proponit Aristoteles hanc propositionem dignitatem et nobilitatem hujus scientiæ virtualiter continentem, dicens : *Omnes homines natura scire desiderant*, etc. Deinde cum dicit :

Signum autem est sensuum dilectio : præter enim utilitatem propter seipsos diliguntur, et maxime aliorum, qui est per ipsos oculos. Non enim solum ut agamus, sed et nihil agere debentes, ipsum videre præ omnibus, ut dicam, aliis eligimus.

2. Subjungit probationem dictæ propositionis, et probat eam a posteriori et signo. Circa quod duo facit : primo probat quod dictum est. Secundo assignat causam dicti. Secunda ibi : *Causa autem est*. Dicit ergo : *Signum autem;* quod omnes homines natura scire desiderant; *est dilectio sensuum; Præter enim utilitatem*, scilicet, si ad nihil aliud deservirent, *propter seipsos diliguntur, et maxime aliorum*, id est, inter alios, *eum qui est per oculos*, id est, sensum visus : *non enim solum ut agamus*, id est, non solum propter necessitatem vitæ, *sed etiam nihil agere convenientes, vel debentes ipsum videre*, id est, sensum visus, *præ omnibus aliis sensibus*, concupiscimus et amamus.

Præfert visum a'iis sensibus.

Notandum, ut habetur 2. de Anima et in libro de Sensu et Sensato, juxta principium : sensus deserviunt nobis ad duo, scilicet ad necessitatem vitæ et ad scientiam. Nam per sensus cognoscimus sensibilia nociva et utilia, et fugimus novica et prosequimur utilia. Per sensus etiam generatur in nobis scientia, nam omnis nostra scientia oritur a sensu. Dicit ergo Philosophus, quod posito quod per sensus nihil agere deberemus quantum ad necessitatem vitæ, nihilominus diligeremus sensus pro quanto deservirent ad habendum scientiam, ut dicetur. Deinde cum dicit :

Text. com. 16. et inde. Idem ad finem tertii de Anima.

Causa autem est, quia hic maxime sensuum cognoscere nos facit, et multas rerum differentias demonstrat. 3.

Assignat causam dicti, quare scilicet sensum visus maxime amamus, quia scilicet est maxime cognoscitivus, quod probatur : quia sensus aliquis potest dici maxime cognoscitivus dupliciter, vel quia certius scire facit, vel quia plura cognoscere facit, utrumque autem habet visus in comparatione ad alios sensus; ideo præfertur eis in ratione cognoscitivi. Dicit ergo quod *causa est* quare scilicet sensum visus præ aliis concupiscimus : *quia hic maxime sensuum*, id est inter omnes sensus, *nos cognoscere facit*, et hoc quantum ad primum ; *et multas rerum differentias nobis demonstrat*, id est, plures quam alii, et hoc quantum ad secundum.

Unam potentiam cognitivam alteri præferri contingit propter duo.

Notandum quod sensus visus dicitur maxime cognoscitivus, propter duo : scilicet propter cognitionis certitudinem et propter cognitorum multitudinem. Certitudo provenit aliquando ex parte potentiæ, quia quanto virtus cognoscitiva immaterialior est tanto est in cognoscendo certior. Plura etiam objecta per hunc sensum cognoscuntur, quia omnia corpora tam superiora quam inferiora, cum lucem vel colorem partici-

Visum aliis præferri et præamari contingit propter duo

pent; non autem alias qualitates sensibiles, scilicet tangibiles, audibiles et hujusmodi. Quare autem visus sit immaterialior, patet ex hoc, quia spiritualiori modo immutatur ab objecto quam alii sensus. Alia enim sensibilia immutant aliquo modo medium vel organum immutatione reali, visibile autem solum immutatione intentionali. Unde etsi omnis sensus sit receptivus specierum sine materia, ut patet. 2. de Anima, magis tamen visus. Objectum vero tactus aliquo modo immutat organum et medium, calefaciendo et frigefaciendo. Objectum vero gustus, inficiendo aliquo sapore ipsum organum gustus. Objectum autem auditus, per motum corporalem aeris. Objectum vero odoratus, per fumalem evaporationem. Objectum autem visus tantum immutat organum et medium immutatione intentionali, non enim pupilla, vel aer coloratur, sed speciem coloris recipiunt, modo intentionali. Est ergo vis totius probationis Aristotelis in hoc : si magis naturaliter diligimus sensus magis cognoscitivos, non propter utilitatem vitæ tantum, sed propter cognitionem; ergo scire magis naturaliter desideramus, quia ista cognitio nobilior est cognitione sensitiva; nam sensitiva ad hanc finaliter ordinatur.

Immutatio duplex.

Text. com. 121.

Sed contra hoc quod ait Aristoteles, *Sensum visus nos facere magis scire* arguitur : quia Philosophus in lib. de Sensu et Sensato dicit, quod cæci nati habentes auditum, sunt magis sapientes quam surdi nati habentes visum; ergo si sensus visus magis diligitur, quia magis est cognoscitivus secundum quod cognitio ordinatur ad scientiam, sequitur quod auditus sit magis diligendus.

Vide Doct. q. 2. Met. sed fusius in principio lib. de Anima.

Præterea Leo in sermone Paschæ præfert tactum Thomæ visui, quoad certitudinem cognitionis, unde palpans clamavit : *Deus meus et Dominus meus*, etc. Item contra hoc quod dicitur, visum plures differentias demonstrare, nam tactus plures differentias demonstrat. Nam sensus, qui est duarum contrarietatum, plures differentias demonstrat quam ille qui est unius tantum ; sed sensus tactus est duarum contrarietatum, scilicet calidi et frigidi, humidi et sicci; visus autem est unius tantum, scilicet albi et nigri, ex 2. de Anima. Præterea Aristoteles 2. de Generatione dicit, quod primæ qualitates sunt per se tangibiles, sed posterius non invenitur sine priori; ergo ubicumque invenitur qualitas visibilis, invenitur et qualitas tangibilis, et non e converso; ergo plures differentias nobis demonstrat tactus quam visus. Præterea contra hoc quod ait : quod *sensum visus maxime diligimus*, probo quod non : quia sensum illum magis diligimus cujus oppositum magis odimus, ex 2. Priorum in illo Capite : *Quando autem convertuntur extremitates*, in ultima regula, dicitur *quod magis eligendum magis fugiendo opponitur* : sed magis odimus oppositum tactus quam oppositum visus, quia oppositum tactus destruit animal, non autem oppositum visus; ergo tactum magis diligimus quam visum.

4.

Text. com. 107.

Text. com. 7. et inde.

c. 21.

5. Vide Doct. 1. Reportat d. 16. et in 2. Anglico. dist. 42. et in 4. d. 1. q. 5.

Respondeo quod istæ rationes non cogunt. Ad primum dicendum, quod visus magis facit per se ad cognitionem sive ad scientiam quæ est per inventionem, sicut vult Aristoteles in lib. de Sensu et Sensato, ubi supra. Et ad Philosophum dicendum, sicut ipse ibidem vult, quod auditus per accidens solum magis facit ad cognitionem, sive ad scientiam quæ est per doctrinam ex hoc, quod vox audibilis quæ movet auditum est significativa conceptuum mentis, et hoc accidit voci secundum quod immutat auditum. Si enim eædem voces formarentur, quæ modo, et non essent instituta signa ad significandum conceptus, auditio earum nihil juvaret ad disciplinam. Si enim signa visibilia imposita essent ad significandum omnes conceptus, sicut habent Monachi de multis, tunc visus per illum modum conferret ad scientiam, per quem modum nunc confert auditus; sed voces sunt signa promptissima, et propter illud videtur linguam esse datam hominibus 2. de Anima. Sic igitur patet quod quantum ad scientiam habitam per inventionem, visus facit magis ad scientiam; sed quantum ad scientiam habitam per doctrinam, auditus facit magis ad scientiam, non per se, sed magis per accidens, quia suum objectum ex institutione factum, est signum conceptus, per quam institutionem nihil sibi accrescit; unde per accidens auditus magis facit scire, visus autem per se, et directe, mediante lumine naturali ipsius intellectus. Ad illud Leonis, dico quod præfert tactum visui, non quoad per se et proprium objectum utriusque, sed forte quantum ad illud corpus Christi magis experiendum per visum et per tactum simul, quam per visum solum. Ad aliud concedo quod tactus est duarum contrarietatum, visus autem unius tantum; et ex hoc forte sequitur quod tactus non est simpliciter unus sensus (de quo alias) tamen ex hoc non sequitur quod tactus plures differentias rerum demonstret, quia objectum ipsius visus, scilicet lux et color in pluribus corporibus reperiuntur, quam omnes qualitates tangibiles, si essent mille; quia cognoscimus substantias per hæc accidentia, ut dicetur in septimo hujus, quæst. illa : *Utrum substantia sit prior omnium entium cognitione;* et objectum visus in pluribus corporibus reperitur quam objectum tactus, vel cujuscumque alterius sensus particularis; ideo visus plures res demonstrat et magis facit ad scientiam, et ideo magis diligitur.

Scientia acquiritur per inventionem et doctrinam. Text. com. 88. expressius 3. de Anima. Text. Com. 68.

Objectum visus in pluribus reperitur quam alterius potentiæ objectum.

Ad aliud de 2. de Generatione, dici potest quod illud habet veritatem quando prius est de essentia posterioris, sicut animal de essentia hominis, sed non est sic in proposito ; qualitates enim primæ non sunt de essentia lucis; similiter illæ qualitates tangibiles non sunt simpliciter primæ, sed sunt primæ respectu susceptivi earum, cujusmodi sunt hæc inferiora. Unde et male allegatur auctoritas ista, dicit enim sic : *quod quærimus sensibilis corporis principia, et illud est tangibile;* ideo solæ contrarietates secundum tactum faciunt species corporis sensibilis de quo intendit, et sequi-

Qualiter 4. qualitates tangibiles intelligi debent primæ qualitates ?

Vide Scotum super lib. de Anima q. 1.

tur : *quamvis visus prior sit tactu, quapropter et subjectum prius*, id est, objectum; sed non est objectum visus corporis tangibilis passio secundum quod tangibile, sed secuncum aliud; et si sic, convenit natura prius, scilicet secundum aliquam naturam communem corpori generabili de quo intendit et corpori cælesti cujusmodi forsan est natura perspicui. Patet igitur quod auctoritas est ad oppositum : quod objectum visus est prius prioritate scilicet communitatis, et ideo est in pluribus. Ad ultimum de regula illa secundi priorum dicendum quod fallit per instantiam in terminis, nam melius est bene vivere quam vivere ; et tamen magis odimus oppositum vivere quam oppositum bene vivere, quia oppositum vivere destruit vivere et bene vi-
Cap. 2. vere. Unde Aristoteles 7. Topic. glossat illam propositionem sic : *nisi cum alterum infert alterum ;* et vult quod illa regula non teneat, quando magis eligendum includit minus eligendum : sicut in exemplo posito, bene vivere includit vivere, similiter in proposito, sensus visus includit sensum tactus, et oppositum tactus destruit tactum et visum. Deinde cum dicit :

6. Animalia quidem igitur sensum habentia natura fiunt.

Distinguit diversos gradus cognoscendi in entibus. Circa quod duo facit. Primo ostendit propositum in brutis ratione carentibus. Secundo in hominibus rationem participantibus. Secunda ibi : *Animalia quidem igitur.* Prima in duas. Nam primo præmittit omnium animalium convenientiam. Secundo describit eorum differentiam quantum ad cognitionem. Secunda ibi : *Sed ex sensibus quidem.* Dicit ergo quod *animalia omnia sunt habentia sensum natura*, id est, secundum naturam propriam. Ratio hujus est, quia impossibile est rem privari propria forma vel differentia specifica, quia jam esset hoc et non esset hoc. Animal enim constituitur in esse specifico animalis per sensitivum quod est habere sensum, nam quædam animalia habent sensus omnes, ut animalia perfecta, quædam plures, quædam paucos secundum quod sunt perfectiora vel minus perfecta : omnia tamen habent necessario saltem unum scilicet sensum tactus. ut habetur 3. de Anima, juxta finem, et in libro de Somno et vigilia. Sine tactu quidem animalia non possunt existere, cum per tactum cognoscant quæ sunt proficua, et quæ sunt corruptiva animalis, puta qualitates tangibiles. Deinde cum dicit :

Sensus necessarius est animali et præcipue tactus.

Text. com. 62. et inde.

SUMMARIUM.

Ponit triplicem animalium divisionem. Circa primam problematicus est Doctor 4. dist. 45. q. 3. §. *juxta hoc*, n. 7. an bruta habeant memoriam necne, ubi salvat in eis, sine memoria, actus ex quibus ipsa colligitur qui sunt vindicatio, beneficiatio, nidificatio, providentia et disciplinatio. Vide Scholium ad q. 3. hic. Quod ait in secunda divisione, *animalium quædam habere prudentiam* intellige de prudentia late sumpta, quia proprie dicta, sine deliberatione qua bruta carent, haberi nequit. Ita ipse se explicat hic q. 3. ad quam hic se remittit ut dicetur, inquit, in quæstione. Ubi obiter nota, prius eum scripsisse in textum quam circa eum disputasse quæstiones, ut in præfatione ope-

Actus ex quibus colligitur memoria in brutis.

Bruta non habent prudentiam proprie dictam.

ris notavi. Circa tertiam divisionem, constat experientia quædam bruta nec cicurari, nec disciplinari posse; quædam vero mirum in modum esse disciplinabilia, et de Elephante mira scribuntur, quem Aristoteles 1. hist. animæ c. 1. ait inter omnia mitem esse et mansuetudini magis addictum; quod panegyrica spectacula exhibere, varias figuras effingere, coronas astantibus offerre et alia ludicra facere et litteras efformare discat, plures scribunt. Vide Plinium l. 8. a c. 1. Elianum l. 6. c. 10. Plutar. l. de Animal. industria, et de Lucinia : vide Arist. 4. hist. a. c. 9. et Plin. 10. Hist. c. 29. unde plures Philosophi hisce animalibus quamdam rationem tribuerunt. De quo Plut. l. de Placitis c. 20. ubi pro hoc citat Anaxag. et Pythagoram. Quod ait cum Aristotele apes carere auditu, forte intelligi debet de perfecto, quia non est unde eis denegetur omnis auditus, sicut nec talpæ imperfectus visus secundum multos, de qua tamen minus id apparet, dixi de hoc Comment. ad q. 6. Scoti, de Anima et in Supplem. ibid. Vidi ipse apes fugitivas leni sono quasi harmonia per collisionem ad vasa ænea, ad alvearia reduci, quod fieri nequit sine auditu, idque testatur ipse Aristoteles. 9. Hist. Animal. c. 40. ubi etiam ait dubium esse an audiant apes, de quibus ibi mirabilia refert.

Mira mansuetudo elephantis.

Quo auditu carent apes ?

7. Hunc textum examinat Doctor q. 3. lib. 1.

Ex sensibus autem quibusdam quidem ipsorum memoria non fit, quibusdam vero fit; et propter hoc alia quidem prudentia sunt, alia vero disciplinabiliora non potentibus memorari. Prudentia quidem sunt sine habilitate discendi, quæcumque sonos audire non potentia sunt, ut apes et utique si aliquod aliud genus animalium hujusmodi est. Addiscunt autem quæcumque cum memoria et hunc habent sensum.

Triplex animalium divisio in ordine ad cognitionem.

Ponit animalium differentiam : et ponit tres divisiones in animalibus respectu cognitionis; ex quibus colligitur triplex gradus cognitionis in eis. Prima divisio est quod animalium quædam habent memoriam, quædam autem non; ideo dicit quod *ex sensu quibusdam horum animalium non fit memoria, quibusdam autem fit :* et dicit ex sensu factam, esse memoriam vel non factam, nam virtutes interiores puta phantasia, memoria, etc. præsupponunt exteriores sensus. Ratio hujus divisionis est, quod animalibus data est cognitio sensitiva ad necessitatem vitæ, et ad necessitatem propriarum operationum. Animalia ergo quæ moventur motu progressivo ad aliquid distans, indigent memoria; alias nisi in eis remaneret impressio memorialis de objecto, motum continuare non possent usque ad objectum quod appetunt. Animalia vero immobilia motu progressivo, ut sunt quæ dicuntur ostreæ et conchæ marinæ lapidibus affixæ, non indigent memoria, sed sufficit eis ad proprias operationes objecti præsentia, et ideo sola imperfecta et confusa imaginatio, ut habeant aliquem motum indeterminatum, scilicet dilatationis et constrictionis, secundum quod objectum est delectabile vel tristabile.

Secunda divisio est, quæ sequitur ex prima : quod animalium quædam habent prudentiam, illa scilicet quæ habent memoriam ; alia vero non habent, illa scilicet quæ memoria carent, ideo dicit *et propter hoc*, scilicet quod aliqua habent memoriam, aliqua non; *hæc quidem animalia prudentia sunt, alia* supple *non*. Ratio hujus divisionis est, cum enim prudentia provideat de futuris ex memoria præteritorum, *partes* autem *prudentiæ* sunt tres, secundum Tullium 2. *Rhetoricæ*, scilicet *intelligentia, memoria et providentia* quia ergo sic est, animalia, quæ carent memoria nequaquam habere possunt prudentiam; quæ autem

Quæ animalia habent prudentiam et quæ non.

Partes prudentiæ tres, sed vide Aristot. 6.

memoriam habent, aliquo modo prudentiam habere possunt, ut dicetur in quæstione. Tertia divisio est, quod animalium habentium memoriam et prudentian, quædam sunt disciplinabilia, puta habentia auditum; quædam indisciplinabilia, ea scilicet quæ auditu carent; ideo dicit : *alia vero sunt disciplinabiliora non potentibus memorari,* id est, aliqua sunt disciplinabilia, in quo differunt ab his, quæ memorari non possunt, nec per consequens sunt prudentia; ergo nec disciplinabilia. Et exponit quod dixerat : *Prudentia quidem sunt sine addiscere : quæcumque sonos audire non possunt,* id est, quæ non habent auditum, *ut apes; et si aliquod aliud genus animalium est hujusmodi : Addiscunt autem,* id est, disciplinabilia sunt : *quæcumque cum memoria et hunc habent sensum,* id est, simul cum memoria auditum habent. Ratio hujus divisionis est, quia auditus maxime deservit disciplinæ acquisitæ per doctrinam et instructionem alterius, licet per accidens secundum Aristotelem in lib. de Sensu et Sensato, ut dictum est superius. Quæ ergo auditu carent, etsi prudentia esse possint, non tamen disciplinabilia; quæ autem non habent memoriam et non habent auditum, non sunt disciplinabilia.

Animalia quæ sunt disciplinabilia, et quæ non.

8. Sed videtur falsum quod de apibus hîc dicitur, non enim videtur carere auditu, cum per sonos parvarum campanarum et percussiones lapidum et hujusmodi, congregentur et quasi teneantur. Respondeo quod hoc non est ex hoc, quod sonos illos audiant, sed accidit propter motum localem aeris moti et impellentis apes, qui motus facit sonos istos et causatur ex collisione corporum sonantium, sicut de tonitruo dicit Aristoteles, 3. de Anima, in fine, quod interficit animalia, et frangit arbores, et diruit ædificia, non quod sonus hoc faciat, sed ipse aer fortiter motus deferens ipsum sonum. Ex prædictis colligitur triplex gradus cognitionis in animalibus. Primus est, quod animalium quædam habent memoriam et prudentiam, et disciplinabilia sunt, quæ scilicet auditum habent. Secundus, quod quædam memoriam habent et prudentiam, sed indisciplinabilia sunt, scilicet quæ auditu carent. Tertius, quod quædam nec memoriam, nec prudentiam habent, nec disciplinabilia sunt. Quartus autem gradus (scilicet quod aliqua animalia sunt disciplinabilia et per consequens habent auditum, non tamen habent memoriam nec prudentiam,) est omnino incompossibilis ; sensus enim comprehendens objectum per medium extrinsecum, cujusmodi est auditus, est necessario in animalibus mobilibus motu progressivo, quæ necessario memoriam habent et per consequens prudentiam, ut patet ex prædictis.

Apes non habent auditum.

Text. Com. 67. et ind.

Gradus cognitionis in animalibus est triplex.

Alia quidem igitur imaginationibus et memoriis vivunt, experimenti autem parum participant. Hominum autem genus arte et rationibus.

Postquam Philosophus distinxit gradus cognitionis in animalibus, ratione carentibus, nunc distinguit gradus sive ordinem cognitionis in hominibus rationem participantibus. Circa quod duo facit, primo

præfert cognitionem humanam cognitioni brutorum animalium. Secundo accedit ad determinandum gradus vel ordinem cognitionis in hominibus. Secunda ibi : *Fit autem ex memoria.* Dicit ergo quod *animalia quidem, alia* ab hominibus *imaginationibus et memoriis vivunt, sed experimenti participant parum; hominum autem genus, arte et rationibus vivit,* et per consequens experimento.

Ordo cognitionis in hominibus.

Notandum quod *vivere* aliquando nominat primum actum, eo modo quo loquitur Aristoteles 2. de Anima, quod vivere viventibus est esse, et significat ipsum esse rei, in tali gradu qui est vivere. Aliquando nominat secundum actum, qui est exercere opera vitæ, cujusmodi sunt actus sensitivæ partis et intellectivæ et sic accipitur vivere in loco isto. Alia ergo animalia ab homine, vivunt imaginationibus quantum ad animalia imperfecta et memoriis ; et per consequens etiam imaginationibus quantum ad perfecta, et hæc sunt opera partis sensitivæ ; sed hominum genus, id est, species humana, arte et rationibus quæ sunt actus vel habitus pertinentes ad animam intellectivam et rationalem, homo enim ratione distinguitur a brutis. Deinde cum dicit :

Text. Comment. 37. Vivere duplex.

9. Fiat autem ex memoria hominibus experimentum ; ejusdem namque rei multæ memoriæ unius experientiæ potentiam faciunt et fere videtur scientiæ et arti simile experimentum esse.

Accedit ad determinandum gradus sive ordinem cognitionis in hominibus. Circa quod duo facit secundum quod dupliciter hoc declarat, primo comparando experimentum ad artem. Secundo comparando artem sive scientiam speculativam ad practicam. Secunda ibi : *primum quidem igitur.* Circa primum duo facit, primo declarat generationem experimenti et artis. Secundo comparat ea ad invicem secundum præeminentiam. Secunda ibi : *Ad agere quidem.* Prima in duas. Nam primo ostendit quomodo experimentum generetur in hominibus. Secundo quomodo ars. Secunda ibi : *In hominibus autem.* Dicit ergo quod *hominibus fit experimentum,* id est, generatur *ex memoria ; nam multæ memoriæ ejusdem rei faciunt potentiam unius experientiæ*, id est, unius experimenti eodem modo quo habitus potentiarum cognitivarum vocantur potentiæ, scilicet rationales, quibus facilitantur ad operandum. Unde addit quod *fere experimentum videtur simile scientiæ et arti.* Ista autem similitudo potest intelligi dupliciter : Uno modo quantum ad modum generationis, quia sicut scientia et ars generantur ex acceptione plurium, sic et experimentum. Alio modo quantum ad modum inclinationis, nam sicut scientia et ars inclinant per modum habitus et reddunt hominem facilem ad operandum, sic et experimentum ; sed quia non est omnino simile, ideo ait *fere.*

Experimentum quomodo est simile scientiæ, et arti

Notandum quod *memoria* et *experientia* videntur differre sicut totum et pars, aut sicut unum et multa, quia *memoria* est respectu unius particularis ; sed *experimentum* respectu plurium simul vel unius frequenter cogniti per sensum. Deinde cum dicit :

Memoria, et experientia differunt.

10. Hominibus autem scientia et ars per experimentum evenit; experientia quidem enim artem fecit, ut Polus recte dicens, sed inexperientia casum. Fit autem ars cum ex multis experimentalibus conceptionibus, una fit universalis, velut de similibus acceptio.

Vide q. 4. l. 1.

Ostendit modum generationis artis. Circa quod duo facit : primo proponit illum modum. Secundo probat illum auctoritate. Dicit ergo primo quod *sicut experimentum fit ex memoria, ita ars ex experimento :* quod probat auctoritate Poli, qui in hoc recte dicit, quod *experientia fecit artem, et inexperientia casum*, quod dupliciter potest intelligi; aut quia inexperti cadunt, id est, deficiunt a rectitudine operationis; aut quia si recte operantur inexperti, hoc est a casu ; et hoc est quod dicit : *fit autem ars cum ex multis experimentalibus conceptionibus, fit una acceptio universalis, velut de similibus;* sicut enim experimentum versatur circa particularia, ita ars circa universalia.

Unde generatur experimentum et ars?

Notandum, quod sicut ex multis memoriis colligitur unum experimentum, sistendo in consideratione particularium, ita ex experimento colligitur ars, cum in illis plurimis particularibus proceditur ultra, ad considerandum aliquam naturam communem et universalem, ut patet per exempla quæ sequuntur. Deinde cum dicit :

Acceptionem enim quidem habere, quod Calliæ, et Socrati hac ægritudine laborantibus hoc contulit, et ita multis singularium, experimenti est. Quod autem omnibus hujusmodi, secundum autem unam speciem determinatis, hac ægritudine laborantibus contulit ut phlegmaticis aut cholericis aut æstu febricitantibus, artis est.

Declarat quod dixit per exempla, *laborantibus circa hanc infirmitatem, scilicet Calliæ et Socrati, contulit hoc*, puta reubarbarum, *et sic multis aliis particularibus*, sic inquam cognoscere *experimenti est* ; cognoscere autem universaliter *quod omnibus hujusmodi determinatis secundum unam speciem* complexionis vel infirmitatis, *ut phlegmaticis aut cholericis, aut calore febricitantibus contulit*, scilicet talis vel talis medicina, *est artis*.

Ad agere quidem igitur experientia nihil ab arte differre videtur, sed et expertos magis proficere videmus, sine experientia rationem habentibus. 11.

Ad hunc textum habes quæstionem 5 l. primi.

Postquam Philosophus declaravit generationem artis et experimenti, nunc comparat ea ad invicem secundum præeminentiam. Circa quod duo facit : primo ponit præeminentiam unius ad alterum penes operationem. Secundo penes cognitionem. Secunda ibi : *Sed tamen scire*. Prima in duas : quia primo proponit præeminentiam experimenti ad artem penes operationem. Secundo reddit causam dicti. Secunda ibi : *Causa autem est.* Dicit ergo quod in comparatione *ad agere*, id est, ad operationem, *experientia non videtur differre ab arte.* Quod potest intelligi dupliciter, vel quia utraque singulariter, licet mediatius et immediatius ; vel quia utraque est habitus practicus et operativus licet differenter, ideo addit : *sed expertos magis videmus proficere*, id est, certius operari, ipsis *habentibus rationem*, scilicet universalem artem, *sine experientia.* Vult dicere, quod experti certius operantur artificibus inexpertis. Deinde cum dicit :

Experti certius operantur artificibus inexpertis.

Causa autem est, quia experientia quidem singularium est cognitio; ars vero

Ad hunc textum habes q. 6. l. 1.

universalium : actus autem et omnes generationes circa singulare sunt; non enim hominem medicus sanat, nisi secundum accidens; sed aut Calliam, aut Socratem ; aut aliquid sic dictorum, cui esse hominem accidit. Si igitur sine experimento quis rationem habeat et universale quidem cognoscat, in hoc autem singulare ignorat, multoties quidem curatione peccabit, singulare namque magis curabile est.

Reddit causam dictæ præeminentiæ. Dicit ergo quod *causa* quare experti certius et efficacius operantur artificibus inexpertis, est ista : *Quia experientia est cognitio singularium, ars autem universalium, omnes autem actus*, id est, operationes, *et universaliter omnes generationes, ut circa singulare*, non autem circa universale, quod probat per exempla inductive. *Nam medicus non sanat hominem universalem, nisi secundum accidens*, inquantum scilicet sanat particularem hominem, in quo reservatur natura hominis universalis, ideo addit : *sed sanat aut Socratem, aut Platonem, aut aliquem sic dictorum* particulariter, *cui accidit esse hominem* sub ratione qua sanatur ; ideo sequitur ex præmissis, quod expertus certius operatur, cum ipse per se consideret particularia. Unde subdit : *si igitur aliquis sine experimento habeat rationem*, scilicet universalem artem, cujusmodi est artifex inexpertus, *et universale quidem cognoscat, et ignoret singulare in hoc* ; vel sub hoc universali contentum, *multoties errabit in curatione ; nam singulare magis est curabile* per se, universale autem per accidens.

Medicus non sanat hominem universalem nisi quatenus includitur in aliquo singulari.

Notandum quod *per accidens* capitur dupliciter : Uno modo pro ente diviso contra substantiam, eo modo quo quantitas, et qualitas dicuntur esse accidentia. Alio modo pro esse extra rationem alicujus tertii, quomodo per tale accidens causatur fallacia Accidentis ; et hoc modo superiora possunt accidere inferioribus, et e contra, ut dicendo sic : *Homo est species, Socrates est homo ; ergo Socrates est species.* Hîc accidit inferius superiori, quia homini, ut stat sub illo prædicato, quod est *species*, accidit quod prædicetur de Socrate, et Socrates est extra rationem ejus. Similiter dicendo sic : *Socrates est individuum ; Socrates est homo ; ergo homo est individuum.* Hîc accidit superius inferiori; quia ipsi Socrati ut stat sub illo prædicato, quod est *individuum*, accidit, quod sit homo, vel quod homo de ipso prædicetur. Quando ergo dicitur hîc in littera, quod Socrates sanatur, cui accidit esse hominem, non est intelligendum de accidente primo modo, sed secundo modo ; quia ipsi Socrati, ut stat sub illo prædicato, quod est sanare, accidit quod sit homo , licet alias illa : *Socrates est homo*, sit per se primo modo. Deinde cum dicit.

Accidens duplex.

Sed tamen scire et intelligere magis arte quam experimento esse arbitramur, et artifices expertis sapientiores esse opinamur, tanquam magis secundum scire sapientiam omnia sequentem.

Comparat experimentum ad artem penes cognitionem. Circa quod duo facit : nam primo ponit præeminentiam artis ad experimentum penes scire, et cognitionem. Secundo probat eam ibi : *Hoc autem est.* Dicit ergo quod licet experimentum præferatur arti quantum ad operationem, ut dictum est, tamen *scire* et etiam obviare, scilicet in

Quantum ad scire et disputare, ars præfertur experimento.

disputationibus, *magis arbitramur arte*, id est, per artem, *quam experimento, et ipsos artifices opinamur esse sapientiores expertis*; et reddit causam, *tanquam* pro quia *magis secundum id quod est scire omnes sequimur sapientiam*; vel secundum aliam litteram : *quia magis secundum idem contingit scire sapientiam sequentem*, id est, speculantem, *omnia*, id est, universalia quæ dicuntur omnia, ratione continentiæ : si ergo magis est sciens qui considerat universalia, consequens est artificem esse sapientiorem experto, cum artifex negotietur circa universalia, expertus autem circa particularia.

Excedit ars experimentum in tribus.

Notandum quod in tribus proponit præeminentiam artis ad experimentum. Primo, quantum ad scire simpliciter, sicut postea probabitur. Secundo, quantum ad obviare adversario in disputando. Tertio, quia ars est propinquior sapientiæ quam experimentum; nam cum sapientia sit de universalissimis, ut post dicetur, ars quæ considerat universalia, magis appropinquat sapientiæ quam experimentum, quod considerat singularia et non universalia; et quia sapientia est nobilissima scientia, ut postea dicetur, ideo ars ex hoc nobilior ostenditur quam experimentum, quia quod propinquius est nobiliori, nobilius est. Deinde cum dicit:

Hoc autem est; quia hi quidem causam sciunt, illi vero non; experti quidem enim sciunt ipsum quia; sed propter quid nesciunt, illi autem propter quid et causam cognoscunt.

Probat dictam præeminentiam tribus rationibus, quarum secunda ponitur ibi : *Et omnino sciens signum*; tertia ibi : *Amplius autem sensum*. In prima parte intendit talem rationem : sciens causam et *propter quid*, est magis sapiens et sciens illo qui scit tantum *quia*, quia scientia *propter quid* nobilior est, et certior scientia *quia*; sed artifex habet scientiam *propter quid*, expertus autem tantum *quia*; ergo artifex est magis sciens experto. In ista ratione sic procedit : quia primo ponit rationem. Secundo exponit eam per simile, ibi : *Unde architectores*. Dicit ergo quod *hoc autem*, quod dictum est probatur : *quia hi quidem*, scilicet artifices, *sciunt causas*; *illi vero*, id est, experti, *non*; unde addit : *experti enim sciunt ipsum quia*, *sed nesciunt ipsum* propter quid; *hi autem*, artifices scilicet, *cognoscunt* quia et propter quid.

Artifex est magis sciens, quam expertus.

Text. 42
Scientia propter quid est certior scientia quia.

Notandum quod Aristoteles 1. Posteriorum, cap. illo : *Certior autem scientia*, dicit scientiam *propter quid* esse certiorem scientia *quia*; et ideo si artifex novit *propter quid* de his quibus expertus novit solum *quia*, sequitur artificem esse magis scientem quam expertum. Deinde cum dicit :

13\. Unde et architectores circa quodlibet quidem hujusmodi honorabiliores et magis scire manu artificibus putamus et sapientiores, quia factorum causas sciunt. Illi vero sicut quædam inanimatorum, faciunt quidem, non scientia autem faciunt quæ faciunt, ut ignis quod exurit. Inanimata quidem igitur natura quadam unumquodque horum faciunt, sed manu artifices propter consuetudinem, quibus efficitur, ut sapientiores sint quidam, non quia peritiores sint in agendo, sed quia rationem habeant, causasque cognoscant.

Exponit prædictam rationem per simile, et intendit talem rationem sumptam a simili, sicut se habet

ars architectonica ad artem manualem, sic se habet sciens *quia et propter quid* ad scientem *quia* tantum; sed ars architectonica est sapientior, et scientior ipsa arte manuali, ideo dicitur architectonica ab ἀρχὸς, quod est princeps, et τέχνη, quod est ars; ergo similiter sciens *quia, et propter quid*, cujusmodi est artifex, sapientior et scientior est experto sciente solum *quia*. Dicit ergo quod *architectores putamus sapientiores, et nobiliores, et magis scire* circa quodcumque genus scibile, *ipsis artificibus manu*, id est, manu operantibus. Et ratio hujus est, *quia* architectonici artifices *sciunt causas et propter quid* factorum, id est, artificialium : illos autem, id est manu operantes putamus; *sicut quædam de numero inanimatorum, faciunt enim*; *sed quæ faciunt incognita faciunt*, quia causam ignorant, quemadmodum inanimata, ut puta *cum ignis exurit*; ignis autem comburens ignorat causam quare comburit. Sed ne aliquis crederet omnino simile esse de actione inanimatorum et manu artificum, subjungit differentiam : *Nam inanimata faciunt unumquodque horum, quæ faciunt, natura quadam*, id est, quodam impetu et necessitate naturali, et per hoc distinguuntur ab agente a proposito : sed *manu artifices faciunt* quæ faciunt *per consuetudinem*, quia per aliquem habitum acquisitum per consuetudinem, quod non est dicendum de inanimatis. Est ergo similitudo inter inanimata, et manu artifices, quia utraque operantur absque cognitione causæ; nam sicut inanimata operantur ordinata in finem ab aliquo agente superiori, sic et manu artifices ab aliquo superiori artifice architectore, respectu ejus. Unde concludit intentum, quod *ex dictis patet* quod non sunt sapientes aliqui secundum practicos, id est, operatores esse, vel secundum practicos, id est, secundum operatoris habitus, quales sunt experti, sed secundum quod habent rationem universalem et causam, et *propter quid* cognoscunt, quales sunt artifices.

Architectores sunt sapientiores artificibus manualibus.

14. Ars architectonica quæ sit et unde dicatur?

Notandum quod ars architectonica dicitur principalis ars, ab ἀρχὸς, quod est princeps, et τέχνη, quod est ars; dicitur autem principalior, quia operationem principaliorem habet, et imperium respectu alterius. Exemplum, aliqua operatio artis ordinatur ad materiam disponendam, puta Carpentaria dolans et disponens ligna, quæ sunt materia navis ; aliqua ordinatur ad formam inducendam, puta illa quæ componit ligna et inducit formam navis ; aliqua ordinatur ad usum factæ navis, puta Nautica, quæ navigando utitur nave constructa et jam facta. Prima potest dici dolativa. Secunda manufactiva. Tertia usualis, et habent se sic per ordinem : quia prima est infima et ordinatur ad secundam, ut ad finem, et ut materia ad formam, quia ipsa imponit necessitatem sibi, sicut forma materiæ et finis his quæ sunt ad finem ; unde secunda est architectonica respectu primæ, et imperat primæ. Nam manufactor imperat dolativo, ut sic, vel sic dolet ligna, secundum quod sic vel sic sunt apta ad formam navis inducendam. Quod igitur ligna sic vel sic dolanda, sicut manufactor novit causam, *et prop-*

Ars architectonica ut impera aliis.

ter quid, quia scilicet expedit propter talem formam navis; sed ipse dolativus, ut sic, solum novit quia sic dolanda sunt, sed causam *propter quid* ignorat. Simili modo secunda ordinatur ad tertiam, et tertia est architectonica respectu secundæ, quia sibi imperat, ut talem formam inducat, quia talis est necessaria ad usum navigandi, ita quod ipsa manufactiva, ut sic, solum novit *quia*, sed usualis novit *propter quid*. Similiter in proposito artifex novit *propter quid* eorum, quæ expertus solum novit *quia*. Ergo artifex est magis sciens quam expertus, et habetur propositum. Deinde cum dicit:

Artifices possunt docere, experti non ita.

Et omnino scientis signum est posse docere, et ab hoc artem magis experimento scientiam esse existimamus. Possunt autem hi, hi autem docere non possunt.

Ponit secundam rationem, quæ potest sic formari: artifices possunt docere et non experti; ergo artifices sunt magis scientes, et magis perfecti quam experti. Consequentia patet, quia scientis signum est posse docere, nam tunc *unumquodque dicitur esse perfectum, quando potest sibi simile generare, et facere*. 4. Meteor. Antecedens probatur, quia artifex scit causam *et propter quid*, expertus ignorat, ideo potest artifex docere, non autem expertus. Scire enim est causam cognoscere, et ideo qui causam scit, potest facere alium cognoscere et scire; experti autem docere non possunt, quia causam ignorant: quod si aliis tradunt ea quæ experimento noverunt, poterunt in eis generare habitum forsan opinionis (Ad finem.)

vel credulitatis, non autem scientificum, cum scientia sit per causam. 1. Post. Dicit ergo quod *omnino signum est scientis posse docere, et ab hoc magis concupiscimus artem, quam experimentum*, quia magis sumus scientes per artem quam per experimentum; unde subdit quod *hi* scilicet artifices *possunt* supple docere, *hi autem* scilicet experti *docere non possunt*. (Text. 5)

15. Notandum quod virtus istius rationis consistit in ista propositione, quæ colligitur. 4. Meteor. quia *unumquodque est perfectum, quando potest generare sibi simile*.

Sed contra; ergo Deus posset generare alium Deum sibi similem; consequens est falsum, ergo antecedens, quod est propositio allegata. Respondeo, non est factibilis alius; propositio autem habet veritatem, ubi aliud simile est factibile. Contra, quia Angelus est factibilis, et tamen non potest sibi similem generare; ergo asinus erit perfectior Angelo, si propositio allegata vera sit. Respondeo quod propositio illa fallit, quando productum aliquod est ita perfectum, quod ad sui productionem requirit causam æquivocam, et hoc est propter perfectionem, sic est in Angelo. Similiter in univocis deficit, quando est in potentia passiva tantum: lapis enim durus quantumcumque perfectus non potest generare sibi similem, quia tantum habet potentiam passivam ad resistendum; durum enim est quod resistit impellenti, sed non habet principium agendi qualitatis activæ. Tunc ad propositum, *Unumquodque est tunc perfectum*, etc. licet se-

Exceptiones illius propositionis 4. Meteororum Unumquodque tunc est perfectum etc.

quatur, *quando potest generare*, etc. tamen non sequitur, perfectum est, ergo potest generare, etc. nisi cum exceptionibus supradictis. Deinde cum dicit :

Amplius autem sensuum neque unum sapientiam esse ponimus, cum his singulorum cognitiones maxime propriæ sint; sed propter quid de nullo dicunt, ut propter quid ignis calidus, sed quia calidus solum sit.

Sensus non est sapiens nec sciens.

Ponit tertiam rationem quæ sumitur a signo, et probatur propositum : *quia nec unum*, id est, nullum *sensum*, *ponimus esse sapientiam* et scientiam, quia sensus non est scientia nec capax scientiæ. Et ratio hujus est : quia his sensibus *maxime sunt propriæ cognitiones singularium*. Nam universale ut sic non cognoscitur a sensu, *et ideo* sensus, qui sunt circa singularia *de nullo dicunt*, id est, cognoscunt *propter quid, ut propter quid ignis est calidus,* sed tantum : *quia calidus est;* si ergo sensus negatur esse sapiens vel sciens, propter ignorantiam causæ *et propter quid;* expertum qui solum novit *quia*, non *propter quid*, negandum est esse scientem vel sapientem. Sed artifex qui novit causam *et propter quid*, dicetur magis sapiens et sciens.

16. Primum quidem igitur conveniens est quamlibet artem invenientem ultra communes sensus ab hominibus mirari, non solum propter aliquam inventorum utilitatem, sed sicut sapientem, et ab aliis differentem : Pluribus autem repertis artibus, et aliis quidem ad necessaria, aliis vero ad introductionem existentibus, tales illis sapientiores esse arbitrandum est propter id quod illorum scientiæ ad usum non sunt; unde jam omnibus talibus institutis quæ non ad voluptatem, neque ad necessitatem scientiarum repertæ sunt : et primum in his locis ubi vacabant, unde circa Ægyptum Mathematicæ artes primum consisterunt, ibi namque gens Sacerdotum vacare dimissa est.

Ars speculativa est nobilior practica.

Postquam determinavit Philosophus, et distinxit gradus cognitionis in hominibus rationem participantibus, comparando artem ad experimentum, nunc facit idem comparando artem speculativam ad practicam. Circa quod duo facit : primo quod dictum est, ostendens quod speculativa habet magis et tantum rationem sapientiæ. Secundo adaptat illud quod dixerat ad hanc scientiam, de qua hoc intendit, quod propter hoc scilicet hæc scientia meretur nomen sapientiæ, quia versatur circa primas causas et circa principia. Secunda ibi : *Cujus autem gratia*. Prima in duo : nam primo facit quod dictum est. Secundo removet dubium oriens ex prædictis. Secunda ibi : *In moralibus autem*. In prima intendit talem rationem : illa scientia cujus habens meretur nomen sapientis, et habetur in majori veneratione et honore inter homines, magis est sapientia, quia *propter quod unumquodque tale et illud magis*; sed ars vel scientia speculativa est hujusmodi respectu activarum practicarum; ergo speculativa est magis sapientia quam practica. Minorem ostendit in littera dicens, quod *conveniens est mirari primum,* tanquam dignum honore, *invenientem*, id est, illum qui invenit quamvis artem; *et qui ultra omnem sensum*, id est, ingenium aliorum hominum, *quærit*, scilicet causas rerum et quamcumque artem, *non propter utilitatem vitæ*, sed propter ipsum scire solum, quod est proprium speculativæ; ille inquam est dignus

admirari, qui sic facit ut scilicet sapiens ad inveniendum causas rerum, et distinguens ab aliis, id est, sciens differentias rerum ad invicem; *sed talibus artibus repertis, et aliis pertinentibus ad necessaria vitæ*, quales sunt artes mechanicæ, et aliquo modo, omnes practicæ; *aliis vero pertinentibus ad introductionem* in aliis scientiis, quales sunt omnes sermocinales, ut Logica, Grammatica et Rhetorica, in omnibus, inquam, talibus jam repertis *semper tamen speculativos arbitrandum est esse sapientiores* illis, qui habent artes dictas prius repertas; *propter illud quod illorum*, scilicet speculativorum, vel habentium speculativas scientias, *scientiæ*, quæ sunt speculativæ, non sunt ad utilitatem vitæ repertæ, sed propter ipsum scire, quod probat per signum; quia omnibus aliis repertis, *quæ vel pertinent ad necessitatem vitæ, vel ad introductionem in aliis*, ut jam dictum est; vel etiam quæ pertinent ad voluptatem, quod dicit propter aliquas scientias ad delectationem hominum ordinatas, ut forte sunt scientiæ de ludis vel hujusmodi, illæ speculativæ non sunt repertæ ad aliquid istorum. Quod patet, quia speculativæ scientiæ, primo repertæ sunt in his locis, in quibus primo studuerunt homines circa talia, *unde et in Ægypto primo substiterunt artes Mathematicæ*, nam primo repertæ sunt a Sacerdotibus, qui concessi, et dimissi sunt studere circa hujusmodi speculativa Mathematica.

SUMMARIUM.

De inventoribus Matheseos tantum refert quid alii dicunt. Aristoteles l. Met. cap. 3. scribit Pythagoricos, primos Mathesi operam navasse. Cum Nilus sæpius inundatione possessiones confudisset, ad eas discernendas invenisse Ægyptios Geometriam, scribit Strabo l. 17. et Herod. l. 11. Polyd. de Rerum invent. l. 1. c. 18. Arithmeticam a Phœnicibus inventam, propter mercaturam, quidam putant; sed Joseph. 1. Antiq. c. 3. id Abrahamo ascribit, quem etiam Astrologiam ad Ægyptios tulisse asserit, cujus inventores secundum eum fuerunt filii Seth, nepotes Adæ a quibus recondita fuerunt in columna lapidea, quæ ad sidera spectabant, ne perirent, cum ab Adamo intelligerent omnia diluvio peritura. Plinius Jovi Belo inventionem Astrologiæ tribuit l. 6. sed l. 5. Phœnicibus de quo Polydor. c. 17. Quod de Atlante dicitur, merum figmentum est. Tubal filius Lamec fuit pater canentium cithara et organo. Gen. 4. Quinam vero postea, artificiose Musicam primo composuerunt sub lite est, de quo Polid. supra cap. 14. Multa de his videri possunt apud Zuingerum in Theatro, vol. 5. l. 4. et Laert. de vitis Philosophorum. De primi inventoribus scientiarum Mathematicarum.

17. Notandum quod ut dicitur, quod in Ægypto prius inventæ sunt artes Mathematicæ a Sacerdotibus, relinquentes occupationes alias, expensas de populo accipiebant in studio, concessi et deputati fuerunt, post omnes alias scientias repertas, quæ vel ad necessitatem vitæ, vel ad introductionem in alias scientias, vel ad delectationem hominum serviebant. Et hoc est signum, quod Mathematicæ et aliæ scientiæ speculativæ, non sunt repertæ propter aliquod illorum, sed propter ipsum scire tantum. Deinde cum dicit :

In moralibus quidem igitur quæ sit artis et scientiæ differentia, et similium generum dictum est.

Removet dubium quod potest oriri ex prædictis, quia hominum usus erat nomine artis, et sapientiæ, et scientiæ, quasi indifferenter, ne quis putaret hoc idem significare, et esse quasi nomina synonyma. Respondet, quod *in moralibus*, id est, in 6. Ethic. *dictum est quæ sit differentia artis, et scientiæ, et aliorum similium generum.*

4. et inde.

Habitus intellectuales quinque.

Notandum, quod Aristoteles 6. Ethic. distinguit habitus intellectuales, qui sunt *sapientia, intellectus, scientia, prudentia* et *ars* : et differunt ab invicem, penes objecta, quia tria eorum scilicet sapientia, intellectus, scientia pertinent ad intellectum speculativum, et distinguuntur penes objecta. Nam *sapientia* versatur circa causas altissimas, quæ sunt principia entis inquantum ens; sive primæ causæ sint principia incomplexa, ut substantiæ immateriales; sive complexa, ut sunt dignitates et maxime propositiones, quæ demonstrationem omnium ingrediuntur virtualiter, etsi non substantialiter, de quo alias. *Intellectus* autem versatur circa principia propria demonstrationis, quæ demonstrationem ingrediuntur secundum substantiam. *Scientia* autem versatur circa conclusiones, nam *scientia* est habitus conclusionum. Duo alii habitus scilicet *prudentia* et *ars* pertinent ad intellectum practicum ; sed distinguuntur penes objectum, quia *prudentia* versatur circa agibilia, unde dirigit in praxim quæ est actio immanens, non transiens in exteriorem materiam. *Ars* enim est recta ratio rerum factibilium, ut patet ex 6. Ethic. ideo versatur circa factibilia, et dirigit in operationem quæ est actio transiens ; prima autem proprie dicitur actio. Secunda autem factio, illa quæ scilicet est transiens. Deinde cum dicit :

Cap. 5.

Cujus autem gratia nunc sermonem facimus, hoc est, quia nominatam sapientiam circa primas causas, et principia existimant omnes vereri, 18.

Metaphysica est circa primas causas, et principia.

Quod dixerat, adaptat ad propositum, volens ostendere ex dictis, quod scientia Metaphysica quæ meretur nomen sapientiæ, versetur circa causas et circa principia. Et circa hoc duo facit. Primo ponit intentam conclusionem. Secundo, innuit ejus probationem, ibi, *Quare sicut dictum*. Dicit ergo, quod illud, *cujus gratia nunc sermonem*, id est, considerationem, *facimus*, de prædictis est hoc, quod intendimus, scilicet quia Metaphysica, quæ est *nominata sapientia, videtur esse circa primas causas et principia*. Deinde cum dicit.

Quare sicut dictum est prius, expertus quod quemcumque sensum habentibus sapientior esse videtur, artifex enim expertis. Architector autem manu artifice, speculativi autem magis activis. Quod quidem igitur sapientia, et circa quasdam causas et principia sit scientia, manifestum est.

Innuit talem probationem : Quicumque magis considerat causas et principia, sapientior dicitur; ergo scientia quæ est sapientia, considerat causas et principia. Tenet autem illa consequentia in virtute illius maximæ : *sicut maxime ad maxime, et magis ad magis, ita simpliciter ad simpliciter*, et est similis modus arguendi, ac si diceretur : Quod est magis terreum, est gravius; ergo terra est simpliciter 5. T. c. 21.

gravis. Similiter, magis considerans causas magis est sapiens; ergo sapientia simpliciter considerat causas et principia. Antecedens autem istius consequentiæ, quod scilicet *qui magis considerat causas sapientior dicitur*, ostendit Aristoteles inductive dicens : quod *sicut dictum est prius, expertus videtur esse sapientior* eis, qui sensum habent solum sine experimento; *artifex enim sapientior est expertis*, et inter artifices, *architectus*, id est, habens scientiam architectonicam, est *sapientior ipso artifice manuali*, qui est inferior eo. Speculativæ etiam scientiæ sunt magis sapientes ipsis activis practicis. Et ratio hujus est, quia magis considerat causas, iste qui sapientior dignoscitur, ut patet ex dictis.

Notandum, quod expresse non habetur in littera simpliciter, quod expertus sit sapientior habente solum sensum sine experimento; tamen habetur ibi implicite a simili, quia sic se videtur habere expertus ad habentem solum sensum, sicut artifex ad expertum, ideo connumerat hoc inter dicta superius expressa. Ultimo concludit intentam conclusionem dicens : *Quod quidem igitur sapientia*, id est, Metaphysica, de qua est sermo *principaliter, sit scientia circa quasdam causas et principia, manifestum est*, ex dictis. Dicit ergo *circa quasdam*, quia nondum ostensum est circa quas, sed circa quasdam simpliciter, quæcumque sint illæ.

SUMMÆ PRIMÆ CAP. II.

Exponitur sapientiæ natura, et Metaphysicæ dignitas probatur ex ejus essentiali speculativitate.

SUMMARIUM.

Ponit sex conditiones sapientiæ, quas omnes per ordinem ostendit convenire Metaphysicæ, inde concludens ipsam debere sapientiam nominari. In altera parte hujus capitis, quæ est secunda pars principalis hujus primæ partis prologi, ostenditur dignitas hujus sapientiæ, scilicet Metaphysicæ ex ejus speculativitate, ubi in principio distinctius notatur.

Quoniam autem scientiam hanc quærimus circa quales causas, et circa qualia principia, scientia sapientia sit, hoc utique erit considerandum. Si itaque accipiat aliquis existimationes, quas de sapiente habemus, fortassis ex his manifestius fiet. 19.

Dicebatur superius, quod ad ostendendum dignitatem hujus scientiæ ex ejus naturali appetibilitate, intendebat Aristoteles facere talem rationem : Omnes homines natura scire desiderant; ergo maximam scientiam maxime desiderant; sed scientia Metaphysicæ est maxime scientia; ergo, etc. Declarata ergo prima propositione : *Omnes homines*, etc. in qua major rationis virtualiter continetur, nunc inquirit minorem, scilicet quod scientia Metaphysicæ sit maxime scientia.

Maxime scibilia duplicia.

Ad cujus evidentiam sciendum, quod scientia maxima dicitur, quæ est de maxime scibilibus : maxime autem scibilia dicuntur dupliciter, vel quia primo omnium sciuntur, sine quibus non possunt alia sciri; vel quia sunt certissima cognoscibilia; utroque autem modo consi-

derat ista scientia maxime scibilia. Nam maxime scibilia primo modo sunt communissima, ut ens inquantum ens, et quæcumque sequuntur ens inquantum ens. Maxime autem scibilia secundo modo, sunt principia et causæ, quæ tanto sunt secundum se certiora, quanto sunt priora; hæc autem scientia considerat de utrisque, ut patet ex prima conclusione hujus prologi. Virtus ergo hujus minoris stat in hoc, quod Metaphysica est de maxime scibilibus, quod Aristoteles intendit ostendere in hoc loco, quod facit tali modo. Quia supponendo, quod ista scientia sit sapientia, probat quod sapiens versetur circa maxime scibilia, et per consequens Metaphysica, cum sit maxime sapientia. Circa autem hoc sic procedit, quia primo movet modum investigandi dictam veritatem. Secundo juxta illum modum exequitur de intento. Secunda ibi : *Primum itaque.* Dicit ergo, *quoniam*, pro quia, quod *hanc scientiam quærimus,* quæ scilicet considerat causas et principia, ut superius immediate est conclusum : *considerandum est circa quales causas, et qualia principia sit hæc scientia sapientia*, quæ est Metaphysica ; hoc autem *fortassis ex his fiet manifestum,* scilicet hoc modo, si aliquis numerando comprehendat *communes existimationes* hominum, *quas habemus de sapiente,* nam per hunc modum patebit, quod sapientia versatur circa prima principia et proprias causas, quæ sunt maxime scibilia, et etiam quod versatur circa communissima quæ etiam sunt maxime scibilia. Deinde cum dicit :

Metaphysica versatur circa maxime scibilia.

Itaque primum existimamus sapientem, omnia maxime scire, ut contingit : accipimus enim non singularem scientiam eorum habentem.

Vide ad hunc text. q. 9. lib. 1.

20 Conditiones sapientis sunt sex.

Ponit aliquas conditiones convenire ei, quod considerat maxime scibilia et communissima, et primas causas et principia, et ostendit quod considerare maxime scibilia est ejusdem sapientiæ, quæ est Metaphysica ; et dividitur ista pars in sex secundum quod sex tales conditiones narrat de sapiente. Secunda ibi : *Postea difficilia.* Tertia ibi : *Adhuc certiorem.* Quarta ibi : *Et magna.* Quinta ibi : *Et hanc scientiarum.* Sexta ibi : *Et principaliorem*, etc. Dicit ergo quod *primum accipimus sapientem scire maxime*, sicut decet, vel *ut contingit, non enim accipimus habentem scientiam singularem omnium;* hoc enim est impossibile, cum illa sint infinita, quæ intellectu capi non possunt. Prima ergo conditio sapientis est scire omnia, ut contingit, scilicet in universali, ut postea dicemus. Secunda ponitur ibi :

Prima conditio sapientis est scire omnia.

Postea difficilia cognoscere potentem, nec levia homini noscere, hunc dicimus sapientem. Sentire enim omnium est commune, quare facile, et non sophon, id est, sapiens est.

Secunda conditio est cognoscere difficilia.

Et est quod illum ponimus sapientem, qui potest cognoscere difficilia ex ingenio sui intellectus ; non autem ponimus sapientem potentem scire ea, quæ levia sint omnium communiter ad cognoscendum. *Sentire enim*, id est, cognoscere sensibilia *commune est omnium ; quare facile est* illa sensibilia cognoscere, et *non sophon*, id est, non est aliquid pertinens ad sapientem, ut sic : Illud ergo est

proprium scire sapientis, quod non cognoscitur leviter a quocumque. Tertiam ponit ibi :

Adhuc certiorem.

Tertia quod sit certior de his quæ novit, quam alii.

Et est quod illum accipimus sapientem, qui est certior de his quæ novit, quam sint communiter alii de his quæ norunt. Quartam ponit ibi :

Et magis causam dicentem sapientem circa omnem scientiam esse.

Quarta conditio, quod promptius aliis reddat rei causam.

Et est quod illud accipimus sapientem, qui *circa omnem*, id est, circa quamcumque scientiam magis potest dicere, id est, reddere et assignare causas eorum quæ sciuntur, et quæruntur, et per consequens potest magis docere. Quintam ponit ibi :

Et scientiarum autem ea quæ suiipsius causa et sciendi gratia eligibilis est, magis est sapientia, quam quæ evenientium gratia.

Quinta, quod sit propter ipsum scire, et non propter aliud.

Et est quod *scientiarum*, id est, de numero scientiarum est magis scientia, *quæ per se est et gratia scire*, id est, propter ipsum scire magis accipimus esse sapientiam, et *magis est sapientia*, quæ est circa speculativa, quam illa quæ est circa contingentia, id est, quæ possunt evenire contingenter, puta vitæ necessitas, vel delectatio, vel aliquid tale ; tales enim ultra scire extendunt se ad aliquod aliud, sicut sunt scientiæ practicæ : scientia enim speculativa est volita propter scire, non propter aliud; si ergo talis est magis sapientia et habens eam magis sapiens, per locum a Conjugatis. Sexta patet ibi :

Et principaliorem subserviente magis esse sapientem : non enim ordinari, sed ordinare oportet sapientem, nam hunc ab altero, sed ab hoc minus sapientem persuaderi. Tales quidem igitur existimationes, et tot de sapientia et sapientibus habemus.

Sexta, quod regat et non regatur.

Et est quod hanc sapientiam accipimus, *esse principaliorem*, id est, digniorem *famulante*, id est, quam illa quæ famulatur, quod probatur ex duobus. Tum primo, quia *ipsum sapientem oportet ordinare* alios, et *non ordinari*. Tum secundo, quia sapientem, *hunc non oportet ab alio suaderi, sed magis ab hoc suaderi minus sapientem*.

Notandum, quod in artibus mechanicis famulantes sunt illi, qui 21.
præceptis superiorum artificum obsequuntur, et isti imperantes architectores et sapientes dicuntur, propter duplicem causam dictam : primo quod ipsi non ordinantur ab aliis, sed potius e converso; quia ars famularia ordinatur in finem superioris artis, sicut ars navifactiva ordinatur in finem usualis. Secundo, quia inferiores persuadentur a superioribus, et non e converso; navifactor enim credit ipsi nautæ, vel gubernatori navis, scilicet qualem formam debeat habere navis. Secundum autem communem opinionem sapienti competit ordinare non ordinari, persuadere non persuaderi; quare talis scientia est magis sapientia famulante, et per consequens habens eam magis sapiens. Ultimo concludit quod hujusmodi *tales acceptiones habemus communiter de sapientia et de sapiente*. Ex omnibus præmissis potest colligi una talis descriptio sapientis : Quod est qui omnia novit sicut decet, et defini-

Descriptio sapientis.

bilia certitudinaliter, et per causam quærens ipsam scientiam propter scire, persuadere potens aliis, et etiam ordinare. Deinde cum dicit :

Istorum aut hoc quidem omnia scire universalem scientiam maxime habenti inesse necesse est, hic enim novit omnia aliqualiter subjecta.

Probat dictas sex conditiones convenire ei, qui considerat communissima et maxime scibilia ; et dividitur in sex, secundum quod dictas sex conditiones probat tali inesse, et procedit ordine, quo posuit eas supra. Secunda ibi : *Sed fere sunt*. Tertia ibi : *Scientiarum*. Quarta ibi : *Doctrinalis*. Quinta ibi : *Et noscere et scire*. Sexta ibi : *Maxime vero*. Primo ergo ostendit, quod ei, qui considerat communia et universalia, inest prima conditio sapientis, quæ est scire omnia, et intendit talem rationem : Sciens universale scit aliquo modo subjecta ei ; ergo sciens maxime universalia, scit omnia. Dicit ergo quod *istorum* quæ dicta sunt, primum eorum scilicet, *omnia scire necesse est inesse habenti maxime universalem scientiam*, id est, illi qui novit maxime universale ; *hic enim novit subjecta*, id est, contenta sub universali.

Quomodo cognoscens universale cognoscit omnia contenta sub illo ?

Notandum, quod qui novit universale quodammodo novit contenta sub universali, scilicet in potentia et in communi, et ex hoc confirmatur quod dictum est, in conclusione præcedenti. Non enim oportet, quod qui novit universale sciat omnia in particulari, sed quod sciat aliquo modo ut contingit, ut sæpius dicebatur. Deinde cum dicit:

Fere autem et difficillima sunt hominibus ad cognoscendum, quæ maxime sunt universalia, nam sensibus sunt remotissima.

22 Ad hunc textum est q. 10. lib. 1.

Probat quod considerare definibilia est sapientis, et intendit talem rationem : Nam omnis nostra cognitio oritur a sensu ; ergo quæ magis distant a sensu, difficilius est attingere per cognitionem ; sed maxime universalia sunt hujusmodi, quia cum sensus sit singularium, quanto universalius, tanto remotius a sensu ; ergo universalia sunt difficillima ad cognoscendum, per consequens illi qui considerat communissima et maxime universalia, inest, cognoscere et considerare difficillima, et de illa ratione tangit virtutem dicens : Sed *fere ea sunt difficillima hominibus ad cognoscendum, quæ maxime sunt universalia, nam talia sunt remotissima a sensibus*.

Universalia sunt difficilia ad cognoscendum et quare ?

Sed contra dicta hîc arguitur : nam scientia quæ est circa difficillima, est incertissima ; si ergo Metaphysica est circa difficillima, erit incertissima, quod est contra tertiam conditionem sapientis. Respondeo, quod si ratio concludat uniformiter, non concludit quod Metaphysica sit incerta in se ; sed sicut universalissima sunt difficillima, scilicet istæ causæ primæ universales, de quibus loquitur, sunt difficiles nobis, sic et scientia. Contra hoc quod dicitur ; quod scientia est per causam, dicit etiam quod causæ et principia quæruntur; ergo non sunt notæ causæ. Respondeo, quod illa principia non sunt nota, sed sunt nobis quæsita; tamen in se sunt nota, et certissima, ideo ait Philosophus : *fere*. Deinde cum dicit :

Metaphysica est in se certissima.

SUMMARIUM.

Ut Metaphysica est nobis difficilis, et facilis.

Vult quod Metaphysica, ut est nobis aliis scientiis difficilior, ita et incertior, donec perveniamus ad ejus principia et eorum vim capiamus ; tunc enim, non solum in se, sed etiam nobis certior est aliis scientiis, de quo vide Doct. hîc q. 3. et ibi Scholium quartum. Experientia constat, Mathematicalia esse nobis faciliora, quia propinquiora sensui ; in multis tamen sunt incertiora, ut de eclipsi Lunæ, quæ sine repugnantia posset esse ab alia causa præter interpositionem terræ inter ipsam, et Solem, et sic de multis Mathematicalibus.

Al. primorum.

Scientiarum vero certissimæ sunt, quæ maxime priorum sunt: nam quæ sunt ex paucioribus, certiores sunt his, quæ ex additione dicuntur, ut Arithmetica Geometria.

23. Probat tertium inesse sibi, scilicet esse certiorem, et intendit talem rationem : Quanto scientiæ sunt priores, tanto sunt certiores ; sed scientiæ de maxime universalibus sunt priores naturaliter ; ergo certiores, et per consequens habens eas certior est. Probat autem majorem : quia scientiæ, *quæ sunt ex paucioribus, certiores sunt eis quæ se habent ex additione, sicut Arithmetica*, certior est, *Geometria*.

Notandum, quod tanto aliqua scientia est certior, quanto ad notitiam sui subjecti scibilis habendam, pauciora consideranda requiruntur, quia cæteris paribus, et facilius, et certius cognoscuntur pauca quam plura ; unde scientiæ factivæ praticæ incertissimæ sunt, quia habent multas circumstantias considerare.

Scintentia quæ se habet per additionem ad aliam est incertior.

Scientia ergo illa, quæ se habet ex additione ad aliam, et per consequens plura considerat, est incertior ; quomodo se habet Geometria ad Arithmeticam ; sicut patet considerando ea quæ accipiunt, et quæ considerant ut principia, ut sunt punctus et unitas. Nam punctus addit supra unitatem situm vel positionem ; ideo quantum ad hoc Geometria, quæ considerat punctum, incertior est, quam Arithmetica, quæ considerat unitatem. Hoc autem modo se habent scientiæ inferiores, et particulares ad scientias universales, quia semper subjectum inferioris addit aliquid ad subjectum superioris, quidquid sit illud, sive sit differentia essentialis, sive accidentalis. Scientia ergo quæ considerat de ente, et hujusmodi communissimis, qualis est Metaphysica, est certissima omnium aliarum. Deinde cum dicit :

At vero et doctrina, quæ causarum est speculatrix, magis namque hi docent, qui causas de singulis dicunt.

Probat quartum inesse sibi, quod est posse docere, et reddere causam de quæsitis, et intendit talem rationem : Illa scientia est magis potens docere, quæ maxime considerat causas ; scire enim est rei causam cognoscere ex 1. Poster. et per consequens ille potest alium docere et facere scire, qui causas novit ; sed scientia quæ considerat universalia, considerat maxime causas et principia omnium, qualis est Metaphysica ; ergo etc. Dicit ergo, quod illa scientia est doctrinalis, id est doctrix, *quæ magis est speculatrix causarum ; nam illi docent* alios, *qui de singulis causas dicunt*, id est, assignant. Deinde cum dicit :

Et noscere et scire sui gratia, maxime inest ei, qui maxime scibilis scientiæ: namque qui scire propter se desiderat, ipsam 24.

maxime scientiam desiderabit; tale autem est quæ maxime scibilis: Maxime autem scibilia principia et causæ, nam propter hæc et ex his alia dignoscuntur, et non hæc per subjecta.

Probat quintum inesse sibi, et intendit talem rationem : Scientiæ, quæ sunt de maxime scibilibus, maxime quæruntur propter seipsas et non propter alias; sed scientiæ, quæ sunt de primis causis et principiis, sunt de maxime scibilibus; ergo, etc. Major patet, quia *qui desiderat scire propter se, magis scire magis desiderat*; sed maxime scientia est de maxime scibilibus; ergo maxime desideratur, et quæritur propter se. Minor sic probatur : illa per quæ, et propter quæ alia quæruntur et sciuntur, sunt maxime scibilia; sed per causas et principia alia cognoscuntur, et non e converso; ergo causæ et principia sunt maxime scibilia. Dicit ergo, quod *noscere et scire sui gratia*, id est, per se, et non gratia aliorum contingentium, *maxime inest ei, quæ est maxime respectu scibilis scientiæ,* quia scientia aliqua quæritur propter se; unde subditur, quod qui *scire propter ipsum scire desiderat, ipsam maxime scientiam maxime desiderabit : talis autem,* scilicet maxime scientia, *est ipsa quæ est respectu maxime scibilis*; *sed maxime scibilia* sunt, quæ prima *principia sunt et causæ, nam propter ea, et ex eis* primis principiis et causis *alia cognoscuntur*, quæ sunt subjecta illis primis principiis et causis, et non e converso. Deinde cum dicit :

25. Ad hunc text. habes q. I. 8. I. I. Maxime vero principalis scientiarum, et magis principalis subserviente, quæ cognoscit cujus causa sunt agenda singula : hoc autem est bonum uniuscujusque, atque id quod totaliter est optimum in omni natura.

Probat sextum inesse sibi, et intendit talem rationem : Illa scientia se habet ad alias, ut architectonica, et principalis ad famulantem, quæ considerat causam finalem, cujus causa agenda sunt singularia; sed prædicta scientia, quæ scilicet est de primis principiis et causis, est principalis et architectonica respectu omnium aliarum, et per consequens habens illam, habet illam sextam conditionem sapientis. Major patet in supradictis : nam scientia usualis se habet ad navifactivam ut principalis, et architectonica ad servilem; nam considerat finem ejus, et præcipit sibi propter hoc, quod talem formam inducat, quia ipsa est utilis ad usum navigandi. Minorem autem ostendit ex hoc, quia gratia cujus agenda sunt singula, est bonum cujusque, id est, particulare bonum, quia particularis finis est bonum in unoquoque genere. Illud vero quod est finis omnium, id est in universo, est illud quod est optimum in tota natura, quod pertinet ad considerationem scientiæ supradictæ. Dicit ergo, quod *maxime principalis scientiarum, et magis principalis*, ipsa *servili est* ipsa *quæ* non ignorat ; sed *novit cujus causa singularia sunt agenda, et hoc bonum*, id est, particulare bonum quod est finis, *cujusque*, in particulari : *sed omni*, id est, toti universo finis est, *quod est optimum in omni*, id est, tota *natura*, de quo agit scientia de universalibus et maxime scibilibus, quia ipsa est principalis, et architectonica res- Finis et bonum duplex.

pectu omnium aliarum, et sibi omnes aliæ famulantur.

26. Bonum universi est duplex, et unum ordinatur ad aliud.

Notandum, quod optimum in tota natura, quod est finis, et bonum totius universi, ut bonum separatum, est primum movens, ut in 12. Metaph. sed ordo universi est bonum intrinsecum universi, sed illud principalius; quoniam bonum tale quod est bonum ordinis, est propter bonum finis, et non e converso, sicut bonum exercitus, est ordo exercitus, et tale ordinatur in bonum ordinis universi, et non e contra; bonum ergo secundum, et tertium ordinantur in primum, et non e converso. De primo autem movente, quod est principale bonum et finis in tota natura, agit scientia Metaphysicæ, ut patet 2. hujus. Tunc sequitur illa pars :

Ad hunc text. habes quæst. 7 l. 1.

Ex omnibus ergo quæ dicta sunt, in eamdem cadit scientiam quæsitum nomen : oportet enim hanc primorum principiorum et causarum esse speculativam : summum etenim bonum, et quod cujus gratia, una causarum esse.

Ubi postquam enarravit conditiones sapientiæ, et ostendit eas convenire ei, qui considerat maxime scibilia, quæ sunt communissima, et primæ causæ et principia, concludit ex prædictis, quod nomen sapientiæ, et considerare maxime scibilia, sunt ejusdem scientiæ. Dicit ergo quod *ex omnibus his, quæ dicta sunt*, est manifestum, quod *in eamdem scientiam cadit, quod quæsitum est nomen*, scilicet nomen sapientiæ in eamdem scilicet scientiam, quam omnem esse Theoricam, scilicet *speculativam primorum principiorum et causarum,* quæ sunt maxime scibilia, et hoc manifestum est, quantum ad dictas sex conditiones sapientiæ, quæ manifeste conveniunt ei, qui considerat prima principia et causas; addit tamen, quod *bonum et quod cujus causa,* id est, finis, est *una de numero causarum.*

Finis est una ex causis.

Notandum, quod apud antiquos finis non ponebatur esse causa, ut dicetur infra in isto primo; ideo ad removendum hoc, et ad ostendendum, quod istius scientiæ, cujus est considerare primas causas, est etiam de causa finali considerare, ut dicebatur in sexta conditione immediate ante, addit quod finis est una causarum; ideo scientia, quæ considerat universales causas omnium, habet etiam considerare universalem finem omnium, quod est optimum in tota natura universi, ut prædictum est.

SUMMARIUM.

Probat secundo Metaphysicam esse speculativam, hinc inferens aliis esse digniorem, de quo fuse Doct. hîc q. 7. et 8. Probat tertio etiam solam hanc inter scientias esse liberam, seu gratia sui acquiri, quod optime explicat Doctor. Quarto probat esse divinam et explicat Doctor quomodo sic dicitur, et quo sensu.

Quare vero non activa palam ex primum philosophantibus: nam propter admirari homines, et nunc et primum incepe- runt philosophari : a principio quidem per pauciora dubitabilium mirantes, deinde paulatim procedentes, et de majoribus dubitantes, ut de Lunæ passionibus, de his, quæ circa Solem et astra, et de universi generatione. Qui vero dubitat et admiratur, ignorare se arbitratur; quare et Philomythes, id est, fabularum amator, aliqualiter Philosophus est, fabula namque ex miris constituitur: quare si ad ignorantiam fugiendam philosophati sunt, palam quia propter scire, studere persecuti sunt, et non usus alicujus causa. 27.

27. Secunda pars principalis primæ partis hujus prologi.

Hæc est secunda pars principalis istius primæ partis prologi, et quia hucusque Aristoteles probat

dignitatem hujus scientiæ ex ejus naturali appetibilitate, nunc ostendit idem ex ejus essentiali speculativitate. Circa quod duo facit : primo probat hanc scientiam esse speculativam per rationem. Secundo per signum. Secunda ibi : *Testatur autem hoc*. In prima parte intendit talem rationem : Omnis illa scientia, in qua quæritur ipsum scire propter seipsum, est speculativa, non practica : Metaphysica est hujusmodi; ergo, etc. Minor probatur sic : Illa scientia, quæ quæritur solum propter fugam ignorantiæ, intendit ipsum scire propter se ; sed Metaphysica est hujusmodi, quod ostendit ex hoc quod circa istam scientiam et alias speculativas, ex admirari cœperunt homines philosophari; admiratio autem oritur ex ignorantia, nam qui dubitat et admiratur, dubitare videtur; philosophati sunt ergo homines propter fugam ignorantiæ. Dicit ergo, *quod vero* ista scientia *non* sit *activa*, id est practica, sed speculativa; *patet ex primis philosophantibus, nam per admirationem cœperunt homines philosophari nunc et primum,* licet differenter quantum ad hoc; quia *a principio* erant *mirantes pauca dubitativa,* quæ forte magis erant in promptu, ut eorum causæ cognoscerentur ; *sed post,* id est, ex cognitione minorum, *paulatim processerunt* ad majora, *dubitantes de majoribus,* id est, quærentes eorum causas, *ut de passionibus Lunæ*, puta de Eclipsi, *et de his, quæ sunt circa Solem et astra,* puta de quantitate et de motibus ipsorum, *et de mundi generatione;* nam mundum quidam dixerunt generatum a casu ;

Metaphysica est scientia speculativa.

quidam ab intellectu, ut Anaxagoras; quidam amore, ut Empedocles. Certum est autem, quod *qui dubitat et admiratur, ignorare dicitur; et propter hoc Philosophus dicitur Philomythes, id est, amator fabulæ*, quod est proprium Poetarum; ideo comparatur Philosophus Poetæ, quia uterque versatur circa admiranda; unde subdit : *fabula namque ex miris*, id est, admirandis, *constituitur*. Concludit ergo conclusionem intentam : *quare*, inquam, *si ad ignorantiam fugiendam*, quam arguit illa admiratio, *philosophati sunt, palam quia propter notitiam, scilicet propter* ipsum *scire scientiam persecuti sunt*, id est, secuti sunt quærentes ; *et non causa alicujus usus*, vel operationis quæ est praxis, et ideo tales scientiæ sunt speculativæ et non practicæ.

Opinio de mundi generatione.

28\. Notandum, quod sicut dictum est, dubitatio, et admiratio ex ignorantia sumunt ortum; cum enim videmus effectus manifestos, quorum causas non videmus, admiramur circa effectus illarum causarum; ex eo ergo quod admiratio fuit causa inducens homines ad Philosophiam, ideo Philosophus amator fabulæ vocatur. quod est proprium Poetarum. Unde et quidam antiqui, qui de rerum principiis tractaverunt per quemdam modum fabularum, dicti sunt Poetæ Theologantes; et ut dicitur, fuerunt septem Sapientes, de quibus etiam aliquid dicetur infra in isto primo. Quia ergo fabula ex admirandis constituitur, ideo Philosophus Poetæ comparatur, nam et ipse circa admiranda versatur, ut prædictum est.

A. I. causas illorum effectuum.

Notandum ultra, quod cum Aris-

Philosophus unde

dicitur, et quis fuit primus inventor vocabuli? toteles prius usus fuit nomine *sapientiæ*, nunc utitur *Philosophiæ*, quod pro eodem sumitur; dicitur enim quod cum antiqui studio sapientiæ insistentes sapientes vocarentur, Pythagoras interrogatus quid se profiteretur esse, noluit se nominare sapientem, ut antecessores sui, quia præsumptuosum hoc esse censebat; sed dixit se esse Philosophum, id est, amatorem sapientiæ. Nomen sapientiæ in nomen philosophiæ et nomen sapientis in nomen Philosophi est mutatum, et hoc nomen congruit præsenti proposito; nam ille videtur amator sapientiæ proprie, qui sapientiam, non propter aliud, sed propter sapientiam quærit: qui autem quærit eam propter aliud, magis illud aliud amat et quærit, quia propter quod unumquodque tale et illud magis, ex primo Posteriorum. Deinde cum dicit:

Text. 5. Testatur autem ipsum quod accidit; nam fere cunctis existentibus, quæ sunt necessariorum ad voluptatem et eruditionem, talis prudentia inquiri cœpit. Palam igitur quia propter nullam ipsam quærimus aliam necessitatem.

Metaphysica propter seipsam quæritur. Probat hanc scientiam esse speculativam a signo, dicens quod hoc quod dictum est, scilicet quod sapientia vel philosophia sit inventa propter se, et propter ipsum scire, et non propter aliquod, scilicet propter necessitatem vitæ, *testatur hoc accidens*, id est, eventus circa sapientiæ inventores; *nam fere cunctis jam eis existentibus, quæ* vel *sunt necessariorum*, id est, de numero eorum, quæ sunt necessaria ad vitam, et *ad voluptatem* et quietem, sive delectationem vitæ pertinentibus, ut dicebatur supra, et ad *eruditionem*, id est, ad introductionem in alias scientias pertinentibus, ut supple scientiæ sermocinales et potissime Logica. Omnibus, inquam, jam existentibus et repertis: *talis prudentia*, de qua nunc est sermo, *inquiri cœpit;* ergo palam tanquam a signo probatum, *quia propter nullam aliam necessitatem quærimus sapientiam;* sed supple propter seipsam tantum, et per consequens est speculativa et non practica.

Notandum, quod secundum intentionem Philosophi, scientia speculativa est dignior practica; ex hoc ergo quod probat istam scientiam esse speculativam, ejus dignitatem putat sufficienter se probasse.

Sed ut dicimus homo liber, qui suimet, et non alterius causa est; sic et hæc sola libera est scientiarum, sola namque hæc sui causa est. 29. Tertia pars principalis primæ partis prol.

Postquam Philosophus probavit dignitatem hujus scientiæ, ex ejus naturali appetibilitate et ex ejus essentiali speculativitate, nunc ostendit idem ex ejus libertate ingenua. Circa quod duo facit: primo facit quod dictum est. Secundo ex dictis concludit corollarium quoddam ad ejus pertinens dignitatem. Secunda ibi: *Propter quod et juste.* In prima parte intendit talem rationem: Illa scientia est libera, quæ est gratia suiipsius, et non gratia alterius: sed Metaphysica est hujusmodi; ergo, etc. Minorem probat a simili: quia homo iste dicitur liber, qui est gratia suiipsius; servi enim dominorum sunt et propter dominos operantur, et Metaphysica libera et suiipsius gratia.

quidquid acquirunt, domino acquirunt. Dicit ergo secundum quod *dicimus, ille homo liber est qui scilicet est gratia suiipsius, et non est causa alterius, sic et hæc, scilicet* Metaphysica ipsa *sola libera est scientiarum,* id est, inter scientias; *sola namque est suiipsius causa.*

Sed videtur falsum, quod hîc dicitur, scilicet quod sola hæc scientiarum sit gratia suiipsius, nam hoc videtur commune omnibus scientiis speculativis, ut patet ex dictis. Dicendum quod hæc littera, *hæc sola,* potest duplicitur exponi : uno modo prout refertur ad genus scientiarum speculativarum in genere, ita quod supponit ly *sola,* pro omni scientia speculativa, et sic verum est quod solæ scientiæ speculativæ sunt gratia suiipsius, quia propter ipsum scire, et non propter aliud quæruntur, ideo liberales proprie dicuntur ; scientiæ autem quæ ad aliud ordinantur, puta ad aliquod opus vel utilitatem, dicuntur non liberales, sed potius serviles, ut sunt omnes practicæ communiter, saltem mechanicæ. Alio modo exponit, quod littera *sola,* refertur ad istam scientiam, quæ cum sit circa altissimas causas, et circa causam finalem omnium, ut prædictum est; nam considerat ultimum finem omnium, propter quod omnes aliæ scientiæ ad eam ordinantur, tanquam in finem; et ideo ista scientia inter omnes maxime est gratia suiipsius. Deinde cum dicit :

Qualiter intelligi debet solam Metaphysicam esse suiipsius gratia.

30. Propter quod et juste non humana putetur ejus possessio. Multipliciter enim hominum natura serva est.

Concludit ex dictis quoddam corollarium, pertinens ad hujus scientiæ dignitatem. Circa quod duo facit : Primo facit quod dictum est. Secundo excludit errorem quemdam juxta dicta. Secunda ibi : *Quare secundum.* In prima parte intendit concludere ex prædictis, quod ista scientia non sit humana possessio, et intendit talem rationem. Scientia maxime libera non potest esse possessio naturæ illius, quæ multipliciter est ministra ; sed natura humana multipliciter est ministra ; ergo ista scientia, quæ est maxime libera, ut prædictum est, non est possessio humana. Dicit ergo quod *propter hoc,* quia scilicet ista scientia est maxime libera : *juste ejus possessio non putetur humana,* multis enim in locis, id est, quantum ad multa *natura humana ministra est.*

Notandum, quod natura humana dicitur ministra, eo quod multis necessitatibus subditur, pro statu viæ, ex quo accidit quod frequenter dicimus illud quod propter se quærendum est, non humana putatur ejus possessio. Unde licet melius sit philosophari quam ditari, non tamen indigenti, ut dicitur tertio Topic. Illa ergo scientia quæ propter seipsam quæritur, est quæ non competit homini ut possessori, qua ad libitum uti potest et libere; illa autem scientia, quæ propter se tantum quæritur, non potest homo libere uti, cum ab ea frequenter impediatur, propter necessitatem vitæ. Recte ergo Metaphysica non est possessio humana, quia non subest homini ad nutum, cum ad eam perfecte non valeat pervenire, illud tamen modicum quod de ea

Ut natura humana dicitur ministra.

Cap. 4.

Quomodo Metaphysica non est possessio humana ?

habet, prævalet omnibus, quæ per alias scientias cognoscuntur. Deinde cum dicit :

31. Quare secundum Symonidem solus quidem Deus hunc habet honorem; virum vero non dignum quærere quæ secundum se est scientiam,

Excludit errorem quemdam juxta dicta. Circa quod tria facit, primo præmittit errorem. Secundo ponit causam erroris. Tertia excludit illam causam. Secunda ibi : *Sic autem dicunt*. Tertia ibi : *Sed nec divinum*. Dicit ergo quod hæc scientia non est humana; imo *secundum Symonidem,* qui fuit quidam poeta sic dictus : *solus Deus sic hunc habet honorem,* scilicet quod velit istam scientiam, quæ est tantum propter se quærenda; *virum*, id est, hominem, *non esse dignum quærere hanc scientiam quæ est secundum se*, supple secundum suam conditionem, utpote quæ non ordinatur ad necessitatem vitæ hominis, quasi diceret quod solus Deus habet quærere hanc scientiam, et non homo. Deinde cum dicit.

Si autem vera dicunt illi quidem poetæ, quia divinum natum est invidere hac in re, id ipsum contingere maxime verisimile; et infortunatos eos homines esse, qui hæc superflua quærunt.

Ponit causam erroris, proveniebat enim iste error Symonidis ex errore aliorum Poetarum, qui dicunt quod divinum, id est, res divina invidet, ita quod ex invidia Deus non vult ab hominibus haberi ea, quæ ad suum honorem pertinent, et hoc contingere maxime justum est, si in aliis hominibus Deus invidet; multo justius in hoc, scilicet in scientia ista, quæ est honoratissima inter omnia. Nam secundum opinionem eorum, oportet homines imperfectos infortunatos esse; fortunatos enim homines dicebant, quando Dii eis sua bona communicare volebant, sed ex invidia bona sua Deus eis communicare nolebat, sequitur, omnes extra perfectionem hujus scientiæ existentes, imperfectos esse et infortunatos.

Notandum, quod ex hoc loco videtur posse sumi hoc argumentum, quod etiam secundum mentem Aristotelis Deus non est agens ex necessitate naturæ, cujus oppositum communiter tenetur. Nam, ut dicitur, si Deus est invidus, omnes reliqui ab eo erunt infortunati; sed hoc non sequitur, nisi bonum aliorum sit ab ipso Deo voluntarie agente ; si enim necessario agat quanquam invideat, aget, nullus erit infortunatus. Sed hoc non cogit, quia Aristoteles non loquitur ex intentione propria, sed antiquorum Poetarum, qui forsan concederent Deum agere ex libertate voluntatis, non necessitate naturæ, licet oppositum Aristoteles fuerit opinatus. Deinde cum dicit : 32. Notabilis objectio.

Sed nec divinum invidum esse convenit, sed secundum proverbia, multis in rebus mentiuntur Poetæ.

Excludit causam erroris, dicens *quod divinum*, id est, res divina, puta Deus, *non contingit esse invidum*, et ideo dicto Poetarum non est credendum : *quia secundum proverbium, Poetæ multa mentiuntur.*

Notandum, quod invidia in Deo cadere non potest; tum quia invidia dicit passionem, quia est appetitus doloris in contrarium, qui Quod invidia in Deum cadere nequit. Vide secundum Topicor. c. 5.

Deo omnino repugnat; tum quia quantum ad objectum invidia est vel respectu majoris, vel ejus qui creditur, vel speratur esse major : nullus autem est major Deo, nec esse potest quod Deo notum est, et ideo invidere non potest; tum (et est quasi idem) quia invidia est tristitia de prosperitate alicujus, quatenus bonum alterius putatur diminutio boni proprii, quod in Deo accidere non potest, quia suum bonum diminui non potest ex bono alterius, quinimo ex ejus bonitate, sicut fonte indeficienti effluunt bona omnis creaturæ; quare radix et fundamentum illorum Poetarum falsum est, unde Plato ait, quod a Deo est remota omnis invidia. Deinde cum dicit:

33 Quarta pars principalis primæ partis. Nec tali aliam honorabiliorem oportet existimare, nam maxime divina, et maxime honoranda, talis autem dupliciter utique erit solum; quam enim maxime Deus habet, dea scientiarum est, utique si sit divinorum aliqua, sola autem ista ambo hæc sortita est : Deus enim videtur omnibus causa esse, et principium quoddam, et talem scientiam aut solus, aut maxime Deus habet. Necessariores hac quidem igitur omnes, vero dignior nulla.

Metaphysica aliis scientiis honoratior. Ponit quartum medium, ad probandum dignitatem hujus scientiæ, quod sumitur ex ejus honorabilitate præcipua, et intendit talem rationem : ista scientia est maxime divina; ergo maxime honorabilis, et per consequens dignissima. Consequentia apparet, quia Deus est honorabilior omnibus rebus; ergo scientia divina erit honorabilior omnibus aliis scientiis. Antecedens probat dupliciter, nam scientia divina dicitur, vel ratione subjecti habentis, quia scilicet Deus eam habet; vel ratione objecti, quia est de divinis; utroque modo ista scientia est divina. Dicit ergo, quod *non oportet existimare aliam scientiam esse honorabiliorem tali*, id est, quam ista, *nam ipsa est maxime divina et maxime honoranda.* Quod probat, quia ea *sola est talis divina dupliciter, quam enim maxime habet Deus*, cujusmodi supple est Metaphysica, dicta *dea scientiarum est,* id est, de numero scientiarum; vel est divina *quam maxime Deus habet* iterum quantum ad secundum, nam *et si qua*, *scilicet scientia sit divinorum*, id est, de divinis; ea *tamen, id est, ista, sortita est hæc ambo,* scilicet quod est de divinis, et maxime eam Deus habet. Quod autem sit de divinis, probatur cum subdit : *Deus enim videtur esse quoddam causarum omnibus*, id est, inter omnes causas Deus est prima causa. Cum ergo ista scientia consideret de primis causis, ut prædictum est, sequitur quod maxime consideret de Deo. Subdit autem quantum ad primam conditionem scientiæ divinæ, quod *talem scientiam* de qua nunc est sermo, *aut solus Deus habet*, *aut maxime.* Et ex his finaliter concludit, quod licet aliæ scientiæ ab illa omnes sunt magis necessariæ ea, id est, quam illa, scilicet ad utilitatem vel necessitatem vitæ, non ulla tamen dignior quam ista.

Notandum, quod cum Deus sit incomprehensibilis a quacumque creatura, prout scilicet incomprehensibilitas dicit, vel negat adæquationem actus ad objectum, ideo scientiam Metaphysicam, prout est de Deo, aut solus Deus habet, aut maxime. Solus quidem habet secundum perfectam comprehensionem, sed maxime habet, eo Quod solus, vel maxime Deus habet Metaphysicam.

quod etsi ab hominibus habetur, non tamen ut possessio, sed sicut eis aliquid a Deo commodatum. Tunc sequitur illa pars.

SUMMARIUM.

Secundo principaliter ostendit dignitatem hujus scientiæ, ex ejus utilitate quæ est, ut cognitis causis, cesset admiratio et ignorantia ; quod exponit optime Doctor de immensurabilitate diametri et costæ, quam hìc tangit Philosophus. Vide Doct. 2. d. 2. q. 9. et Euclidem ab ipso ibi citatum.

Secunda pars principalis prologi.

Oportet autem aliqualiter constituere ordinem ipsius ad contrarium nobis, quæ a principio quæstionum. Incipiunt quidem enim, ut diximus, omnes ab admirari, ut fit cum mira quædam spectantur, causa nondum perspecta, miranturque si ita res se habeat, ut circa Solis conversiones, aut diametri quadrati incommensurabilitatem; mirum enim videtur esse omnibus si quid minimorum nunc mensuratur. Oportet autem in contrarium ut ad dignius juxta proverbium confirmare, quemadmodum et in his cum didicerit; nihil enim ita mirabitur vir Geometricus, quam si diameter commensurabilis fiat. Quæ quidem igitur sit natura scientiæ quæsitæ dictum est, et quæ sit intentio, qua oportet adipisci quæstionem et totam methodum.

34 Finis Metaphysicæ est certitudo.

Postquam Philosophus induxit auditorem ad amorem hujus scientiæ ex ejus dignitate, nunc inducit ipsum ad idem ex ejus utilitate. Utilitas autem hujus scientiæ est, quod ista ordinatur ad notitiam causarum ex rebus, quæ summa utilitas est; nam ex notitia causarum dependet notitia omnium aliorum. Hoc autem declarat, ostendendo ad quem finem illa scientia ordinatur, quia scilicet ad contrarium ejus, quod fuit in principio philosophantibus; illud autem fuit admiratio et ignorantia, et ideo finis hujus scientiæ est certitudo cognitionis, quod est oppositum ignorantiæ et admirationis; et hoc est quod ait quod oportet confirmare, id est, terminare ad contrarium earum quæ a principio quæstionum; nam illa scientia incepit a quæstione et dubitatione, et terminatur ad conditionem, quod est certitudo; ideo subdit : *incipiunt enim, ut diximus, a principio ab admiratione;* quæ admiratio erat si res se habent, quemadmodum mirabilium *anthomata*, id est, causalia, quæ videntur a casu mirabiliter evenire; nondum scilicet illis philosophantibus primis speculantibus causam, ut circa conversionem Solis, quæ fit in duobus punctis describentibus duos Tropicos, æstivalem scilicet, et hyemalem ; quorum punctorum primus, qui describit Tropicum æstivalem, est punctus Cancri ; secundus qui describit Tropicum hyemalem, est primus punctus Capricorni; non enim speculantibus circa causam minimorum scita causa erit admiratio, sicut Geometricis diametrum esse non commensurabilem. Mirum quidem videtur, quod aliquid quod non est minimorum, id est, de numero indivisibilium non mensuratur omnibus, id est, cuicumque alii divisibili; nam non mensurari videtur esse solius indivisibilis, sicut unitas, quæ etsi non mensuratur, tamen ipsa mensurantur alia; constat autem quod diametrum quadrati, et latera ejus non sunt indivisibilia, nec minima. Addit autem quod cum inquisitio Philosophiæ ab admiratione incepit, oportet proficere et terminare ad contrarium, et ad dignius, juxta vulgare proverbium, quod dicit quod semper proficere est in melius; hoc

autem contrarium et dignius est cognoscere causas eorum de quibus prius admiramur, quia quando homines jam sciunt causas, non amplius admirantur, sicut apparet in exemplis dictis; non enim ita mirabitur Geometer, si diameter non fiat commensurabilis, cum scilicet sciverit causam hujus. Ultimo epilogat ergo quod dictum est, quæ sit natura quæsitæ scientiæ, scilicet Metaphysicæ, quia scilicet est universalis, desiderabilis, speculativa, libera, honoranda, non humana proprie, sed divina, ut dictum est, et quæ sit intentio finalis scientiæ, in qua oportet habere quæstionem terminatam et totam methodum. Nam finis hujus scientiæ est cognoscere causas, ne de effectibus amplius admiremur. Spectat etiam ad ipsam cognoscere primas causas et prima principia rerum, de quibus in ista scientia quæritur et determinatur, et ad earum notitiam tota ista scientia principaliter ordinatur.

Epilogus.

Termini scientifice inquisitionis qui sunt. Text. c. 50. et inde.

Notandum, quod omnis motus terminatur ad contrarium ejus, a quo incepit; unde cum inquisitio veritatis sit quidam motus ad scientiam, oportet quod terminetur ad contrarium ejus unde incipit; incepit autem ab ignorantia et admiratione, ut prius ostensum est; admiratio autem erat, si res ita se haberet sicut *anthomata* quæ videntur a casu mirabiliter evenire. Casualia enim non sunt a causa determinata, ex 2. Physicorum; admiramur autem de eis propter ignorantiam. Similiter nunc a principio Philosophi nondum potentes rerum causas speculari, admirabantur omnia, quasi quædam casualia, sicut circa conversiones Solis; sequitur ergo quod ista inquisitio ad contrarium ejus terminetur, et quod est circa notitiam de causis rerum, ut a nobis ignorantia et admiratio auferatur.

Quare diameter est incommensurabilis costæ? Vide in 7. d. 2. q. 9. et in Euclide.

Notandum etiam, quod ut dicitur, diameter est incommensurabilis lateri, quia proportio quadrati diametri ad quadratum lateris, non est sicut proportio numeri quadrati, ad alium numerum quadratum, sed sicut proportio duorum ad unum; quare sequitur secundum regulas Geometricas, quod proportio lateris ad diametrum, est sicut proportio numeri ad numerum, quare commensurari non possunt; illæ enim solæ lineæ sunt commensurabiles, quarum proportio mutua est sicut numeri ad numerum, hæc autem non sunt geometriam scienti; ille ergo, qui hujus quæstionis ignorat causam, admiratur; sed vir Geometricus, qui novit causam, non amplius admiratur.

SUMMA SECUNDA

SUMMARIUM.

Incipit hîc tractare Philosophus de causis et principiis rerum secundum varias, et repugnantes inter se antiquorum opiniones, de quibus inferius per ordinem videbitur. Quod notat hîc Doctor prope initium capitis primi, non negasse Aristotelem materiam esse de quidditate rei, fuse probat esse de quidditate, contra Albert. et alios, 3. d. 22. q. un. et 7. Met. q. 16. Vide ibi Scholium primum.

CAPUT I.

Causarum in modos divisio veterumque opiniones de causa materiali.

35. Finito proœmio, incipit tractatus. Quoniam autem manifestum quod earum quæ a principio causarum oportet sumere scientiam. (Tunc enim scire dicimus unumquodque, quando primam causam cognoscere putamus) Causæ vero quadrupliciter dicuntur, quarum unam quidem causam dicimus esse substantiam, et quod quid erat esse : reducitur enim in ipsam quare primum ad rationem ultimam; causa autem et principium ipsum quare primum. Alteram vero materiam, et subjectum. Tertiam autem unde principium motus. Quartam vero ei causam oppositam, et quod est cujus causa, et bonum; finis enim generationis, et motus omnis est. Sufficienter enim quidem igitur de his speculatum est in his, quæ sunt de natura.

Hîc finito proœmio subjungitur tractatus.

Ad cujus evidentiam notandum, quod quia in prologo præostensum est, quod ista scientia, quia sapientia, versatur circa causas et principia, et quia de causis et principiis entium fuerunt variæ opiniones inter Philosophos antiquos, idcirco Philosophus in isto tractatu duo facit. Primo pertractat opinionem antiquorum de rerum principiis. Secundo opinionem propriam. Secunda ibi in principio secundi libri : *De veritate quidem.* Circa primum duo facit : Primo resumit causarum numerum positum in 2. Physic. Secundo descendit ad pertractandum opinionem antiquorum. Secunda ibi : *Accipiamus tamen.* (Text. com. 28. et inde.) Dicit ergo, *quoniam vero manifestum est*, scilicet quod sapientia est causarum speculatrix, *oportet a principio* nostræ inquisitionis *sumere scientiam, quæ est causarum,* id est, oportet prius determinare de causis, et reddit causam hujus, quia *tunc singula*, id est, singuli homines, vel scibilia ; *scire dicuntur homines, quando putamus nos non ignorare causam primam*, in qua stat resolutio causarum in quolibet genere causæ. *Causæ autem quatuor dicuntur, quarum unam dicimus substantiam, et quod quid erat esse,* id est, formam, a qua principaliter dependet quidditas rei. (Causæ quatuor.) Et quod forma sit causa probat, *quia ipsum quare primum*, id est, quæstio quærens quare est aliquid, quæ quærit de causa, *reducit ad ultimam rationem*, id est formam, *ipsum autem quare primum quærit causam et principium.* Si ergo quæstio quærens de causa reducitur ad formam, respondendo per formam, signum est quod forma habet rationem causæ; dicit autem rationem, id est formam ultimam, nam incipiendo a formis proximis procedendo usque ad ultimum ipsius *quare*, reducimus ad causam formalem, *unam vero* id est, aliam, *dicimus materiam. Tertiam unde principium motus*, scilicet efficientem. *Quartam vero causam oppositam ei*, scilicet efficienti, scilicet causa finalis. Unde subdit, quod illud est causa et bonum, et est *finis omnis generationis et omnis motus*, finis autem habet rationem boni ; addit autem, *quod de his* causis *sufficienter speculatum est*, in Physica, scilicet in 2. Phys. hoc dicit, ut se excuset de prolixiori consideratione causarum quoad præsens. (Ubi supra.)

Sed hîc occurrit unum dubium, qualiter causæ considerantur a Physico et a Metaphysico, utrum eodem modo, vel alio ? Dicendum, (Causæ quomodo considerantur a Metaphysico et Logico, Vide Doct.)

in Theorem. et 8. dist. 1. Report. q. 2. et in 2. dist. 1. q. 3. quod quatuor causæ, inquantum quælibet in suo genere, dat esse, circumscribendo rationem motus et mutationis, pertinent ad Metaphysicam. Materia quidem et forma, inquantum sunt partes essentiales; efficiens vero inquantum dat esse circumscribendo motum; licet enim non agat nisi movendo, tamen ratio dantis esse, prior est ratione moventis. Finis vero inquantum res, secundum sui entitatem ad istum ordinatur, licet non posset illum attingere nisi per motum vel operationem; tamen prior est ratio ordinis secundum esse quam secundum operationem; pertinent autem dictæ quatuor causæ ad Physicum, inquantum dant esse, includendo rationem motus et mutationis, et sic alio modo hic, et ille determinat et considerat de eisdem.

Notandum, quod consuetudo est Aristotelis hîc et alibi nominare causam formalem substantiam *quod quid est rei*, non quod intendat materiam excludere a quidditate rei, quia oppositum vult in septimo hujus text. com. 33. expresse, sed quatenus est principalior pars quidditatis et definitionis rei. (Causa formalis.)

Notandum etiam, quod Aristoteles communiter loquens de causa efficiente, vocat eam, *unde principium motus*, non quod efficiens efficiat movendo, non enim agens omne agit movendo, ut patet de Deo; sed dicit quamdam operationem, quia ubi aliquid causatur per motum, ibi efficiens proprie movet; finis enim non movet nisi metaphorice, forma enim non movet ut *quod*, licet sit ratio *quo* agendi; materia autem proprie est magis ratio patiendi quam agendi; sed efficiens movet proprie, et ideo appellatur, *Unde est principium motus*. (Efficiens vocatur unde principium motus.)

Notandum etiam, quod finis est oppositum efficienti, secundum oppositionem principii et finis; nam motus incipit ab efficiente, et terminatur in finem; nominat autem causam finalem per tria nomina. Primo, quod ipsa est oppositum efficienti, et hoc competit sibi, quia est terminus et finis motus. Secundo, quod est cujus causa, et hoc competit sibi, quia est primum in intentione. Tertio, quod est bonum, et hoc sibi convenit, quia est per se appetibilis, nam bonum est, quod omnia appetunt, ex 1. Ethic. Deinde cum dicit: (Finis nominatur tripliciter.)

Accipiamus tamen nobis priores ad entium perscrutationem venientes, et de veritate philosophantes; palam enim quia et illi dicunt principia quædam, et causas. Si igitur illorum sententias in medium attulerimus, aliquid evenerit sane, quod ad propositum doctrinæ hujus accommodabitur; aut enim aliud aliquod causæ genus inveniemus, aut modo magis dictis credemus. 36.

Accedit ad pertractandum opinionem antiquorum de causis et principiis. Circa quod duo facit. Primo, assignat causam hujus pertractationis. Secundo, prosequitur de intento. Secunda ibi: *Primum quidem igitur*. Dicit ergo, quod quamvis de causis pertractatum sit in libris Physicorum, tamen nunc *accipiamus*, scilicet opinionem illorum, qui priores nobis, id est, prius quam nos fuerunt, *venientes ad perscrutationem entium, et de veritate philosophantes*, quia ipsi scilicet causas ponunt et principia; et reddit causam hujus, quia supervenientibus nobis considerare eorum opi-

nionem erit aliquod opus vitæ, quæ est vita in præsenti methodo, id est, erit aliquid pernecessarium et perutile ad præsens negotium; et utitur metaphora eo modo, quo quælibet res utilis alteri, potest esse de vita ejus, vel quasi opus vitæ respectu ejus. Alia translatio habet planius sic : *Erit aliquid pretium operæ*, id est, præambulum *methodo*, id est, præsenti scientiæ quæ nunc a nobis quæritur. Utilitas autem est ista, quia pertractando opiniones eorum, *aut inveniemus aliud genus causæ,* a quatuor prædictis, *aut modo dictis magis credemus*, scilicet quod ipsæ sunt causæ et non plures. Deinde cum dicit :

Quare pertractavit Philosophus opiniones antiquorum de causis.

SUMMARIUM.

Opinio tenens materiam esse principium materiale rerum, cum suis fundamentis. Item opinio Thaletis Milesii, asserentis aquam esse omnium tale principium. Nota pulchram relationem Doctoris de septem sapientibus Græciæ, de quibus Aug. 18. civit. 24. 25. et de tribus Poetis Theologis apud Græcos, de quibus vide Laertium.

Primum igitur Philosophantium plurimi solas eas, quæ in materiæ specie putaverunt omnium esse principia; nam ex quo sunt omnia entia, et ex quo fiunt primo, et in quod corrumpentur ultimo, substantia quidem manente, in passionibus vero mutata; hoc elementum, et id principium dicunt esse eorum quæ sunt.

37. Prosequitur ad narrationem opinionum. Circa quod duo facit : Nam primo opinionem antiquorum de principiis narrat. Secundo, contra eorum positiones disputat. Secunda ibi : *Ergo quocumque ipsum esse.* Prima in duas : Primo facit quod dictum est. Secundo sub quodam capitulo vel compendio recolligit dicta ab antiquis, ostendens qualiter in suis opinionibus, quatuor genera causarum tetigerunt. Secunda ibi : *Breviter igitur et capitulatim.* Prima in duas : Primo narrat opinionem ponentium rerum principia rebus inexistentia, et non separata. Secundo, opinionem ponentium separata, ut fuit Plato. Secunda ibi : *Post dictas vero.* Prima in duas : nam primo ponit opiniones de principiis distinctionem rerum, et motum ab entibus non negantes, et tales opiniones fuerunt loquentium magis naturaliter. Secundo, ponit opiniones, distinctionem rerum et motum ab entibus penitus amoventes, cujusmodi fuerunt Parmenides et Melissus loquentes minus naturaliter. Secunda ibi : *Sunt aliqui qui dicunt.* Prima in duas. Primo ponit opinionem philosophorum ponentium principia rerum corporea. Secundo, ponentium incorporea, cujusmodi fuerunt Pythagorici. Secunda ibi : *In his autem.* Prima in duas : Primo ponit opiniones Philosophorum entitatem a rerum principiis non negantes. Secundo, opiniones entitatem a rerum principiis aliqualiter auferentes, quales fuerunt Democritus et Leucippus, ponentes rerum principia, ens et non ens, puta vacuum et plenum. Secunda ibi : *Leucippus vero.* Prima in duas : nam primo ponit opinionem solam naturalem causam ponentium. Secundo, opinionem ipsi materiæ efficientem addentium. Secunda ibi : *Procedentibus autem sic.* Prima in duas : Primo ponit opinionem horum in generali. Secundo, descendit ad quosdam in speciali. Secunda ibi : *Et Thales enim.* Prima in duas : nam primo ostendit

Opinio ponentium rerum principio.

quid illi antiqui senserunt de rerum substantia. Secundo, quid senserunt consequenter de rerum generatione et corruptione. Secunda ibi : *Et propter hoc generari.* Dicit ergo, *quod primum quidem plurimi philosophantium*, id est, eorum, qui tantum philosophati sunt de natura rerum, *putaverunt omnium principia esse solum illa, quæ sunt in materiæ specie*, id est, in genere causæ materialis, cujus positionis tangit quadruplex medium sumptum a quatuor conditionibus materiæ, quæ videntur ad rationem principii pertinere. Primum est : nam illud ex quo res est, videtur esse principium ipsius rei, sed materia est hujusmodi; ergo etc. et hoc est, quod dicit quod materia est *id, in quod corrumpuntur ultimo*, id est finaliter, scilicet omnia entia. Tertium medium est : nam id ex quo primo fit aliquid, videtur esse causa rei, quia res per generationem procedit ad esse ; sed materia est hujusmodi, quia ex ea fit res per se, non per accidens, ut ex privatione ; ergo etc. et hoc est, quod dicit, *quod materia est ex quo fiunt primo*, scilicet entia. Quartum medium est : nam illud videtur esse principium, quod in generatione et corruptione manet, nam principia oportet manere ; sed materia est hujusmodi ; ergo etc. et hoc est, quod dicit *substantia*, scilicet materiæ *manente*, quæ est secundum eos tota substantia rei, *passionibus vero mutatis*, puta formis et accidentibus. *hoc*, scilicet materia, *est elementum, et illud dicunt esse principium eorum quæ sunt*, id est, omnium entium. Deinde cum dicit :

Et propter hoc non generari quidquam 38.
putant, neque corrumpi, quasi tali natura semper conservata, sicut neque dicimus Socratem generari simpliciter quando fit bonus, aut musicus; neque corrumpi quando deponit habitus istos, propterea quod subjectum maneat Socrates ipse sicut nec aliorum quidquam. Oportet igitur esse aliquam naturam, aut unam, aut plures una, ex quibus, aut ex qua conservata cætera fiunt. Pluralitatem tamen et speciem talis principii non idem omnes dicunt.

Ostendit quid consequenter ad principium senserunt de generatione et corruptione rerum, et est quod secundum eos contingit nihil generari, et corrumpi simpliciter. Dicit ergo, quod quia materia est secundum eos tota substantia rei, *propter hoc nihil putant generari, nec corrumpi simpliciter, cum talis natura*, scilicet materia, quæ est tota rei substantia, semper *conservata sit ;* sic enim *Socratem quando fit bonus, aut musicus, dicimus non generari simpliciter ; nec corrumpi cum deponit habitus illos,* cum ipse Socrates, qui est subjectum harum transmutationum, maneat idem ; *similiter nec illorum*, id est aliorum, *aliquid,* supple dicunt, nec generari, nec corrumpi simpliciter, sed solum secundum quid. Addit autem, quod quamvis sic convenirent in ponendo causam materialem, tamen differebant, quia quidam eorum ponebant materiam unam, quidam plures; ponentes etiam plura differebant, quia non omnes eadem ponebant ; et hoc est, quod dicit, quod secundum eorum positiones, *oportet aliquam esse naturam talem,* scilicet materialem, *aut unam, aut plures una, de quibus alia fiant, illa*, scilicet natura, *conservata*, quare oportet materiam manere, *pluralitatem, vero et speciem talis principii*, scilicet materiæ, *non*

omnes idem dicunt, ut patebit ex sequentibus.

Text. com. 11. Text. com. 7. Generatio et corruptio duplex. Notandum, quod secundum quod habetur 1. de generatione, 5. Physic. Generatio vel corruptio est duplex : Simpliciter et secundum quid. Generatio vel corruptio simpliciter, est in substantia, quando scilicet forma substantialis generatur vel corrumpitur, ut si ex aqua fiat ignis ; sed generatio, vel corruptio secundum quid est, quando manente substantia rei, fit transmutatio circa accidentia et passiones, ut cum Socrates fit musicus, vel bonus, vel cum deponit hos habitus, ut fiat ex musico non musicus, vel ex bono non bonus. Cum igitur secundum opinionem antiquorum, materia sit tota substantia rei (nam ad notitiam formæ substantialis non pervenerunt, sed ad materiam, quam oportet manere secundum ipsos, tamquam ingenerabilem et incorruptibilem,) sequitur secundum eos, quod nulla est generatio vel corruptio simpliciter, sed secundum quid, quia substantia rei semper manente, solum fieret mutatio circa accidentia et passiones. Deinde cum dicit :

39. Prima opinio quæ ponit principium rerum materiale aquam. Sed Thales quidem talis Philosophiæ princeps, aquam ait esse, unde et terram esse super aquam asserebat.

Descendit ad quasdam opiniones speciales. Circa quod duo facit : Primo ponit opinionem ponentium hujusmodi principia, unum tantum. Secundo opinionem ponentium principia plura esse. Secunda ibi : *Empedoclem vero*. Prima in tres : Primo ponit opinionem ponentium aquam esse hujusmodi principium. Secundo, aerem ponentium. Tertio, ignem. Secunda ibi : *Anaximenes autem*. Tertia ibi : *Anaxagoras vero*. Prima in duas : Primo ponit opinionem. Secundo, positionis rationem. Secunda ibi : *Forsan enim*. Dicit ergo, quod *Thales princeps talis Philosophiæ*, scilicet speculativæ, *ait esse aquam*, primum rerum principium ; ex hoc autem dicebat ulterius, quod terra est super aquam sita, sicut principiatum super suum principium, *unde terram super aquas esse asserebat*. Hanc opinionem tangit Philosophus 2. de Cælo, ubi inquirit de loco terræ, et dicebant quidam, quod terra erat natans super aquam. Quod si eis objiceretur, quod terra submergeretur, si esset super aquas ; dicebant quod non, quia propter magnam latitudinem terræ prohibetur ejus submersio, sicut videmus de quibusdam corporibus gravibus, quæ submergi prohibentur propter latitudinem, quæ alias submergerentur nisi latitudo prohiberet. Text. com. 78. Opinio ponentium terram natare super aquam.

Notandum, quod post Poetas Theologos de quibus in prologo facta est mentio aliqualis, dicitur fuisse apud Græcos septem Sapientes, quorum primus fuit Thales Milesius, qui ut videtur secundum Magistrum, in historiis 4. lib. Regum in fine, fuit in tempore Zedechiæ Regis, et tunc est facta eclypsis Solis, quam prædictus philosophus prædixerat esse futuram. Quidam dicunt quod fuit tempore Achas, non curemus. Secundus fuit Pythacus Mitylenēus, tempore etiam Zedechiæ. Alii quinque fuerunt, unus Solon Atheniensis, alius Chilon Lacedæmonius, alius Periander Corinthius, alius Cleo- De 7. sapientibus. Vide August. 18. civ. Dei. c.24. et 25.

bulus Lydius, alius Bias Prienensis, qui fuerunt omnes tempore Babylonicæ captivitatis. Thales transtulit se ad considerandas causas rerum, aliis sex circa moralia occupatis, dicta etiam sua litteris commendans, et propter hoc Thales dicitur princeps talis Philosophiæ, scilicet speculativæ; nam inquirens de rerum principiis, quod pertinet ad speculativum artificem, moralia et practica dereliquit. Deinde cum dicit :

40. Forsan opinionem hanc accipiens, quia cunctorum nutrimentum humidum videbat esse, et ipsum calidum ex hoc factum, et animal hoc vivere, ex quo fit vero, hoc est principium omnium. Propter hoc igitur eam est accipiens existimationem. Et quia cunctorum spermata materiam habent humidam, aquæ vero natura principium est humidis.

Ratio pro dicta opinione.

Ponit positionis rationem. Circa quod duo facit : Primo ostendit quod Thales movebatur ad hoc ponendum ex rationis evidentia. Secundo, ex auctoritatis antiquorum efficacia. Secunda ibi : *Sunt autem et aliqui.* Primo enim ostendit, quod movebatur quadruplici ratione sumpta a quadruplici signo, ad ostendendum aquam esse principium rerum. Primum est, quod incrementum viventium oportet esse humidum, ex eisdem autem nutrimur et vivimus, 2. de Gener. Dicit enim, quod *forsan hanc opinionem accipiens*, scilicet Thales, *quia cunctorum nutrimentum videbat esse humidum.*

Thales cur aquam rerum principium posuit.

Text. com. 50.

Secundum signum est, quod esse cujuslibet corporeæ rei et maxime viventis, conservatur per calorem proprium naturalem ; calor autem naturalis fundatur in humido radicali, ex quo videtur, quod humidum et aqua sint principium essendi rebus; ideo dicit, quod supple Thales ipse dicebat, *ipsum calidum,* scilicet naturale esse *factum ex hoc*, id est, humido, sive aqua.

Tertium signum est, quod vita animalis consistit in humido ; nam quamdiu durat humidum radicale vivit animal, quando deficit moritur : *vivere autem viventibus est esse*, ex 2. de anima. Quare videtur quod ipsum humidum sit principium essendi, sicut est principium vivendi ; et hoc est quod ipse dicit, quod supple Thales dicit, *animal vivere hoc,* id est, humido ; addit autem quod *illud ex quo fit aliquid*, id est suum esse consequitur, *videtur esse principium omnium.* Unde concludit, quod *propter hoc igitur est,* id est, contingit *accipere eam existimationem*, id est, dictam opinionem.

Text. com. 37.

Quartum signum est, quia generationes viventium, quæ sunt nobilissima entia, fiunt ex semine, quod est natura humida communiter, sicut patet; ex quo patet quod humor videtur generationis principium. Cum ergo ipsa aqua sit principium humiditatis, sequitur quod aqua sit primum principium simpliciter; ideo dicit, quod *quia cunctorum, vel viventium spermata naturam habent humidam ; aquæ vero natura,* id est, naturaliter apparet, *esse principium humidum,* secundum eum ; ideo supra dixit, quod aqua est principium substantiale rerum. Deinde cum dicit :

Sunt autem et aliqui antiquiores, et multum ante eam, quæ est nunc, generationem; primos Theologizantes sic putant de natura existimasse. Oceanum enim et Tethyn generationis parentes fecerunt, sacramentum Deorum aquam, Stygem ab

Auctoritas pro dicta opinione.

ipsis Poetis vocatam. Honorabilius enim quoniam antiquius; sacramentum autem quod honorabilius. Siquidem igitur antiquorum aliqua ista, et senior fuit de natura opinio, forsan utique incertum erit. Thales quidem secundum hunc modum pronunciasse dicitur de prima causa. Hipponem quidem enim omnium non utique aliquis dignificabit posuisse cum his propter sui intellectus pravitatem.

Ostendit quomodo movebatur ad dictam positionem ex auctoritatis antiquorum efficacia. Dicit quod *sunt aliqui antiquiores, et multo ante eam, quæ nunc est, generationem*, id est multo ante priores, quam sit generatio hominum, qui nunc sunt, qui et primo fuerunt Theologizantes, *qui sic putant existimandum de natura rerum,* scilicet quod aqua est naturale et substantiale rerum omnium principium, in quo Thales eos imitatur; nam illi priores *fecerunt parentes,* id est, principia generationis, *Oceanum*, id est, mare, *et Tethyn*, id est, Deam aquæ : *dicebant* etiam *sacramentum,* id est, *sacrum juramentum Deorum esse aquam, vocatam a poetis Stygem,* id est, aquam infernalem; et quia Dii jurabant per aquam, ideo asserebant, quod aqua esset honorabilior, quam Dii; nam *sacramentum*, id est, juramentum, fit per illud, *quod* est *honorabilius*, et per consequens *antiquius*, id est, prius natura honorabilius, id est, perfectius; perfectum autem est prius simpliciter imperfecto. Unde ex hoc patet, quod aquam dicebant esse priorem Diis, et quia isti antiqui posuerunt aquam esse principium rerum, dicit quod si aliqua antiquior vel *senior*, id est, prior fuit opinio de natura, *forsan* nobis *non est manifestum*. Addit autem quod quidam Philosophus antiquus Hipponas nomine, qui, in libro de Anima, Ipus dicitur, *non est dignus ponere,* vel suadere aliquid *cum his* dictis, *propter suæ* scientiæ vel *intelligentiæ imperfectionem*. Quod potest dupliciter intelligi : Vel quia nihil addit supra sententiam ipsius Thaletis, aut quia imperfecte dixit et reddidit se indignum, ut ejus sententia hîc cum aliis tractaretur. Unde primo de Anima, inter grossiores Philosophos computatur, ubi etiam habetur quod posuit animam esse aquam. Text. com. 31.

Juramentum debet fieri per prius et honorabilius.

41. Poetæ famosi tres.

Notandum, quod ut dicitur, tempore Judicum Israel, fuerunt apud Græcos quidam Poetæ famosi, primi in scientia, qui Theologi dicti sunt, eo quod de divinis modo fabuloso, quod est proprium Poetarum, quædam carmina faciebant, loquentes etiam de rerum principiis. Fuerunt autem tres, ut dicitur, scilicet Orpheus, qui famosior fuit. Secundus Museus. Tertius Linus. Et quia fuerunt tempore Judicum, ut, est dictum, patet, quod diu ante fuerunt quam Thales, et multo magis quam Aristoteles, qui fuit tempore Alexandri. Isti autem Poetæ sub quibusdam ænigmatibus fabularum de natura rerum aliquid tradiderunt. Dixerunt enim quod Oceanus, ubi est magna congregatio aquarum, et Tethys, quæ est Dea aquarum, quæ etiam, ut habetur fabulariter in Ovidio majori, nupsit Pelio filio Jovis : hi, inquam, dixerunt esse parentes generationis, dantes scilicet in hoc intelligere aquam esse generationis principium sub similitudine fabularum, dicentes etiam quod Dii jurabant per aquam dictam *Tethyn*,

ex hoc volebant quod aqua esset honoratior ipsis Diis et prior, intelligentes per ipsos Deos corpora cœlestia, quæ omnia patent esse dicta modo Poetico fabularum. Deinde cum dicit :

SUMMARIUM.

Tres aliæ opiniones de principiis rerum referuntur. De Philosophis harum opinionum auctoribus, Doctor refert quales fuerunt, et quando floruerunt, de quibus vide Laertium.

2. Opinio ponens aerem principium materiale.

Anaximenes autem et Diogenes, aerem priorem aqua, et maxime principium simplicium corporum ponunt.

Ponit opiniones ponentium hujusmodi principia esse aerem. Dicit ergo, quod *Anaximenes et Diogenes posuerunt aerem esse principium et priorem aqua,* naturaliter; *et maxime ponunt ipsum,* scilicet aerem *principium* omnium *corporum simplicium* elementorum, et per consequens aliorum.

Notandum, quod iste Anaximenes fuit tertius a Thalete, fuit enim discipulus Anaximandri, qui fuit discipulus Thaletis, et Diogenes fuit discipulus Anaximenis ; et isti ambo convenerunt quantum ad hoc, quia aerem dixerunt esse rerum principium ; sed differebant, quia Anaximenes ponit principium aerem esse rerum simplicium loquendo simpliciter; Diogenes vero addit hoc, quod aer non posset esse principium rerum, nisi quia erat compos divinæ rationis, sicut primo de Anima, habet prolixius declarari. Motivum autem hujus fuit ex respiratione animalium, per quam vita animalium conservatur ; cujus signum est, quod animalia tamdiu vivunt quamdiu respirare possunt, et cum respirare cessant, cessant vivere. Deinde cum dicit :

3. Opinio ponens ignem principium materiale.

Hippasus autem Metapontinus, et Heraclitus Ephesius ignem.

Ponit opinionem ponentium hujusmodi principia esse ignem, dicens, *Hippasus Metapontinus et Heraclitus Ephesius dicunt ignem,* supple esse rerum principium, scilicet materiale. Motivum hujus opinionis sumpsit forte originem ex subtilitate et activitate ipsius ignis, quæ videntur conditiones principii, ut dicetur inferius. Tunc sequitur illa pars :

4. Opinio ponens, quatuor elementa principium materiale.

Empedocles vero, quatuor jam dictis addens terram quartum, ea namque dixit semper manere, et numquam fieri, nisi pluralitate et paucitate congregata, et disgregata in unum, ex uno.

Ubi ponit opinionem ponentium plura principia materialia, et dividitur in duas: quia primo ponit opinionem ponentium plura principia determinata numero. Secundo opinionem ponentium infinita. Secunda ibi : *Anaxagoras vero.* Ponit ergo opinionem Empedoclis, quantum ad duo. Primo quantum ad hoc quod tria prædicta elementa, scilicet aquam, aerem et ignem dixit esse rerum principia, addens eis quartum, scilicet terram ; posuit enim quatuor elementa semper manere, et non generari, nec corrumpi, sicut et illi qui ponunt unam causam materialem ; nam principia oportet manere, ut dicitur 1. Physic. Text. Com. 42. Attamen per aggregationem et disgregationem pluralitatum et paucitatum, dixit ex eis quatuor generari omnia alia et corrumpi ; et hoc est quod dicit, quod *ea,* scilicet quatuor

elementa, *oportet semper manere, et non fieri*, id est, non generari et corrumpi, sed supple omnia alia ex eis generari et corrumpi, *pluralitate et paucitate congregata in unum, et distincta*, id est divisa, *ex uno*.

42. Empedoclis imaginatio, de generatione et corruptione rerum.

Notandum, quod iste Empedocles, (sicut habetur 1. et 8. Physic. et adhuc dicetur infra) posuit quatuor principia materialia, scilicet quatuor elementa, et duo principia effectiva, scilicet amorem et litem; et hoc modo dicit mundum infinities corrumpi, et infinities generari. Nam aliquo tempore regnante amore (cujus est congregare) congregabantur omnia elementa, et in unum conveniebant, et tunc mundus corrumpebatur, et fiebat unum Chaos confusum, in quo erant simul omnia elementa; alio autem tempore, scilicet regnante odio (cujus est disgregare) omnia elementa, et omnes partes universi dividebantur ab invicem, et fiebat rerum distinctio, ex illo uno *Chaos* confuso, et sic iterum mundus generabatur. Per istam ergo congregationem, paucitatem et pluralitatem elementorum, et suarum etiam partium, volebat salvare generationem et corruptionem. Deinde cum dicit:

5. Opinio ponens principia materialia infinita.

Anaxagoras vero Clazomenius isto quidem ætate prior, factis vero posterior, infinita dicit esse principia: nam fere omnia corpora partium consimilium, ut ignem, aut aquam ita generari, aut corrumpi ait: congregatione aut disgregatione solum; aliter autem, nec generari, nec corrumpi, sed manere sempiterna. Ex his quidem igitur solam quis causam intelliget eam, quæ in materiæ specie dicitur.

Ponit opinionem ponentium illa plura principia materialia infinita, dicit quod *Anaxagoras Clazomenius*, a patria sic dictus, *isto*, scilicet Empedocle *ætate prior*, *factis autem posterior*, quod dupliciter potest intelligi; vel quia minus bene dixit, ponendo principia infinita, vel quia posterius philosophatus est; iste, inquam, *dixit principia esse infinita, nam fere omnia dixit esse partium consimilium, ut ignem, aut aquam*, id est, non tantum posuit principia rerum esse ignem, aut aquam, aut alia elementa, sed etiam infinitas partes similes cujuscumque; dixit enim, quodlibet esse in quolibet, et quodlibet fieri ex quolibet, quia infinitæ partes cujuslibet erant in quolibet, et ita dicebat res generari, aut corrumpi congregatione, aut disgregatione solum; *aliter autem non* contingebat res *generari, aut corrumpi, sed tamen dixit permanere sempiterna illa*, scilicet principia infinita, quæ dicebant esse infinitas partes cujuscumque. Ultimo concludit quod *ex his igitur*, scilicet opinionibus prænarratis, *solam quis intelligit causam, quæ est dicta in specie materiæ*, id est, in genere causæ materialis; nam omnes prædictæ opiniones non faciunt mentionem nisi de causa materiali.

Notandum, quod iste Anaxagoras dicitur fuisse discipulus Diogenis, qui ut dictum est, et amplius dicitur primo Physicorum, ubi ejus opinio prolixius pertractatur, posuit principia materialia rerum esse infinita, et in hoc minus bene dixit quam Empedocles qui ponit ea esse finita. Nam quod potest fieri per pauciora et finita, non est ponendum fieri per plura, et infinita, ut dicitur primo Physicorum, text. com. c. 40. et 50. et ideo hîc dicitur

Anaxagoras dicebat quodlibet fieri ex quolibet.

Anaxagoras prior esse ætate quam Empedocles, sed posterior factis, id est, dictis, quatenus minus bene dixit; non enim solum dixit principia rerum esse ignem et aquam, et cætera elementa, sicut Empedocles, sed omnia quæ sunt similium partium, ut caro, os, medulla, sanguis, et cætera homogenea, quorum infinitas partes cujuslibet ponebat esse in quolibet, et fieri de quolibet, ita quod generatio fieret per quamdam extractionem partium similium; puta si ex aqua fieret ignis, hoc erat quia infinitæ partes ignis quæ latebant in aqua, segregabantur ab ipsa aqua, et secundum hunc modum apparebat ignis ex aqua generatus. Et quantum ad hoc conveniebat cum Empedocle, quia sic et ipse generationem et corruptionem dicebat fieri per congregationem, et disgregationem illarum partium similium infinitarum, et aliter nihil fieri vel corrumpi.

SUMMÆ SECUNDÆ CAP. II.

Veterum opiniones de causa efficiente.

SUMMARIUM.

Refert in hoc capite usque ad §. *isti quidem* : Primo opiniones eorum, qui causam efficientem posuerunt propter motum, varie tamen rem explicantium. Secundo eorum, qui illam posuerunt, non tantum propter motum, sed etiam propter bonum et malum. Tertio eorum, qui dicunt primum efficiens esse unicum. Quarto eorum, qui illud dixerunt esse amorem. Quinto eorum, qui posuerunt talia principia esse contraria.

43. Procedentibus autem sic ipsa res viam verbifecit et coegit quærere. Si enim quam maxime omnis corruptio et generatio ex aliquo uno, aut pluribus est : quare hoc accidit, et quæ hujus est causa non utique facit ipsum subjectum transmutare seipsum. Dico autem veluti neque lignum, neque æs alterutrum horum permutandi est causa; neque enim lignum, facit lectum, neque æs statuam, sed aliud quid mutationis causa est: hoc autem quærere est aliud principium quærere, ut si nos dicamus, unde principium motus? Opinio adentium causam efficientem materiali.

Postquam Philosophus recitavit opinionem solam causam materialem ponentium, nunc recitat opinionem ipsi materiæ causam efficientem addentium. Circa quod duo facit. Primo ponit opinionem eorum, qui causam efficientem posuerunt propter motum. Secundo opinionem eorum, qui non solum causam efficientem propter motum, verum etiam propter causam boni et mali in entibus posuerunt. Secunda ibi : *Post hos autem.* Prima in duas : primo præmittit rationem, qua ad ponendum hujusmodi causam antiqui Philosophi cogebantur. Secundo subjungit qualiter ad illam rationem diversi diversimode se habebant. Secunda ibi : *Ergo omnino.* Ratio autem quæ eos cogebat ad ponendum causam efficientem, talis fuit, nam nulla materia, vel subjectum transmutat seipsum ad formam. Exemplum de ligno et ære : nam lignum non transmutat se ad formam lecti, neque æs ad formam statuæ; ergo præter causam materialem oportet dare aliquod principium, unde motus et transmutatio oriantur; illud autem est efficiens unde motus, et hoc est quod dicit : *Si ipsis Philosophis procedentibus sic,* hanc scilicet inquisitionem, *res ipsa,* id est veritas rei, quam quærebant, eis *viam fecit, et quærere coegit* aliquod aliud Ratio dictæ opinionis.

principium a materia : *si enim quam maxime,* id est, universaliter *corruptio et generatio est ex aliquo uno,* supple principio materiali, *aut pluribus,* dubium supple est *quare hoc contingit, et quæ ipsa causa* quæritur, scilicet aliud a materia, nam non sufficit materia sola. Unde subditur, *non enim subjectum facit seipsum transmutare, dico autem veluti lignum, vel æs;* quod licet sit materiale subjectum, nullum tamen inquantum tale, est causa mutandi suimet; *nec enim lignum facit lectum,* id est, transmutat se ad formam lecti, *nec æs ad statuam, sed aliquid aliud est causa mutationis,* scilicet artifex ipse. *Hoc autem quærere,* scilicet causam istius transmutationis, *est quærere aliud principium,* supple quam materiam, *ut si dicamus unde principium motus,* quod est principium effectivum. Deinde cum dicit :

Igitur omnino qui talem a principio vitam tetigerunt et unum esse subjectum, nihil difficultatis sibimet fecerunt. Verum quidam unum omne dicentium quasi ab ea quæstione devicti; ipsum unum immobile dicunt esse, et naturam totam, non solum secundum generationem et corruptionem, (hoc enim antiquum est, et quod omnes esse, confessi sunt) verum et secundum unam mutationem omne est, et hoc eorum est proprium. Unum ergo solum dicentium ipsum esse nulli talem intelligere causam convenit nisi forte Parmenidi, et hoc in tantum, quia non solum unam causam, sed et duas aliqualiter ponit esse causas. Plura vero facientibus, magis convenit dicere, ut ipsum calidum et frigidum, aut ignem, aut terram; utuntur enim quasi motivam habente naturam igne; aqua vero et terra hujusmodi e converso.

Varietas opinionum circa dicta. Ostendit qualiter ad dictam rationem antiqui Philosophi diversimode se habebant, nam ad eam taliter se habebant. Quidam enim ex ea non se aggravabant, quia de ea non curabant. Quidam enim ad fugiendum eam, ne ponerent aliquod principium præter materiale, posuerunt omnia esse unum et immobile, ut Parmenides et Melissus, præterquam per vim, saltem secundum apprehensionem sensus; et duas causas tetigerunt, scilicet materialem et effectivam, ut infra dicetur. Quidam vero, qui pluralitatem entium consenserunt magis coacti dicta ratione, causam efficientem posuerunt, et hoc est quod dicit : *Ergo omnino. Quidam* supple *omnino qui talem a principio tetigerunt et unum dixerunt esse subjectum,* id est, materiam, *se non aggravabant,* scilicet ex dicta ratione; erant enim contenti ratione, causam motus penitus negligentes. *Verum,* pro sed, *quidam dicentium unum esse omne,* scilicet omnia *quasi ab ea quæstione devicti,* id est, a dubitatione, vel ratione, *ipsum,* supple universum, *ens unum immobile dicunt esse, et naturam totam;* et illud unum *non solum* supple dicunt immobile secundum *generationem, et corruptionem : hoc enim antiquum est, et secundum quod omnes Philosophi sunt confessi,* scilicet nullam esse generationem et corruptionem simpliciter, ut dictum est superius. *Verum etiam* isti supple *dicunt,* illud unum esse immobile, *secundum aliam immutationem omnem,* et ita totum universum esse unum ens omnino immobile; *et hoc est proprium eorum,* in quo ab aliis primis Naturalibus differebant, qui saltem motum rarefactionis in entibus concedebant; et sic ex uno principio materiali plura generabant, licet generationem et corruptionem non ponerent esse simpliciter, sed secundum quid, ut dictum est.

Patet ergo *nulli dicentium universum esse unum tantum, contingit intelligere talem causam*, scilicet causam motus ; ex quo enim motum ab entibus auferebant, frustra quærerent causam motus, *nisi tantum Parmenidi, et huic*, contingebat ponere causam motus, quatenus *non solum unum principium*, vel unum ens secundum rationem, *sed duas ponit esse causas*, saltem secundum sensum, ut inferius dicitur. Pro quanto ergo plura patebant, oportebat eum ponere plures causas, quarum una movens et alia mota esset; ex uno enim subjecto non possunt intelligi esse plura, nisi concurrat aliquo modo motus; aliis autem *plura entia facientibus magis contingit dicere*, id est, ponere causas motus et assentire præmissæ rationi; ponebant enim causas rerum *calidum aut frigidum, aut ignem, aut terram*, ita tamen quod *utuntur ipso igne, tamquam habente naturam mobilem* activam ; *aqua vero et terra, et hujusmodi, alii e converso*, id est, principio passivo; et sic secundum hoc ignis erat causa efficiens, et alia ut materia, et principium subjectivum. Deinde cum dicit :

2. Opinio ad dentium causam efficientem.

Post hos autem et talia principia, tanquam non sufficientia existentium generare naturam iterum ab ipsa veritate, velut aiebamus, coacti sequens quæsierunt principium. Ipsius enim et bene hoc quidem eorum quæ sunt, habetur illa fieri ; forsan neque ignem, neque terram, neque aliud quidquam; nec verisimile causam esse, nec illos conveniens existimare. Neque iterum ipsi anthomato, et fortunæ tantam committere rem bene habere.

44. Tangit opinionem eorum, qui hanc causam, scilicet efficientem, non solum propter motum, sed etiam propter bonum et malum, in entibus posuerunt. Circa quod duo facit : Primo præmittit eorum dictum. Secundo exponit eorum defectum, ostendens quod insufficienter hoc fecerunt. Secunda ibi : *Ergo omnes*. Prima in duo : primo præmittit rationes, quibus ad id ponendum movebantur. Secundo descendit ad ponendum opiniones eorum speciales. Secunda ibi : *Dicens*. Ratio autem qua movebantur erat illa, quia prædicta principia sive materialia, sive effectiva, non sufficiebant ad causandum tantam diversitatem dispositionis bonæ in diversis entibus. Quia cum illa principia sint corporalia naturaliter agentia, puta ignis et aqua, semper uno modo et uniformiter causant. Nec potest dici, quod illa accidant a casu et fortuna, et sicut quædam *anthomata*, id est, a casu accidentia, nam hæc eveniunt frequenter, ut in pluribus; fortuita autem et casualia eveniunt ut raro, ut patet ex 2. Physicor. text. com. 48. et ideo ipsius *bene se habere* oportet causam aliam investigare. Dicit ergo, quod *post hos* prædictos Philosophos, *et talia principia*, scilicet corporalia et naturalia ab eis posita, habitum, id est, ad consequenter se habens quæsierunt, ac si illi antiqui *non sufficerent generare naturam existentium*, id est, entium aliud, inquantum quæsierunt principium, coacti *iterum ab ipsa veritate, velut* superius *aiebamus*, id est, dicebamus; *ipsius enim* esse *et bene esse*, id est, bonæ dispositionis, quæritur *eorum quæ sunt*, id est, entium habere; *illa vero fieri*, id est, sive quantum ad bene habere entium, sive quantum ad bene fieri, *forsitan*, Quod est principium bonæ dispositionis rerum.

nec ignem, nec terram, nec aliquid fieri talium, supple corporum materialium, *nec est verisimile causam esse, nec est conveniens istos* sic *existimare*, ex eo supple, quod agunt semper uniformiter per naturam; quia agens naturale semper agit uno modo, *nec iterum*, supple est conveniens existimare ipsum bene se habere, *quod sint anthomata*, id est, casualia; *et quod ad fortunam eorum tantum committatur causalitas*, vel dispositio bona; nam supple hæc, patet esse falsum, per hoc quod hujusmodi dispositiones bonæ entium, sive quantum ad loca naturalia, in quibus corpora naturalia sunt ordinata, et determinata, sive quantum ad partes animalium bene dispositas et ordinatas, inveniuntur vel semper vel frequenter; quod non potest dici de his quæ eveniunt a casu et fortuna, quia talia sunt ut raro, et propter hoc necessarium fuit alterum invenire principium bonæ dispositionis rerum præter quatuor elementa; alia littera habet, *nec iterum ipsi anthomato, et fortunæ*, et est idem quod prius. Deinde cum dicit.

Dicens et aliquis intellectum unum inesse, quemadmodum etiam in animalibus, et natura causam, et mundi, et ordinis totius, ut purificans apparuit priores omnia præter convenientia dicentes. Palam quidem igitur Anaxagoram scimus hos sermones tetigisse, attamen habet prius Hermotimus Clazomenius causam dicendi. Siquidem igitur opinantes simul ipsius bene causam, principium existentium esse posuerunt, et tale unde motus existentibus inest.

45. Prima opinio specialis ponens principium effectivum

Descendit ad eorum opiniones speciales. Circa quod duo facit : Primo ponit opinionem eorum, qui dicunt illud principium esse unum. Secundo eorum, qui dicunt esse plura et contraria. Secunda ibi : *Quoniam vero contraria*. Prima in duas : Primo tangit opinionem Anaxagoræ, qui illam causam dixit intellectum. Secundo opinionem Hesiodi, qui illam dixit amorem. Secunda ibi : *Suspicabitur aliquis autem*. Dicit ergo quod post prædictam rationem est *aliquis dicens intellectum unum esse quemadmodum* spiritum, id est, animam, *in animalibus; ita et in natura* rerum, et illum intellectum *esse causam mundi et ordinis*, scilicet totius universi, scilicet in quo ordine consistit bonum, scilicet intrinsecum totius universi; ut etiam dicitur 12. Metaphysicorum, text. 52. et *in hoc apparuit purificans*, id est, ad veritatem puram reducens *priores*, scilicet Philosophos, *dicentes præter convenientia*, id est, inconvenientia, in hoc quod non tetigerunt dictam causam. *Palam enim ipsum Anaxagoram tetigisse hos sermones*, scilicet de causa efficiente; *attamen causam dicendi habet prius*, quia hic scilicet non habet a se primo, sed a quodam alio Philosopho priori, qui dicebatur *Hermotimus Clazomenius*. Concludit ergo quod *opinantes causam, et principium essendi ipsius bene, posuerunt tale*, scilicet principium, *quod inest existentibus*, id est, entibus; *unde motus*, id est principium efficiens. Deinde cum dicit :

Opinio Anaxagoræ ponentis intellectum esse principium.

Suspicabitur autem utique aliquis Hesiodum primum quæsivisse hujusmodi. Et utique, si quis alius amorem, aut desiderium in existentibus, quasi principium posuisset, ut Parmenides; etenim hic tentans monstrare universi generationem, primum quidem ait Deorum amorem fore providentem omnibus. Hesiodus vero omnium primum chaos fuisse, deinde terram latam, et amorem, qui omnia condecet im-

esse unicum.

mortalia; quasi necessarium sit in existentibus causam, quæ res ipsas moveat, et congreget. His quidem igitur quomodo oporteat distribuere de hoc, quis primus liceat judicare posterius.

Opinio Parmenidis, et Hesiodi. Tangit opinionem Hesiodi, qui illam causam dixit esse amorem, et dicit quod *aliquis suspicabitur Hesiodum quæsivisse primo hujusmodi,* scilicet causam bonæ dispositionis rerum; et *si quis alius*, id est, quamvis forte aliquis alius *amorem, aut desiderium in existentibus*, id est entibus, *quasi principium posuisset ut Parmenides; etenim hic*, scilicet Parmenides, *tentans monstrare generationem universi*, *primum quidem ait,* scilicet esse principium generationis universi, dixit fore *amorem Deorum providentem omnibus; Hesiodus vero dixit primum omnium*, scilicet principium materiale *fuisse* quoddam *chaos* confusum; *deinde terram latiorem*, supple ex illo esse factam, ut scilicet esset receptaculum aliorum, nam, ut dicitur 4. Metaphysic. text. com. 16. locum et receptaculum dixit esse rerum principium. Ultra autem illud chaos posuit illud receptaculum, scilicet *amorem*, *qui* amor *concedet et omnia immortalia;* cujus ratio potest esse communicatio bonitatis, quam dixit esse Deorum providentem entibus, videtur procedere ex amore; nam beneficium videtur esse effectus amoris, cum probatio dilectionis sit exhibitio operis; si ergo corruptibilia habent in suo esse bonam dispositionem ab ipsis Diis immortalibus, oportet amori immortalium hoc attribuere; Deos autem, et immortalia vocat forsan corpora cœlestia, et forsan aliquas substantias separatas, quas ponebat causas et principia rerum esse; patet igitur quod posuit duo principia: *Chaos*, scilicet et *Amorem*, cujus scilicet causam subdit, dicens: *quasi necessarium sit in existentiis,* id est, in existentibus; non solum supple esse causam motam, quæ est materia et chaos, sed etiam esse *causam moventem, quæ ipsas res congreget et moveat*, id est, res ex illo *Chaos* generet congregando vel disgregando, modo quo antiqui loquebantur de rerum generatione. Addit autem: *Oportet quoque hos*, scilicet Anaxagoram et Hesiodum *distribuere, quis sit prior, et de hoc poterit posterius judicari,* quando scilicet agetur de Deo; dicit enim quod iste Hesiodus fuit ante tempus Philosophorum de numero Poetarum; sed utrum Anaxagoras qui primum principium posuit intellectum, sit prior in sua sententia; vel Hesiodus qui posuit illud principium esse amorem; et posset forsan aliquis dubitare, hoc autem dicit posterius esse indicandum.

Beneficium quid? (margin note beside "tur procedere ex amore; nam beneficium")

Amor an sit principium bonæ dispositionis in rebus. (margin note beside "attribuere; Deos autem")

Quis fuit prior, Anaxagoras, an Hesiodus?

Notandum, quod isti qui primum principium dixerunt esse amorem, non bene expresse, vel plane posuerunt; ideo dicit suspicationem fuisse apud antiquos, quod scilicet Hesiodus, qui posuit principium bonæ dispositionis rerum, vel quicumque alius, posuerunt amorem esse principium in rebus.

Notandum etiam, quod hoc quod dicit, Parmenidem posuisse rerum principium per amorem, non repugnat opinioni suæ, qua posuit omnia esse unum ens et immobile; nam licet secundum rem, et secundum rationem diceret omnia esse unum, ultra hoc secundum sensum dice-

Salvat Parmenidem ut potest.

bat esse plura, et istius pluralitatis et distinctionis rerum dicebat esse causam ipsum amorem, sicut aliqualiter dictum est supra, et dicetur amplius infra. Deinde cum dicit :

46. Quoniam autem contraria bonis inesse videbantur in natura, et non solum ordinatio et bonum, sed inordinatio et turpe, et plura mala melioribus, et prava bonis; sic alius aliquis amorem introduxit et litem, singula singulorum causam horum. Si quis enim assequatur et accipiat ad intellectum, et non ad quæ balbutit dicens Empedocles, invenit amorem quidem causam esse aggregatorum bonorum, litem vero malorum. Quare si quis dixerit quodammodo dicere Empedoclem, bonum et malum principia, forsan bene dicet si bonorum omnium ei bonum est causa, et malorum malum.

Tertia opinio specialis ponens principia effectiva esse plura.

Ponit opinionem eorum, qui posuerunt hujusmodi principia esse plura et contraria. Ad cujus evidentiam notandum, quod ratio movens eos, fuit ista : quia cum contrariorum contraria sint principia, et in entibus multa mala reperiantur, et multa inordinata quæ sunt contraria bonis, oportet eorum causam contrariam assignare. Ista enim non eveniunt a casu cum simul multa et frequenter, imo plura bonis, ideo Empedocles posuit duas causas : amorem, in quantum bonorum, et odium malorum. Dicit ergo : *quoniam*, pro quia, *in natura videbantur esse contraria bonis*, et non solum inveniuntur in natura *ordinatio*, *et bonum*, id est, entia ordinata et bona, *sed etiam inordinatio et turpe*, id est, inordinata et mala, ita quod *plura sunt mala melioribus et prava bonis*, si, id est, propter hoc, *aliquis alius amorem induxit et odium esse*, scilicet rerum principia ; *singula causam esse horum singulorum*, id est, reddendo singula singulis, ut amor sit causa bonorum, et odium sit causa malorum, secundum opinionem Empedoclis. Unde subdit quod *si homo sequatur et accipiat*, id est, aspiciat *ad sententiam*, quam scilicet Empedocles intendebat, *et non ad verba, quæ dicit balbutiendo*, nam verba forsan videntur aliud sonare, *inveniet*, supple secundum sententiam ejus, *amorem esse causam aggregatorum*, *id est bonorum*, *odium vero malorum*; unde concludit, *ergo si quis dixerit modo quodam Empedoclem ipsum dicere principia esse bonum et malum, forsitan bene dicet. Si* pro quia, secundum ejus opinionem, *bonum est causa bonorum, et malum malorum.*

Opinio ponens amorem principium bonorum, odium vero malorum.

Notandum, quod secundum Empedoclem, amoris est congregare et odii disgregare quia ex congregatione existit rerum generatio, ex qua res habet suum bonum et suum esse; ex disgregatione vero existit rerum corruptio, ex qua res habent malum et non esse; ideo amorem qui est quoddam bonum, dixit esse causam bonorum ; et odium quod est quoddam malum, dixit esse causam malorum. Advertendum autem, quod licet aliquorum malorum posuerit esse causam malum, scilicet corruptionis rerum ; et aliquorum bonorum posuerit causam bonum, scilicet generationis rerum, tamen non sequebatur universaliter esse verum, quod omnia bona erant per amorem, nec omnia mala per odium. Nam cum secundum eum distinctio universi partium esset per odium, et constitutio et unio per amorem, sequitur quod amor esset causa

corruptionis, quæ fit ex unione, et odium esset causa generationis, quod fit ex distinctione partium universi; unde dictum suum reducitur contra eum, sicut inferius amplius apparebit. Tunc sequitur illa pars :

SUMMARIUM.

Refutat primo, eos qui posuerunt efficiens propter bonum et malum et postea singillatim reliquarum opinionum defectus ostendit.

47. Isti quidem igitur, sicut diximus, et usque ad hoc duas causas tetigerunt, quas in Physicis determinamus, materiam quidem, et id unde motus principium obscure quidem et non manifeste, sed qualiter in bellis ineruditi faciunt ; etenim illi circumducti sæpe bonas plagas faciunt. At nec illi ex scientia, nec isti sunt assimilati scientibus dicere, quod dicunt. His enim fere usi videntur nihil nisi parum.

Ostendit in generali insufficientiam dictarum opinionum.

Ubi postquam posuit opinionem eorum, qui non solum propter motum, sed etiam propter bonum et malum, in entibus posuerunt causam effectivam, ostendit eos insufficienter locutos fuisse. Circa quod duo facit : Primo in generali. Secundo in speciali de singulis. Secunda ibi : *Anaxagoras quidem.* Dicit ergo, quod omnes *isti* prædicti Philosophi, *sicut diximus, usque ad hoc supervenerunt, quod duas causas tetigerunt*, earum scilicet, *quas determinavimus in Physicis, scilicet materiam, et unde motus*, id est, efficiens; sed *tamen obscure quidem, et non manifeste*, hoc fecerunt, quia scilicet non aspexerunt ad quod genus causæ reducuntur ea, quæ causas et principia esse dicunt; unde *accidit eis*, simile ei, quod faciunt in bellis *aliqui ineruditi ;* illi scilicet ineruditi *circumducti*, id est, circumdati ab hostibus *sæpe percutiunt*, id est, *inferunt bonas plagas*, et bonos ictus, et hoc, supple faciunt, a casu et non ab arte, et tamen artem non habent præliandi. Unde subdit quod *nec illi*, scilicet ineruditi, *faciunt ex scientia*; *nec isti*, scilicet Philosophi, de quibus est sermo, *assimilati sunt scientibus dicere, quod dicunt*, id est, dicunt sicut scientes; quod probat ex hoc, quia cum supple dictas causas posuissent, *his*, scilicet causis, *fere usi videntur nihil nisi parum ;* quia ergo dictis causis in paucis utebantur, signum est, quod non ex arte, sed magis casualiter eas posuerunt. Deinde cum dicit :

Anaxagoras autem artificialiter utitur ad mundi generationem intellectu; nam quando dubitat, quæ causa ex necessitate inest, tunc tradit ipsum. In aliis vero omnia magis causa eorum quæ fiunt, quam intellectum, ponit.

Ostendit in speciali insufficientiam Anaxagoræ.

Ostendit in speciali in quo singuli defecerunt. Circa quod duo facit : Primo ostendit in quo Anaxagoras erravit. Secundo in quo Empedocles. Secunda ibi : *Empedoclem.* Dicit ergo quod *Anaxagoras artificialiter utitur intellectu ad mundi generationem ; nam quando dubitat quæ causa ex necessitate est,* scilicet quæ res distinguat, et mundum generet, *tunc tradit ipsum*, scilicet ipsum esse causam mundi. *In aliis autem omnibus assignat causas magis*, supple ex aliis omnibus quam ex intellectu. Vult dicere, quod generationis universi dicit intellectum esse causam; sed in generationibus rerum particularium alias assignat causas, quare videtur difformiter loqui de principio effectivo. Deinde cum dicit :

Empedocles plus quidem utitur causis, sed tamen nec sufficienter, nec in his invenitur quod concessum est. Multis igitur in locis apud ipsum amor disgregat; lis autem congregat; nam cum in elementa quidem ipsum universum alte distrahitur, tunc ignis in unum, et elementorum aliorum singula concernuntur: cum autem iterum in unum ab amore conveniunt, necesse est rursum, ut ex singulis particulæ secernantur.

48. Ostendit insufficientiam Empedoclis. Ostendit in quo Empedocles erravit. Circa quod duo facit: Primo facit, quod dictum est. Secundo ostendit quid habet Empedocles proprium ultra alios Philosophos. Secunda ibi: *Empedocles igitur*. Dicit ergo, quod *Empedocles* determinans de causis rerum, *plus utitur causis,* a se positis, quam Anaxagoras. Posuit enim principia quatuor elementa, et amorem, et odium, in quæ principia et generationem, et corruptionem omnium rerum reducebat, quod Anaxagoras non fecit. Verum *sed nec sufficit*, *nec in his*, scilicet causis, *invenitur*, *quod confessum est*, id est, positum ab eo, tanquam per se notum, quod odium aliquo tempore regnaret in elementis, et alio tempore determinato amor, cum tamen hoc non sit per se notum, et hoc est unum in quo deficit. In secundo deficit, quia in his quæ dixit non invenitur id, quod ab eo confessum, id est, suppositum est quasi principium, scilicet quod *amor* congreget, et odium disgreget; *multis quidem in locis*, oppositum reperitur, scilicet quod *amor dividat*, *et odium congreget*. Unde dicit, quod amor quidem secernit, id est, dividit, odium vero concernit, id est, conjungit, quod probat: *nam cum ipsum omne*, id est, universum *distrahitur*, id est, dividitur *in elementa*, quod fit in generatione mundi, tunc partes, scilicet, *ignis in unum* conveniunt, *et similiter singula*, id est, singulæ partes omnium *aliorum elementorum concernuntur*, id est, in unum congregantur; ex quo patet, quod odium non solum segregat partes, scilicet ignis a partibus aeris et aliorum, sed etiam congregat ad invicem partes ejus, et similiter est de aliis, e converso autem in corpore universi. Unde subdit, *cum autem iterum*, elementa scilicet, in unum *conveniunt ab amore*, *necesse rursum ut particulæ singulorum* elementorum a singulis *secernantur*, id est dividantur; nam elementa non possunt ad invicem commisceri, nisi se invicem penetrarent, et sic partes unius simul essent cum partibus alterius ad constituendum unum chaos mixtum et confusum, quod esse non potest, nisi partes invicem a quibuslibet dividantur. Patet ergo ex prædictis secundum opinionem Empedoclis quod amor non tantum congregat, sed etiam disgregat in mundi corruptione, et odium non solum dividit, sed etiam congregat in mundi generatione, cujus oppositum asserebat. Deinde cum dicit:

Empedocles quidem igitur præter priores prius hanc causam dividens induxit, non unum faciens motus principium, sed diversa et contraria; amplius autem quæ in materiæ specie dicuntur elementa quatuor primus dixit; non tamen utitur quatuor, sed ut duobus existentibus solum, igne quidem secundum se. Oppositis vero quasi una natura, terra, et aere, et aqua. Sumet autem utique aliquis id speculans ex versibus; hic quidem igitur sicut diximus, sic et tot dixit principia.

Ostendit quid habet Empedocles proprium ultra alios Philosophos, et ponit duo: Primum est quod Posuit d... principi... esse effe... va rerum

causam unde motus, divisit in duas contrarias, et hoc est quod dicit, quod *Empedocles inter priores*, scilicet Philosophos, *primus causam dividens induxit non unum faciens principium motus*, scilicet causam efficientem, *sed diversa et contraria*, scilicet amorem et odium. Secundum est, quod causam materialem posuit quatuor elementa, non quod utatur quatuor elementis ut quatuor, sed ut duobus, quia ignem ponit ex una parte, et alia tria ex alia parte, dicens quod ignis habet naturam activam, et alia tria naturam passivam. Et hoc est quod dicit, quod *amplius autem dicta elementa, quatuor dixit esse in materiæ specie*, id est, in genere causæ materialis, *sed ut duobus existentibus solum utitur*, scilicet istis quatuor, *igne quidem secundum se*, id est, una parte; *oppositis vero scilicet terra, aqua, et aere quasi una natura*, scilicet passiva et opposita ipsi igni. Addit autem quod *aliquis potest sumere ex elementis traditis*, scilicet ab ipso, id est, ex principiis doctrinæ suæ; alia translatio habet *ex versibus*, quia dicitur suam Philosophiam metrice tradidisse. Concludit ergo, *hic igitur*, scilicet Empedocles, *sicut diximus, sic et tot dixit esse rerum principia*, scilicet quatuor materialia et duo effectiva.

Quomodo posuit quatuor elementa esse causam materialem?

SUMMARIUM.

Sententia Democriti et Leucippi, principia rerum, esse plenum et vacuum, quam juxta eorum mentem explicat bene Doctor, de qua agitur 1. de Gener. text. 5. et 6. ubi expenditur quid senserint hi de rerum generatione. Ponitur etiam in quibus conveniebant, et differebant ab illa opinione supra relata, quæ tantum ponebat unam causam materialem.

Leucippus vero et collega ejus Democritus elementa quidem plenum et inane dicunt esse, dicentes velut hoc quidem ens, illud vero non ens; horum autem plenum quidem et solidum ens, inane quid non ens. Propter quod et nihil magis ens non ente esse dicunt, quia nec inane corpore, causas autem entium hæc ut materiam. 49.

Opinio auferentium entitatem a rerum principiis.

Postquam Philosophus recitavit opinionem Philosophorum entitatem a rerum principiis non negantium; nunc ponit opinionem aliorum entitatem a rerum principiis aliqualiter auferentium, cujusmodi fuerunt Democritus et Leucippus, ponentes principia rerum esse ens et non ens, puta vacuum et plenum. Circa quod duo facit: Primo facit quod dictum est, et declarat quid Democritus et Leucippus senserunt de rerum principiis. Secundo quid senserunt de rerum generatione. Secunda ibi: *Et quemadmodum*. Dicit ergo, quod *Leucippus et amicus ejus Democritus elementa quidem*, id est, principia rerum, *dicunt esse plenum et inane*, id est, vacuum, *dicentes velut hoc quidem ens*, scilicet plenum, *illud vero non ens*, scilicet vacuum, quod consequenter exponit dicens: *horum vero plenum quidem, et solidum esse ens, inane vero*, id est, vacuum, *non ens; quare nihil magis quidem dicunt*, si principium *ens non ente*, id est, quam non ens, quia scilicet utrumque ponunt rerum principium; *ea vero*, scilicet vacuum et plenum ponunt esse *causas entium, ut in materia* in genere, id est, in genere causæ materialis.

Quare dicuntur amici Leucippus, et Democritus?

Notandum, quod isti duo Philosophi dicuntur amici et sodales, quia in omnibus concordabant, et quod dicebat unus, alius asserebat. Ad cujus evidentiam sciendum, quod (ut innuitur in primo de Ge-

neratione, ubi eorum opinio diffusius tractatur) cum quidam Philosophi posuissent omnia entia esse unum ens, et continuum, et immobile salvare non valentes, ut eis videbatur, motum et distinctionem rerum sine vacuo, vacuum autem omnino ponere abhorrebant; supervenit Democritus, eorum rationi consentiens, scilicet motum et distinctionem rerum sine vacuo esse non posse. Distinctionem autem et motum in rebus salvare volens posuit vacuum esse, et omnia corpora esse vacua, et ex quibusdam corporibus invisibilibus esse composita; videbatur autem sibi, quod non posset ratio assignari, quare universum ens magis divisum est in ista parte quam in alia, unde non poneret totum ens esse continuum; prælegit ubique et totaliter esse divisum, quod non posset esse nisi remaneret aliquod indivisibile; talia autem corpora indivisibila conjungi non possunt, nisi interveniente vacuo, quia nisi inter duo eorum vacuum mediaret, oporteret ex his duobus aliquod continuum constitui, quod tamen negabat propter jam dictam rationem; sic igitur magnitudinem cujuslibet corporis, ponebat constitui ex illis corporibus atomis, vel indivisibilibus, vel indivisibilia spatia implentibus, et ex quibusdam spatiis vacuis, quæ interjacent corporibus atomis, quæ poros etiam nominabat. Cum ergo plenum habeat rationem entis, et vacuum non entis, ideo principia rerum ponebat ens et non ens, et non magis ens quam non ens. Deinde cum dicit:

Democritus primo posuit vacuum.

Quare posuit principia rerum ens et non ens.

50. Et quemadmodum qui unam faciunt subjectam substantiam aliam passionibus ejus generant, rarum et spissum principia passionum ponentes; eodem modo et hi differentes causas aliorum dicunt esse. Has vero tres dicunt esse figuram, ordinem et positionem; differre enim aiunt ens et rhythmo, et diathige, et trope solum; horum autem rhythmus figura est, et diathige est ordo, et trope positio. Differt enim A a B figura, A N autem a N A ordine, Z autem ab N positione. De motu vero unde et quomodo inest existentibus; et hi aliis similiter negligenter dimiserunt de duabus quidem igitur causis, ut diximus in tantum videtur a prioribus esse quæsitum.

Quid senserunt sic opinantes de rerum generatione.

Ostendit quid isti senserunt de rerum generatione, comparando eos ad antiquos Philosophos, qui ponebant tantum unam causam materialem, conveniebant enim isti cum illis in duobus. Primo quidem, quia sicut illi antiqui ex illa una materia generabant diversa, secundum diversas illius materiæ passiones, quæ sunt rarum et densum, ita et Democritus et Leucippus dicebant ex corporibus atomis et poris diversa entia constitui propter differentias illorum corporum atomorum, et hoc est, quod dicit quod *quemadmodum*, scilicet illi antiqui, *qui unam faciunt subjectam substantiam*, id est, materiam, aliam a passionibus ejus scilicet materiæ, *generant ponentes principium passionum rarum et densum*, ad quæ tanquam ad principia omnes passiones alias reducebant; *eodem modo et hi*, scilicet Democritus et Leucippus, *dicunt esse differentes causas aliorum*, quæ scilicet ex illis corporibus atomis generabant, et *eas*, scilicet differentias *triplices dicunt esse figuram scilicet, ordinem et positionem*; quibus differentiis differebant illa corpora atoma, et per consequens

Differunt corpora tripliciter

secundum antiquos. ex eis composita differebant ab invicem; differentia quidem secundum figuram attenditur ex hoc quod aliud est circulare, et aliud triangulare; differentia vero secundum ordinem attenditur ex hoc quod unum est prius, et aliud posterius; sed differentia secundum positionem attenditur ex hoc quod unum est ante, et aliud retro, unum est dextrum et aliud sinistrum, unum est sursum et aliud est deorsum, per hunc modum dicebant omnia ab invicem differre. Unde subdit Philosophus, quod secundum eos supple differt unum ens ab alio, *vel rhythmo*, id est, figura; *aut diathige*, quod est ordo; *aut trope*, quod est positio, quod probatur per similitudinem in litteris, *differt enim A, a B, in figura*, nam illæ non habent eamdem figuram, AN autem a NA *ordine*. Nam A, est prior quam N, in ordine litterarum, Z autem *differt ab* N *positione*. Secundum enim Grammaticos, Semivocales non possunt poni ante Liquidas in eadem syllaba ante quas ponuntur Mutæ. Alia translatio habet litteras Græcas, et est eadem sententia, et exempla ponemus manifesta nobis, qui Græcum ignoramus. Sicut ergo propter istam triplicem differentiam litterarum ex eisdem litteris differenter se habentibus, fiunt Tragœdiæ et Comœdiæ diversæ syllabæ, et diversæ dictiones, ita ex eisdem corporibus atomis differenter se habentibus modo prædicto, diversas rerum species generabant. Secundo quidem isti ambo Philosophi conveniebant cum antiquis, quia sicut illi antiqui causam motus neglexerunt, id est, causam effectivam, ita et isti, licet illi corpora indivisibilia ponerent esse per se mobilia. Et hoc est quod dicit, quod *de motu vero unde, aut quomodo inest rebus*, id est, de causa efficiente, quæ est principium, unde motus, *hi*, scilicet ambo similes aliis scilicet antiquis, *neglexerunt*. Ultimo epilogat quod *de duabus causis*, scilicet materiali et efficiente *in tantum videtur esse quæsitum prius*, scilicet ab antiquis, *ut diximus*. Tunc sequitur illa pars :

SUMMARIUM.

Sententia Pythagoricorum, numeros, et alia quædam Mathematica, esse rerum principia, explicatur cum suis fundamentis, et ponuntur varii modi dicendi ipsorum, variaque motiva pro sua sententia.

In his autem et ante nos vocati Pythagorici Mathematica tangentes; primi autem produxerunt, et in eis nutriti horum principia esse omnia putaverunt. Horum autem quoniam numeri natura sunt primi, et in numeris videbantur multas speculari similitudines existentibus et factis magis quam in igne, et aqua et terra, quia talis numerorum quidem passio justitia, talis autem anima et intellectus; alia vero tempus, et aliorum, ut est dicere unumquodque similiter. 51.

Postquam Philosophus recitavit opinionem antiquorum philosophorum ponentium principia rerum esse corporea, nunc recitat opinionem ponentium principia esse incorporea quales fuerunt Pythagorici. Circa quod duo facit, quia primo dicit quid opinati sunt de rerum substantiis. Secundo quid opinati sunt de rerum principiis. Secunda ibi : *Sed cujus gratia*. Prima in duas, secundum quod ponit duo ex quibus Pythagorici movebantur ad opinandum numeros esse rerum Opinio ponentium rerum incorporea principia.

substantiam. Secunda ibi : *amplius autem*.

Sectæ Philosophorum antiquæ duæ.

Ad evidentiam primi sciendum, quod antiquitus fuerunt duo genera Philosophorum, quorum aliqui dicebantur Ionici, alii Pythagorici. Primi morabantur in illa terra, quæ nunc Græcia dicitur; et isti sumpserunt principium a Thalete, qui princeps Philosophorum nominatus est, ut jam superius fuit dictum. Alii fuerunt in Italia quæ pro tunc magna Græcia dicebatur; unde Italici dicti sunt, quorum Philosophorum princeps fuit Pythagoras, et ideo Pythagorici dicuntur, qui produxerunt quædam Mathematica, et in eis nutriti, quia semper circa Mathematica intendebant. Horum autem Mathematicorum principia, putaverunt cunctorum, scilicet entium principia esse; consuetum est enim apud homines, quod per ea quæ noverunt, volunt de rebus judicare, et quia inter Mathematica numeri sunt principia * natura, id est, naturaliter; ideo nisi sunt similitudines existentibus, id est, entibus et factis quantum ad esse, sive quantum ad fieri entium; nisi, inquam, sunt in numeris speculari magis quam in igne, terra, aqua et aliis similibus elementis. Prædicti enim philosophi respicientes ad rerum sensibilium passiones adaptabant proprietates rerum ad numerorum passiones; unde dicebant quod aliqua passio numerorum est causa justitiæ, et aliqua est temporis, et sic de aliis. Et hoc est quod subdit Philosophus, quia scilicet Pythagorici dicebant, quia hæc *talis passio numerorum est justitia*, id est, causa justitiæ : *illa autem*, scilicet talis passio, *anima, et intellectus, alia autem tempus, et aliorum, ut sic dicam, singulorum similiter;* ut sic, scilicet passiones numerorum intelligantur esse rationes, et principia omnium apparentium in rebus sensibilibus; sive ad res voluntarias, quod designatur per justitiam, quæ est habitus voluntatis; sive quantum ad formas substantiales rerum naturalium, quod intelligitur per intellectum et animam; sive quantum ad accidentia, quod intelligitur per tempus.

* Al. primi.

Notandum quod Pythagorici dicuntur primum Mathematica produxisse, quia etiam eos Platonici circa materialia sunt secuti; ita quod ipsi non ab aliis, sed ab eis alii materialia susceperunt. Deinde cum dicit :

Amplius autem et harmoníarum in numeris speculantes passiones et rationes, quoniam et alia quidem numeris secundum naturam omnem videbantur assimilata esse. Numeri autem omnes natura primi, elementa numerorum existentium elementa cunctorum esse existimaverunt, et totum cœlum et harmoniam esse, et numerum. Et quæcumque habebantur confessa monstrare, et in numeris, et harmoniis ad cœli passiones, et ad partes, et ad ornatum totum hoc colligentes adaptabant ; et si quid alicui deficiebat annectebant, ut ipsis totum negotium esset connexum. Dico autem puta quoniam perfectus denarius, esse videtur, et omnem comprehendere naturam numerorum, et quæ secundum cœlum feruntur decem quidem esse dicunt ; solis autem novem existentibus manifestis, ideo ἀντίχθονα, id est, adversam terram decimam faciunt. De his autem certius est a nobis in aliis determinatum. 52.

Ponit secundum motivum, quod est, quia considerabant, et erant *speculantes passiones et rationes*, id est, proportiones harmoniarum, id est, consonantiarum musicalium *in nu-*

meris, id est, secundum naturam numerorum, unde cum soni consonantes sint quædam sensibilia, idcirco per eamdem rationem *nisi sunt*, id est, conati, *assimilare numeris omnia alia* entia *secundum naturam*, ita quod *numeri sunt primi omnis naturæ*, id est, in tota rei natura; et propter hoc *existimaverunt elementa*, id est, principia *numerorum esse elementa cunctorum entium; et totum cœlum* dicebant *harmoniam et numerum* quemdam; unde *quæcumque habebant monstrare confessa*, id est, concessa *in numeris, et in harmoniis adaptabant ad cœli passiones*, sicut sunt motus et eclipses, et aliud hujusmodi, *et ad partes* ejus, cujusmodi sunt cœli, et orbes diversi. Iterum adaptabant *ad totum ornatum cœli*, cujusmodi sunt stellæ diversæ et figuræ diversæ, quæ accidunt in constellationibus et aliud hujusmodi. *Et si quid deficiebat in rebus*, scilicet sensibilibus et manifestis, quæ non viderentur numeris posse adaptari, *adaptabant continuata eis omne esse negotium*, scilicet ipsa de novo ponebant, ad hoc quod totum negotium eorum, quod erat, ut sensibilia numeris adaptarent, continuarentur, sicut patet in uno exemplo. *Dico autem quoniam denarius* numerus *videtur esse perfectus, et omnem comprehendere naturam numerorum;* eo scilicet quod est primus numerus, et comprehendit in se naturam omnium numerorum, quia omnes alii numeri a denario, non videntur nisi repetitio numeri denarii; propter quod Plato faciebat numerum usque ad decem, secundum quod dicitur, 12. Metaphysicorum, text. c. 42. et 3. Phys. text. 61. Unde secundum Pythagoram, sphæræ scilicet *quæ secundum cœlum feruntur decem, dicuntur* esse *manifestis existentibus solum novem,* quæ apprehenduntur, septem ex motibus planetarum; octava vero ex motu stellarum fixarum; nona autem ex motu primi mobilis, qui est primus motus et diurnus; et ideo ἀντίχθονα, *id est, sphæram in contrarium motam*; et dicitur ab ἀντί quod est contra; *decimam faciunt*, scilicet Pythagorici. Ultimo epilogat quod *de his* quæ pertinent ad opinionem Pythagoræ *certius in aliis determinatum est,* scilicet in 13. et in 14. libro hujus scientiæ, qui sunt ultimi libri.

Ponentes principia numerorum esse principia cunctorum entium et cœlum esse harmoniam.

Numerus sphærarum secundum Pythagoram.

Notandum, quod Pythagoras nonam sphæram, quam dixit ἀντίχθονα, id est, in contrarium motam, inferioribus sphæris posuit in contrarium moveri, de qua opinione agitur prolixe in secundo libro de Cœlo, et mundo. text. c. 51. et inde. Dicebat enim ex motu cœlorum fieri quamdam musicam melodiam; sicut enim ex proportione sonorum contrariorum, puta gravis, et acuti, fit quædam musica harmonia; ita dicebat in cœlo esse unum motum ad oppositam partem aliis motibus, scilicet motui primi mobilis qui est ab Oriente in Occidentem aliis motibus inferioribus procedentibus ex adverso, scilicet ab Occidente in Orientem, ex quorum motuum proportione dicebat causari suavissimam melodiam. De qua opinione, non oportet nunc prolixius pertractare, quia magis pertinet ad secundum de Cœlo et mundo, ubi Philosophus hanc opinionem pertractat et reprobat evidenter. Deinde cum dicit :

Quare posuit motum cœli esse harmoniam ?

53. Sed cujus quidem gratia supervenimus, hoc est ut accipiamus, et de his quæ ponunt esse principia, et quomodo in dictas cadunt causas ; atque videntur et hi numerum putare principium esse, et quasi materiam existentibus, et quasi passiones, et habitus. Numeri vero elementa par et impar, et horum hoc quidem finitum, illud vero infinitum ; unum autem ex his utrisque esse, etenim parem et imparem ; numerum autem ex uno, numeros, sicut dictum est, totum cœlum.

Quid senserunt de rerum principiis sic opinantes.

Declarat quid Pythagorici senserunt de rerum principiis. Circa quod duo facit. Primo ostendit quæ posuerunt rerum principia. Secundo qualiter illa principia ad quatuor causas reducantur. Secunda ibi : *Ex his igitur ambobus.* Prima in tres, secundum quod narrat tria motiva eorum, qui posuerunt numeros principia. Secunda ibi : *Eorumdem autem.* Tertia ibi : *Quemadmodum Alcmæon.* Dicit ergo quod cujus gratia ad opinionem, scilicet Pythagoræ pertractandum, hoc est, ut de his tractemus, quæ secundum eorum opinionem possunt esse rerum principia et quomodo cadunt in dictas causas; videntur enim hi, scilicet Pythagorici, putare numerum esse principium *et quasi materiam existentibus*, id est, entibus, et scilicet *passiones et habitus* numeri esse quasi passiones et habitus rerum; forte per passiones intelligentes accidentia cito transeuntia, et per habitus accidentia permanentia, quod exponens dicit quod *numeri elementa*, id est principia, dicebant esse *par et impar:* istæ enim videntur primæ differentiæ numerorum, *et hoc quidem*, scilicet impar ponebant *finitum; illud quidem*, scilicet par ponebant *infinitum.* Sed *ex his* duobus, scilicet pari et impari, finito et infinito, non solum numerum constituebant, sed etiam *ipsum*; *unum*, id est ipsam unitatem, *etenim ipsa unitas par est et impar* in virtute ; nam omnes differentiæ numeri virtualiter competunt unitati, ex eo quod omnes differentiæ numeri in unitatem resolvuntur ; cujus ratio est, quia in ordine cujuslibet numeri paris, sive imparis, sive quadrati, sive perfecti, et sic de singulis differentiis numerorum, semper invenitur unitas esse prior, sicut patet scientibus Arithmeticam. Ultra, iste Pythagoras sicut dicebat ipsum numerum componi ex pari et impari, ita dicebat esse *numerum ex uno*, id est, unitatibus, *ut dictum est, et totum cœlum esse numeros*, id est, cœlum et omnia sibi similia, esse ex numeris, ut dictum est supra. Iste ergo ordo est, quem de rerum principiis asserebat.

Numeros Pythagorici posuerunt principia rerum.

Quare Pythagoras attribuebat infinitatem numero pari et finitatem impari ?

Notandum, quod Pythagoras attribuebat infinitatem numero pari; finitatem autem numero impari; motus ad hoc ponendum ratione et signo, secundum quod dicitur 3. Physicorum, capite de infinito. text. c. 36. et inde. Ratione quidem, quia in corporibus quamdam infinitatem aspicimus, quia corporea semper sunt divisibilia in duo æqualia, divisio enim continui tendit in infinitum, quia semper est divisibilis in duas medietates. Cum ergo de ratione numeri paris sit posse dividi in duas æquales medietates, idcirco videtur numerus par de se ipso habere infinitatem quamdam. Sed quia addita unitate constituitur numerus impar, qui amplius non est divisibilis in duas æquales unitates, ideo videtur de se habere finitatem quamdam, quia

ejus divisio stat cum perventum est ad unitatem, quæ remanet indivisa, et idcirco numero impari attribuebat finitatem. Signo autem movebatur, quia numeri impares qui sunt extra, et alii ab unitate semper faciunt eamdem speciem numeri, si numeri impares accipiantur ordinate, scilicet *unum, tria, quinque, septem, novem*, et sic in infinitum; nam isti omnes congregati semper constituunt numerum quadratum. Verbi gratia, *unum* et *tria* faciunt *quatuor*, qui est primus numerus quadratus. Et ultra, *quatuor* et *quinque* faciunt *novem*, qui est etiam numerus quadratus. Ultra, *novem* et *septem* faciunt *sedecim*, qui est etiam numerus quadratus, et sic de aliis in infinitum. Sed numeri pares non habent se isto modo; nam *unum* et *duo* faciunt *tria*; *tres* autem et *quatuor* faciunt *septem*. Septenarius autem numerus est alterius speciei a ternario, nam ternarius est numerus primus et incompositus dupliciter. Tum quantum ad ductum numerorum, nullus enim numerus ductus in alium vel seipsum, facit numerum ternarium. Tum quia non fit ex aggregatione numerorum; nulli enim duo numeri simul congregati faciunt ternarium; septenarius autem fit primus, et incompositus, quantum ad ductum numerorum, quia scilicet nullus numerus ductus in se, vel in alium numerum, facit septem; non tamen est incompositus quantum ad aggregationem numerorum, nam quatuor et tria simul congregata faciunt numerum septenarium; quia scilicet numeri pares additi ordinate unitati, variant semper speciem in infinitum, ideo Pythagoras numerum parem attribuebat infinito; sed quia numeri impares ordinate sumpti, modo præexposito, semper servant uniformitatem specierum, ideo numerum parem attribuebat finito.

Ternarius est alterius speciei a septenario, ut est primus, et incompositus.

Notandum etiam, quod passiones et habitus numerorum ponebat Pythagoras esse passiones, et habitus rerum illo modo; dicebat enim quod passio alicujus numeri, secundum quam dicitur numerus esse par, erat justitia in rebus, propter æqualitatem divisionis, quia tales numeri æqualiter dividuntur usque ad unitatem numerorum; ut octonarius dividitur in duos quaternarios; quaternarius vero in duos binarios; binarius autem in duas unitates; similiter vero accidentia alia assimilabat accidentibus numerorum. Deinde cum dicit;

Quare passiones numerorum posuit Pythagoras esse aliarum rerum?

Eorumdem autem alii decem dicunt esse principia secundum correlationem dicta; finitum et infinitum; par et impar; unum, plurale; dextrum, sinistrum; masculinum, fœmininum; quiescens motum; rectum, curvum; lucem, tenebras; bonum, malum; longius altera parte, et quadrangulare. 54.


Ponit secundum modum, quo quidam Pythagorici numeros esse rerum principia crediderunt. Dicit ergo quod *eorumdem*, scilicet Pythagoricorum, *quidam dicunt esse decem principia dicta, secundum* quamdam *coelementationem, aut correlationem*. Isti enim non tantum posuerunt unam contrarietatem in principiis, ut prædicti, sed etiam posuerunt decem principia secundum correlationem, id est, accipiendo unumquodque illorum cum suo

Ponentes decem principia rerum secundum correlationem.

correlario, vel coelementario contrario; et sic sunt viginti, scilicet decem ex una parte, et decem ex alia parte opposita, quæ enumerat, *finitum et infinitum; par et impar ; unum et plurale; dextrum et sinistrum; masculinum et fœmininum; quiescens et motum; rectum et curvum; lucem et tenebras; bonum et malum; quadrangulare et altera parte longius.*

Notandum, quod hujus positionis potuit esse ratio, quod isti non solum accipiebant prima principia, sed etiam proxima generum singulorum; ponebant ergo primo finitum et infinitum, sicut prædicti. Secundo par et impar, sicut prima rerum principia; et quia ex pari et impari causabantur numeri, ponebant tertio differentiam numerorum, scilicet unum et plura, quæ duo ex pari et impari causabantur. Et quia ex numero constituebantur magnitudines, secundum quod numerus positionem habet; nam, secundum eos, punctus nihil aliud est quam unitas posita, et linea dualitas posita; idcirco quarto loco ponebant positionem habentia dextrum et sinistrum, quorum unum, scilicet dextrum, perfectionem dicit, aliud vero, scilicet sinistrum imperfectionem. Et quia naturalia addunt super mathematica virtutem activam et passivam, idcirco quinto loco ponebant masculinum et fœmininum, quorum unum pertinet ad virtutem activam, quod perfectionem dicit; alterum autem ad passivam, et imperfectionem dicit, sicut de se patet. Et quia ex virtute activa et passiva, sequitur motus et quies in rebus, idcirco sexto loco ponebant principia motum et quietem, quorum unum, scilicet motus, deformitatem et imperfectionem dicit; alterum vero, scilicet quies uniformitatem et perfectionem dicit. Nam secundum Aristotelem 6. Physic. text. c. 31. et alibi, sicut moveri est aliter nunc se habere quam prius, ita quiescere est non aliter se habere nunc quam prius. Et quia primæ differentiæ motus sunt *rectum* et *circulare,* ideo septimo loco posuerunt principia *rectum* et *curvum*, quorum unum, scilicet *rectum* pertinet ad numerum parem, unde lineam rectam dualitatem asserebant; alterum vero, scilicet *curvum*, sive circulare, ratione uniformitatis (quia scilicet circulus ex una linea constat) pertinet ad numerum imparem, qui ratione unitatis indivisionem, et unitatem quamdam habet. Ulterius quia non solum ponebant principia rerum quantum ad motus et actiones naturales, sed etiam quantum ad actiones animales, idcirco quidem quantum ad cognitionem, ponebant octavo loco principia, scilicet, lucem et tenebras; nam lux videtur principium cognitionis; tenebræ vero ad ignorantiam pertinent. Sed quantum ad appetitum ponebant nono loco principia bonum et malum; bonum enim videtur in quod tendit appetitus, malum a quo resilit et recedit. Ulterius quia diversitas perfectionis et imperfectionis non solum invenitur in naturalibus, et voluntariis virtutibus et motibus, sed etiam in magnitudine, et figuris, idcirco


quantum ad hoc ponebant decimo loco quadrangulare, id est quadratum, et altera parte longius.



Quadratum quid?

Dicitur autem quadratum, figura ex quatuor lateribus æqualibus, cujus anguli sunt quatuor recti.

Figura autem altera parte longior dicitur, cujus omnes anguli sunt recti, et altera vicissim sibi opposita sunt æqualia, non tamen omnia latera sunt æqualia omnibus.



Ex omnibus præcedentibus patet, quod una coordinatio principiorum habet rationem privationis et imperfecti, illa scilicet quæ se tenet ex parte infiniti et paris; alia enim coordinatio habet rationem perfecti, et habitus respectu alterius, illa scilicet, quæ se tenet ex parte finiti et imparis, sicut patet intuenti, et ista sufficiant dicta de hac opinione, ad habendum aliqualiter sensum litteræ præsentis. Deinde cum dicit :

55. Quemadmodum Alcmæon Crotoniates suscipere, aut hic ab illis, aut illi ab hoc, hunc sermonem acceperunt, etenim fuit ætate Alcmæon, sene existente Pythagora, his vero consimiliter enumeravit ; nam ait esse duo, multas humanorum dicens contrarietates, non sicut hi determinatas sed quascumque, ut album, nigrum ; dulce, amarum ; bonum, malum ; magnum, parvum. Hic quidem indeterminate projecit de cæteris. Pythagorici vero, et quot et quæ contrarietates enuntiarunt.

Ponit tertium modum quo aliqui Pythagorici rerum principia numeros posuerunt, dicens quod *Alcmæon Crotoniates*, a civitate, unde fuit oriundus, sic dictus, *videtur suscipere*, id est, idem opinari, quod prædicti Pythagorici, qui principia rerum posuerunt esse contraria, *unde, aut hic habuit ab illis ; aut illi ab hoc*, scilicet Alcmæone *hunc receperunt sermonem*, id est, opinionem. Utrumque autem esse potuit; nam ille Alcmæon fuit tempore Pythagoricorum, quod ostendit cum subdit, *etenim* pro quia, *Alcmæon fuit philosophatus Pythagora jam existente sene ;* unde valde *similiter enuntiavit his* Pythagoricis dictis, nam sicut illi posuerunt principia esse contraria, sic ille *ait duo esse*, quæ multa sunt *humanorum*, id rerum sensibilium *contrarietates*, id est, quod multitudo rerum sensibilium est in quadam dualitate constituta, intelligens per dualitatem opposita contraria. Sed ab eis differebat, quia illi principia contraria ponebant in numero determinato, idem autem Alcmæon posuit principia quæcumque contraria indifferenter ; et hoc est quod dicit, quod iste supple Alcmæon fuit, dicens *non sicut hi determinatas* principiorum contrarietates, *sed quascumque* contingentes, *ut album, nigrum ; dulce, amarum ; bonum, malum ; magnum, parvum. Hic quidem* Alcmæon *indeterminate projecit de cæteris*, scilicet contrarietatibus principiorum, *Pythagorici vero quot, et quæ contrarietates enumeraverunt*. Deinde cum dicit :

In quibus conveniebat et differebat positio Alcmæonis a Pythagoricis?

Ab his ergo ambobus tantum est accipere, quia contraria sunt existentium principia, quot vero ab aliis, et quæ hæc sint, qualiter tamen ad dictas causas convenit

adducere, plane quidem non est dearticulatum ab illis. Videntur autem in materiæ specie elementa ordinare, ex his enim, ut ex his quæ insunt constitui, et plasmari dicunt substantiam. Antiquorum quidam igitur elementa natura plura dicentium, ex his sufficiens est intellectui speculari.

Ostendit qualiter ista principia posita a Pythagoricis, ad dictas causas quatuor reducuntur. Dicit ergo quod *ex ambobus*, scilicet Alcmæone et Pythagoricis, *unum est accipiendum, quod principia existentium*, id est entium *contraria sunt*, quod non ab aliis dictum est; *quot vero, et quæ*, scilicet sunt hæc, quomodo etiam principia contraria ab eis posita, *ad dictas causas contingit adducere*, id est, reducere; *plane quidem non est dearticulatum*, id est, distincte expressum *ab eis*; nunc autem *videntur ordinare elementa*, id est principia, velut in *specie materiæ*, id est, in genere causæ materialis. Quod probat, quia ipsi dicunt *substantiam rei plasmari, et constitui ex his*, scilicet principiis quæ ipsi ponunt, ut ex eis quæ insunt; ista autem videtur esse conditio materiæ, nam materia est ex qua fit ens cum insit.

Ad causam materialem reducuntur principia rerum contraria a prædictis assignata.

Notandum quod hoc, quod ait Philosophus, 1. Physic. text. c. 82. et 5. Metaph. text. c. 4. quod principia contraria sunt posita a Pythagoricis, et non ab aliis, intelligendum est quantum ad causam materialem; nam causam efficientem posuit Empedocles contraria, puta amorem et odium. Antiqui etiam Philosophi contraria posuerunt principia, ut rarum et densum, verumtamen ista contrarietas erat ex parte formæ, isti autem Pythagorici contrarietatem posuerunt ex parte materiæ, et non illi sicut patet ex prædictis. Ultimo epilogat dicens quod *antiquorum dicentium elementa*, id est, principia rerum, *ex his sufficit sententiam*, id est, opinionem eorum *speculari*.

In quibus Pythagorici, et antiqui alii differunt de contrarietate principiorum.

SUMMÆ SECUNDÆ CAP. III.

Opiniones distinctionem a rebus auferentium, et recitatarum opinionum epilogatio.

SUMMARIUM.

Opinio quorumdam Philosophorum, quod universum est una natura existens, et ponitur varietas hujus sententiæ juxta Parmenidem, Melissum et Xenophanem, et præfertur Parmenides, ejusque sententia magis exponitur, et hoc est quod continetur in prima parte hujus capitis usque ibi : *Ex dictis*, etc.

Sunt autem aliqui qui de universo, quasi una existente natura, enuntiaverunt ; modo vero non eodem omnes, neque ipsius bene, neque secundum naturam. 56.

Postquam Philosophus posuit opinionem de principiis distinctionem rerum, et motum ab entibus non negantium, et ideo loquentium magis naturaliter ; nunc ponit opinionem de principiis distinctionem rerum, et motum penitus auferentium, et loquentium minus naturaliter. Circa quod tria facit. Primo, præmittit eorum opinionem in communi. Secundo, ostendit qualiter consideratio hujus opinionis ad præsentem scientiam spectet et qualiter non. Tertio, comparat ad invicem ipsos opinantes. Secunda ibi : *Igitur ad præsentem*. Tertia ibi : *Igitur hi*. Dicit ergo,

Opinio a[uferentium] distinctio[nem, et] motum d[e] principii[s] rerum e[t] primo i[n] communi

quod *sunt aliqui* a prædictis, *qui enuntiaverunt de omni*, id est toto universo, *quasi de natura una*; posuerunt enim totum universum esse unum ens, *autem* pro sed, *sed non eodem modo omnes,* ut inferius patebit; in ipso autem modo, quo diversificati sunt, nec *quidem bene, nec secundum naturam,* supple sunt locuti. Ratio hujus est, quia isti motum a rebus auferebant, quare non naturaliter loquebantur, cum naturalis motum præsupponat. Iterum nullus eorum bene quidem dixit; quia positionem impossibilem posuerunt rationibus Sophisticis confirmatam, ut infra patebit. Deinde cum dicit :

Ad præsentem quidem igitur causarum perscrutationem, nullatenus congruit de ipsis sermo ; non enim ut Philosophorum quidam, qui unum posuerunt ipsum esse ens ; tamen generant ex materia quasi ex uno, sed alio dicunt hi modo. Illi namque motum apponunt ipsum esse generantes, hi vero immobile dicunt esse.

Ostendit qualiter pertractare, vel considerare istam opinionem spectet ad præsentem scientiam, et qualiter non. Circa quod tria facit. Primo, ostendit quod non spectet si consideretur positionis conclusio. Secundo, quod spectet si consideretur positionis ratio. Tertio, incidenter tangit opinionem Xenophanis, qui ad opinionem Parmenidis et Melissi accedebat. Secunda ibi : *Attamen quidem.* Tertia ibi : *Xenophanes vero.* Dicit ergo, quod *ad præsentem perscrutationem* causarum *nullatenus de his sermo congruit,* quia scilicet isti causas a rebus auferebant, *nec enim* supple istorum sermo est, *ut Philosophorum* antiquorum, *qui ipsum ens posuerunt unum, illi enim generant ens ex illo uno,* scilicet materia. *Sed hi alio modo dicunt*, nec possunt generationem, nec qualitatem rerum servare; cujus causam subdit, *illi namque*, scilicet antiqui *ei quod dicunt*, id est, illi uni quod ponunt, *motum apponunt*; non enim auferebant motum a rebus, *ipsum omne*, id est, universum *generantes*; *sed hi* illud unum ens, quod ponunt, *immobile dicunt esse*.

Notandum quod isti Philosophi posuerunt tantum unum ens, et quia unum non potest esse causa sui ipsius, idcirco non potuerunt causas ponere in rebus; nam positio causarum diversitatem arguit in rebus, quod antiquis Philosophis non accidebat, licet ponerent unum esse ens, ex quo ut ex materia alia generabant. Ratio hujus diversitatis est, quia antiqui Naturales motum in rebus concedentes, illud unum principium materiale mobile esse dicebant, et idcirco per aliquem modum, puta per rarefactionem et condensationem ex illo uno diversa entia generabant; ita tamen quod diversitatem non ponebant esse secundum substantiam, sed secundum accidens, ut superius fuit dictum. Sed isti illud unum, quod ponebant, dicebant esse penitus immobile, et idcirco ex illo uno negabant diversa generari, quia nec secundum substantiam, nec secundum accidens pluralitatem in rebus poterant salvare, nec per consequens causam et causatum; unde cum ad præsentem perscrutationem pertineat quærere de causis, patet istam positionem esse relinquendam, si positionis conclusio pensetur. Deinde cum dicit :

57. Attamen tantum conveniens est præsenti speculationi; Parmenides quidem enim videtur unum secundum rationem tangere; Melissus vero ipsum secundum materiam. Quare et hic quidem finitum, ille vero infinitum id ait esse.

Ostendit quod ista positio ad præsentem perscrutationem pertineat, si consideretur positionis ratio. Dicit ergo, quod licet isti prædicti diversitatem, et per consequens causalitatem tollerent a rebus; *attamen tantum est conveniens*, id est, proprium *præsenti speculationi*, pertractare istam positionem intantum, scilicet dicere quantum ad positionis rationem. Unde *Parmenides videtur tangere unum esse*, scilicet ens *secundum rationem* id est, ex parte formæ: *Melissus vero ipsum*, scilicet ens *secundum materiam*, id est, considerabat ex parte materiæ, et quia finitum pertinet ad formam, infinitum vero ad materiam; *ideo Melissus dixit esse unum ens infinitum, Parmenides vero unum ens finitum.* Patet igitur quod inquantum considerabant ens ratione formæ et materiæ, ad præsentem considerationem quæ inquirit de causis, pertinet tractare de eorum opinione, cum materia et forma sint de numero causarum.

Rationes pro opinione antiquorum.

Notandum quod, ut innuitur 1. Physic. text. com. 10. et 25. et habetur infra parum post, Parmenides ad suam opinionem utebatur tali ratione: Quidquid est præter ens, est non ens; et quidquid est non ens, est nihil; ergo quidquid est præter ens, est nihil: sed ens est unum; ergo quidquid est præter unum, est nihil, et per consequens omnia sunt unum. In quo patet, quod ipse considerabat ipsam formalem rationem essendi, quæ videtur sibi esse una, et ideo tetigit ens ex parte formæ. Melissus autem considerabat ens ex parte materiæ, arguebat enim sic, ut habetur 1. Physicorum, text. com. 10. et 23. Quod est factum, vel generatum habet principium; ergo quod non est generatum, non habet principium: sed ens non est generatum; ergo non habet principium; quod autem non habet principium, non habet finem; quod autem non habet principium, nec finem est infinitum; quod autem est infinitum, est immobile, quia infinitum nunquam movetur extra se, quia totum occupat; ergo ens est unum infinitum et immobile. Quod autem ens non generetur, probat sic: quia si generatur, aut generatur ex ente, aut ex non ente; non potest dici quod ex non ente, quia ex nihilo nihil fit; nec ex ente, quia aliquid esset antequam fieret; ergo ens nullo modo generatur. In quo patet, quod tetigit ens ex parte materiæ; nam probat unitatem entis ex eo, quod non generatur ex aliquo priori, quod proprie pertinet ad materiam, quæ est ingenerabilis et incorruptibilis, quia finitum pertinet ad formam, infinitum vero pertinet ad materiam. Melissus, qui consideravit ens ratione materiæ, posuit esse unum ens infinitum; sed Parmenides, qui consideravit ens ex parte formæ, posuit esse unum ens finitum, sicut dictum est in sententiando. Quomodo autem rationes istorum peccent, nec concludant, non est præsentis speculationis, sed magis spectat ad librum

Physicorum. Deinde cum dicit

Xenophanes vero primus horum unum dixit. Parmenides enim, qui hujus dicitur discipulus, nihil explanavit; neque de natura horum neutra visus est tangere, sed ad totum cœlum respiciens, ipsum unum dicit esse Deum.

Incidentaliter tangit opinionem Xenophanis, qui ad opinionem Parmenidis et Melissi accedebat. Dicit ergo: *Xenophanes vero primus horum unum dicens*, id est, qui fuit primus inter dicentes omnia esse unum; *hujus dicitur fuisse discipulus Parmenides;* iste, inquam, *nihil explanavit,* scilicet qua ratione diceret omnia esse unum, *neque de natura horum neutra visus est tangere*, id est, quod neque sumens rationem ex parte materiæ, neque ex parte formæ, sic de neutra natura, id est, neque de materia, neque de forma attingit quantum, scilicet ad rationabilitatem dicendi; unde sequitur, quod *iste respiciens ad totum cœlum dixit ipsum esse unum Deum,* supple sine aliqua ratione.

Opinio. Xenophanis.

Notandum, quod ipsi antiqui opinati sunt ipsum mundum esse unum Deum; unde Xenophanes videns omnes partes mundi esse similes in hoc, quia corporeæ, judicavit de eis quasi omnia essent unum compositum. Ex quo patet, quod prædicti Philosophi posuerunt unitatem omnis entis considerantes, et attendentes ad materiam, vel ad formam, iste vero aspiciens ad totum compositum. Deinde cum dicit:

Ponentes mundum esse unum Deum.

58. Hi quidem, sicut diximus, prætermittendi sunt ad præsentem inquisitionem. Duo quidem et penitus tamquam existentes parum agrestiores, Xenophanes et Melissus. Parmenides autem magis videns visus est dicere, nam præter ens nihil dignatur esse; ex necessitate ens opinatur esse unum, et aliud nihil. De quo manifestius in Physicis diximus.

Comparat ad invicem opinantes ipsos. Circa quod tria facit. Primo facit quod dictum est, præferens ipsum Parmenidem Xenophani et Melisso. Secundo, exponit magis opinionem Parmenidis. Tertio, corollarie recolligit, quæ dicta sunt de opinionibus antiquorum. Secunda ibi: *Coactus vero.* Tertia ibi: *Igitur ex dictis.* Dicit ergo, quod sicut diximus, *hi*, scilicet qui motum et diversitatem, et per consequens causalitatem ab entibus auferebant, *prætermittendi sunt ad præsentem inquisitionem*, si supple consideretur positionis conclusio, ut jam dictum fuit: sed *duo quidem, scilicet Xenophanes et Melissus omnino*, scilicet sunt prætermittendi; *quasi parum*, id est, aliquantulum; *agrestiores,* id est, rudiores et minus subtiliter procedentes. *Sed Parmenides visus est dicere magis videns,* id est magis intelligens, *nam* ipse supple utitur tali ratione: Quod est *præter ens*, est non ens, et quod non est ens, *nihil dignatur esse*, id est, est dignum judicari esse nihil; unde ex hoc *opinatur ex necessitate ens unum esse, et aliud nihil,* id est, quod quidquid est præter ens et unum, est nihil; *de quo manifestius diximus in Physicis*, scilicet in 1. lib. Physic. text. com. 10. et 25. et hoc dicit ad excusandum se de prolixitate tractatus hujus opinionis. Deinde cum dicit:

Præfert Parmenidem aliis duobus.

Coactus vero apparentia sequi, et unum quidem secundum rationem; plura vero secundum sensum opinans esse duas causas, et duo principia rursus ponit, calidum, et frigidum, ut ignem et terram dicens; horum autem quoniam secundum ens calidum ordinat, alterum vero secundum non ens.

Parmenidis opinio reliquis rationabilius sentientis.

Exponit magis opinionem Parmenidis, dicit quod licet supple cogatur Parmenides dicta ratione ad opinandum omnia esse unum, *Coactus tamem sequi apparentia*, quia scilicet ad sensum apparet entium multitudo, volens salvare utrumque, scilicet rationem et sensus apparentiam; *dixit unum quidem esse secundum rationem, plura autem secundum sensum;* inquantum ergo ponebat pluralitatem entium secundum sensum, potuit salvare causalitatem in rebus. Unde subdit quod *ipse*, scilicet Parmenides, *ponit rursus duas causas et duo principia, calidum et frigidum, ut ignem et terram, dicens*, id est, quod alterum eorum attribuebat igni, scilicet calidum quod videbatur pertinere ad causam efficientem; alterum vero, scilicet frigidum, attribuebat terræ, quod videbatur ad causam materialem pertinere. Addit autem quod *horum quod quid est, calidum secundum ens ordinatur, alterum autem*, scilicet frigidum, *secundum non ens.*

Notandum quod iste Parmenides, ne videretur contradicere suæ rationi, qua concluditur, quidquid est præter unum est nihil, dicebat quod unum istorum duorum, scilicet calidum erat ens; alterum vero, quod est præter illud unum quod est ens, scilicet frigidum, dicebat esse non ens secundum rationem et secundum rem, licet esset ens secundum sensus apparentiam. Sciendum autem, quod quantum ad hoc ad veritatem aliqualiter accessit; nam principium materiale, quod ponebat esse terram vel frigidum, non est ens in actu, sed in potentia; iterum, privatio habet rationem non entis ex 1. Physic. text. com. 75. terra autem, quam ponebat materiam,et frigidum, quod habet rationem privationis respectu alterius contrarii, sunt aliqualiter non ens, ut iste asserebat.

SUMMARIUM.

Epilogus prædictarum opinionum, et fusior explicatio opinionis Pythagoricorum, seu Italicorum.

Ex dictis quidem igitur de rationi consentientibus jam sapientibus hoc accepimus; a primis quidem principium esse corporeum; aqua namque et ignis, et similia, corpora sunt, et ab his quidem unum, ab illis vero plura principia corporea; utrisque tamen hæc nihil in materiæ specie ponentibus, et cum hac illam unde motus, et hanc ab his quidem unam, ab illis vero duas. Text. com 1. 59.

Igitur usque ad Italicos, et absque illis mediocrius dixerunt alii de ipsis. Attamen, ut diximus, duabus sunt causis usi, et harum alteram, hi quidem unam, illi vero duas, faciunt illam unde motus. Text. com 2.

Recolligit dicta de opinione antiquorum.

Recolligit corollarie, quæ dicta sunt de opinione antiquorum. Et primo quæ dicta sunt de opinionibus primorum Philosophorum. Secundo, quæ dicta sunt de opinione Pythagoricorum. Secunda ibi: *Pythagorici vero.* Dicit ergo concludendo quod *ex dictis Philosophis*, scilicet *consentientibus*, idem, scilicet causam materialem esse rerum totam substantiam, et *jam ratione sapientibus*, id est, qui jam per rationem incipiebant scire et sapere *causas rerum ea accepimus*, scilicet ea quæ dicta sunt, *a primis* Philosophis supple accepimus esse primum *principium corporeum;* quod probat, *namque* pro quia *aqua et ignis, et similia, corpora sunt*, quæ scilicet illi ponebant esse rerum principia, sed differenter, quia *ab his quidem unum, ab illis vero plura*

Qui ponebant unum principium corporeum, et qui plura.

principia corporea, scilicet ponuntur esse; patet enim ex præcedentibus, quod Thales, Anaxagoras et Diogenes tantum unum principium ponebant. Empedocles autem et Democritus plura ponebant, utrique tamen in hoc conveniebant, quia principium sive unum sive plura; ea in materiæ specie ponebant, id est, in genere causæ materialis; a quibusdam vero ponentibus talem causam, scilicet materialem cum ea, scilicet materia, illam secundum principium motus, id est, causam efficientem etiam ponebant, sed differenter; quia *ab his quidem* eam, scilicet causam efficientem *esse unam*, *ab illis vero duas*, supple esse positas, patet ex prædictis. Anaxagoras quidem posuit illam causam esse unam, scilicet intellectum, et Parmenides amorem. Empedocles vero posuit duo, scilicet amorem et odium. *Igitur* prædicti Philosophi, qui scilicet fuerunt *usque ad Italicos*, id est, Pythagoricos *absque illis*, et non communicantes cum illis Pythagoricis in suis opinionibus *mediocrius de his dixerunt*, scilicet principiis, qui supple non assignabant ad quod genus causæ hujusmodi principia reducantur, *et tamen, ut diximus, duabus usi sunt causis*, scilicet efficiente et materiali, *et harum alteram*, scilicet efficientem *ipsam*, *scilicet unde motus principium*, *hi quidem unam; illi vero duas faciunt*, sicut patet ex prædictis. Deinde cum dicit :

Text. com. 3. Pythagorici vero duo quidem principia faciunt secundum eumdem modum, tantum autem addiderunt quod et proprium eorum est, quia finitum, et infinitum, et unum, non aliquas alias putaverunt esse naturas, ut ignem, aut terram, aut aliud aliquid tale; sed infinitum ipsum, et unum, horum esse substantiam de quibus prædicantur, quapropter et numerum esse substantiam omnium.

De his igitur secundum hunc enuntiaverunt modum, et de eo quidem *quod quid est* dicere et definire cœperunt, valde, autem simpliciter tractaverunt, superficialiter namque definierunt ; et cui primo inerat terminus dictus, hoc esse substantiam rei putaverunt, ut si quis existimet ratione idem esse duplum et dualitatem, eo quod inest primo duobus duplum, sed fortasse duplo et dualitati non idem esse; si autem non, multa ipsum unum erit, quod et illis accidit De prioribus quidem igitur et aliis, tot est accipere, Text. com. 4.

60. In quibus conveniebant et differebant Pythagorici ab aliis?

Recolligit quæ dicta sunt de opinione Pythagoricorum, et quantum ad illud habebant commune cum prædictis, et quantum ad illud quod erat eis proprium, et in quo differebant a prædictis. Dicit ergo quod *Pythagorici*, qui scilicet *ponebant duo principia*, *dixerunt secundum eumdem modum*, quo scilicet Empedocles, et alii antiqui, et in hoc conveniebant cum antiquis, verumtamen habebant duo propria in quibus differebant a prædictis; unde subdit, quod *tantum autem addiderunt*, scilicet Pythagorici, *quod est proprium eorum, quia finitum et infinitum, et unum, non putaverunt esse aliquas alias naturas*, quasi essent accidentia aliis naturis, quæ possunt dici infinitæ, *ut ignem, aut terram, aut aliquod tale aliud ; sed infinitum ipsum, et ipsum unum dixerunt esse substantiam horum, de quibus prædicantur ; quapropter*, supple ex hoc concludebant, *numerum*, scilicet qui ex unitatibus constituitur, *esse omnium substantiam*, et hoc est unum primum in quo Pythagorici ab aliis Naturalibus differebant, nam alii Naturales sunt aliter locuti, ut patet ex 3. Physicorum, capit. de Infinito, quia licet ponerent unum et infinitum, tamen attribuebant Text. com. 25. et 27.

illa alicui alteri naturæ, sicut accidentia subjecto, puta igni, vel aquæ, vel alicui alteri; sed Pythagorici ipsum infinitum, et ipsum unum non dicebant esse accidentia alicui alteri naturæ, sed magis esse naturas ipsas et substantias rerum.

Secundum est, in quo Pythagorici differebant a prædictis, quia ipsi inceperunt dicere et definire quidditates rerum, licet imperfecte; unde dicit quod *de his igitur*, quæ sunt dicta, *enuntiaverunt secundum hunc modum ;* iterum, *et de ipso*, quod quid est, *cœperunt dicere et definire, et valde simpliciter tractaverunt, et superficialiter autem definierunt,* scilicet quidditates rerum, nam definientes non attendebant in definitionibus assignandis nisi unum tantum; dicebant enim quod si aliquis terminus dictus, id est, definitio inesset alicui primo, quod hoc esset substantia illius rei, et hoc est quod subdit : *Cui primum inest dictus terminus, hoc esse substantiam rei putaverunt, ut si quis existimet idem esse duplum*, id est, duplam proportionem et dualitatem, eo quod duplum, id est, dupla proportio, primum inest duobus, id est, numero binario, primum invenitur unum, quia ens primo invenitur in uno quam in multis, eo quod multa ex uno constituuntur, ideo dicebant quod ens est ipsa substantia unius; hanc autem determinationem et modum definiendi improbat, cum subdit : *Sed fortasse duplo, et dualitati non est idem esse,* licet supple dualitas sit dupla, ita quod sint idem secundum rationem, sicut definitio et definitum; quod probat, cum subdit, *si autem non*, supple est sicut nos dicimus, sequitur quod *multa unum essent, quod et illis convenit,* id est, oportet dicere, quod supple apparet esse falsum. Ratio hujus consequentiæ est, quia contingit aliqua multa primo inesse alicui uni. Exemplum, dualitati primo inest paritas et proportio dupla; sequeretur igitur quod par et duplum, sint idem in se, cum sint idem ipsi dualitati; sequeretur etiam, quod quodcumque esset duplum, illud esset idem dualitati, ex quo duplum ponitur substantia dualitatis; et sic cum multa alia sint dupla, multa dupla essent unum, quod est dualitas. Ultimo concludit quod *de prioribus,* scilicet Philosophis, qui posuerunt, scilicet tantum unum principium materiale, *et aliis* posterioribus, qui posuerunt plura, *tot est accipere*, ut dictum est.

Notandum quod Pythagorici qui posuerunt duo principia, dixerunt secundum eumdem modum cum antiquis, pro quanto illi, sicut antiqui, posuerunt aliqui eorum duo principia contraria, quorum unum erat principium bonorum, et aliud malorum, ut patet de Empedocle, et aliis quibusdam; ita Pythagorici, sicut patet ex coordinatione principiorum contrariorum, quam ponebant modo præexposito. Verumtamen non eodem modo, quia Empedocles illa principia contraria posuit ex parte causæ moventis sive efficientis ; Pythagorici vero ex parte materialis, ut superius fuit dictum.

SUMMÆ SECUNDÆ

CAPUT IV.

Recitantur opiniones ponentium principia ab entibus separata; et ostenditur qualiter antiqui Philosophi aliqualiter quatuor genera causam tetigerunt.

SUMMARIUM.

Sententia Platonis, qui post prædictos Philosophos floruit, de rerum principiis ac de ideis, quam explicat Doctor, et de sententia Cratyli et Heracliti; et hoc est quod tractatur in prima parte hujus capitis, usque ad §. *Utrum unum*, etc.

Text. com. 5. Post dictas vero philosophias Platonis supervenit negotium, in multis quidem hos sequens, aliam vero præter Italicorum 61 philosophiam habens; nam ex novo consentiens Cratyli et Heracliti opinionibus, sensibilibus omnibus semper defluentibus, et scientia de eis non existente, hoc quidem et posterius ita suscepit. Text. com. 6. Socrate vero circa moralia negotiante, et de tota natura nihil; in his tamen universale quærente, et de definitionibus primo intellectum firmante illum suscipiens propter tale putavit, quasi de aliis hoc factum, et non de sensibilium aliquo; impossibile namque est communem rationem esse alicui sensibilium semper transmutantium. Sic itaque talia quidem entium ideas et species appellavit; sensibilia vero propter hæc, et secundum hoc dici omnia, nam secundum participationem esse multa univocorum speciebus, participatione vero secundum nomen transmutatum. Pythagorici quidem enim existentia dicunt esse numerorum immutationem. Plato vero participatione nomen transmutans. Participationem tamen aut immutationem, quæ sit utique specierum, dimiserunt in communi quærere.

Postquam Philosophus narravit opinionem ponentium rerum principia rebus inexistentia non separata; nunc narrat opinionem ponentium principia ab entibus separata, qualis fuit Plato. Circa quod duo facit. Primo ponit opinionem ejus quantum ad hoc, quod opinatus est de rerum substantiis. Secundo quantum ad hoc, quod opinatus est de rerum principiis. Secunda ibi : *Quoniam autem species*. Prima in duas, quia primo ponit opinionem ejus quantum ad ea quæ opinatus est de ideis. Secundo quantum ad ea quæ opinatus est de Mathematicis. Secunda ibi : *Amplius autem sensibilia.*

Ad evidentiam primæ partis, notandum quod duo fuerunt antiquitus philosophorum genera; quidam in Græcia, dicti Naturales; quidam in Italia, dicti Pythagorici. Plato autem fuit secutus multum Philosophos Naturales, qui in Græcia erant, puta Empedoclem, Anaxagoram, et alios hujusmodi. Postea autem pervenit ad Philosophiam Pythagoricorum, nam ipse, quia erat studiosus ad inquisitionem veritatis, ubique terrarum Philosophos perquisivit, ut eorum dogmata sciret, sicut recitat Hieronymus in epistola ad Paulinum; unde in Italiam, videlicet Tarentum dicitur pervenisse, ubi ab Archita Tarentino discipulo Pythagoræ, de opinione Pythagoricorum est instructus; et hoc est quod dicit, quod *post omnes dictas Philosophias* Philosophorum, scilicet antiquorum, *Platonis supervenit negotium*, qui scilicet immediate Aristotelem præcessit, unde ejus discipulus legitur fuisse; Plato *quidem in multis hos*, scilicet antiquos Philosophos jam dictos *sequens*, *alia propria fuit habens præter philosophiam Italicorum*, id est, Pythagoricorum, in quorum opi-

Philosophorum duo genera.

Plato studiosus in inquisitione veritatis.

nione, ut jam est dictum, postmodum est instructus; *nam*, supple cum Naturales Philosophos, qui fuerant in Græcia, vellet sequi; secutus est et *conveniens*, id est, consentiens, *opinionem Cratyli et Heracliti ex novo*, id est, tanquam ex novis, qui scilicet posuerunt omnia sensibilia esse in fluxu, ut de his non possemus scientiam habere; unde subdit, scilicet quasi secundum illorum opinionem sensualibus, id est, *sensibilibus omnibus semper defluentibus, et scientia de eis non existente, ea quidem ipse*, supple Plato, *posterius ita suscepit*, conveniens, scilicet cum eis particularium et sensibilium scientiam esse non posse. Socrates, qui fuit magister Platonis et discipulus Cratyli, qui fuit auditor Anaxagoræ, ut dicitur, propter hanc opinionem, quæ suo tempore pullulavit, scilicet de sensibilibus scientiam esse non posse, de naturis rerum, noluit aliquid perscrutari; sed dimissis Naturalibus, ad moralia se transtulit inquirenda, et hoc est quod dicit : *Socrate vero circa moralia negotiante, et de tota natura nihil in his quidem*, scilicet moralibus *universale*, id est, universalem naturam *quærente, et definitionibus primo intellectum firmante, illum* scilicet Socratem, *recipiens* supple Plato, utpote ejus discipulus; nam *propter hoc suscepit, hoc quasi de aliis hoc eveniens*, quod scilicet posset in eis universale aliquod invenire, *et non in aliquo sensualium*, id est, sensibilium; et vult dicere, quod licet in aliis generibus esset bene possibile naturam universalis accipi, de qua possit scientia haberi, et definitio assignari, hoc tamen erat impossibile in sensibilibus, et naturalibus inveniri, cum ista sint continue transmutata. Et hoc est quod subdit : *impossibile namque est communem rationem*, definitionem *esse alicujus sensibilium semper transmutantium*, id est, cum sensibilia semper et continue transmutentur. Ratio hujus est, secundum eos, quia oportet definitionem esse communem, id est, quod conveniat omni et semper; quare definitio aliquam immobilitatem requirit, et ideo hujusmodi entia universalia, quæ sunt a rebus sensibilibus separata, de quibus definitiones assignantur, *ideas et species existentium*, id est, entium, *appellavit; sensibilia vero omnia dicebat esse propter ea, et secundum ea*, quæ scilicet sunt entia separata, puta species et ideæ, quod probat cum subdit : *nam speciebus attribuebat multa univocorum secundum participationem*, id est, multa individua naturam communem specierum vel idearum simpliciter participantium, ut Plato dicebat, quia ipsa species vel ipsa idea, est ipsa natura speciei, quæ est homo existens per essentiam; individuum autem est homo per participationem, in quantum, scilicet participat specificam naturam. Nam individuum, aliquid addit super naturam speciei, puta proprietatem, sive differentiam individualem, quæ est individuationis præcisa causa, et vocatur hæcceitas. Ipsa autem species, puta homo vel asinus, nihil aliud includit a natura speciei, et propter hoc homo species, dicitur per se homo, sive homo per essentiam; individuum autem, puta Socrates, dicitur homo per participationem; hoc

Opinio Platonis de ideis.

Explicatur qualiter posuit ideas?

Homo per essentiam et homo per participationem.

autem nomen *per participationem*, accepit Plato a Pythagoricis, sed tamen transmutavit ipsum nomen, id est, quantum ad nomen, quod declarat cum subdit : *Pythagorici quidem dicunt existentia*, id est, entia *numerorum immutationem*, ita quod loco immutationis usus est nomine participationis et sic transmutavit nomen. Addit autem pro reprobatione Pythagoricorum, dicens quod quæ, scilicet *immutatio, si sit specierum, in communi quærere dimiserunt*, videlicet dicere, licet Pythagorici ponerent participationem, id est, immutationem, non tamen perscrutati sunt qualiter species communis participetur ab individuis sensibilibus, sive ad ea immutetur, quod tamen Platonici tradiderunt.

62. Plato quare vocabat entia, separata, quæ ponebat nunc ideas, nunc species ? Notandum quod Plato entia separata, de quibus dixit scientiam esse et definitionem assignari, nominavit existentium species et ideas; ideas quidem, id est, formas, in quantum ad eorum similitudinem sensibilia generantur; species vero, in quantum erant principia cognoscendi, sed sive sic, sive non sic, non est multum curandum.

Notandum etiam, quod omnia sensibilia dicuntur esse propter prædictas ideas, et secundum eas ; propter eas quidem, in quantum ideæ sunt sensibilibus causæ essendi; secundum eas vero in quantum sunt eorum exemplaria.

Quare usus est nomine participationis, et non immutationis. Notandum etiam, quod Pythagorici dixerunt numeros esse causas rerum, ita quod ista entia sensibilia erant, quasi quædam immutationes numerorum; nam in quantum numeri, qui de se positionem non habent, positionem accipiebant, corpora sensibilia causabant ; sed quia Plato ideas immutabiles existimabat, ut sic de eis possent scientiæ haberi et definitiones assignari, non debebat uti nomine immutationis, sed loco immutationis usus est participationis nomine. Deinde cum dicit :

Amplius autem præter sensibilia et species, Mathematica rerum intermedia dicit esse, et differentia a sensibilibus quidem, quia sempiterna sunt et immobilia; a speciebus, eo quod hæc quidem multa quædam similia sint; Species autem ipsum unum unaquæque solum.

Ponit opinionem Platonis, quantum ad ea quæ opinatus est de Mathematicis, quæ ponebat intermedia. Dicit ergo, quod *amplius præter sensibilia et species*, id est, ideas, *dicit esse Plato Mathematica infra res*, id est, *rerum intermedia*, infra sensibilia et ideas, quasi sint quædam tertiæ substantiæ,*differentia quidem a sensibilibus* inferioribus, *quia*, ista supple Mathematica, *sempiterna sunt et immobilia;* sensibilia autem sunt corruptibilia et mobilia sicut patet. Hoc autem forte opinabatur ex ratione scientiæ Mathematicæ, quæ abstrahit a motu ; *a speciebus* vero, id est, ab ideis differunt, quia scilicet Mathematica *sunt multa quædam similia,* id est, multa individua similia sub una specie, puta multæ lineæ, et multæ superficies et hujusmodi; *species autem*, id est, idea est, *una*, et *eadem singula solum*, id est, quod plures ideæ non sunt differentes solo numero, et similes sub una specie communi.

Notandum, quod Mathematica ponit multa sub una specie differentia secundum numerum, ad salvandum demonstrationes Mathe- In quo deceptus est Plato ?

maticas; nisi enim essent duo trianguli ejusdem speciei, frustra demonstraret Geometria aliquos triangulos esse similes, similiter autem in aliis figuris. Hoc autem non accidit in ideis sive substantiis separatis, nam cum in idea separata nihil aliud sit nisi unum, sive natura speciei, non potest esse singula nisi una, sicut nec idea hominis, et similiter est de aliis ideis.

Non oportet modum essendi sequi modum intelligendi.

Notandum etiam Platonem in sua opinione propter hoc errasse, quia modum essendi credebat assimilari omnino modo intelligendi, et sic res esse abstractas, quantum ad esse, sicut quantum ad cognosci. Quia igitur intellectus humanus intelligit abstrahendo, non tantum universalia a singularibus, sed etiam particularia, puta Mathematica abstracta a materia sensibili, et etiam ab existentia naturali; idcirco utrique abstractioni dixit correspondere duplicem abstractionem, quantum ad esse rei, puta posuit universalia et ideas realiter separatas; iterum multa Mathematica differentia numero et ejusdem speciei, in singulis speciebus esse similiter realiter separata, puta plures triangulos et plures quadrangulos; unde ex hoc sequitur quod habuit oppositum modum, quantum ad Aristotelem, et quantum ad inquisitionem Physicæ veritatis; nam Plato ab universalibus suam considerationem inchoans, ad inferiora et sensibilia quodam ordine descendebat; Aristoteles autem e contrario fecit, nam a sensibilibus incipiens, ad inquirendam veritatem de universalibus procedit, non quod poneret universalia realiter separata, sed solum secundum considerationem intellectus, quia abstrahentium non est mendacium, ut dicitur 2. Physicorum text. com. 18. Non enim oportet quod modus essendi sequatur modum intelligendi, sed sunt distincti modi; unde non oportet nec universalia, nec Mathematica esse realiter separata quamvis separatim et distinctim a sensibilibus cognoscantur, quare motivum Platonis nullum fuit. Deinde cum dicit

63. Text. com. 7

Quoniam autem species causæ sunt aliis, elementa illarum, omnium quæ sunt, elementa esse putavit. Magnum igitur et parvum, ut materiam esse principia, unum autem, ut substantiam dixit. Ex illis enim secundum participationem unius, species esse numeros.

Ponit opinionem Platonis quantum ad hoc, quod opinatus est de rerum principiis. Circa quod duo facit. Primo, ostendit qualia principia Plato entibus assignavit. Secundo, ad quod genus causæ ipsa principia reducantur. Secunda ibi : *Palam autem ex prædictis.* Prima in duas. Primo facit, quod dictum est. Secundo, ejus opinionem comparat ad opinionem Pythagoræ. Secunda ibi : *Et unum esse.* Dicit ergo, quod *quoniam*, pro quia *species*, id est, ideæ *sunt causæ aliis* entibus, scilicet secundum opinionem Platonis, *elementa illarum*, scilicet idearum *putaverunt*, scilicet Platonici *esse elementa*, id est, principia *omnium existentium*, id est, entium ; ergo supple hoc, *magnum et parvum quasi materiam dixerunt esse principia* idearum, *quasi vero substantiam*, id est, formam, *ipsum unum*, sic etiam principia existentium, quia quod est

Quid opinatus est Plato de principiis rerum.

principium principii, est etiam principium principiati.

Notandum, quod secundum Platonem, sicut ideæ sunt formæ sensibilium, ita ipsum unum est forma idearum; sicut igitur sensibilia constituuntur secundum eum ex principiis materialibus, quæ sunt magnum et parvum, secundum participationem idearum, ita ipsæ ideæ, quas dicebat esse numeros, constituuntur secundum eum ex magno et parvo secundum participationem ipsius unius; unitas enim secundum additionem et subtractionem, (in quibus consistit ratio magni et parvi) constituit varias species numerorum. Cum igitur Plato opinaretur ipsum unum esse substantiam omnis entis, non distinguens ut Commentator dicit, inter unum quod est principium numeri, et de genere Quantitatis, et unum quod convertitur cum ente. Videbatur enim sibi quod secundum hunc modum multiplicarentur diversæ ideæ separatæ ex uno, quod est substantia communis, sicut ex unitate multiplicantur diversæ, et variæ species numerorum. Deinde cum dicit :

SUMMARIUM.

Comparatur opinio Platonis cum sententia Pythagoræ, quoad convenientiam et differentiam et explicatur differentiæ causa, et Plato refutatur, et præferuntur Philosophi Naturales.

Unum tamen substantiam et non aliquid aliud, ens dici unum consimiliter Pythagoricis dixit, et numeros esse causas cæteris substantiæ, similiter ut illi.

In quibus conveniebant Plato et Pythagoras ? Comparat opinionem Platonis ad opinionem Pythagoræ. Primo penes convenientiam. Secundo penes differentiam. Secunda ibi : *Pro infinito autem*. Dicit ergo, quod conveniebant in duobus. Primo, scilicet quia Plato dicebat, *unum esse substantiam rerum et non aliud ens dici unum, ut etiam Pythagorici dixerunt;* vult dicere quod sicut Pythagorici dicebant quod ipsum unum non prædicatur de aliquo alio ente, sicut accidens de subjecto, et quædam existentia natura, sed ipsum unum significat substantiam rei, sic et Plato dixit. Secundo conveniebant, quia scilicet Plato dicebat *numeros esse causas substantiæ cunctis rebus, similiter sic illi,* id est, Pythagorici dixerunt. Ista autem secunda convenientia sequitur ex prima, quia si numerus non est aliud quam collectæ unitates, sequitur quod si unitas est rei substantia, ut prima convenientia dicebat; ergo similiter et numerus, ut dicit secunda. Deinde cum dicit :

Pro infinito autem, ut uno dualitatem facere, et infinitum ex magno et parvo, hoc proprium ipsius est. Amplius hic quidem numeros præter sensibilia; illi vero numeros esse dicunt res ipsas, et Mathematica intermedia horum non ponunt. 64. Text. com 8.

In quibus differunt Plato, et Pythagoras ? Comparat eos penes differentiam. Et primo ipsam differentiam præmittit. Secundo causam differentiæ subjungit. Secunda ibi : *Unum igitur*. Dicit ergo, quod differunt in duobus. Primo, quia *pro infinito quasi uno*, quod scilicet Pythagoras, ut principium materiale ponebat, ut prædictum fuit, ipsi scilicet Platonici *dualitatem facere*, quia Plato ex parte materiæ posuit magnum et parvum *et sic infinitum*, quod Pythagoras ponebat, ut unum principium, *ex magno et parvo*, sup-

ple Plato consistere dicebat, et hoc est proprium opinionis suæ in comparatione ad Pythagoram. Secundo differebant, quia *hic quidem*, scilicet Plato *numeros præter sensibilia ponebat*, et hoc dupliciter, ut patet ex prædictis; quia secundum ideas et Mathematica intermedia ponebat esse separata, quorum quælibet dicebat esse quosdam numeros; *illi vero,* scilicet Pythagorici, *ipsas res dicunt esse numeros* utique, *et inter hæc Mathematica non ponunt;* non enim ponebant Mathematica intermedia inter sensibilia et ideas separatas, sed omnia esse in sensibilibus. Deinde cum dicit :

Unum quidem igitur et numeros præter res facere, et non ut Pythagorici, et specierum introductio propter eam quæ in rationibus perscrutationem evenit, priores enim Dialecticam non participaverunt.

Subjungit causam differentiæ, et primo ponit causam secundæ differentiæ. Secundo ponit causam primæ. Secunda ibi : *Dualitatem vero.* Dicit quod *unum et numeros facere*, id est, ponere, *præter ipsas res*, ut scilicet dicebat Plato, *et non Pythagorici;* et iterum, *specierum*, id est, idearum, *introductio evenit*, scilicet ipsi Platoni *propter perscrutationem in rationibus*, id est, in definitionibus rerum. Platonici enim, ut dictum fuit supra, non credebant de rebus sensibilibus posse definitiones assignari, cum sint secundum eum in continuo fluxu et mutatione, et hac ratione quasi coacti posuerunt quasdam res separatas, de quibus possent dari definitiones ; *sed priores*, id est, Pythagorici, qui Platonem præcesserunt, *non participaverunt Dialecticam*, ad quam pertinet speculari definitiones et universalia, et propter hoc Pythagorici non curaverunt ponere universalia separata. Deinde cum dicit :

Dialecticæ est speculari definitiones.

Dualitatem autem facere alteram naturam, quia numeri extra primos naturaliter ex ea generantur velut ex aliquo ἐκμαγείῳ, id est, sigillo.

Effigie

Ponit causam primæ differentiæ. Circa quod tria facit. Primo facit, quod dictum est. Secundo dicit Platonem in hoc irrationabiliter locutum. Tertio recitat rationem, qua movebatur Plato ad hoc ponendum. Secunda ibi : *Equidem e contrario.* Tertia ibi : *Videtur autem ex una.* Dicit ergo, quod *dualitatem facere*, scilicet Platonici, *naturam aliam specie a natura ipsarum* specierum, *quia* omnes *numeri extra*, id est, præter *primos ex ea*, scilicet dualitate, *naturaliter generantur velut ex aliquo* ἐκμαγείῳ, id est, exemplari, ἐκμαγεῖον enim idem est, quod exemplar; dualitatem autem istam intelligit magnum et parvum, quæ Plato ponebat ex parte materiæ.

Numeri primi et compositi qui?

Notandum, quod secundum Geometras uno modo dicuntur numeri primi, quos nullus alius enumerat. Exemplum, ternarius, quinarius, septenarius, et sic de aliis; isti enim sola unitate numerantur; numeri vero quos alius numerus numerare potest, non dicuntur primi, sed compositi. Exemplum, quaternarius, quem numerat binarius, et generaliter omnis numerus par a binario, sive a dualitate numeratur; unde quia numeri pares attribuuntur materiæ, cum eis attribuatur infinitum sicut superius fuit dictum, ex hac ratione posuit Plato ex parte materiæ dualita-

tem, ex qua sicut ex quodam exemplari omnes alii numeri generantur præter istos, qui dicuntur primi, modo præexposito. Deinde cum dicit :

65. Equidem e contrario contingit, non enim rationabile ita, nunc quidem enim ex materia multa faciunt, species vero semel generatur solum.

Ostendit Platonem in hoc irrationabiliter locutum. Dicit ergo, quod supple licet Plato dualitatem ex parte materiæ assignabat, et ex parte formæ contrarietatem, unde subdit : *Nec enim ita est rationabile,* supple quod ponebat Plato, sicut quod ponebant Philosophi antiqui; *tunc enim ex materia*, scilicet ita *multa faciunt*, supple Philosophi antiqui, *nam species,* id est, forma *solum semel generat,* id est, constituit ipsa, scilicet materia semper ita permanente.

Notandum, quod sicut apparet, ex 1. Physic. text. c. 56. et 82. et alibi sæpe, Philosophi Naturales posuerunt unitatem in materia, et pluralitatem et contrarietatem in forma; ponebant enim materiam rerum naturalium aliquod corpus, puta ignem, aerem, vel aquam vel hujusmodi, et ex isto uno dicebant diversas res constitui secundum raritatem et densitatem, quæ principia formalia ponebant esse, et hæc rationabilius quam Plato; nam Philosophi Naturales ex una materia generabant multa per quamdam formarum successionem, quia materia modo est sub una forma, modo sub alia, prima jam corrupta; una autem forma unum solum et semel constituit totum compositum generatum, nec potest esse successive in diversis, cum corrumpatur ad corruptionem compositi; ex quo apparet evidenter quod una materia respicit potentialiter et successive plures formas, et non e converso; quare rationabilius est ponere unitatem ex parte materiæ, et pluralitatem ex parte formæ, quod faciebant antiqui Naturales, quam e converso ponere unitatem formæ, et pluralitatem ex parte materiæ, quod faciebat Plato. Deinde cum dicit :

Antiqui ponebant materiam rerum naturalium, aliquod corpus.

Rationabilius est ponere pluralitatem ex parte formæ quam materiæ.

SUMMARIUM.

Expenditur motivum Platonis, et ad quod genus causæ principia ab eo designata reducuntur.

Videtur autem ex una materia una mensura.

Speciem autem quam inducit unus existens multa facit, similiter quoque sic se habet masculus ad fœminam; hæc autem ab uno impletur coitu, masculus vero multas implet, quamvis hæ immutationes principiorum illorum sunt. Plato quidem igitur de quæsitis ita definit. Text. com. 9.

Recitat rationem, qua movebatur Plato ad sic ponendum, quæ sumitur a signo. Dicit ergo, quod *videtur*, scilicet Platoni *ex una materia esse una mensura*, id est, quod unum recipitur in aliquo secundum unam mensuram recipientis; nam diversæ receptiones habent ortum ex diversa ratione, vel mensura recipientium : una ergo materia quæ est receptiva formarum, habet tantum unam mensuram, scilicet rationem recipiendi, quia diversitas rerum et formarum, habet ortum ex diversitate materiæ et non ex diversitate efficientis formam inducentis, quia unum efficiens multas formas ex materia

Cur Plato posuit pluralitatem ex parte materiæ, et unitatem ex parte formæ.

alia, et alia generare potest. Unde subdit : *Speciem autem quam inducit*, scilicet agens, *unus existens multas facit*, quod declarat per simile ; *similiter quoque sic se habet masculus ad fœminam,* sicut supple agens ad materiam ; *hæc enim* fœmina *ab uno*, motu, id est, ab uno actu masculi agentis *impletur*, id est, imprægnatur, *ille vero,* scilicet masculus agens, *multas*, supple fœminas *implet ; tales ergo mutationes*, seu participationes, seu *influentiæ illorum principiorum sunt*, quas scilicet ponebat Plato ; hoc enim nomen immutationes accipit a Pythagoricis, ut superius fuit dictum, vel aliter, quia Plato mutavit opinionem de principiis, quam opinionem habuerunt primi Philosophi Naturales. Concludit ergo, *Plato de quæsitis*, scilicet causis rerum, *ita definit,* et determinat.

Notandum, quod ista diversitas inter Platonem et alios Philosophos Naturales, orta est ex diverso modo considerandi. Philosophi enim Naturales considerabant sensibilia subjecta transmutationi, in quantum idem subjectum subjicitur contrariis successive, qui posuerunt unitatem subjecti et diversitatem formæ, sed Plato ex consideratione universalium descendebat ad ponendum principia sensibilium ; quia igitur causa distinctionis singularium sub specie universali, est aliqua entitas positiva, scilicet differentia, sive proprietas individualis, quæ largo modo potest dici materia, eo quod constituit rem in esse maxime susceptibili, quod est conditio materiæ, quia inquam sic est ; ideo Plato forsan unitatem posuit ex parte formæ, et pluralitatem ex parte materiæ. Deinde cum dicit :

Quare differentia individualis dicitur materia ? vide Scotum q. 2. quodlibeti et 3. dist. 2. et 7. metaph. q. 13.

Palam igitur ex dictis quia duabus causis solum est usus, ipsa quæ est ejus quod quid est, et ipsa materia ; species enim ejus quod quid est causa sunt aliis. Speciebus vero unum. Et quæ materia subjecta de qua species ; hæc quidem in sensibilibus ; hæc autem in speciebus. Unum vero in speciebus dicitur, quia hæc dualitas est magnum et parvum. Amplius boni et mali causam dedit elementis singulis. Singulare quidem magis dicimus priores investigare quosdam Philosophorum ut Empedoclem, et Anaxagoram. 66.

Ostendit ad quod genus causæ principia a Platone posita reducantur. Dicit ergo quod *palam est dictis, quia Plato*, scilicet *usus est solum duabus causis ; ipsa* scilicet *quæ est ejus quod quid est*, id est, forma, *et ipsa quæ est secundum materiam*, quod declarat, cum subdit : *Species enim,* id est, ideæ, *sunt aliis* scilicet rebus ; *ejus quod quid est esse,* id est, causa formalis ; et *illa*, scilicet materia, est *materia subjecta*, *de qua sunt species*, scilicet magnum et parvum ; patet enim ex prædictis, quod sicut ipsum unum ponebant causam formalem ipsarum idearum, ita magnum et parvum ponebant causam materialem earumdem ; et *hæc quidem*, scilicet causa materialis et formalis, non solum supple sunt in ipsis ideis, *sed etiam in sensibilibus. Unum enim in speciebus dicitur*, quod supple eodem modo se habet ad sensibilia, sicut ipsum unum ad ipsas species sive ideas, quia *eadem est dualitas*, quæ respondet sensibilibus pro materia. Addit autem quod *amplius*, scilicet Plato, *assignavit causam ejus quod est bene et male singulis elementis,* scilicet ab eo positis, et hoc sic, nam causam boni

Ad quo genus cau- sæ perti- nent prin- cipia a Pl- tone assi- gnata.

adscribebat ideæ specierum, causam vero mali ipsi materiæ; *quod magis dicimus investigasse priores quosdam Philosophorum, ut Anaxagoram et Empedoclem.*

Notandum autem, quod secundum opinionem Platonis, sicut ipsum unum erat causa formalis ipsarum idearum, magnum autem et parvum causa materialis, sic respectu sensibilium ipsam ideam quæ habet rationem unius, ponebat ut causam formalem, et magnum et parvum causam materialem; sic quod tam hîc, quam ibi esset semper unitas ex parte formæ, et dualitas ex parte materiæ.

Notandum etiam, quod Plato visus est assignare causam boni et mali in rebus, nam causam boni attribuebat ideæ, quæ se tenet ex parte formæ, et causam mali attribuebat magno et parvo, quæ se tenent ex parte materiæ. Quidam etiam primorum Philosophorum conati sunt dare causam boni et mali, ut fuerunt Anaxagoras et Empedocles, qui conati sunt assignare causam boni et mali, ut patet ex prædictis, et in hoc quod tangebat causas boni et mali, ad ponendum causam finalem aliqualiter accesserunt, licet per accidens, et non per se, ut in fine dicetur. Tunc sequitur illa pars :

SUMMARIUM.

Recapitulat prædicta placita antiquorum Philosophorum explicans qualiter singuli, etsi insufficienter, tetigerunt quatuor genera causarum, discurrens per singulas causas, tandem concludit utilitatem inquisitionis factæ, de opinionibus antiquorum.

Text. com. 10. Brevibus igitur summatimque narravimus, quinam, et quo pacto de principiis veritateque dixerunt. Verumtamen tantum ex his habemus, neminem inquam de principio causaque dicentium præter ea, quæ in hisce quæ de natura sunt a nobis determinata, dixisse.

Ubi postquam Philosophus recitavit opinionem antiquorum de causis rerum, nunc sub quodam compendio recolligit breviter quæ dicta sunt ab eis, ostendens quod in suis opinionibus prædicta quatuor causarum genera tetigerunt. Circa quod tria facit. Primo ostendit, quod antiqui præter dictas causas nullam aliam posuerunt in genere causæ. Secundo ostendit, quomodo eas omnes aliqualiter tetigerunt. Tertio, ex dictis concludit utilitatem hujus inquisitionis factæ de opinionibus antiquorum. Secunda ibi : *Sed omnes obscure*, vel secundum aliam litteram : *Tenuiter quidem.* Tertia ibi : *Ergo quia recte.* Dicit ergo *breviter* et capitulariter, id est, sub quodam capitulo et compendio *pertransivimus*, id est, diximus, *qui* Philosophi, et *quomodo dixerunt de principiis rerum, et de veritate*, quantum, scilicet ad ipsarum rerum substantiam; *attamen ab eis tantum habemus*, quod *dicentium*, id est, de numero determinantium, *de principio et causa rerum nullus,* supple alius dixit esse principium, et causam *præter ea*, scilicet principia et causas, *quæ determinata sunt in Physicis* scilicet 2. Phys. text. com. 28. et inde, ut statim inferius apparebit. Deinde cum dicit : 67.

Sed omnes obscure quidem illa tamen tetigisse videri.

Ostendit quomodo dictas quatuor causas aliqualiter tetigerunt. Circa quod duo facit. Primo proponit,

quod obscure et insufficienter eas tetigerunt. Secundo declarat qualiter eas in speciali tetigerunt. Secunda ibi : *Illi namque*. Dicit ergo, quod licet antiqui quatuor causas tetigerunt, et non solum nihil addiderunt, sed omnes videntur appropinquare illis non manifeste, sed obscure. Ratio istius obscuritatis et insufficientiæ est, quia non assignaverunt, secundum quod genus causæ essent rerum causæ principia posita ab eis, sed solum simpliciter et absolute illa posuerunt, quæ tamen possunt reduci ad aliquod genus causæ. Deinde cum dicit :

Quidam enim ut materiam principium dicunt, sive unum, sive plura supponant, et sive corpus, sive incorporeum id ipsum ponant, veluti Plato quidem magnum dicens ac parvum, Italici autem infinitum, Empedocles vero ignem, terram, aerem atque aquam ; et Anaxagoras eorum quæ sunt similium partium infinitationem. Hi igitur omnes talem causam tetigerunt, et insuper qui aerem, aut ignem, aut aquam ; aut igne quidem densius, aere vero subtilius posuere. Sunt enim qui primum elementum tale esse dixerunt, atque hi solum hanc causam tetigere.

Declarat qualiter eas in speciali tetigerunt. Circa quod quatuor facit. Primo ostendit quomodo tangebant causam materialem. Secundo, quomodo effectivam. Tertio, formalem. Quarto, finitivam, id est, finalem. Secunda ibi : *Alii vero*. Tertia ibi : *Quod quid erat esse*. Quarta ibi : *Cujus vero causa*. Dicit ergo quod illi namque, scilicet Philosophi priores, *dicunt principium quasi materiam*, id est, omnes in hoc conveniunt, quod ponunt principium materiale rerum, differunt tamen in duobus. Primo, quia *aliqui unum* ; *aliqui uno plura supponunt*, scilicet esse principia materialia. Patet enim ex prædictis, quod aliqui posuerunt principium materiale unum, puta Thales et Diogenes ; quidam plura, ut Empedocles et Anaxagoras. Secundo differunt, quia principium illud materiale quidam posuerunt corpus, ut Empedocles et alii prædicti. Quidam posuerunt incorporeum, *ut Plato dicens magnum et parvum*, quæ scilicet non significant aliquod corpus. *Italici vero*, id est, Pythagorici ponunt *infinitum*, quod supple similiter non est corpus. Et *Empedocles* ponit supple principia materialia, *ignem, aquam, terram et aerem. Anaxagoras infinitatem similium partium*, id est, infinitas partes similes ; patet ergo quod Empedocles et Anaxagoras posuerunt principia materialia corporea ; unde subdit, quod *hi omnes*, id est, prædicti, *sunt tangentes talem causam*, scilicet materialem, et non solum isti, sed amplius quicumque supple ponunt principium rerum, *aut ignem, aut terram, aut aerem, aut aquam, aut aliquid spissius igne et subtilius aere. Etenim* pro quia, *quidam quoddam tale dixerunt esse primum elementum* rerum, sicut fuit forsan Heraclitus, qui posuit principium rerum vaporem, ut habetur primo de Anima ; per vaporem forsan intelligens aliquod corpus medium inter aerem et ignem, quod scilicet erat densius igne et rarius aere. Concludit ergo, quod *eam solam causam*, scilicet materialem *hi*, id est, prædicti Philosophi *tetigerunt*. Deinde cum dicit :

Ostendit quomodo antiqui tangebant causam materialem.

Quidam autem, et eam unde est principium motus, ut qui concordiam discordiamve vel mentem, vel cupidinem, principium faciunt. 68.

Quomodo tangebant causam efficientem !

Ostendit quomodo tangebant causam efficientem. Dicit ergo quod alii vero, supple cum causa materiali, simul ponebant principium unde motus, id est, causam efficientem; ut quicumque faciunt principium rerum amorem, et odium, sicut Empedocles; aut intellectum, sicut Anaxagoras; aut aliquid extra hoc, id est, præter hoc, sicut fuit Parmenides, qui posuit ignem, vel calorem, ut superius fuit dictum. Deinde cum dicit :

Quidditatem vero substantiamve dilucide quidem nemo reddidit, maxime vero hi dicunt, qui formas ponunt. Neque enim, ut materiam sensibilium, neque ut causam unde est principium motus, formas ipsas et ea quæ sunt in formis esse existimant; immobilitatis enim causam magis, et ut res sint in quiete formas inquiunt esse; sed quidditatem formæ quidem cæterorum cuique præstent, ipsum autem unum formis.

Quomodo tangebant causam formalem.

Ostendit quomodo tangebant causam formalem, et dicit *quod quid erat esse, et substantiam*, id est, formalem quæ principaliter dicit esse rei et substantiam; *nullus plane dedit*, id est rebus assignavit; *maxime autem appropinquant*, ad ponendum causam formalem, qui *species*, id est, ideas *posuerunt*, et eas rationes in speciebus ponunt, quæ sunt unitas et numerus, et alia hujusmodi quæ ad ipsas species, id est, ideas videntur pertinere, et talia hujusmodi, quæ scilicet sunt in speciebus; *nec*, scilicet ponunt, *ut materiam sensibilibus, nec ut hoc proveniens*, id est, ipsis rebus *principium motus*. Vult dicere quod tales rationes, quæ pertinent ad ideas, puta unum et numerus, non sunt principium rebus sensibilibus, ut materia, nec ut principium unde motus; unde subdit, quod *immobilitatis dicunt esse magis causas, et ejus quod est in quiete;* quidquid enim necessarium in sensibilibus invenitur, *dicebant* hoc causari ex ideis, *et ipsas* ideas *in quiete*, et sine motu esse, ut sic de eis uniformiter se habentibus possent demonstrationes scientificæ fieri, et definitiones assignari. Subdit autem, quod ipsæ species præstant singulis aliorum, id est, rebus singularibus quod qui erat esse, id est quidditatem, sicut speciebus unum, id est, quod sicut ipsum unum est *quod quid est* idearum, sic ideæ sunt *quod quid* est singularium sensibilium.

Notandum, quod licet antiqui Philosophi tangerent aliquid pertinens ad formam rei, sicut Empedocles, qui posuit os et carnem, et hujusmodi consistere in quadam ratione, et quadam proportione elementorum, ut habetur expresse 1. de Anima, text. 25. et 59. et inde non tamen hoc, quod pertinet ad formam rei ponebat per modum causæ; et ideo dicit Philosophus, quod nullus plane posuit, *quod quid erat esse*, et substantiam in rebus, id est causam formalem. Deinde cum dicit :

Id vero gratia cujus actiones, mutationes, motusque fiunt, aliquo quidem modo causam esse dicunt. Sic autem non dicunt, nec eo modo quo sua natura flagitat, qui namque mentem, aut concordiam dicunt, ut bonum quidem hasce causas ponunt, non tamen, ut horum gratia quidquam sit eorum, quæ sunt aut fiat; sed ut ab his horum profluant motus. Similiter et hi qui et id quod est, aut ipsum unum, talem naturam inquiunt esse. Causam quidem illud esse substantiæ, non tamen hujusce gratia esse, vel fieri dicunt; quare partim dicunt, partim non dicunt, ipsum bonum

causam esse, non enim simpliciter, sed per accidens dicunt.

69. Ostendit quomodo tangebant causam finalem. Dicit ergo, quod Philosophi *cujus causa*, id est, causam finalem *propter quam fiunt actus, et transmutationes, et motus modo quodam dicunt;* ita vero, id est, alio modo, non dicant, nec quod vere natum est, id est, nec quando est vere causa; nam hi dicentes causam esse intellectum ut Anaxagoras, aut amorem ut Empedocles, *ponunt esse causas, ut bonum quidem*, id est, ut causas boni, et tamen non finalis; bonum autem potest intelligi dupliciter. Uno modo sicut causa finalis, inquantum in aliquid fit gratia alicujus boni. Alio modo per modum causæ efficientis, ut quando dicimus, quod bonus artifex facit bonum opus; dicti vero Philosophi posuerunt bonum, ut causam non sicut finem, sed sicut efficiens; unde subdit, quod supple isti *ponunt bonum causam, non quod gratia horum*, scilicet bonorum, quæ ponunt causas, *aut existens, aut factum aliquid entium*, id est, quod non gratia illius boni aliquid existat, vel fiat, quod pertinet ad causam finalem, *sed ut ab his*, scilicet bonis, quæ ponunt causas horum, scilicet entium, quæ fiunt, vel existunt, *procedat motus* quidem ad esse, et fieri rerum, quod pertinet ad rationem causæ efficientis. Intellectus ergo et amor si sunt causæ rerum secundum opinionem illorum, non erunt causæ in ratione finis, sed in ratione moventis. *Similiter autem dicentes causas esse unum et ens*, ut Pythagorici et Platonici, cui, scilicet uni et enti attribuebant rationem boni, *talem naturam dicunt quidem esse substantiam*, id est, per modum causæ formalis, ut dicebat Plato; vel per modum materiæ, ut dicebant Pythagorici, *non tamen dicebant hujus causa, aut esse, aut fieri aliquid in rebus*. Vult dicere quod Plato et Pythagorici ponentes unum et ens esse rerum principia non dixerunt ea esse, cujus causa alia sint vel fiant, quod pertinet ad causam finalem; sed posuerunt ea pertinere ad substantiam rei, sive ut materia, ut dicebant Pythagorici, sive ut forma, ut dicebat Plato. Concludit ergo, *quare dicere et non dicere, modo quodam accidit eis, bonum causam esse, et modo quodam non;* unde subdit : *non enim simpliciter, sed secundum accidens dicunt.*

Quomodo tangebant causam finalem?

Notandum, quod bonum secundum propriam rationem habet rationem finis, nam bonum est, quod omnia appetunt ex 1. Ethic. cap. 1. illud autem in quod tendit appetitus, videtur habere rationem finis; hic ergo ponit bonum esse causam simpliciter, qui ponit ipsum esse causam finalem; ille vero qui attribuit bono alium modum causalitatis, ponit ipsum esse causam per accidens; quia non secundum propriam rationem boni, sed ratione ejus, cui accidit esse bonum, puta ex hoc, quod est esse activum, vel motivum. Unde patet, quod prædicti Philosophi ponebant bonum esse causam per accidens, quia posuerunt bonum in genere causæ efficientis, et non in genere causæ finalis; ponebant enim pro causa illud cui convenit esse finem, scilicet, ipsum bonum, ut patet ex prædictis. Deinde cum dicit:

Bonum ... bet rati... nem fini...

Quod quidem igitur recte determinatum est de causis, et quot, et quæ nobis testimonium præbere videntur, et hi omnes aliam causam tangere non valentes. Adhuc autem quia quærenda sunt principia, aut sic omnia, aut horum aliquo modo. Palam quomodo etiam horum unusquisque dixit et quomodo habent de principiis. Contingentes autem dubitationes post hoc pertranseamus de ipsis.

Text. c. 11.

Utilitas inquisitionis factæ de opinionibus antiquorum est duplex.

Concludit ex dictis utilitatem inquisitionis factæ de opinionibus antiquorum, et ponit duplicem utilitatem : prima est, quod ipsi testimonium præbent non esse aliud genus causæ a quatuor supra dictis. Unde dicit : *ergo, quia recte definitum est*, scilicet a nobis *de causis quot sunt*, quantum ad numerum, et *quæ* quantum ad substantiam, *testimonium nobis videntur præbere, et hi omnes*, scilicet Philosophi prædicti, *aliam causam addere non valentes*, scilicet, ad quatuor supra dictas. Secunda utilitas est, quod ex dictis patet, quod principia rerum sunt quærenda in ista scientia. Unde dicit, *adhuc autem* supple est manifestum ex dictis, quia *quærenda sunt principia* in ista scientia, *aut sic omnia*, quæ scilicet antiqui posuerunt, *aut horum aliquod, et aliquo modo ;* maxime enim hæc scientia considerat causam formalem et finalem, et aliquomodo etiam moventem ; ergo omnes causas modo præexposito circa principium tractatus hujus primi libri. Iterum *palam est quomodo quilibet* Philosophorum *dixit, et quomodo de principiis habent* quæstiones, id est, *dubitationes contingentes;* patet enim aliqualiter ex dictis, quilibet eorum in quo dixit bene, et in quo male ; subdit autem, quod *post hoc oportet de eis pertranseamus*, id est, opinionem eorum pertractemus, ut sic magis pateat in quo bene, et in quo male dixerunt ; quod dicit propter sequens capitulum, in quo disputat contra opiniones prædictorum Philosophorum, quorum opiniones sunt superius recitatæ.

SUMMA TERTIA.

Antiquorum opiniones de rerum causis, ac principiis confutantur.

In hac summa continentur tria capita, quibus Philosophus opiniones superius recitatas de rerum principiis, impugnat. In prima parte cap. I. usque ad §. *Idem igitur*, refutat ponentes unum principium corporeum, contra quos tres rationes adducit in communi, postea specialibus rationibus eos impugnat. Primo redarguit, quod omiserint ignem. Secundo quod terram.

CAPUT I.

Adversus eos qui unum, et eos qui plura principia corporea omnium rerum statuebant.

Quicumque quidem igitur unum ipsum esse, et unam quamdam naturam esse, et materiam ponunt et eam corpoream, ut magnitudinem habentem, palam quia multipliciter delinquunt. 70.

Postquam Philosophus opiniones antiquorum de causis et principiis recitavit, nunc contra eas incipit disputare, unde ista pars dividitur in duas. Primo disputat contra opiniones dictas. Secundo concludit intentum, et continuat se ad dicenda. Secunda ibi : In fine hujus primi : *Quoniam ergo dictas.* Circa primum duo facit. Primo disputat contra eos, qui principia rerum corporea ponebant, et magis Physice loquebantur. Secundo contra eos, qui principia rerum incorpo-

rea ponebant, et minus Physice loquebantur. Secunda ibi : *Quicumque vero de omnibus.* Prima in duas, nam primo disputat contra ponentes principii unitatem. Secundo contra ponentes principiorum pluralitatem. Secunda ibi : *Idem quolibet.* Prima in duas. Quia primo in generali. Secundo magis specialiter disputat contra eos. Secunda ibi : *Et adhuc facile.* Prima in duas. Primo proponit, quod ponentes unum principium materiale multipliciter deliquerunt. Secundo ponit rationes contra eos. Secunda ibi : *Corporum elementa.* Dicit ergo quod *quicumque ipsum omne*, id est, universum ponunt *unum esse, et unam quamdam naturam,* id est materiam, *et eam corpoream et magnitudinem*, id est dimensionem *habent*, *palam* supple ex dictis, *quia multipliciter deliquerunt.* Deinde cum dicit :

Disputat contra antiquos ponentes unum principium materiale.

Corporum enim elementa ponunt solum, incorporeorum vero non existentibus et incorporeis.

Ponit tres rationes contra eos. Secunda ibi : *De generatione vero.* Tertia ibi : *Amplius autem non substantiam,* etc. In prima parte talem innuit rationem : Quicumque omnibus entibus principia habentibus, principia non assignat, insufficienter de principiis opinatus est, sed ponentes tantum unum principium materiale sunt hujusmodi ; ergo etc. Minorem probat, quia principium corporeum non potest entibus incorporeis applicari ; sed multa sunt entia incorporea, quæ scilicet habent principia ; ergo omnibus entibus principia habentibus, principia non assignant ; ergo insufficienter loquuntur de principiis. Dicit ergo, quod *corporum enim elementa,* id est principia *ponunt solum,* scilicet dicti Philosophi ; *incorporeorum autem non existentibus, et incorporeis*, id est, licet sint entia incorporea, principia non assignant. Deinde cum dicit :

De generatione quoque et corruptione causam dicere conantes, et de omnibus Physice tractantes, motus causam auferunt.

Ponit secundam rationem, quæ potest sic formari : Quicumque in sui positione necessario præsupponit motum, tractans de principiis debet principium motus assignare ; sed isti necessario supponebant motum esse, quod patet : tum quia causas generationis et corruptionis supponebant, quæ vel sunt motus, vel sine motu esse non possunt ; tum quia de rebus naturalibus anturaliter pertractabant ; Naturalis autem præsupponit motum ; ergo debuerunt motus principia assignare, sed non fecerunt, quia non assignabant causam efficientem, quæ est principium unde motus ; ergo insufficienter de principiis tractaverunt. Dicit ergo, quod *de generatione et corruptione causas dicere conantes,* scilicet antiqui *de omnibus Physice*, id est, naturaliter *tractantes*, *motus causam auferunt*. Deinde cum dicit :

Amplius autem substantiam nullius posuere causam, nec quod quid est.

71. Ponit tertiam rationem, quæ talis est : Res naturalis non tantum constat ex materia, sed etiam ex forma ; ergo ipsi cum formam non posuerunt causam, sive principium rerum, insufficienter de causis naturalium dixerunt. Dicit er-

go, quod *amplius nec substantiam*, id est, formam, *ponere causam nullus*, supple voluit, *nec ipsum quod quid est*, quod est idem.

Forma vocatur substantia rei, et quod quid est, et quare? Notandum, quod rei formam vocat rei substantiam et quod quid est; substantiam quidem, inquantum ipsa est principale principium subsistendi; quod quid autem, inquantum est principium cognoscendi; nam quod quid est, est objectum intellectus, ex 3. de Anima. Vel aliter substantiam, inquantum est principalius principium essendi; quod quid est, inquantum est principalius principium definiendi, nam principalior pars definitionis est differentia, quæ a forma rei sumitur. Deinde cum dicit :

Text. c. 12. Et ad hoc facile esse quodcumque simplicium corporum principium, excepta natura, non considerantes eam quæ ex invicem generationem, aliqualiter faciunt. Dico autem ignem, et aquam, et terram, et aerem, hæc quidem enim congregatione, illa vero disgregatione ex ad invicem fiunt; hoc autem ad prius esse et posterius Text c. 13. plurimum differunt. Aliqualiter enim utique videbitur maxime elementare esse omnium, ex quo primo fit congregatione, tale vero est, quod minutissimæ partis et subtilissimum est corporum; unde quicumque ponunt ignem principium, maxime confesse rationi huic dicunt, tale vero et aliorum unusquisque confitetur elementum esse quoddam corporum : Nullus enim posteriorum, et unum dicentium terram elementum esse voluit, palam quia propter magnitudinem partialitatis. Text. c. 14. Quodlibet autem trium elementorum judicem quemdam accepit ; hi namque ignem; illi vero aquam; alii aerem hoc esse dicunt. Sed quare terram non dicunt quemadmodum hominum multi, omnia namque terram esse dicunt. Dicit autem et Hesiodus terram primam corporum factam esse, sic enim antiquam, et popularem contingit existimationem esse. Secundum igitur hanc rationem, nec si quis horum aliquid dicit præter ignem, nec si quis aere quidem spissius hoc ponit, aqua vero subtilius, non recte utique dicet.

72.

Disputat contra eos magis in speciali. Circa quod duo facit. Primo disputat contra eos specialiter qui prætermiserunt ignem ponere principium. Secundo contra eos, qui prætermiserunt terram. Secunda ibi : *Si vero est, quod in generatione*. In prima parte quæ continet litteram prolixam, intendit talem rationem. Omnes Philosophi antiqui circa principium materiale sic se habuerunt, quod nullus eorum posuit terram esse principium per se, ideo dicit, quod omnia elementa præter terram habuerunt judicem. Ratio motiva fuit, quia de ratione principii est subtilitas et simplicitas, et quia terra est grossior inter omnia elementa, ideo nullus terram esse principium judicavit. Ad subtilitatem ergo aspicientes aliqui dixerunt illud principium esse aquam, quia ipsa est subtilior quam terra ; aliqui aerem, quia ipse est subtilior quam aqua ; aliqui ignem, quia ipse est subtilior aere : tunc sic, si subtilitas est causa ponendi aliquod principium esse, ergo quanto subtilius, tanto magis debet poni principium ; sed ignis est subtilissimum corporum ; ergo et maxime principium ; male ergo fecerunt ponentes aliquod corpus esse principium, puta aquam, vel aerem, prætermittendo ignem, et hoc est quod in tota ista littera intendit. Quare antiqui Philosophi non posuerunt terram principium materiale rerum?

Dicit ergo, resumens eorum positionem, quod *adhuc quodlibet simplicium corporum*, id est, elementorum esse quoddam *principium*, quodammodo *faciunt*, scilicet antiqui *præter terram*, quæ scilicet corpora simplicia ; *nam sunt speculantes ad invicem generationem*, id est, quæ ad in-

vicem generantur, quod exponens subdit : *Dico autem, et ignem, et aquam, et aerem, et terram,* scilicet ad invicem generari, *hæc enim congregatione, illa vero disgregatione ex ad invicem fiunt; hoc autem ad prius esse, et posterius plurimum differunt*, scilicet generari aliquid per congregationem et disgregationem. Vult dicere quod elementa spissiora et grossiora generantur ex subtilioribus per congregationem, id est, condensationem. Subtiliora autem ex grossioribus fiunt per disgregationem, id est, rarefactionem; et quia illud ex quo aliquid generatur, habet respectu ejus rationem prioris, ideo dicit, quod multum differunt hoc esse prius, vel posterius, quod sequitur, et ostendit cum subdit : *videbitur enim* nunc, scilicet alicui *elementum maxime omnium*; illud scilicet *ex quo fit primo aliquid congregatione*, id est, per congregationem et inspissationem; *tale vero*, ex quo, scilicet fit aliquid isto modo, *est minutissimæ partis, et est subtilissimum corporum*; patet ergo, quia illud ex quo fiunt alia per inspissationem, est subtilissimum, et partes habens minutissimas, oportet quod sit simplicius, et prius ipso composito; patet quod tale principium habeat rationem prioris, quod magis etiam exponit per antiquorum positiones. Subdit enim, *unde quicumque ponunt ignem principium, maxime confitendo hanc rationem dicunt,* scilicet quia est corpus subtilissimum; *tale vero* scilicet corpus subtile, *confitetur quilibet aliorum*, scilicet Philosophorum, *esse ipsum elementum*, id est, principium *corporum;* quod patet, quia *nullus præteritorum*, scilicet Philosophorum naturaliter loquentium, *unum primum dignatus est terram ponere elementum; palam* id est, propter istam rationem, scilicet *propter magnitudinem partialitatis*, id est, quia terra est magnarum et grossarum partium; *quodlibet autem trium elementorum,* scilicet aliorum a terra, *judicem quemdam accepit; hi namque ignem; hi vero aquam; alii vero aerem*, hoc scilicet unum principium *dicunt esse; sed quare non dicunt, et terram*, scilicet esse principium, *quemadmodum hominum multi, omnia namque terram esse dicunt; dicit autem, et Hesiodus terram principium fieri omnium corporum,* tanquam, scilicet principium eorum; *sic enim antiquam, et publicam,* id est communem *contingit esse suspicionem*, id est, opinionem, quod terra sit principium, et substantia omnium rerum. Vult dicere quod quare Philosophi non dixerunt terram esse principium, non fuit causa, quia fuit contra communem omnium opinionem, nam multitudo hominum hoc existimabat quod terra esset omnium substantia, sicut et ipse Hesiodus, qui unus de prioribus Poetis Theologicis dicitur fuisse. Restat ergo quod hac sola ratione posteriores Naturales negaverunt terram esse principium, propter spissitudinem et grossitudinem suarum partium; constat autem quod aer et alia elementa, et si quid etiam est medium inter ea, ut superius dicebatur, habent grossiores partes quam ignis; si ergo aliquid ponitur principium propter partium subtilitatem, multo magis ignis. Et hoc est quod concludit, *ergo secundum hanc rationem*, scilicet

Hesiod[us] principi[um] omniu[m] corporu[m] posuit te[r]ram

antiquorum, *nec si quis horum*, scilicet elementorum *aliquid dicit esse*, scilicet principium *præter ignem; nec si quis ponat aliquod* medium esse, scilicet principium, scilicet *aere spissius, aqua vero subtilius, nec recte dicit*, quia scilicet secundum illam rationem solus ignis, et nullum aliud elementum ponendum est esse principium.

73. Notandum, quod illud medium, quod antiqui ponebant principium, quidam dixerunt esse medium inter ignem et aerem; spissius quidem igne, subtilius autem aere, ut superius dicebatur; quidam vero dixerunt illud esse medium inter aerem et aquam; spissius quidem aere, et subtilius aqua, ut hîc dicitur expresse. Ratio hujus positionis esse potuit, quia antiqui Philosophi loquentes de rerum principiis, maxime loquebantur de principio materiali, puta illud unum sive plura; principium autem materiale de se non habet contrarietatem, sed est in potentia ad utrumque contrariorum. Cum igitur in extremis magis reservetur contrarietas quam in medio, ideo aliqui Philosophi posuerunt principium rerum aliquod medium altero duorum modorum dictorum, credentes ex hoc magis tangere naturam materialis principii. Deinde cum dicit:

Quare Philosophi antiqui posuerunt medium elementorum.

Si vero quod est generatione posterius natura prius, et quod est digestum, et contractum posterius generatione, horum utique erit contrarium, aqua quidem aere prior, et terra aqua. De ponentibus quidem igitur causam unam, qualem diximus, sint hæc dicta.

Tex. c. 15.

Ponit secundam rationem, quæ est contra prætermittentes terram, et potest sic formari: quod est posterius generatione, est prius secundum naturam, et per consequens magis principium; processus quidem naturalis est ab imperfecto ad perfectum; sed quod est densius et compositius, est posterius generatione, quia natura procedit in sua actione a simplicibus ad composita; ergo tale est prius natura et magis principium; ultra, sed terra est corpus densius et compositius quantum ad partium grossitiem; ergo terra magis est principium, non ergo debuit prætermitti. Dicit ergo: *si vero quod est generatione posterius, est prius natura, et quod est digestum et contractum*, id est, congregatum et spissum, *posterius est generatione, contrarium erit horum*, quæ scilicet dicta sunt; *aqua quidem est prior aere*, quia, scilicet spissior, *et terra prior quam aqua*, eadem ratione. Concludit autem, *ergo de ponentibus causam unam, qualem diximus*, scilicet materialem, *sint ea dicta*.

Posterius generatione prius secundum naturam.

Notandum, quod, ut supra dicebamus, non solum elementa spissiora ex subtilioribus generantur, sed etiam e converso; non solum enim ex terra ignis generatur, sed etiam ex igne terra; omnia enim elementa ex se invicem generantur secundum quod dicitur 2. de Generat. text. c. 7. et inde; ex ea ergo parte, qua grossiora ex subtilioribus generantur, quanto corpus est subtilius, tanto magis est ponendum principium, cum illud ex quo alia fiunt, habent principii rationem. Subtilissimum autem corpus est ignis, et sic secundum istam viam ignem ponendum est

Quomodo defecerunt dicti antiqui dupliciter ostendit.

magis necesse esse principium quam aliquod aliorum. Ex ea autem parte qua e converso subtiliora ex grossioribus generantur, et quanto corpus est grossius, tanto magis ponendum est esse principium; grossissimum autem corporum est terra, et sic secundum istam viam terra magis ponenda erat principium quam aliquod aliorum. Ex quibus patet quod cogebantur contrariis rationibus, ut diversa principia ponerent, et sic deficerent dupliciter; tum quia ignem et terram prætermittebant; tum quia dato quod ponerent principia includebant in sua positione repugnantiam manifestam, cum alias principium non ponerent nisi unum. Deinde cum dicit:

SUMMARIUM.

Refutat opinionem ponentem plura principia materialia, relatam supra num. 41. eodem communi fundamento, quo præcedentem, et ultra tribus specialibus rationibus.

74. Idem igitur, et si quis hæc plura ponit, velut Empedocles, quatuor dicit esse corpora, vel secundum naturam. Etenim huic hac quidem eadem, alia vero propria accidere necessarium est.

Disputat contra ponentes plura principia materialia, et primo contra Empedoclem, qui posuit hujusmodi principia finita, scilicet quatuor elementa; secundo contra Anaxagoram, qui præter intellectum posuit principia materialia infinita. Secunda ibi: *Anaxagoras vero.* Prima in duas. Primo proponit opinionem Empedoclis esse reprobandam. Secundo arguit specialiter contra eam. Secunda ibi: *Ex ad invicem enim.* Dicit ergo quod *idem quoque sequitur, et si quis ea*, scilicet principia materialia, *plura ponit*, id est, quod idem inconveniens sequitur contra ponentes plura, quod sequitur contra prædictas, *velut Empedocles*, qui *quatuor dicit esse corpora*, id est, esse principia; tum scilicet quia ipse non assignavit, sicut nec prædicti, principium entium incorporeum; tum quia causam formalem etiam prætermisit; tum quia propter rationes proxime supradictas debuit, vel tantum ignem, vel tantum terram principium assignare; accidunt enim etiam contra eum alia inconvenientia propria, ut dicemus, ideo dicit: *etenim ut huic hac quidem eadem, alia vero propria accidere est necesse.* Deinde cum dicit:

Contra ponentes plura principia materialia.

Ex ad invicem enim generata cernimus, quod non semper igne, et terra eodem corpore pernamente. Dictum autem est de eis in Physicis.

1. Ratio

Arguit contra eum per tres rationes. Secunda ibi: *De moventium causa.* Tertia ibi: *Ex toto.* In prima parte intendit talem rationem: Principia oportet manere, ut ostensum est 1. Physicor. text. c. 42. et inde, quia principia non debent esse ex aliis, nec ex alterutris; sed illa quatuor corpora non manent, et sunt ex alterutris, ut puta, quia videmus ea ex se invicem generari; ergo ipsa non sunt rerum principia. Dicit ergo, quod *ex se ad invicem generata cernimus*, scilicet, quatuor elementa, *quod non semper igne, et terra eodem modo manente.* Similiter autem est de aliis duobus, scilicet de aere et aqua. Subdit autem quod *dictum est in Physicis de eis*, quod sci-

Principia debent manere, nec debent esse ex aliis, nec ex alterutris.

licet oportet principia manere incorrupta. Deinde cum dicit :

Et de moventium causa, utrum unum, aut plura ponendum, nec recte, nec rationabiliter putandum esse dictum omnino.

2. Ratio. Ponit secundam rationem contra hoc, quod dixit principia effectiva esse duo et contraria, scilicet amorem et odium, et intendit talem rationem : Principium entium efficiens non est nisi unum, ut probatur 8. physicorum, text. com. 48. et inde, et 12. hujus, text. com. 43. et inde et ante, quia licet principia proxima diversorum sunt diversa, tamen principium omnium est unum tantum; sed scientia ista, et Empedocles intendit de primis rerum principiis; ergo irrationabile est ponere plura principia effectiva. Dicit ergo, quod *de moventium causa*, id est, causa movente, *utrum unum, aut plura, sint ponenda, nec recte, nec rationabiliter putandum est omnino dictum esse*, ab Empedocle. Deinde cum dicit :

Non sunt ponenda plura principia effectiva.

75. Et ex toto alterationem auferri aut necesse sic dicentibus; non enim ex calido frigidum, nec ex frigido, calidum erit. Quid enim ex hoc patietur hæc contraria, et quæ est una natura, quæ sit ignis et aqua? quod ille non ait.

3. Ratio. Ponit tertiam rationem, et arguit sic : Illa positio quæ totaliter aufert a rebus motum alterationis, est irrationabilis; sed ponere principia materialia esse quatuor, aufert totam alterationem a rebus; ergo talis positio est irrationabilis. Minorem probat, quia alteratio necessario præsupponit subjectum commune utrique terminorum, quia unum contrarium non fit aliud, nisi quatenus commune est subjectum, et subest utrique successive. Empedocles autem ponebat subjecta diversa, puta subjectum calidi ignem, et frigidi aquam; ergo ex frigido non potest fieri calidum per alterationem. Dicit ergo, quod *ex tali* positione, scilicet Empedoclis, *necesse est ex toto auferri alterationem sic dicentibus, non enim ex frigido calidum, nec ex calido frigidum erit*, supple secundum ejus viam; unde subdit, *quid enim ex hoc patietur contraria?* scilicet ut substantiam, *et quæ est natura una?* quæ sit scilicet communis igni et aquæ, supple non est dare secundum opinionem ejus, ideo dicit quod *iste hoc non ait*. Deinde cum dicit :

Ponentes quatuor principia materialia auferunt motum alterationis a rebus.

SUMMARIUM.

Refutat opinionem Anaxagoræ ponentis infinita principia, relatam supra, num. 42. de qua habetur 1. Phys. text. 32. 33. sed fatetur hunc cæteris subtilius posuisse intellectum impermixtum seu separatum, primum principium effectivum. Doctor trahit Anaxagoram ad sensum bonum sententiæ Catholicæ, de rerum principiis, conformem.

Anaxagoram vero si quis susceperit, elementa duo dicere suscipiat maxime secundum rationem, quam ille quidem non dearticulavit, secutus est enim ex necessitate dicentes eam. Text. com. 16.

Disputat contra Anaxagoram, qui præter intellectum, posuit principia materialia infinita. Circa quod duo facit. Primo proponit qualiter ejus positio potest bene et male intelligi. Secundo illud exponit. Secunda ibi : *Nam absurdo*. Dicit ergo, quod *si quis vult suscipere opinionem*, scilicet Anaxagoræ, esse veram, *elementa duo dicere*, id est, de eo quod posuit duo principia, scilicet materiam et efficiens, *suscipiat*

Contra Anaxagoram disputat.

maxime secundum rationem, quam scilicet ipse videtur secutus, qui quadam necessitate veritatis coactus, ut scilicet sequeretur eos, qui hanc rationem exprimunt, ipse vero non dearticulavit eam. Et hoc est quod dicit, *quam* scilicet rationem, *ille non dearticulavit, secutus est enim ex necessitate dicentes eam.* Vult dicere quod ejus opinio est vera quantum ad hoc quod non expressit, falsa autem quantum ad hoc quod expressit. Deinde cum dicit :

76 Nam absurdo existente taliter dicere permixta esse a principio omnia. Et quod oportet accidere impermixta præexistant, et quia non aptum est quilibet permisceri quodlibet. Adhuc autem, quia passiones et accidentia separantur a substantiis, eorumdem enim permixtio est et separatio.

Exponit quod proposuit. Circa quod duo facit, quia primo ostendit qualiter dixit male, quantum ad ea quæ expressit. Secundo qualiter bene, quantum ad ea quæ non expressit. Secunda ibi : *Tamen si quis.*

Ad evidentiam primæ partis notandum, opinionem fuisse Anaxagoræ, sicut magis apparet primo Physicorum, text. com. 32. et 33. et inde, quod a principio universi fuit unum chaos confusum, in quo erant permixta omnia, sine aliqua actuali rerum distinctione, quæ per intellectum fuerunt postea segregata et distincta, et posita in esse specifico et actuali. Contra hoc confusum chaos arguit Aristoteles breviter tangendo quatuor rationes ; tum primo, quia secundum hoc distinctio rerum, et generatio non fuisset ab æterno, sed aliquando fuissent simul omnia, quod Philosophus habet pro absurdo; ideo dicit quod supple Anaxagoras, male dixit *tanquam absurdo existente totaliter dicere secundum principium*, id est, a principio *omnia permisceri*, et quod supple non fuerit rerum distinctio et generatio ab æterno. Tum secundo, quia si sic, illud chaos haberet rationem posterioris respectu rerum distinctarum, quod est contra rationem principii, quia principium prius est principiato. Consequentia patet, quia res impermixtæ et indistinctæ ab illo chaos se habent ad ipsum chaos confusum, sicut simplex ad compositum, sed simplex prius est composito naturaliter. Dicit ergo quod, supple Anaxagoras male dicit, *et quod oportet accidere quod impermixta præexistant*, scilicet ipsi chaos confuso et permixto. Tum tertio, quia non quodlibet est aptum permisceri cuilibet, ut ostensum est primo de generatione, text. com. 82. et inde, sed quorum est alteratio mutua, quia mixtio est mixtibilium alteratorum vicissim. Dicit ergo, quod supple Anaxagoras male dixit, ponendo in illo chaos quodlibet cum quolibet esse mixtum, *et non aptum natum est quodlibet cuilibet permisceri.* Tum quarto, quia si sic, ergo accidentia possunt naturaliter a subjecto separari, quod est absurdum. Consequentia patet, quia eorum est separatio quorum est mixtio. Anaxagoras autem posuit quod omnia accidentia cum substantiis essent simul mixta in illo chaos confuso, et per consequens possunt ab invicem separari; et hoc est quod dicit, quod supple Anaxagoras male dixit, *quia adhuc* quod sequitur contra eum

Opinio Anaxagoræ ponentis a principio unum chaos confusum refutatur.

Simplex e prius con posito.

Mixtio quid ?

quod passiones, et accidentia a substantiis separantur, eorumdem enim est permixtio et separatio. Deinde cum dicit :

Text. com. 17. Tamen si quis prosequitur dearticulans quæ vult dicere, forsan apparebit mirabilius dicens? quando namque nihil erat discretum, palam quia nihil erat verum dicere de substantia illa. Dico autem quod neque album, neque nigrum, aut fuscum, aut alium colorem, sed non colorata erant ex necessitate, horum enim colorem aliquem haberet. Similiter autem et sine sapore eadem hac ratione, nec aliud similium quidquam, nec enim quale aliquid id possibile esse, nec quantum, nec quid; aliqua enim in parte dictarum specierum inesset utique ei, sed hoc impossibile permixtis omnibus, jam enim discreta essent.

77. Ostendit qualiter ejus positio bene potest intelligi, quantum ad ea quæ non expressit. Circa quod tria facit. Primo ostendit quod ipse magis accessit ad naturam principii materialis. Secundo quod subtilius tetigit naturam principii effectivi. Tertio excusat de prolixiori harum opinionum perscrutatione. Secunda ibi : *Sed permixta.* Tertia ibi : *Verum quidem, et hi.* Dicit ergo, quod licet male dixerit quantum ad ea quæ expressit, *tamen si quis prosequitur ejus*, scilicet opinionem *articulans*, id est, articulariter inquirens, *quæ vult dicere*, quantum scilicet ad suam intentionem, licet verbis exprimere nesciret, *forsan apparebit dicere mirabilius*, id est, subtilius aliis supple Philosophis antiquis, quia supple magis accessit ad naturam materiæ. *Quando namque nihil erat discretum*, vel distinctum, sed supple omnia in illo chaos erant mixta, *palam; quia nil erat verum dicere*, puta *de illa substantia*, scilicet mixta quam ponebat, scilicet rerum materiam, quod exponit primo in coloribus dicens : *dico autem nec album, nec nigrum, nec cæruleum, nec alium colorem,* supple contingebat de illa substantia prædicari, ut si diceretur alba vel nigra, nam alias talis color non esset cum rebus aliis permixtus; *sed nec colorata erant, ex necessitate enim horum*, scilicet specialium *colorum aliquem haberet*, idest, non solum de ista substantia aliquis color specialis non poterat prædicari, sed nec etiam color, quia de quocumque prædicatur genus, necesse est de eo aliquam illius speciem generis prædicari, 2. Topic. cap. 10. Si igitur illa substantia non est alba, nec nigra, etc. sequitur quod nec sic esset colorata. Similiter autem est de aliis generibus, unde subdit : *Similiter autem, et sine sapore erit illa substantia, eadem quoque ratione nec aliud similium;* unde nec ipsa genera prima de illa substantia poterant prædicari, puta Substantia, Quantitas, Qualitas, etc. quia si sic, necesse esset aliquam specierum illorum primorum generum de illa substantia prædicari, quod est impossibile, quando omnia sunt permixta. Rationem subdit : *nihil enim nec quale, aliquid id esse possibile, nec quantum, nec quid; aliqua enim in parte dictarum specierum inesset ei,* scilicet substantiæ illi, *sed hoc est impossibile permixtis omnibus*, id est, cum omnia simul sint permixta; *jam enim discreta essent*, id est, distincta et non mixta, illa scilicet quæ de tali substantia possunt distincte prædicari.

Quomodo salvari potest opinio Anaxagoræ?

Notandum quod talis est natura materiæ, ut nullam formam actu habeat, quæ de ipsa possit actu prædicari, sed habet omnes in potentia, ex hoc ergo quod Anaxago-

Nulla forma potest prædicari de materia

ras sic locutus est de illo chaos mixto et confuso, sicut fuit dictum ad naturam materiæ videtur approximasse multum. Est tamen aliqua differentia, quia mixtum illud quod ponebat, licet non esset actu aliquod eorum quæ in ipso dicebantur permisceri; nihilominus tantum ponebatur aliquid esse actu, quod de ipsa materia dici non potest, si de se naturaliter consideretur, et suis propriis naturalibus relinquatur. Deinde cum dicit:

78. Text. com. 18. Dicit autem permixta omnia præter intellectum, hunc autem impermixtum solum et purum. Ex his itaque accidit ei dicere principia ipsum unum; hoc enim simplex, et impermixtum et alterum quale ponimus indeterminatum, antequam determinetur, et quamdam speciem participet. Quare dicit quidem non recte, nec plene, videtur tamen aliquid dicere simile posterius dicentibus, et nunc apparentibus magis.

Anaxagoras subtilius tetigit materiam principii effectivi quam alii.

Ostendit, quod præ aliis subtilius tetigit naturam principii effectivi, quod posuit intellectum. Dicit ergo quod *permixta dicit esse omnia*, scilicet Anaxagoras, *præter intellectum, et hunc*, scilicet intellectum *dicit impermixtum solum, et purum; ex his autem accidit*, id est, *ei*, Anaxagoræ, scilicet *dicere principia,* supple duo; *unum ipsum*, scilicet intellectum, quem ponit simplicem et impermixtum, et esse supple principium in genere causæ efficientis; *et alterum,* scilicet *indeterminatum*, id est, mixtum et confusum, *quale nos*, scilicet *ponimus materiam, antequam determinetur, et quamdam speciem*, id est, aliquam formam, *participet;* materia enim prima de se est indeterminata, nisi specificetur per aliquam formam, cum in potentia sit ad omnes. Concludit ergo *quare nec sic Anaxagoras dixit recte, nec plane*, scilicet quantum ad ea quæ expressit, *videtur tamen aliquid dicere propinquum dicentibus posterius, et nunc magis apparentibus*, id est opinionibus Aristotelis et Platonis, quæ sunt veriores et magis apparentes quantum ad id, quod recte de prima materia, et de primo principio tradiderunt.

Notandum quod opinio Anaxagoræ posset trahi ad bonum sensum, et ad Theologicam veritatem; nam secundum Scripturam et Doctores a principio creationis mundi fuit creata materia prima, non sub aliqua determinata et specifica forma, sed erat quædam massa confusa et mixta, pertingens scilicet a centro terræ usque ad circumferentiam primi cœli, quod Empyreum, sive cristallinum nominatur; et illa massa, ut habetur Genes. primo, aliquando nomine terræ, aliquando nomine abyssi, aliquando nomine aquarum nominatur. De ista autem massa factæ sunt res distinctæ, secundum opera sex dierum, et hoc ab intellectu divino puro et immixto, unde ibidem Genes. primo, dicitur, quod *Spiritus Domini ferebatur super aquas,* eo modo quo, scilicet intellectus artificis fertur super lignum, et aliam materiam, ut ex ea fabricet artificialia, et hæc est veritas Catholica. Ad propositum, si Anaxagoras forsan per illud chaos confusum intellexit materiam primam, sic creatam, et per intellectum immixtum et purum, intellexit divinum intellectum, verissime opinatus est de rerum principiis, quare non immerito aliis Philoso-

Qualit[er] opinio[n] Anaxago[ræ] concorda[ri] potest ve[ri]tati Cath[o]licæ.

Spiritu[s] Domini f[e]rebatur s[u]per aqu[as] quomod[o] intelliga[tur].

phis hîc præfertur. Deinde cum dicit :

Verum hi quidem his, qui circa generationem sermonibus, et corruptionem, et motum proprii sunt solum. Verum namque circa talis substantiæ principia, et causas quærunt solum.

Excusat se de prolixiori perscrutatione opinionum prædictarum, dicens : *Verum* pro sed, *sed quidem quia hi*, scilicet sermones dictorum Philosophorum, *sunt proprii ipsis sermonibus*, scilicet naturalibus, *qui sunt circa generationem, et corruptionem, et motum,* ideo supple pertractare opiniones istas ad Physicum magis pertinet quam ad scientiam præsentem ; unde subdit, *fere, verum namque solum quærunt,* scilicet dicti Philosophi, *principia et causas talis substantiæ,* scilicet generabilis, corruptibilis et mobilis, de qua est ipsius Philosophi Physici speculari. Dicit autem *fere*, quia de aliis substantiis non curabant, licet quædam principia ab eis posita possent ad alia extendi, ut patet maxime de intellectu, quem Anaxagoras posuit ; quia igitur non posuerunt principia communia omnibus substantiis, quod pertinet ad scientiam præsentem, sed principia substantiarum corruptibilium tantum, quod pertinet ad Philosophiam naturalem, idcirco pertractare eorum opiniones potius est illius negotii quam præsentis, ideo non est amplius curandum de istis.

SUMMÆ TERTIÆ
CAPUT II.

Discutiuntur opiniones ponentium principia rerum incorporea.

SUMMARIUM.

In hoc capite usque ad §. *Qui vero ideas* 18. refutat Pythagoricorum sententiam relatam supra, num. 51. ponentem numeros principia rerum (quam tamen in quibusdam præfert opinioni antiquorum Naturalium, qui scilicet, solum entia sensibilium admittebant) tribus rationibus, quas bene explicat Doctor.

Quicumque vero de omnibus existentibus faciunt Theoricam, existentium autem hæc quidem sensibilia; illa vero insensibilia ponunt, palam quia de utrisque generibus perscrutationem faciunt. Propter quod magis utique immorabitur aliquis, de eis quid bene, aut non bene dicunt, ad præsentem nobis propositorum perscrutationem. 79.

Disputat contra ponentes principia rerum incorporea.

Postquam Philosophus disputavit contra eos, qui principia rerum aliqua corporea ponebant, et magis Physice loquebantur, nunc disputat contra ponentes principia incorporea, et qui minus Philosophice sunt locuti. Circa quod duo facit. Primo ostendit, quod consideratio harum opinionum magis spectat ad præsentem scientiam quam consideratio prædictarum. Secundo contra eas incipit disputare. Secunda ibi : *Pythagorici ergo quidem.* Dicit ergo, quod *quicumque faciunt ipsam Theoricam*, id est, considerationem *de omnibus existentibus,* id est, entibus ; *et existentium,* id est, entium, *hæc quidem sensibilia, illa vero insensibilia ponunt, palam quia de utrisque generibus perscrutationem fa-*

ciunt, id est determinant tam de entibus sensibilibus quam insensibilibus, cujusmodi fuerunt Platonici et Pythagorici, *propter quod magis aliquis de eis investigabit, quod bene, aut non bene dicunt;* nihil enim hoc pertinet *ad præsentem perscrutationem propositorum*, id est, quam proponimus in ista scientia tradere; nam supple, cum ista scientia sit de omnibus entibus communiter, ad eam magis pertinet pertractare istorum opiniones, qui de omnibus entibus tam sensibilibus quam insensibilibus faciunt Theoricam; quod de prædictis Philosophis dici non potest, qui fere de solis entibus naturalibus, et mobilibus pertractabant. Deinde cum dicit :

Text. com. 19. Pythagorici quidem igitur vocati principiis et elementis extranee a physiologis sunt usi, causa vero, quia acceperunt ea ex non sensibilibus. Nam Mathematica existentium sine motu sunt extra ea, quæ sunt circa Astrologiam.

80. Disputat contra eos. Circa quod duo facit : quia primo disputat contra opinionem Phythagoræ, qui hujusmodi principia posuit rebus inexistentia, scilicet numeros. Secundo contra Platonem, qui principia rerum posuit separata, scilicet ideas. Secunda ibi : *Qui vero ideas.* Prima in duas. Nam primo comparat opinionem Pythagoricorum ad opinionem Philosophorum Naturalium. Secundo disputat contra opinionem Pythagoræ, adducendo rationes. Secunda ibi : *Ex quo vero modo.* Prima in duas, nam primo comparat dictas opiniones penes differentiam, quæ erat in principiorum positione. Secundo penes convenientiam, quæ erat in prædictorum consideratione. Secunda ibi : *Disputant quidem.* Dicit ergo, quod philosophi, *qui Pythagorici sunt vocati, usi sunt principiis et elementis extranee*, id est, extraneo modo *a Physiologis*, id est, Naturalibus Philosophis, cujus causam subdit, dicens, *causa vero supple*, est, *quia* scilicet Pythagorici *acceperunt ea non ex sensibilibus*, sicut supple Naturales, sed ex Mathematicis, quæ supple abstrahunt a motu; *nam materialia existentium*, id est, sunt de numero entium, *sine motu extra*, id est, præter ea *quæ sunt circa Astrologiam;* hæc est Mathematica, circa quam versatur Astrologia.

Notandum, quod secundum Philosophum 2. Physic. text. com. 16. et inde; aliæ sunt scientiæ pure naturales, quæ, scilicet principia et res, circa quas sunt, accipiunt a sensu. Aliquæ sunt pure Mathematicæ, scilicet, quæ tam principia quam alia circa quæ sunt, abstracta habent a materia sensibili et a motu, ut Arithmetica et Geometria. Quædam sunt mediæ, nec pure Philosophicæ, nec pure Mathematicæ, quæ scilicet accipiunt principia materialia, et applicat ea ad res naturales et ad motum, sicut est Astrologia. Cum ergo dicitur, quod scientiæ Mathematicæ abstrahunt a motu et a materia sensibili, intelligendum est de pure Mathematicis, et non de mediis, sicut est Astrologia. Deinde cum dicit : Scienti triplex.

Disputant tamen et tractant omnia de natura, generant enim cœlum, et quod circa hujus partes et passiones, et operationes accidit, observant et principia, et causas in hæc dispensant, quasi aliis Physiologis consentientes, quia ens, hoc est,

quodcumque sensibile est, et comprehendit vocatum cœlum. Causas vero et principia sicut diximus.

Text. com. 20. Dicunt sufficientia pertingere usque ad ea, quæ sunt entium superiora, et magis quam de natura rationibus convenientia.

81. Comparat dictas opiniones penes convenientiam, quæ erat in prædictorum consideratione. Dicit ergo, quod Pythagorici *disputant et tractant omnia de natura*, id est, de omnibus naturalibus; *generant enim cœlum*, id est, tractant, de generatione cœli, *et* observant omnia, *quæ* scilicet accidunt *circa partes ejus*, scilicet cœli, puta quæ dicuntur diversæ sphæræ vel diversæ stellæ; *et* quæ accidunt *circa passiones*, ut sunt eclipses, et hujusmodi; *et quæ circa operationes*, ut sunt motus corporum cœlestium, et effectus eorum in istis inferioribus; *et principia, et causas suas dispensant*, id est, unicuique prædictorum causam propriam adaptant et assignant; *quasi aliis Physiologis consentientes*, id est, quod videntur consentire aliis Philosophis naturalibus, scilicet *quia ens hoc est quodcumque sensibile quod comprehendit vocatum cœlum*, id est, quod hoc solum sit ens, quod comprehenditur sub cœlo, quod videmus, quasi nulla essent entia nisi sensibilia. *Causas vero et principia sicut diximus sufficientia dicunt pertingere ad ea, quæ sunt superiora*, entium, id est, quod licet ponerent, quasi omnia entia essent sensibilia, nihilominus tamen causæ et principia quæ ponebant, non erant determinata tantum sensibilibus, sed erant sufficientia ascendere ad superiora, id est, entia intelligibilia, et propter hoc erant *convenientia magis quam de natura rationibus*, id est, magis quam rationes Naturalium, quæ scilicet non poterant extendi ultra sensibilia.

Præfert Pythagoricos antiquos naturalibus.

Notandum, quod isti Pythagorici tractantes de omnibus naturalibus, puta de cœlo, et de his quæ apparent et accidunt circa cœlum, videbantur consentire Philosophis Naturalibus, scilicet quod solum illud esset ens, quod esset sensibile, licet principia ab eis posita essent magis sufficientia, utpote quæ poterant etiam extendi ad entia insensibilia, non sic principia posita a Naturalibus, quæ erant principia corporea. Pythagorici enim, qui ponebant principia incorporea, scilicet numeros, quamvis non ponerent principia nisi corporum sensibilium, ponebant tamen principia entium intelligibilium, quæ non sunt corporea, sicut et Plato dicitur postea fecisse. Deinde cum dicit:

Ex quo tamen modo motus inerit finito, et infinito solum suppositis, et pari et impari non dicunt.

Et quomodo sine motu, et transmutatione possibile generationem et corruptionem esse, aut eorum quæ feruntur opera circa cœlum? Text. com. 21.

Adducit tres rationes contra opinionem Pythagoricorum. Secunda ibi: *Amplius autem sive*. Tertia ibi: *Amplius autem quomodo oportet*. In prima parte intendit talem rationem: Ille qui in sui opinione necessario præsupponit motum, insufficienter agit de rerum principiis, nisi assignaverit causam motus, aut qualiter sciet quomodo motus eveniret rebus? sed Pythagorici præsupponunt motum; agunt enim de generatione et corruptione eorum, quæ sunt circa cœlum, quæ sine motu

esse non possunt, et tamen causam unde motus, id est, efficientem prætermittunt; ergo insufficienter agunt de rerum principiis. Dicit ergo : *Ex quo vero inerit motus*, scilicet in rebus ipsi *finito et infinito, pari et impari subjectis*, id est, entibus principiis in genere causæ materialis, *non dicunt*, quod est insufficienter dictum ; *aut quomodo est possibile sine transmutatione et motu, generationem et corruptionem esse, aut gestorum*, id est, factorum *operationes circa cœlum ?* quasi diceret, nequaquam est possibile. Deinde cum dicit :

82. Amplius autem, sive quis det eis, ex his esse magnitudinem sive ostendatur hoc, tamen quomodo erunt hæc corporum levia, illa vero gravitatem habentia? ex quibus enim supponunt et dicunt, nihil magis de Mathematicis corporibus dicunt quam de sensibilibus. Unde de igne et terra, et aliis hujusmodi corporibus nihil dixerunt, sicut nihil de sensibilibus existimo dicentes proprium.

Contra Pythagoricos.

Ponit secundam rationem, quæ talis est : Ille insufficienter agit de rerum principiis, qui per principia quæ ponit, non potest causam assignare eorum quæ accidunt in rebus; sed per principia quæ posuit Pythagoras non potest causa assignari, quia quædam sunt corpora gravia et quædam levia, cum principia ista, puta numeri, sint communia Mathematicis quæ non sunt levia, nec gravia; ergo Pythagoras insufficienter egit de rerum principiis. Dicit ergo quod *Amplius sive quis dicit esse magnitudinem ex his*, scilicet numeris, sicut, supple Pythagoras, qui magnitudines dicebat componi ex numeris, *sive hoc ostendatur* per rationem, sive non; *tamen quomodo hæc quidem*, scilicet corpora *erunt levia; illa vero gravitatem habentia ?* quasi dicat, non potest ratio assignari; principia enim, scilicet numeri, *ex quibus supponunt et dicunt, nihil magis de Mathematicis dicunt corporibus, quam de sensibilibus* naturalibus. *Unde de igne, aut terra, aut aliis hujusmodi corporibus nihil dixerunt, sicut dicentes nihil proprium existere de sensibilibus dixerunt*, secundum nostram existimationem. Deinde cum dicit :

Amplius autem quomodo oportet accipere eas quidem esse numeri passiones, et numerum circa cœlum existentem et factorum, et ab initio, et nunc ; numerum vero alium nullum esse præter numerum hunc ex quo constituit mundum? 82. Text. cc 11.

Nam cum in hac parte, opinio et tempus fit eis, parum vero desuper, aut subtus injustitia. aut discretio, aut permixtio ; demonstrationem autem dicunt, quia horum unumquodque numerus est. Accidit autem secundum hunc locum jam pluralitatem esse constitutarum magnitudinum, quia passiones hæ sequuntur singula loca. Utrum idem est numerus, qui in cœlo est, quem oportet accipere, quia horum unumquodque est, aut præter hunc alius? Plato namque aliud ait esse ; existimat etiam quidem et ille numeros hæc esse et horum causas, illos vero intelligibiles, hos vero sensibiles. De Pythagoricis ergo dimittatur ad præsens, sufficit enim ea tangere tantum. Text. cc 23. Text. cc 24.

Ponit tertiam rationem, quæ sic formari potest : Illa positio est absurda, quæ repugnantiam includit, sed positio Pythagoricorum est hujusmodi; ergo, etc. Minor sic ostenditur, quia Pythagoras ex una parte ponebat, quod numerus est causa omnium ; ex alia parte non ponebat alium numerum præter istum, qui est substantia rerum ; ex quo sequitur, quod idem esset causa sui, quod est impossibile et repugnans, et in hoc præfert Platonem ipsis Pythagoricis. quia Plato distinxit, et posuit quemdam intellectualem numerum, et quemdam 83.

sensualem sive sensibilem; interserit autem demonstrationem, sive rationem Pythagoræ, quia probat omnia esse numerum secundum substantiam, et est, quia omnia sunt disposita et ordinata secundum numerum quemdam et proportionem, et quantum ad loca, et quantum ad proprietates naturales et proprias passiones; nam alias sequeretur deordinatio, et quantum ad justitiam et discretionem, id est, separationem, et quantum ad mixtionem. Dicit ergo : *Amplius autem quomodo oportet accipere passiones numeri, et numerorum ipsum esse causas existentium et factorum*, circa cœlum *ab initio mundi*, scilicet *usque nunc*, sicut scilicet dicebat Pythagoras; *numerorum vero alium nullum esse præter hunc* numerum, ex quo consistit mundus, quasi diceret : Hoc est impossibile, cum idem non sit causa suiipsius. Adducit etiam rationem ejus, qua dicebat omnia secundum substantiam esse numerum; *nam cum in hac parte*, scilicet universi sint entia contingentia, de quibus, scilicet *est operatio, et de eis sit tempus*, ut subsistunt tempori, inquantum, scilicet aliquando sunt, aliquando non sunt, parum vero desuper, aut subtus injustitia; *aut discretio, aut permixtio*, scilicet sequitur in rebus, et hanc scilicet *dicunt demonstrationem esse, quia horum unumquodque numerus est*, id est, quod si ista generabilia et corruptibilia essent parum supra, aut parum subtus, scilicet in universo aliter quam sint ordinata; ponerentur inordinate per modum injustitiæ dum scilicet aliquæ res sortirentur nobiliorem locum, aut minus nobilem quam sibi debeatur; aut per modum distinctionis vel discretionis, inquantum corpus si poneretur extra locum suum, divideretur a corporibus similis naturæ, vel per modum mixtionis et confusionis, dum corpus extra locum suum positum oporteret permisceri alteri corpori, seu alteri naturæ, puta si aliqua pars ignis esset in loco aeris vel terræ. Quare ad fugiendum ista inconvenientia, dicebat Pythagoras habere omnia entia in universo ordinatum situm et determinatam proportionem, et per consequens omnia entia esse numeros, nam omnis determinata proportio est secundum numeros. Addit autem ibi : *Accidit autem*, quod quia accidit secundum hunc locum, scilicet universi, *esse jam pluralitatem constitutarum magnitudinum, quia hæ passiones sequuntur singula loca; utrum* igitur *idem est hic numerus, qui est in cœlo*, id est, in toto corpore sensibili, quod cœlo clauditur, *quem* scilicet numerum *oporteat accipere, quia unumquodque horum est, aut præter hunc alius.* Vult dicere, quia videmus ex alia parte, quod magnitudines constitutæ in diversis locis sunt plures et diversæ, quia propriæ passiones consequuntur singula loca universi, quibus corpora differunt ad invicem, nam aliæ sunt passiones corporis existentis sursum, et aliæ existentis deorsum. Si igitur ratione prædicta dicat Pythagoras omnia sensibilia esse numerum, et appareat diversitas in sensibilibus secundum diversa loca, restat quærere utrum tantum sit unus numerus, qui est in toto corpore sensibili, quod clauditur sub cœlo; qui quidem nume-

[Margin note: ...ota de ...line universi secundum Pythagoram et sa... recte.]

rus vocatur substantia uniuscujusque sensibilis, aut præter istum numerum, qui est substantia sensibilium, sit alius numerus, qui sit eorum causa, nam Plato distinxit alium numerum, qui est substantia sensibilium, ut qui est causa; unde subdit, quod *Plato namque ait alium esse*, scilicet qui est causa sensibilium, et alium qui est causa cœlestium, hos quidem numeros sensibiles, illos vero intellectuales causas. *Existimat enim Plato,* sicut Pythagoras *ea*, scilicet corpora sensibilia *esse numeros et horum causas*, scilicet esse ipsos numeros, quod supple quia Pythagoras non fecit mentionem, distinguendo numerum insufficienter locutus est et imperfecte. Ultimo epilogat, *de Pythagoricis ergo dimittatur ad præsens,* quia scilicet *hæc sufficiunt, nec oportet amplius hîc morari, sed tantum sufficiat tetigisse*.

SUMMÆ TERTIÆ CAP. III.

Impugnantur fuse ponentes principia a rebus separata, seu ideas.

SUMMARIUM.

Refutat Platonicos ponentes ideas principia rerum, quibus tamen se connumerat, quia prius Platonicus fuit; motiva, modosque dicendi ipsorum singillatim convellit satis fuse sex rationibus, quarum efficaciam optime exponit Doctor.

84. Text. com 25. Qui vero ideas posuerunt, primus quidem existentium accipere causas quærentes, alia his æqualia numero attulerunt, ut si quis numerare volens paucioribus quidem existentibus putet non posse; plures vero faciens numerare, nam vere æquales aut non pauciores his sunt species. De quibus quærentes causas ab his ad illas pervenerunt; secundum unumquodque enim æquivocum homogeneum aliquid est, et circa substantias aliorum est in multis unum, in his et in sempiternis.

Improbata opinione Pythagoricorum, qui posuerunt principia incorporea, non tamen separata, sed in rebus existentia, puta numeros; hîc improbat opinionem Platonis ponentis principia separata, scilicet ideas. Circa quod duo facit, quia primo arguit contra eum, quantum ad hoc quod opinatus est de rerum substantiis. Secundo quantum ad hoc quod opinatus est de rerum principiis. Secunda ibi: *Omnis vero sapientia.* Prima in duas. Nam primo disputat contra eum quantum ad hoc, quod posuit de ideis. Secundo quantum ad hoc quod dixit de Mathematicis. Secunda ibi: *Volentes enim substantias.* Prima in duas, quia primo arguit contra eum inquantum posuit ideas, sive species separatas. Secundo inquantum posuit ideas esse quosdam numeros. Secunda ibi: *Amplius si sunt numeri species.* Prima in duas, quia primo arguit contra suæ positionis conclusionem. Secundo contra positionis, vel conclusionis rationem. Secunda ibi: *Amplius autem.* In prima parte quasi modo derisorio dicit positionem de ideis quasi irrationabilem. Dicit ergo quod *qui ideas posuerunt*, ut Platonici, puta qui supple deliquerunt, *quia quærentes accipere causas* horum *existentium*, id est, entium sensibilium, *alia* supple a sensibilibus *his* numero *æqualia attulerunt*, id est, quod adinvenerunt quædam alia nova entia æqualia in numero sensibilibus, quod videtur inconveniens, quia simile est, *ut si*

Hîc disp[utat] con[tra] Platone[m] quoad s[ub]stantias princip[ia] rerum

quis paucioribus quidem existentibus numerare volens putat non posse, plura vero faciens numerat. Vult dicere, quod positio Platonis est inconveniens, quia qui quærit causam aliquarum rerum de ipsis, debet ipsas res certificare, non addere alias res ex quarum additione crescat difficultas inquirendi, quia hoc est simile, ut si quis vellet numerare res aliquas, quas non putat posse numerare, eo quod sint pauciores, sed velit eas numerare multiplicando eas per additionem aliarum rerum ; hoc enim videtur irrationabile, quia facilius numerantur et certificantur pauca quam multa ; numerus enim tanto est certior, quanto est minor et propinquior unitati, quæ est mensura certissima, ut habetur decimo hujus, text. com. 3. et inde. Quia igitur inquisitio de causis rerum est quædam mensuratio et certificatio de naturis rerum, idcirco Plato, qui ad notificandum res sensibiles addit quasdam alias res separatas, adjungit difficultatem Anaxiomaticam, accipiens, quod est difficilius ad manifestationem faciliorum. Quod autem ideæ separatæ sint æquales sensibilibus, ostendit consequenter, *nam fere æquales, aut non pauciores ;* sed supple plures *sunt species*, id est, ideæ *his*, scilicet sensibilibus, *de quibus quærentes causas ipsas, ab his* processimus nos, scilicet Platonici, ad eas scilicet ideas, cujus rationem assignat, cum subdit : *una enim species dicitur aliquid univocum, et circa substantias aliorum est unum in multis et in his* sensibilibus, *et sempiternis,* quia ratio propter quam Platonici posuerunt ideas, fuit ista : quia videbant in omnibus univocis esse unum in multis, unde illud unum ponebant esse speciem separatam ; hoc autem non invenitur solum in his sensibilibus quæ sunt corruptibilia, sed etiam in Mathematicis quæ sunt sempiterna, quia in eis multa sunt unius speciei, ut superius dicebatur, et secundum hoc omnibus speciebus, sive sensibilium, sive Mathematicorum respondet idea aliqua. Ex prædictis patere potest qualiter ideæ sunt æquales, aut non pauciores ipsis sensibilibus, quia ideæ vel ponuntur solius speciei, et sic erunt æquales numero istis sensibilibus, si sensibilia secundum diversas species numerentur, et non secundum diversa individua, quæ sunt quasi numero infinita ; vel ponuntur ideæ non solum specierum, sed etiam generum, et sic sunt plures ideæ quam species sensibilium, quia ideæ tunc erunt omnesspecies, et propter hoc omnia genera. Vel aliter, ut dicantur esse æquales, inquantum ponebant eas esse species sensibilium, et ideo non pauciores, sed plures, inquantum ponebant eas non solum esse species sensibilium, sed etiam Mathematicorum.

Non oportet accipere difficiliora ad manifestandum faciliora.

85. Notandum, quod in isto loco, et per totum sequentem textum, Philosophus connumerat se Platonicis, utpote, quia primo Platoni us fuit et discipulus Platonis.

Aristoteles fuit discipulus Platonis.

Notandum enim quod alia translatio, ubi nos habemus : *unaquæque species dicitur aliquid univocum*, habet sic : *unaquæque enim æquivocum homonymum est*, licet autem prima littera sit melior, utraque tamen salvari potest. Prima sic : unaquæque spe-

Al. homogeneum.

cies dicitur aliquid univocum, inquantum scilicet est unum in multis et convenit cum illis, de quibus prædicatur nomine et ratione speciei. Secunda littera sic : unaquæque enim, scilicet illarum idearum, est cum istis sensibilibus quoddam æquivocum vel homonymum, quod idem est, quia scilicet communicat cum istis sensibilibus in nomine; sicut enim Socrates dicitur homo, ita et illa idea, differunt tamen ratione, pro quanto ratio Socratis includit materiam sensibilem, ratio vero hominis idealis abstrahit a materia sensibili. Deinde cum dicit :

Text. com. 27. Amplius autem secundum quos modos ostendimus, quia sunt species, secundum nullum intellectum videntur horum. Ex quibusdam vero non est necesse fieri syllogismum ; ex quibusdam vero est, et non quorum putamus, horum fiunt species.

Impugnat rationes Platonis.

Arguit contra positionis rationem. Circa quod duo facit. Quia primo præmittit modos, quibus procedendum est contra rationes Platonis. Secundo exponit et prosequitur illos modos. Secunda ibi : *Quia secundum rationes.* Ponit autem duos modos, quibus contra rationes Platonis invehit. Primus modus est, quod rationes ejus non concludunt, nec faciunt Syllogismum. Secundo, quia rationes ejus sunt reducibiles contra eum. Dicit ergo quod *amplius* supple rationes, vel modi *secundum quos ostendimus*, nos scilicet Platonici, *quia sunt species*, id est, ideæ *secundum nullum horum videntur*, id est, quod non cogunt, quod exponit. *Ex quibusdam enim*, scilicet illarum rationum, *non est necesse fieri syllogismum*, quia scilicet non concludunt ; *ex quibusdam vero est*, id est, contingit fieri syllogismum, *et non quorum putamus, horum fiunt species*, id est, quod ex quibusdam modis, vel rationibus fit syllogismus, sed non ad propositum Platonis, nam per aliquas suarum rationum ostenditur, quod ideæ separatæ sunt quarumdam rerum, quarum species, vel ideas Platonici non esse putabant; similiter etiam quod ideæ non sunt illarum rerum, quarum ideas esse putabant, et sic rationes suæ sunt reducibiles contra eum. Deinde cum dicit :

Quia secundum rationes eas, quæ ex scientiis, species omnium erunt, quorumcumque sunt scientiæ, et secundum unum in multis et negationibus. 86.

Prosequitur duos modos. Primo secundum, et secundo primum ibi : *Omnium autem dubitabit.* Prima dividitur in sex, secundum quod sex rationes fabricat contra eum. Secunda ibi : *Et secundum quod aliquid.* Tertia ibi : *Amplius autem.* Quarta ibi : *Et omnino quæ sunt.* Quinta ibi : *Amplius autem ad existimationem.* Sexta ibi : *Hæ vero substantiam.* Ad evidentiam primæ partis :

Quare Platonis posuit ideas?

Notandum, quod ratio motiva Platonis ad ponendum ideas fuit, ut de eis scientia et definitio possit esse, nam de sensibilibus non poterant haberi secundum eum, ut superius dicebatur. Ex hoc primo sic arguitur contra eum : quorumcumque sunt scientiæ, illorum sunt ideæ, quia secundum eum propter scientiam necessitas fuit idearum, sed non solum de affirmationibus, sed etiam de negationibus habetur scientia, sunt enim aliquæ conclusiones demonstrati-

væ negativæ; ergo negationum sunt ideæ, cujus oppositum Plato ponebat; et hoc est quod dicit, *quia secundum rationes scientiarum species*, id est, ideæ *omnium erunt*, *quorumcumque sunt scientiæ*, *et sicut unum in multis*, quod est per affirmationem, ubi unum prædicatum dicitur de multis in quantum de subjecto universaliter prædicatur, sed tam de affirmationibus quam de negationibus sunt scientiæ, et per consequens ideæ. Deinde cum dicit :

Et secundum intelligere autem aliquid corruptibilium, phantasma enim aliquid horum est.

Ponit secundam rationem, quæ sic formari potest, eadem assumpta majore quæ prius, et additur minor sic : sed de corruptibilibus secundum quod corruptibilia, cujusmodi sunt illæ naturæ, quarum est sensus et phantasma, habetur scientia, nam de his est scientia Physica ; ergo corruptibilium sunt ideæ, et per consequens aliquæ ideæ sunt corruptibiles, cujus oppositum asserebat. Dicit ergo, *et secundum aliquid corruptibilium corrumpi intelligitur*, erit supple idea ; *horum enim aliquid est phantasma*, id est, cognitio per phantasma. Deinde cum dicit :

Text. com. 28. Amplius autem rationum certissimæ, aliæ quidem eorum, quæ ad aliquid ideas faciunt, quorum non dicunt esse secundum se genus : Aliæ vero tertium hominem dicunt esse.

Ponit tertiam rationem, quæ habet duas conclusiones, quæ utique rationibus certissimis concluduntur. Prima est, quod eorum quæ sunt ad aliquid sunt ideæ, quod tamen negabat Plato, dicens, ideas esse substantias per se existentes et absolutas : Ista conclusio sequitur eodem modo quo prius, scilicet eorum quæ sunt ad aliquid sunt scientiæ ; ergo et ideæ ; antecedens est evidens, sed consequentia valet per te. Secunda conclusio est, quia si sic, erit dare tertium hominem, consequens est falsum ; ergo et antecedens ; sed consequentia sequitur ex ejus positione, ut dicetur. Dicit ergo, *amplius autem rationum certissimæ*, supple probant quod sequitur, *aliæ quidem faciunt*, id est, probant esse ideas, *eorum quæ ad aliquid*, *quorum non dicunt*, scilicet Platonici, *secundum se genus*, id est, ideam secundum se existentem separatam ; *aliæ vero*, scilicet rationes *dicunt*, id est, probant *tertium hominem*.

Plato non posuit ideas eorum quæ sunt ad aliquid.

87 Tertius homo secundum Platonicos quomodo datur?

Notandum, quod esse tertium hominem secundum opinionem Platonis potest tripliciter exponi. Uno quidem modo, quod intelligatur homo idealis esse tertius a duobus particularibus et sensibilibus hominibus, qui suscipiunt prædicationem hominis idealis ; sed ista expositio non vadit ad intentionem Philosophi contra Platonem disputantis, nam Plato hoc non haberet pro inconvenienti, imo pro necessario. Alio modo exponitur, ut dicatur tertius homo, qui dicatur communis, et homini ideali, et homini singulari et sensibili ; nam cum homo idealis, et homo sensibilis communicent rationem hominis, sicut duo homines singulares, sicut homo idealis ponitur tertius præter duos homines singulares sensibiles, ita oportet ponere alium tertium hominem præter hominem idealem, et hominem singularem sensibilem. Sed nec ista expositio

videtur esse secundum mentem Philosophi, nam ad hoc inconveniens deducit ratio, scilicet sexta quæ sequitur ad idem inconveniens bis deducere superfluum videtur. Tertio modo exponitur, quod Plato posuit in quibusdam generibus tria, aliqua scilicet sensibilia, aliqua Mathematica, et aliquas species, sive ideas, sicut in numeris et hujusmodi, sed non videtur major ratio, quare in quibusdam rebus ponantur melius quam in aliis; oportebit igitur in specie hominis ponere hominem, qui sit tertius inter hominem sensibilem et hominem idealem. Deinde cum dicit :

Et omnino quæ sunt de speciebus rationes auferunt ea quæ magis esse volunt, dicentes esse species, quam ipsas ideas. Accidit autem ei dualitatem non esse primam secundum numerum, et ad aliquid ipso quod secundum se. Et omnia quæcumque aliqui de speciebus opiniones sequentes opposuerunt principiis.

Ponit quartam rationem, quæ potest sic formari : Quicumque per suam positionem removet aliqua sibi magis necessaria quam sit sua positio, inconvenienter opinatur; sed rationes quas Plato posuit de ideis auferunt quædam principia, quæ Platonici ideas dicentes, volunt magis vera esse, quam hoc ipsum quod est ideas esse; ergo Plato inconvenienter opinatur. Minorem autem sic ostendit : quia ideæ secundum Platonem sunt priores rebus sensibilibus et Mathematicis; sed ipsæ ideæ sunt numeri secundum ipsum, et magis numeri impares quam pares, quia numerum imparem attribuebat formæ, parem autem materiæ, unde Plato dualitatem posuit ex parte materiæ, sequitur quod alii numeri sint priores dualitate quam ponebant, sicut materiam sensibilium, scilicet magnum et parvum, cujus contrarium Platonici maxime asserebant, scilicet dualitatem esse principium in genere numerorum. Tamen sicut probatum est per rationem præcedentem, quæ ponit ideas relationum quæ scilicet secundum se sunt ad aliquid, et ipsa idea est prior ideato quod ideam participat, sequitur quod ipsum ad aliquid sit prius absoluto, quia secundum se, et ad se dicitur ; nam substantiæ sensibiles absolutæ sunt quæ tantum participant ideas, hoc autem videtur absurdum, quod relativum sit prius absoluto. Dicit ergo, quod *omnino rationes quæ sunt de speciebus*, id est, de ideis, *auferunt ea*, scilicet *quæ dicentes esse species magis volunt esse,* scilicet vera quam ipsas ideas esse, quod declarat cum subdit : *Accidit enim*, scilicet secundum Platonis opinionem *dualitatem non esse primam secundum numerum,* quod scilicet abhorrebat, et sequitur etiam, ad aliquid esse prius *ipso quod secundum se*, id est, ipso absoluto. Addit autem, quod *omnia quæcumque aliqui sequentes opinionem de speciebus principiis opposuerunt*, id est, quod similiter est de aliis inconvenientibus, quæ sequentes opinionem de ideis dicunt opposita principiis per se notis, quæ ipsi etiam maxime concedebant. Deinde cum dicit :

Al. veriora, vel notiora.

Quod ideæ sint numeri secundum Platonem et præcipue impares.

Amplius autem secundum existimationem quidem, secundum quam esse dicimus, et ideas, erunt non solum substantiarum species, sed multorum aliorum, etenim conceptus unus non solum circa substantiam, sed et de aliis est. Et scien- 88. Text. co. 29.

tiæ non solum sunt ipsius substantiæ, sed et aliorum. Accidunt autem, et mille talia alia.

Text. com. 30. Secundum vero necessitatem, et opiniones de eis si sunt participabiles species substantiarum, necesse est ideas esse solum ; non enim secundum accidens participantur, sed oportet hac unusquisque participari, inquantum non de subjecto dicuntur. Dico autem, ut si quid per se duplo participat, hoc et sempiterno participat, sed secundum accidens; accidit enim duplo sempiternum esse, quare substantia erit species.

Aperitur contradictio Platonis. Ponit quintam rationem, quæ sic formari potest : Illa positio est impossibilis, quæ contradictionem includit evidentem, sed positio de ideis est hujusmodi ; ergo, etc. Minorem declarat, quia secundum positionem ejus ex una parte sequitur, quod non solum substantiarum, sed etiam accidentium sint ideæ, cum eorum sint definitiones, et scientiæ. Ex alia parte dicit, quod non sunt ideæ nisi substantiarum, cujus ratio est, quia ideæ participantur ; ea autem quæ sunt per accidens non participantur, sicut ostendit per exemplum de duplo participante per se duplum, id est, duplum separatum et perpetuum, et per consequens participat perpetuitatem ; sed hoc est per accidens, quia alias duplum sensibile esset duplum per se perpetuum ; ergo positio de ideis est omnino impossibilis. Dicit ergo, *amplius ad existimationem,* id est, ad opinionem, *secundum quam quidem nos,* scilicet Platonici *dicimus esse ideas, non solum substantiarum erit species, sed multorum aliorum*, scilicet accidentium, quod probat : *Etenim*, pro, quia *conceptus unus,* id est, simplex, quo scitur res, qui est non solum circa substantias, *sed, et de aliis est*, scilicet accidentibus, *scientiæ non solum sunt ipsius substantiæ, sed et aliorum,* scilicet accidentium; *accidunt autem, et mille talium alia*, id est, non solum propter definitiones, et scientias oportet esse ideas accidentium secundum opinionem Platonis, sed etiam propter mille alia, id est, plurima alia, puta quia Plato ponebat ideas esse principia essendi et fiendi rebus, et plurima alia ; quæ etiam conveniunt accidentibus, *secundum vero necessitatem, et opinionem de his,* id est, secundum opinionem Platonis de ideis, et secundum necessitatem, ut sunt, id est, necessariæ sensibilibus, si sunt participabiles species, scilicet a sensibilibus substantiarum solum necesse est ideas esse, quod probat, *non enim secundum accidens,* id est, ea quæ sunt secundum accidens participantur, *sed eam*, id est, ideam *oportet participari ab unoquoque inquantum non de subjecto dicitur*, non per accidens, quod declarat, *dico autem, ut si quid participat per se duplo*, hoc et sempiterno participat, qualiter, scilicet ipsum duplum per se est sempiternum, sed hoc est secundum accidens. *Accidit enim ipsi duplo sempiternum esse*, *quare* sequitur supple, quod *substantia erit species*, id est, idea quæ participatur, et non supple eorum quæ sunt per accidens, et tamen secundum rationem sumptam ex ratione scientiarum, oportet ideas esse accidentium, sicut et substantiarum. Deinde cum dicit :

Hæ vero substantiam hic significant et ibi. Aut quid erit ipsum esse dicere aliquid præter hoc unum in multis. Et siquidem eadem species idearum, et participantium aliquid erit commune ; quid enim in corruptibilibus dualitatibus, et dualitatibus quidem multis, sed sempiternis dualitas magis unum, et idem quam 89.

in hac et alia? si vero non eadem species æquivocatio erit, et simile, et si quis vocat hominem Calliam et lignum, nullam illarum communitatem inspiciens.

Probatur processus in infinitum in ideis.

Ponit sextam rationem, quæ talis est : substantiæ tam sensibiles quam ideæ significant substantiam, et sunt substantiæ ; ergo vel sunt ejusdem rationis, et speciei, vel non : si sic, ergo conveniunt in aliquo communi, quod est unum in multis, et illud necessario per se erit idea, nam illud quod est unum in multis ponit ideam ; ergo erit dare aliam ideam tertiam, et sic in infinitum. Nec valet si dicas quod ideæ, cum sint incorruptibiles, non indigent aliis ideis, quia etiam per se Mathematicorum sunt ideæ, non obstante quod Mathematica sint incorruptibilia, si des aliam partem, quod scilicet non sint ejusdem rationis, vel speciei ; ergo erunt æquivoca, sicut Callias et lignum sculptum, sunt homo æquivoce, et tunc sequitur contra te, quod ideæ non erunt principia cognoscendi substantias sensibiles, nam unum æquivocum non dat notitiam de altero, et hoc est quod dicit : *hæ vero hic*, id est, substantiæ sensibiles *substantiam significant et ibi*, id est, substantiæ ideales similiter, quare necesse est apparere *quid præter eas unum in multis*, id est, aliquam ideam tertiam ; et *siquidem eadem species erit aliquid commune idearum et participantium*, id est, sensibilium substantiarum. Si dicatur quod ideæ non indigent aliis ideis, cum sint incorruptibiles, hoc reprobat dicens, *quid enim magis in dualitatibus corruptibilibus*, sicut sunt illæ sensibiles, *et dualitatibus multis quidem sed sempiternis*, cujusmodi sunt dualitates Mathematicæ, *dualitas opposita*, scilicet tertia *unum et idem, aut in ea aut in alia?* quasi diceret quod non potest reddi ratio, quod ideæ non habeant alias ideas, quia sunt incorruptibiles, cum Mathematica ponantur incorruptibilia, et tamen ponitur idea communis Mathematicis et sensibilibus, sicut dualitas ponitur una idea, et eadem communis dualitatibus sensibilibus corruptibilibus, et dualitatibus Mathematicis sempiternis, non est autem ratio, quare magis hîc quam ibi : *si vero non eadem*, scilicet si substantia idealis et sensibilis non sunt substantia eadem communis, et univoce, *species*, id est, idea substantiæ *æquivocum erit, et simile erit si quis vocat hominem Calliam et lignum*, supple figuratum figura hominis, *nullam communitatem inspiciens*, ex parte rei, et per consequens idea non erit principium cognoscendi res substantiales, cum unum æquivocum non ducat per se in cognitionem alterius. Tunc sequitur illa pars :

SUMMARIUM.

Contra intentum Platonis ostendit ideas nihil conferre sensibilibus, quia non prosunt eis quoad motum, scibilitatem, vel exemplaritatem, nec sunt eorum substantia, nec fieri ; et probat singula, et de exemplaritate fusius.

Omnium autem dubitabit aliquis maxime quid conferunt species sempiternis sensibilium, aut his quæ fiunt et corrumpuntur. 90. Text. c. 31.

Ubi exponit alium modum impugnandi Platonis rationes, scilicet quod non concludant, nec faciant syllogismum.

Ostendit rationem Platonis non concludere.

Ad cujus evidentiam notandum, quod Plato in suis rationibus hoc concludere intendebat, quod scilicet ideæ essent necessariæ propter ista sensibilia; sed Aristoteles obvians huic, probat quod ideæ in nullo prosint, nec sint necessariæ pro istis sensibilibus, in quo intentum rationum Platonicarum destruit, et quod concludere intendebat. Circa quod duo facit, quia primo proponit intentum. Secundo probat ipsum. Secunda ibi : *Nec enim motus*. Dicit ergo quod *omnium dubitabit aliquis maxime*, id est, quod inter omnia dubitabilia, quæ sunt contra Platonem, illud est maximum, *quid conferunt species*, id est, ideæ, *sempiternis sensibilium, aut his quæ fiunt et corrumpuntur*, quasi diceret, nihil, id est, quod ideæ positæ a Platone non videntur aliquid conferre sensibilibus; nec sempiternis, ut sunt incorruptibilia cœlestia; nec corruptibilibus, ut sunt corpora elementaria. Deinde cum dicit :

Nec enim motus, nec transmutationis ullius sunt causa eis.

Ideæ Platonicæ nihil prosunt sensibilibus.

Probat quod ideæ nihil prosint istis sensibilibus, et intendit hanc rationem: si ideæ in aliquo prodessent, hoc esset; vel quantum ad motum; vel quantum ad scientiam; vel quantum ad exemplaritatem, utpote quod essent exemplaria sensibilium; vel quantum ad substantiam, puta quod essent substantiæ sensibilium; vel quantum ad eorum fieri; sed nullo dictorum modorum proficiunt eis, ut probabitur; ergo non sunt ponendæ propter ista sensibilia. Major patet ex sufficienti divisione. Minor probatur, et quia minor habet quinque partes, ideo quinque facit. Primo enim probat, quod non proficiunt quantum ad motum. Secundo, quod non ad scientiam. Tertio, quod non ad exemplaritatem. Quarto, quod non ad substantiam. Quinto, quod non quantum ad fieri sensibilium. Secunda ibi : *At vero sed nec ad scientiam*. Tertia ibi : *Dicere exemplaria*. Quarta ibi : *Amplius autem videbitur*. Quinta ibi : *In Phædone vero*. Dicit ergo quod *nec motus, nec transmutationis ullius est eis*, scilicet sensibilibus *causa*, scilicet ipsa idea.

Tenendo opinionem Platonis ideæ nequeunt poni causa motus.

Rationem hujus non dicit, quia superius eam tetigit, et est : quia ideæ non introducuntur propter motum, sed magis propter immutabilitatem. Plato enim, quia opinabatur omnia sensibilia esse in continuo motu et fluxu, dixit de sensibilibus non posse haberi scientiam certam et fixam, quia oportet ponere aliquod fixum stans immobile, quod dicebat esse ideam; si igitur ideæ sunt immobiles, magis videntur poni principia immobilitatis quam motus, puta quod si aliquod fixum, et eodem modo se habens reperiatur in rebus sensibilibus, quod hoc fit propter participationem idearum, quæ immobiles per se ponuntur. Deinde cum dicit :

At vero nec ad scientiam quidquam auxiliatur eis quæ est aliorum, nec enim illæ horum substantia, nam in his essent. Nec ad esse conferunt, cum non insint participantibus. Sic enim forsan causa videbitur esse album permixtum albo ; sed hæc quidem ratio valde mobilis est quam Anaxagoras prius, et Hesiodus posterius, et alii quidam dixerunt. Facile namque colligere multa absurda, et impossibilia ad talem opinionem. At vero nec ex specie- 91.

bus sunt alia secundum ullum modum consuetorum.

Ideæ non conferunt sensibilibus ad scientiam.

Ostendit, quod ideæ non prosunt sensibilibus ad scientiam, et intendit talem rationem : scientia cujuscumque rei habetur per cognitionem suæ propriæ substantiæ, et non per cognitionem alicujus alterius extrinseci; sed ideæ sunt aliæ substantiæ, et extrinsecæ a substantiis sensibilibus; ergo earum cognitio non proficit ad cognitionem substantiarum sensibilium. Nec valet, si dicatur quod ideæ sint substantiæ sensibilium, sicut eis participantibus, sicut si intelligamus ipsum album per se existens separatum, et illud permixtum albo, quod est in subjecto particulari et sensibili. Hæc enim ratio est valde mobilis, id est, destructibilis, quia ad eam sequuntur multa inconvenientia, dicit enim quod *nec ad scientiam, quæ est aliorum*, id est, sensibilium quæ sunt alia ab ideis, *nihil auxiliatur* eis, scilicet ponere ideas; *nec enim istæ*, scilicet ideæ, *sunt substantiæ horum*, scilicet sensibilium, *nam essent in his*, quia scilicet substantia uniuscujusque non est separata a re, cujus est substantia, *nec ad esse, cum non insint participantibus; sic enim forsan opinamur nos*, scilicet Platonici, causas esse, scilicet ipsas ideas, *ut album*, scilicet separatum *permixtum albo*, quod est in subjecto. Unde subdit :

Substantia rei nequit separari a re.

sed hæc quidem ratio mobilis, id est, destructibilis est valde, *quam Anaxagoras prius* tetigit, *et Hesiodus posterius, et alii etiam quidam dixerunt*, et bene supple dictum est, quod illa ratio est destructibilis : *facile namque est colligere multa impossibilia ad talem*, id est, contra talem *opinionem;* sequitur enim, sicut supra contra Anaxagoram dicebatur, quod accidentia possunt esse sine subjectis, quia eorum solum est mixtio, quorum est possibilis separatio, et e converso. Subdit autem, quod *nec ex speciebus sunt alia secundum nullum modum consuetorum dictorum*, id est, quod non potest dici ideas proficere ad scientiam sensibilium sicut eorum substantia; nec quod sint principia per modum participationis et assistentiæ; sed nec etiam potest dici, quod ex speciebus, sicut ex principiis, sive alia, id est, sensibilia secundum aliquem modum, qui consuevit dici. Ex hoc patet, quod quia eadem sunt principia essendi et cognoscendi, oportet quod ideæ non conferant ad scientiam, cum non possint esse principia essendi; dicit autem secundum nullum modum consuetorum dici, quia Plato invenerat multos novos modos, unum ex alio procedendi. Deinde cum dicit :

Dicere vero exemplaria esse, et eis alia participare, vaniloquium est, et Metaphoras dicere poeticas. 92. Text. com. 32.

Ideæ n[on] proficiu[nt] sensibil[i]bus, ut exempla[ria].

Ostendit, quod ideæ non proficiunt sensibilibus, ut exemplaria. Circa quod duo facit. Primo proponit intentum. Secundo probat ipsum. Secunda ibi : *Nam quod est opus.* Dicit ergo quod *dicere* ipsas ideas *esse exempla, et alia*, scilicet tam sensibilia quam Mathematica *participare eis*, est inconveniens; tum quia hoc *est vaniloquium*, id est, vacuum, et nulla est necessitas ponere talia exemplaria, ut dicetur; tum quia hoc *est dicere poeticas Metaphoras*, quod sibi verecundum est

Philosophi[æ] non de[cet] uti met[aphoris].

phoris poeticis.

scilicet Platoni, qui debet ex propriis procedere et docere, quod dicit propter hoc; quia Plato productionem naturalium assimilabat factioni artificialium, ubi artifex respiciens ad aliquod exemplar, producit aliquid simile suæ arti. Deinde cum dicit :

> Quid enim est quod agit ad ideas respiciens ? contingit enim et esse, et fieri simile quodcumque, et non assimilatum ad idem. Quare et existente Socrate, et non Socrate existente, fiet qualis Socrates.

Exemplar requiritur ad inducendam similem formam in artificiato.

Probat propositum tribus rationibus, quarum secundam ponit ibi : *Similiter palam*, tertiam ibi : *Amplius autem*. In prima parte intendit talem rationem : exemplar ad hoc requiritur, ut artifex inducat similem formam in suo artificiato respiciendo ad exemplar ; videmus enim in naturalibus, quod similia ex similibus generantur, sicut homo ex homine; aut ergo illa similitudo provenit in rebus generatis per aspectum alicujus agentis ad exemplar, aut non ; si non, ergo nulla est utilitas respicere ad ideas, sicut ad exemplar ; si sic, ergo est causa similitudinis, ad quod sequitur inconveniens, quod aliquis generetur similis Socrati sive posito, sive non posito ipso Socrate, quod apparet esse falsum, quia nisi Socrates agat in generatione, numquam aliquis similis Socrati generatur ; si ergo est falsum, quod similitudo rei generatæ non dependeat ab agente proximo particulari, vaniloquium est ponere aliqua exemplaria separata. Dicit ergo, nam *quod est opus*, id est, utilitas ad *ideas respiciens?* quasi diceret nulla, *contingit enim esse, et aliquid fieri simile illi,* scilicet agenti particulari, supple ex hoc solo, quod respicitur ad exemplar secundum istam opinionem *quia, et existente et non existente*, supple *ipso Socrate, fiet quidem Socrates,* id est generabitur similis Socrati, quod supple est inconveniens manifestum.

Notandum, quod illa ratio non destruit exemplaria, sive ideas Theologicas, quæ in intellectu divino objective habent esse ; agens enim naturale, si intendit sibi simile generare, hoc est quia aliquod superius agens per intellectum ipsum determinat, dando sibi talem formam per quam possit, et intendit sibi simile generare. Natura enim licet agat propter finem, ut dicitur 2. Physic. text. com. 49. et inde, non tamen cognoscit finem, sed dirigitur ad finem ab aliquo cognoscente finem ; propter quod dicit Commentator 12. Metaphysicæ, c. 18. quod natura non agit nisi rememorata ex causis superioribus, opus enim naturæ est opus intelligentiæ, qui est Deus omnia cognoscens ; sed rationes ideales sunt ipsæ res positæ in esse cognito, et objectivo intellectui divino ; sed bene verum est, quod pro univocatione generationis in istis inferioribus salvanda, non est necessarium ponere ideas Platonicas, sicut hîc arguit Aristoteles contra eum. Deinde cum dicit :

Licet rationes Aristotelis destruant ideas Platonicas, non tamen ideas divinas.

> Similiter autem palam, quia si sit Socrates sempiternus, erunt ejusdem exemplaria plura, quare et species, ut hominis, animalis, aut bipedis : Simul autem τὸ αὐτὸ ἄνθρωπος. 93.

Ponit secundam rationem, quæ sic formari potest : si ideæ ponun-

Superflue ponuntur unius exem-

plati plura exemplaria.

tur exemplaria sensibilium; ergo unius exemplati erunt plura exemplaria, quod videtur inconveniens et superfluum. Consequentia patet ex hoc, quia sicut Socrates aliquid addit supra hominem, ita homo aliquid addit supra animal, et ipse Socrates utrumque participat; si igitur præter Socratem sensibilem, poneretur alius Socrates sempiternus quasi exemplaris, sequitur quod ille Socrates sensibilis haberet plura exemplaria scilicet Socratem sempiternum, et ideam hominis. Eadem etiam ratione sequitur, quod species hominis habet plura exemplaria, ut animal et ipsum bipes, et ipsa similiter hominis idea. Dicit ergo : *Similiter palam, quia etiam si sit Socrates sempiternus, erunt ejusdem exemplaria plura* modo præexposito, *quare et species hominis habebit,* supple plura exemplaria, ut animal et bipes. *Similiter autem* τὸ αὐτὸ ἄνθρωπος, id est, idea hominis, quæ supple habebit plures alias ideas et plura exemplaria. Deinde cum dicit :

Amplius autem non sensibilium species exemplaria, sed etiam ipsarum, ut genus specierum. Quare idem erit exemplar et imago.

Ponit tertiam rationem, quæ sic formari potest : sicut se habet species ad individuum, sic se habet genus ad speciem, sed species sunt exemplaria individuorum; ergo genera erunt exemplaria specierum. Dicit ergo quod *non* solum *species erunt exemplaria sensibilium,* id est, individuorum, *sed etiam earum specierum, ut genus,* id est, genus erit exemplar specierum, quod scilicet est inconveniens, *quia idem erit exemplum,* id est, *exemplar et imago,* id est, exemplatum. Deinde cum dicit :

Amplius videbitur esse utique impossibile, separatim substantiam, et cujus est substantia. Quare quomodo ideæ rerum substantiæ erunt existentes separatim ? Text. com. 33.

Ideæ Platonicæ non possunt esse substantiæ sensibilium.

Ostendit, quod ideæ non proficiunt sensibilibus, quantum ad substantiam, id est, quod sint substantiæ sensibilium. Et intendit talem rationem : impossibile est ipsam substantiam rei esse separatam ab ipsa re ; sed ideæ ponuntur separatæ ab ipsis sensibilibus; ergo non possunt esse substantiæ sensibilium. Dicit ergo quod *Amplius autem videbitur,* scilicet vere alicui *impossibile esse separatim substantiam, et illud cujus est substantia ;* ergo *quomodo ideæ existentes substantiæ rerum* scilicet secundum Platonem, *separatæ erunt?* quasi diceret impossibile est esse. Deinde cum dicit :

In Phædone vero sic dicitur, quasi ipsius esse et fieri causæ sint species. Et etiam in existentibus speciebus cum non fiunt participantia, si sit quod movit. Text. c. 34.

94. Nequeunt esse causæ sensibilium.

Ostendit quod ideæ non proficiunt sensibilibus quantum ad eorum fieri. Licet Plato hoc dixerit in Phædone, id est in quodam libro sic nominato, ibi enim ponit quod ideæ *sint causæ sensibilium, et quantum ad esse, et quantum ad fieri.* Contra hoc arguit duplici ratione. Secundam ponit ibi : *Et multa sunt alia.* In prima parte intendit talem rationem, posita causa sufficienti ponitur ejus effectus;sed existentibus speciebus sive ideis, non propter hoc fiunt hæc ipsa individua participantia ipsas ideas, nisi fit ali- al. fiunt.

quod motivum, id est, agens particulare, quod moveat ad speciem et ad formam; ergo ideæ non erunt causæ rerum quantum ad esse, et quantum ad fieri, littera patet.

Notandum, quod ideæ secundum Platonem semper sunt uniformiter se habentes. Si igitur ideis positis fierent individua sensibilia, sequitur quod individua semper essent et semper fierent, quod apparet esse falsum; ergo ideæ non proficiunt sensibilibus nec quantum ad esse, nec quantum ad fieri, maxime cum secundum Platonem ideæ non ponantur causæ motivæ, ut jam superius fuit dictum. Deinde cum dicit :

Et multa alia, ut domus et annulus, quorum non dicimus species esse, quare palam quia contingit alia esse et fieri, præter tales causas, quales et nunc dictæ sunt.

Ponit secundam rationem, quæ sic formari potest : sicut se habent artificialia ad causas artificiales, sic naturalia ad causas naturales, sed artificialia, puta domus et annulus, fiunt a causis suis, quorum Platonici species non ponebant; ergo naturalia contingit fieri a suis proximis causis naturalibus et non ab ideis. Dicit ergo, *quod multa alia* sunt scilicet artificialia, *ut domus et annulus, quorum species esse non dicimus nos* scilicet Platonici. *Quare palam, quia contingit aliqua fieri et esse* scilicet naturalia
Al. dictæ. *præter tales causas, quales nunc dictas*, id est, præter ideas, vel tales causas, quales nunc dictas, id est, naturales quales contingit esse nunc dictas, id est, quod sic res naturales fiunt a causis naturalibus proximis, sicut artificialia a rebus artificialibus, ut nunc proxime dictum fuit etc.

SUMMARIUM.

Refutat Platonem ponentem suas ideas esse numeros sex rationibus, quas optime exponit Doctor, earum efficaciam confirmans.

Amplius, si sint numeri species, quomodo causæ erunt? utrum quia alii numeri sunt existentia ipsa, ut hic quidem numerus homo; ille vero Socrates, et alius Callias? Quid igitur his sunt causæ illi? Nec enim refert, si hi quidem sempiterni sunt, illi vero non, 95. Text. c. 35.

Si vero quia rationes numerorum, et hic ut symphonia, palam quia est unum quid, quorum sunt rationes. Si itaque hæc materia, manifestum quia et ipsi numeri aliquæ rationes sunt alius ad aliud. Dico autem si est Callias ratio in numeris ignis, et terræ, et aquæ, et aeris, et τὸ αὐτὸ ἄνθρωπος, sive numerus quis existens, sive non. Tamen erit ratio in numeris quorumdam, et non numerus. Et non erit quis præter ea numerus. Text. c. 36.

Postquam philosophus disputavit contra Platonem quantum ad hoc, quod posuit ideas separatas, nunc disputat contra eum quantum ad hoc, quod posuit ideas esse numeros, et dividitur in duas partes. Quoniam primo probat positionem Platonis de numeris. Secundo de magnitudinibus. Secunda ibi : *Volentes autem.* Prima dividitur in sex, secundum sex rationes, quas ponit contra ponentes numeros. Secunda ibi : *Amplius ex multis.* Tertia ibi : *Amplius est aliquod.* Quarta ibi : *Amplius unitates.* Quinta ibi : *Amplius quare.* Sexta ibi : *Amplius autem cum dictis.* In prima parte innuit rationem, et tres responsiones possibiles fieri, et earum reprobationes tangit breviter et obscure. Ratio talis est : Impossibile est ideam esse causam et principium suimet; sed, per te, illa sensibilia sunt qui- Contra ideas Platonis in quantum eas numeros posuit.

dam numeri. Si ergo ideæ sunt quidam numeri et sunt causæ sensibilium, ut dicis; ergo numeri erunt causæ et principia numerorum, et per consequens idem erit causa suimet. Si respondeas primo, quod alii sunt numeri illi et hi, ut Plato etiam dixit, sicut dictum fuit supra. Contra, quia cum utrique sint numeri, et conveniant in ratione numeri, non videtur ratio quare magis illi sint causæ istorum et isti non illorum, vel debes dicere quare, ideo dicit : *quid igitur his sunt causæ illi.* Si dicas secundo, quod illi numeri sunt sempiterni, isti non, ideo illi possunt esse causæ istorum, et non e converso. Contra, quia propter hoc nihil differrent, nam sempiternitas, vel non sempiternitas sunt rationes absolutæ; esse autem causam et causatum sunt rationes respectivæ, ideo ex sempiternitate, vel non sempiternitate non potest reddi sufficiens ratio, quia hoc sit causa, et illud sit causatum, nisi plus addas, ideo dicit quod nec sic differunt. Si dicas tertio, quod illa sensibilia sunt quædam rationes, id est, proportiones numerorum sicut symphonia musicalis; et ideo numeri illi sunt causæ istorum, quia proportiones numerales applicantur istis rebus eo modo, quo numeri dicuntur causæ symphoniæ, et proportiones numerales applicantur ad symphoniam.

Contra : quia ex hoc sequitur contra te, quod ideæ non erunt numeri separati, ideo nullus erit separatus. Probatio hujus consequentiæ, quia si sic, oportet quod illi numeri sive proportiones numerales, applicentur ad aliquod genus, sic quod quidquid continetur sub illo genere, sit substantialiter quædam proportio numeralis; sicut proportiones numerales, quæ sunt principia symphoniæ applicantur ad aliquod genus, scilicet ad sonum, ut quidquid continetur sub sono, sit quædam proportio numeralis. Illud ergo genus in proposito sit materia, puta quod ideæ illæ sunt quædam proportiones terræ, aeris, vel aquæ, et ignis, ex quibus res materialiter componuntur sensibiles, et tunc sequitur, quod ideæ non erunt numeri separati, sed numeri applicati, et quædam proportiones rebus applicatæ, cujus contrarium asserebat, et hoc est quod dicit : *Amplius si species*, id est, ideæ *sunt numeri*, *quomodo erunt causæ?* scilicet sensibilium, quasi dicat, non potest dici, cum ipsa sensibilia sint etiam quidam numeri, et sic idem esset causa suimet. Postea tangit primam solutionem dicens : *utrum quia ipsa existentia*, id est, ipsa sensibilia entia, *sunt alii numeri*, scilicet ab ipsis ideis, *ut hic quidem numerus homo; ille vero Socrates, et alius Callias ;* sed hoc supple non sufficit, *quid igitur*, id est, quare *his sunt causæ illi?* quasi diceret, quod non potest dari ratio, cum utrique communicent in nomine et ratione numeri. Postea innuit secundam solutionem dicens : *nec enim differunt, si hi quidem numeri sempiterni, isti vero non,* modo præexposito. Postea innuit tertiam solutionem dicens : *si vero*, scilicet dicas, quod hæc scilicet sensibilia, *sunt rationes,* id est, proportiones numerorum, *ut symphonia*, *palam*

quia quorum unum quid, id est, genus *quorum sunt rationes* ad quod applicantur illæ proportiones; *sed si hæc sit materia, manifestum et ipsi numeri ideales,* scilicet et separati *alicujus erunt rationes,* id est, proportiones *ad alium,* scilicet applicatæ, quod exponit : *Dico autem si est Callias ratio,* id est, proportio *in numeris terræ et aeris, ignis et aquæ, et* τὸ ἀυτό ανθρωπος id est, homo idealis *sive numerus quis existens, sive non; tamen ipse,* scilicet homo idealis, *erit ratio,* id est, proportio *quorumdam in numeris, et non erit quis numerus præterea,* id est, præter res numeratas, id est, quod homo idealis erit proportio aliquorum numeratorum, sive ipse in se ponatur numerus esse, sive non secundum duas opiniones. Nam quidam dicunt ideas esse numeros, ut Platonici; quidam non, ut Philosophi aliqui Naturales, et sic nullus erit numerus separatus. Deinde cum dicit :

Text. com. 37. Amplius ex multis numeris unus fit numerus, ex speciebus autem una species qualiter ?

96. Ponit secundam rationem. Circa quod duo facit. Primo præmittit rationem. Secundo excludit quamdam responsionem. Secunda ibi : *Sed si nec ex eis.* In prima parte intendit talem rationem : Ex multis numeris fit unus; ergo si ideæ sint numeri, ex multis ideis fieret una, quod est impossibile, quod scilicet ex multis diversarum specierum constituatur aliquod unum in specie. Dicit ergo : Quod *amplius ex multis numeris fit unus numerus; ex speciebus autem,* id est, ideis, *qualiter fiet una species?* quasi dicat, hoc impossibile.

Quomodo ex elementis generatur forma mixti. Notandum, quod impossibile est fieri aliquod unum secundum speciem ex multis diversarum specierum, nisi ista diversa corrumpantur quantum ad suas formas, et non maneant in actu perfecto proprio formali. Exemplum, ex quatuor elementis, quæ sunt alterius speciei, generatur mixtum unius speciei, puta lapis; ipsa tamen elementa corrumpuntur totaliter quantum ad suas formas, et transeunt in ipsum mixtum secundum opinionem quam credo veriorem.

Est opinio. Doct. in 2. dist. 15. Ad propositum ex diversis speciebus non fit aliquod unum secundum rationem speciei, sed ratione individuorum, quæ possunt ad invicem alterari et permisceri. Species autem numerorum, si conjungantur, numerum constituunt, sicut ternarius et quaternarius constituunt septenarium, quod de ideis non videtur posse intelligi. Deinde cum dicit :

Text. com. 38. Sed si nec ex ipsis sed ex unis, ut in millenario quomodo se habent unitates ; sive enim ejusdem speciei, multa inconvenientia accidunt ; sive non ejusdem speciei, nec eædem sibi invicem ; nec aliæ omnes omnibus.

Quomodo namque differunt impassibiles existentes ? Nec enim rationabilia hæc, nec consentanea menti.

97. Excludit responsionem quæ posset dari a Platone, scilicet quod ex multis numeris non fit unus numerus, sed quilibet numerus fit ex unitatibus; immediate hanc excludit, dicens *quod si* dicatur quod *nec* numerus fit *ex eis,* id est ex numeris, *sed ex unis,* id est, unitatibus, *ut in numero millenario,* vel quolibet alio, quia quomodo *se habent* ad invicem illæ *unitates,* quæ numerum faciunt, quia vel sunt conformes

ad invicem, vel difformes; *si namque conformes, multa inconvenientia accidunt,* quia scilicet sequitur contra ponentes ideas esse numeros, quod diversæ ideæ non differant secundum substantiam, sed solum secundum excessum unius super aliam; sicut unus numerus excedit alium in pluralitate unitatum; videtur etiam inconveniens quod unitates sint multæ et non differant, sed sunt conformes, cum ad multitudinem sequatur diversitas et difformitas aliqualis; si vero non sunt conformes, hoc potest esse dupliciter. Uno modo, quod unitates unius numeri sunt difformes ab unitatibus alterius numeri, puta unitates senarii ab unitatibus ternarii, et tamen unitates ejusdem numeri sint sibi invicem conformes. Alio modo, quod unitates ejusdem numeri, nec sibi invicem, nec unitatibus alterius numeri sint conformes. Et hanc divisionem innuit cum dicit : *Et si non conformes, nec eædem sibi invicem, nec aliæ omnes omnibus,* quæ scilicet pertinent ad diversos numeros; quod autem non ponatur difformitas inter unitates arguitur, quia omnis difformitas est per aliquam formam vel passionem, sicut corpora mixta sunt difformia caliditate, frigiditate, dulcedine, amaritudine et hujusmodi passionibus; unitates autem cum sint impassibiles, secundum Platonem, non habent tales passiones, nec per consequens possunt per tales passiones difformari ab invicem, et differre. Et hoc est quod dicit, *quomodo namque differunt,* scilicet unitates *impassibiles existentes,* quasi dicat, quod nequaquam.

Multitudo arguit difformitatem

Causæ difformitatis sunt passiones.

Al. intelligere.

Concludit ergo quod ea supple quæ de ideis, et numeris dicta sunt a Platone *nec sunt rationabilia*, id est, conclusa per certam rationem ; *nec intelligentiæ confessa,* id est, nec per se nota, sicut principia quæ solo intellectu sunt nota, et confessa. Deinde cum dicit :

Amplius autem aliud aliquod genus numeri facere est necesse, circa quod sit Arithmetica. 98.

Et omnia intermedia dicta ab aliquibus simpliciter, ex quibus fiunt principiis, aut quia intermedia eorum quæ hic, et ipsorum erunt. Text. c. 3

Ponit tertiam rationem, quæ sic formari potest : Si ideæ sunt numeri, ergo erit aliquod tertium genus numerorum inter ideas, et res sensibiles, de quibus erit Arithmetica; consequens videtur inconveniens et superfluum, cum tam ideæ quam res sensibiles sint quidam numeri; quare infra sensibilia, et ipsas ideas ponere oportet numeros medios, non videtur consequentia neganda; quia sicut in aliis generibus tu ponis eadem media, et eadem ratione in genere numerorum debes ponere aliquod medium. Dicit ergo quod *amplius autem necesse est, facere aliquod aliud genus numeri,* quod scilicet sit medium inter ideas et res sensibiles, quæ omnia ponuntur quidam numeri esse ; *circa quod genus medium erit Arithmetica; et hæc omnia infra dicta,* id est, intermedia, ut sunt dicta secundum Platonem, *aut sunt sicut ex quibus simpliciter fiunt,* scilicet ex proximis principiis, *aut ex quibus fiunt primis.* Hoc autem dicit, quia secundum unam opinionem videtur quod numeri sint immediata principia aliquorum Mathematicorum,

nam unum dicebant constituere punctum, et binarium lineam, et ternarium superficiem, et quaternarium corpus, secundum quod dicitur primo de Anima, text. com. 5. et inde. Secundum autem aliam opinionem Mathematica videntur resolvi in numeros, sicut in prima principia et non proxima; nam corpora dicebant componi ex superficiebus, superficies ex lineis, lineas ex punctis, puncta ex unitatibus, quæ constituunt numeros, de qua opinione habetur tertio de Cœlo, et mundo, text. com. 26. et inde, utroque tamen modo numeri erunt principia Mathematicorum;

Quomodo numeri sunt principia Mathematicorum duobus modis secundum quosdam.

sicut enim Mathematica erant principia media inter sensibilia et ideas, ita oportet facere aliquod genus numeri medium inter numeros qui sunt ideæ, et numeros qui sunt substantiæ rerum, de quibus fit Arithmetica, ut de proprio subjecto; postea destruit conclusionem dicens arguendo : *quare infra principia*, id est, sensibilia, et species, id est, ideas supple erit aliquod medium, quod dicendum non videtur, cum sint numeri tam sensibilia quam ideæ. Deinde cum dicit :

99. Text. com. 20. Amplius unitates, quæ sunt in dualitate, utraque est ex aliqua priore dualitate quamvis impossibile.

Ponit quartam rationem, quæ sic formari potest : Si ideæ essent numeri, ergo aliqua dualitas esset prior unitate, consequens est falsum, ergo et antecedens. Consequentiam breviter probat dicens : *amplius unitates, quæ sunt in dualitate, utraque,* scilicet tam sensibilis quam Mathematica, *est ex aliqua priori dualitate, et hoc est impossibile;* vult dicere quod ea, si quæ sunt in sensibilibus et Mathematicis, ponuntur causata ex ideis; ergo si aliqua unitas reperiatur in sensibilibus et Mathematicis, oportet quod utraque unitas talis dualitatis posterioris, sit causata ex priori dualitate, quæ est idea dualitatis; sed hoc est impossibile, quod unitas ex dualitate causetur, sed magis potest dici e converso. Deinde cum dicit :

Amplius quare *unum* numerus est collectus?

Ponit quintam rationem, quæ talis est : Multa non concurrunt ad constituendum aliquod unum, nisi sit aliqua causa conjungens illa concurrentia multa; sive sit causa extrinseca, ut agens; sive intrinseca, ut aliquod vinculum copulans, et conjungens, puta viscus et clavus : sed nullum istorum potest dici de unitatibus; ergo unitates non constituunt ideam unam. Ideo dicit : *Amplius quare unum est numerus collectus?* quasi diceret, quod non videtur posse causa dari. Deinde cum dicit :

Multa non faciunt unum nisi adsit aliquid conjungens utraque.

Amplius cum dictis, si sint differentes unitates, oportebit utique dicere quemadmodum quicumque elementa quatuor, aut duo dicunt. Etenim horum quilibet non commune dicit elementum esse ut corpus, sed ignem, et terram, sive sit commune corpus ipsum, sive non. Nunc autem dicitur quasi uno existente, quemadmodum igne, aut aqua, similium partium; si vero sic, non erunt substantiæ numeri. Sed palam, quia sic omne est aliquid unum ipsum, et hoc est principium. Quare multipliciter dicitur ipsum unum, aliter enim impossibile est. Text. com. 41.

Ponit sextam rationem, quæ sic formari potest : Si numeri sunt ideæ et substantiæ rerum, oportet 100.

quod vel unitates sint differentes, vel convenientes, ut superius dicebatur; si sunt differentes, sequitur quod unitas, inquantum unitas, non sit principium, sicut patet a simili; nam aliqui Philosophi Naturales ponentes quatuor elementa esse principia, ut Empedocles, non ponebant corpus commune esse principium, licet corpus sit quoddam commune ipsis quatuor elementis; sed ponebant principia rerum terram, aquam, aerem, ignem quæ sunt corpora differentia, unde licet unitates sint differentes, non tamen est dicendum, quod ipsa unitas inquantum unitas sit principium, quamvis omnes conveniant in ratione unitatis, quod est contra Platonem, qui vult quod ipsum *unum* sit principium, sicut Naturales dicunt principium esse ignem, vel aerẽm, vel aquam, vel aliquod hujusmodi. Et hoc est quod dicit : *Amplius* autem, *cum dictis*, scilicet rationibus, supple est ista ratio quæ sequitur, quia *si sint unitates differentes, oportebit ita dicere quemadmodum dicunt quatuor elementa alii duo eorum,* scilicet esse principia, ut fuerunt Philosophi Naturales, quod exponit dicens : *etenim quisque horum*, scilicet Philosophorum, *non dicit elementum*, id est, principium aliquod commune, *ut corpus*, sed ignem et terram, *sive corpus sit commune, sive non*, quia de hoc non curabant. *Nunc autem dicit* ab eis, quasi *uno existente*, scilicet illo principio quod ponebant : *quemadmodum aut igne, aut aqua similium partium ; si vero sic* est, *numeri non erunt substantiæ* rerum, id est, quod si hoc est verum, quod conclusum est contra Platonem, scilicet quod unum inquantum unum, non sit principium et substantia rerum, sequitur quod numerus non erit substantia rerum, quia numerus non ponitur substantia rerum, nisi prout constituitur ex unitatibus, quæ dicuntur substantia rerum, et per consequens est contra hoc quod dicitur, ideas esse numeros secundum substantiam. Si detur alia pars, scilicet quod unitates non sint differentes, sed uniformes : *palam quia omne*, id est, totum universum *est aliquod unum*, et idem ex quo substantia cujuslibet rei est, *ipsum* unum, quod est indifferens; sequitur etiam quod *hoc*, id est, illud unum *est principium*, scilicet omnium, quod est impossibile; tum ratione positionis in se, quæ de se est impossibilis, scilicet quod omnia sint unum substantialiter, nam omne unum est unum propria unitate; et si illud unum in numeris esset principium, res non differrent, quod est impossibile; tum quia concludit repugnantiam contradictionis, eo quod ponit omnium rerum esse unam substantiam, et tamen illud unum est principium, nam unum et idem, non est principium suimet, nisi forsan dicatur quod unum dicitur multipliciter, ut sic divisa multiplicitate unius dicantur omnia esse forsan idem genere, non idem specie, vel numero; ideo dicit, quod *multipliciter dicitur unum*, scilicet unum genere, unum specie et unum numero, *aliter enim impossibile est*, scilicet salvare omnia esse unum, nisi dividendo unum modo dicto. Tunc sequitur illa pars :

Unitas inquantum unitas non est principium.

Al. distinc unitate ... cantur

SUMMARIUM.

Refutat Platonicos ponentes magnitudines esse substantiam rerum sensibilium, duabus rationibus, quas bene explicat Doctor, ac etiam illam Platonicorum positionem.

101. Text. com. 42. Volentes autem substantias ad principia reducere. Longitudinem quidem ponimus ex producto et brevi; et ex aliquo parvo et magno; et planum ex lato et arcto; corpus vero ex profundo et humili.

Ubi disputat contra Platonem, quantum ad id quod posuit de magnitudinibus Mathematicis. Circa quod duo facit. Primo præmittit ejus positionem. Secundo subjungit positionis improbationem. Secunda ibi : *Attamen quomodo habebit.* Dicit ergo, quod Platonici *volentes rerum substantias ducere*, id est, reducere *ad principia*, id est, prima, *ponimus* nos, scilicet Platonici, *longitudines quidem*, id est, lineas supple componi *ex producto et brevi, et ex aliquo parvo et magno; et planum*, id est, superficies *ex arcto et lato,* id est, stricto et amplo, *corpus vero ex profundo et humili.*

Notandum, quod cum Platonici ponebant magnitudines esse substantias rerum sensibilium, scilicet lineam, superficiem, et corpus, assignantes principia istorum, putabant se rerum principia omnium assignasse; dicebant enim lineas componi ex longo et brevi, et sic de aliis, ex eo quod ponebant principia omnium rerum esse contraria, quia etiam linea est prima inter continuas quantitates, tribuebant ei magnum et parvum; ut ex hoc quod ista duo ponebant principia lineæ, ostendatur quod etiam sunt principia aliarum quantitatum, dicit enim constitui lineam ex aliquo magno et parvo; quia enim in ideis ponebant magnum et parvum, ut prædictum fuit, sed secundum quod ad situm contrahuntur, quodammodo determinantur ad magnitudinem, ita quod primo constituant lineam, et consequenter reliquas magnitudines. Deinde cum dicit :

(Ponentes principia omnium rerum esse contraria.)

At quomodo habebit aut planum lineam? aut solidum lineam et planum? Aliud autem genus est, et latum et arctum, et profundum et humile; quemadmodum ergo nec numerus est in eis, quia multum et paucum ab his alterum, palam quia nec aliud quidquam superiorum inerit inferioribus. At vero nec genus profundi latum, esset enim planum aliquod corpus. 102. Text. com. 43.

Subjungit istius positionis improbationem. Circa quod duo facit, secundum quod per duas rationes arguit contra eam. Secunda ibi : *Amplius autem puncta.* In prima parte intendit talem rationem : Quorum principia sunt diversa, et ipsa sunt diversa; sed principia prædictarum magnitudinum secundum dictam positionem sunt diversa; ergo ipsæ magnitudines sunt diversæ. Quomodo ergo poterit dici quod superficies habeat in se lineam, et corpus lineam, et superficiem? quasi diceret, non videtur. Dicit ergo; *Attamen*, si supple prædicta sunt vera, *quomodo aut habebit planum*, id est, superficies, *lineam, aut solidum*, id est, corpus, *lineam, et planum?* quasi diceret, non videtur. Cujus rationem subdit : *aliud est genus*, scilicet principiorum, *latum et arctum*, quæ sunt principia superficiei ; *et aliud humile et profundum*, quæ sunt principia corporis, quod declarat per simile in numero; multum etiam et paucum, quæ ponuntur principia numeri, sunt alterius

(Quæ habent diversa principia sunt diversa. Tange hæc quomodo in via Aristotelis corpus dicat tres dimensiones et superficies duas.)

generis a longo et brevi, et aliis prædictis, et ideo numerus non continetur in his magnitudinibus, sed est per se separatus; unde eadem ratione nec illud quod est superius inter prædicta erit in inferioribus, sicut linea non erit in superficie, nec superficies in corpora. Et hoc est quod dicit, *ergo numerus nec est in eis*, scilicet dictis magnitudinibus; *quia multum et paucum,* quæ scilicet sunt principia numeri, *diversum est ab his*, scilicet a principiis dictis, *palam, quia nec aliud nihil superiorum inerit inferioribus,* ut dictum est. Subdit. *At vero, sed nec latum est genus profundi,* quod probat, *et enim aliquod corpus esset latum,* id est, superficies. Hoc autem dicit, quia forte aliquis poneret quod prædictorum contrariorum principia sunt genera aliorum, sicut quod longum esset genus lati, et latum genus profundi, ut superficies corporis, quod patet esse falsum, quia tunc corpus esset aliqua superficies. Deinde cum dicit :

103. Amplius puncta ex quo existunt? Huic quidem generi et Plato oppugnabat, tanquam existente Geometrico dogmate. Sed lineæ principium vocabat. Hic autem multoties indivisibiles lineas posuit, quamvis necesse sit tantum aliquid horum esse. Quare ex qua ratione linea est et punctus est.

Ponit secundam rationem, quæ potest sic formari: Positio Platonis implicat contradictionem; ergo ipsa est impossibilis. Consequentia est evidens, sed antecedens probatur, ex eo quod Plato aliquando posuit punctum principium, aliquando lineas indivisibiles; erravit enim in hoc, quia cum punctus sit terminus lineæ, sicut linea superficiei, et superficies corporis, sicut posuit aliqua principia ex quibus prædicta componuntur, ita debuit aliquod ponere ex quo essent puncta, quod tamen prætermisit; et quantum ad hoc dicit : *Amplius puncta ex quo existunt?* quasi diceret, quod Plato prætermisit ex quo essent puncta, quod tamen debuit dicere. Postea addit quantum ad id quod dicta ratio concludebat, dicit, *de hoc quidem genere*, scilicet de puncto, *Plato contendebat*, id est, varie loquebatur, nam aliquando secundum eum, *doctrina Geometrica existente de puncto etiam ipsum*, scilicet punctum, *vocabat principium lineæ*; *hoc autem*, id est principium rerum, *posuit multoties lineas indivisibiles,* de *quibus,* scilicet est doctrina Geometrica ; et *est necesse terminum aliquem esse harum*, id est, quod tamen propter hoc quod posuit lineas indivisibiles esse principia omnium magnitudinum, non evasit quin puncta sint principia componentia magnitudines, cum sint principia indivisibilium linearum ; ideo subdit, *ex qua ratione*, scilicet *linea* indivisibilis est, supple principium magnitudinum, *eadem ratione et punctus est*, quia quod est principium principii est etiam principium principiati.

Erravit Plato non ponendo aliqua principia ex quibus essent puncta.

SUMMARIUM.

Refutat ea quæ dixit Plato de principiis essendi, sex rationibus. Nota, Doctorem hic in text. 47. ex Philosopho colligere, ens esse univocum omni enti, de quo agit quasi problematice 4. Met. q. 1. sed resolutive tenet esse univocum. 1. d. 3. q. 3. num. 7. et q. 2. a num. 5. et d. 8. q. 3. a num. 11. et q. 21. de Anima, ubi plura dixi de hoc in commentario.

Omnino autem sapientia de manifestis causam inquirente; hoc quidem prætermi- 104. Text. com. 44.

simus; nihil enim de causa diximus, unde principium est transmutationis; horum vero substantiam dicere putantes; ipsorum alias quidem substantias esse dicimus. Quomodo vero illæ substantiæ supervacaneæ, dicimus, nam et participare sicut prius diximus, nihil est. Neque quod in scientiis videmus existere causam, propter quam intellectus omnis, et omnis natura facit. Nec hanc causam, quam modo dicimus esse unum principiorum ideæ, speciesque tangunt. Sed ea facta est Mathematica præsentibus Philosophia dicentibus, aliorum gratia ea oportere tractari.

Hîc Philosophus disputat contra Platonem quantum ad hoc, quod opinatus est de rerum principiis. Circa quod duo facit. Primo disputat contra eum, quantum ad ea quæ sensit de principiis essendi. Secundo quantum ad ea quæ sensit de principiis cognoscendi. Secunda ibi: *Quomodo autem aliquis.* Prima in sex, secundum quod sex rationes addunt contra eum. Secunda ibi: *Amplius autem substantiam.* Tertia ibi: *Et de motu siquidem.* Quarta ibi: *Et quod quidem videtur esse.* Quinta ibi: *Nullam autem habent.* Sexta ibi: *Et omnino existentium.* In prima parte intendit talem rationem: Illa positio est insufficiens, quæ tractans de causis rerum, aliqua causarum genera prætermittit; sed positio Platonis est hujusmodi, nam prætermisit causam efficientem et finalem, formalem et materialem tetigit; ergo ista positio est in sufficiens. Dicit ergo quod *omnino sapientia*, id est, Philosophia, *inquirente causam de manifestis,* id est, de his quæ sensu apparent, *hæc enim*, id est, principia et causas rerum *prætermisimus* nos, id est, Platonici, *nihil enim diximus de causa, quæ est principium transmutationis*, id est, de causa efficiente; *horum vero substantiam*, id est, causam formalem

Ostendit Platonem errasse circa principia essendi rerum.

rerum, *dicere putantes; alias quidem esse substantias dicimus,* id est, ideas separatas a sensibilibus; *quomodo vero illæ substantiæ supervacue dicimus,* id est, modus, quo Platonici assignabant, illas ideas esse separatas rerum substantias, supervacuus est, nullam scilicet habens efficaciam, nec veritatem; dicebant enim, ideas substantias esse rerum secundum participationem, quod excludit dicens, *nam et participare nihil est, sicut superius diximus; nec* supple ponimus *causam,* scilicet finalem, *quam existentem videmus in scientiis,* quæ scilicet propter causam finalem demonstrant; *propter quam*, scilicet finalem causam *omnis intellectus, et omnis natura facit*, id est, omne agens sive per intellectum, et a proposito; sive naturaliter agit propter istam causam, quæ est finis, ut probatur 2. Physicorum. text. com. 49. et inde. Addit etiam, *nec qui*, scilicet ponunt species, id est, ideas, *tangunt causam quam dicimus esse unde principium*, id est, efficientem; hoc est dictu, quod ponentes ideas, sicut non tangunt finalem causam, sic nec tangunt efficientem, quæ fini opponitur, ut dicebatur circa principium hujus primi; *sed facta sunt Mathematica præsentibus*, id est, sensibilibus, *Physice dicentibus*, et *aliquorum*, scilicet sensibilium, *gratia tractari oportere*, ipsa Mathematica, scilicet hoc est dictum, quod Platonicis præmittentibus in sua Philosophia dictas causas, facta sunt naturaliter quædam Mathematica sine motu, dum prætermittebant principium et finem motus; unde dicebant, quod Mathematica oportet tractari non solum

propter seipsa, sed gratia sensibilium, inquantum passiones Mathematicorum sensibilibus adaptant. Deinde cum dicit :

105. Text. com. 43. Amplius autem substantiam subjectam ut materiam, magis Mathematicam aliquis suscipiet, et magis prædicari, et differentiam esse substantiæ et materiei, ut magnum et parvum, sicut Physiologi rarum et spissum primas subjecti dicentes esse differentias has. Hæc namque sunt superabundantia quædam, et defectus.

Ponit secundam rationem, quæ sic formari potest: Illud quod est materia rei, magis est substantia rei et prædicabile de re, quam illud quod est separatum a re ; sed ideæ sunt separatæ a rebus sensibilibus secundum te ; ergo materia erit magis prædicabilis de re quam ideæ separatæ, cujus oppositum Plato ponebat. Dicit igitur quod, *Amplius substantiam subjectam, ut materiam magis suscipiet quis Mathematicam*, id est, esse substantiam Mathematicorum et aliorum sensibilium; nam ideas ponebant respectu utrorumque; *et magis* scilicet prædicari debet materia de re, quia non est separata a re, quam supple idea separata, quod tamen est impossibile. Et addit, aut quomodo Platonici accipiebant rei materiam dicentes, quod *differentiam substantiæ et materiei*, dicunt supple Platonici, *magnum et parvum ; sicut Physiologi*, id est, Philosophi Naturales, *rarum et spissum dicentes esse primas differentias subjecti*, id est, materiæ, per quas materia transmutabatur; *ea namque* scilicet rarum et spissum, *sunt quædam superabundantia et defectus*. Nam rarum est, quod parum habet de materia, spissum, quod multum, dimensionibus existentibus æqualibus, rarum ergo et spissum quodammodo habent rationem magni et parvi, quæ ponebat Plato; et tamen supple secundum Platonem, ipsæ ideæ magis sunt substantiæ sensibilium et Mathematicorum, quam magnum et parvum, quæ sunt ut materia. Deinde cum dicit :

Magis prædicatur de re materia sibi inexistens, quam aliquid ab ea separatum.

Rarum spissum quid ?

Text. com. 46. Et de motu siquidem hæc erit causa motus; palam, quia moventur species. Sin autem, unde venit?
Tota namque de natura auferetur perscrutatio.

Ponit tertiam rationem, quæ potest sic formari : Si ideæ sint causæ sensibilium, inter ideas erit aliqua idea motus, vel non; si sic, cum motus non possit esse sine mobili, sequitur quod idea movetur, quod est contra Platonem ; si autem non sit idea motus, et ea quæ sunt in sensibilibus, ponuntur causari ab ideis, non erit dare unde veniat motus ad illa sensibilia, et sic tollitur tota scientia naturalis, quæ de rebus mobilibus inquirit. Dicit ergo, *et de motu siquidem hæc erunt causa motus, palam quia moventur species*, id est, ideæ ; *si autem non, unde venit*, scilicet motus in rebus ? quasi diceret, non est dare unde, et sic *tota namque auferetur perscrutatio de natura*.. Deinde cum dicit :

Et quod videtur facile esse monstrare, quod unum omnia non sint. Ex positione namque omnia unum non fiunt. Sed id aliquid unum si quis dat omnia et nihil hoc, si non genus dat universale esse. Hoc autem in quibusdam impossibile. 106.

Ponit quartam rationem, quæ sic formari potest : Si unum esset substantia omnium rerum, ut Platonici dixerunt; ergo omnia erunt

unum; consequens est falsum manifeste; ergo et antecedens. Antecedens patet a simili de Philosophis Naturalibus, qui dicentes aquam, vel tale quid omnium esse rerum principium, ponebant omnia secundum substantiam esse aquam, vel aliquod tale. Dicit ergo, quod *quidem videtur facile esse monstrare, quod unum omnia non fiunt*, quod supple sequitur ad opinionem Platonis. Si forte aliquis dicat, quod ex positione Platonis sequitur, omnia esse unum simpliciter, sed aliquid unum, sicut dicimus aquam esse unum secundum genus et secundum speciem; si sic dicatur, hoc non posset esse ut videtur, nisi ipsum unum esset universale genus omnium, quod videtur impossibile in quibusdam, sicut dicetur in 3. lib. Et hoc est, quod dicit: *nam ex positione*, scilicet Platonis, *non omnia fiunt unum, sed si quis dicat omnia unum esse id aliquid; nec hoc*, supple est possibile, *si non dat*, id est, ponat, *genus esse universale*, scilicet ipsum unum, *hoc autem impossibile in quibusdam*, scilicet videtur; per illum enim modum posset dici omnia esse unum universaliter, sicut dicimus hominem, vel equum, esse substantialiter animal. Deinde cum dicit:

Nullam namque rationem habent naturæ, quæ sunt post numeros, longitudines, latitudines, et solida, nec quæ modo sunt, aut futura sunt. Nec si aliquam habent virtutem. Hæc enim nec species possibile esse, non enim sunt numeri. Nec intermedia. (Sunt enim Mathematica.) Nec corruptibilia
Text. com. 47. Sed rursus videtur aliud hoc genus.

Ponit quintam rationem. Ad cujus evidentiam notandum, quod post numeros ponebat Plato esse substantias rerum sensibilium longitudines, id est, lineas, latitudines et soliditates, ex quibus scilicet sensibilia corpora componebantur; contra quod dicit, quod *nullam habent rationem*, ut scilicet ponantur *rerum substantiæ post numeros ipsæ longitudines et soliditates*; *nec quæ modo sunt, aut futura sunt*, id est, nec in præsenti, nec in futuro; *nec habent aliquam potestatem*, ad hoc, scilicet quod sint causæ rerum, quod probatur, quia Plato ponebat tria rerum genera, scilicet sensibilia, ideas et Mathematica; intermedia autem cujusmodi sunt lineæ et superficies, quæ ponuntur componere sensibilia, non possunt poni esse ideæ, quia ideæ sunt essentialiter numeri, hæc autem sunt post numeros; nec possunt intermedia esse Mathematica, quia Mathematica sunt separata a sensibilibus, hæc autem non, cum ponantur componere sensibilia corpora; nec possunt poni sensibilia esse, nam sensibilia sunt corruptibilia, hæc autem non; ergo vel ista erunt nihil, vel erunt quoddam quartum genus, quod Plato non dixit, et hoc est quod dicit: Ea namque, scilicet lineæ et superficies, etc. *nec possibile est esse species*, id est, ideas; *non enim sunt numeri*, sicut scilicet ideæ; *nec sunt*, quæ *infra*, id est, *Mathematica intermedia* propter rationem dictam; *nec sunt corruptibilia* cujusmodi sunt sensibilia, ut dictum est; *sed rursum videtur hoc esse aliud quartum genus*, quod scilicet Plato non dixit.

Rerum genera secundum Platonem sunt tria.

107. Immobilia solum sunt præsentia, mobilia ve-

Notandum, quod cum dicitur lineas, et superficies, etc. non esse substantias, vel principia, nec in præ-

ro futura, et præterita. Deus ergo est, qui est, omnia alia fuerunt et erunt.

senti, nec in futuro; per præsentia intelliguntur immobilia, quæ se habent eodem modo; per futura vero intelliguntur generabilia et corruptibilia, quæ habent esse post non esse, quasi in futuro. Deinde cum dicit :

Et omnino existentium quærere elementa, non dividentem multipliciter dicta, invenire impossibile est. Et aliter, secundum hunc modum quærentes ex quibus sunt elementis. Ex quibus enim facere, aut pati, aut ipsum rectum non esse accipere, sed si quidem substantiarum solum esse contingit; tunc quia existentium omnium elementa, aut quærere, aut putare habere, non est verum.

Ponit sextam rationem, quæ sic formari potest : Impossibile est accipere principia alicujus multipliciter dicti, nisi multiplicitas dividatur. Cum ergo ens dicatur multipliciter, quia dicitur de substantia et de aliis generibus ; Plato inconvenienter assignavit principia existentium, id est, entium non dividendo entia inter se. Dicit ergo, quod *omnino quærere elementa*, id est, principia existentium, id est entium, *non dividentem dicta multipliciter, impossibile est invenire;* et quia aliquis posset aliquibus convenientibus in nomine, et differentibus in ratione assignare principia propria singulis sine hoc, quod distingueret unum multiplex, hoc Platonici non fecerunt; et hoc declarat cum dicit, quod et *aliter*, id est, alia ratione inconvenienter rerum principia quæsierunt : *Quærentes ex quibus elementis*, scilicet sunt entia, sed secundum hunc modum quo scilicet quærebant, quia omnibus entibus sufficientia principia non aptabant; quia supple ex eorum dictis non est accipere, *ex quibus*, scilicet principiis, *est facere, aut pati, aut rectum*, et sic de aliis accidentibus, quia solum scilicet assignabant principia substantiarum. Unde subdit : *sed si substantiarum solum contingit esse*, scilicet principia, tunc omnium entium existentium, *non est verum, aut quærere elementa, aut putare habere;* non enim omnium entium sunt eadem principia simpliciter, ut ostendetur duodecimo hujus, text. c. 2. et in q. 2. in expositione.

Ecce secundum Aristotelem alia substant. habent propriam existentiam

Notandum, quod quia ens habet conceptum univocum communem omnibus entibus, ut ostendetur quarto hujus, ideo multiplicitas entis, quam tangit hîc Philosophus, non est multiplicitas convenientium solo nomine, sed est multiplicitas suppositorum, quæ univocationi entis non repugnat, et hoc modo habetur intentio Philosophi contra Platonem; quia cum ens habeat multa contenta supposita sibi, scilicet substantiam, æqualitatem, quorum non sunt eadem principia simpliciter, ut ostendetur duodecimo hujus, ideo Plato insufficienter egit assignando principia rerum, non distinguendo ens in suas partes subjectivas, quæ distinctio non est æquivoci, sed est vere univoci entis. Tunc sequitur illa pars.

Multiplicitas entis qualis.

Text. c. 19. et in . Asseri univocationem entis

SUMMARIUM.

Refutat quatuor rationibus Platonem ponentem, ideas esse principia cognoscendi. Nota juxta tertiam rationem ejus, materiam esse de rei quidditate. De quo dist. 3. d. 22. et 7. hujus q. 16.

Quomodo autem aliquis discet omnium elementa? Palam est, quia non est possibile præexistere cognoscentem prius. Sicut enim Geometrizare discentem, alia quidem oportet præscire, quorum est scientia, et 108.

de quibus debet discere, non prænoscit, ita et in aliis. Quare si qua est omnium scientia, ut quidam aiunt, nihil utique præexisteret hoc cognoscens.

Text. com. 48. Quamvis sit omnis disciplina per præcognita, aut omnia, aut quædam, aut per demonstrationem, aut per definitiones. Oportet enim ex quibus est definitio, præscire et esse nota, similiter autem et quæ per inductionem.

Ostendit Platonem errasse circa principia cognoscendi rerum quæ posuit esse ideas.

Ubi disputat contra Platonem quantum ad ea, quæ sensit de principiis cognoscendi. Ad evidentiam cujus notandum, quod Plato causas et principia cognoscendi in nobis posuit ideas, ita quod secundum eum eadem sunt principia essendi et cognoscendi. Contra quod arguit Philosophus per quatuor rationes. Secunda ponitur ibi : *At vero quod si existit.* Tertia ibi : *Amplius quomodo aliquis.* Quarta ibi : *Amplius autem.* In prima parte intendit hujusmodi rationem : Ideæ sunt causæ cognoscendi, ergo nihil contingit nos addiscere ; consequens est falsum ; ergo et antecedens. Consequentiam ipse probat ex hoc, quia nullus addiscit ea quæ præcognoscit. Dicit ergo, *quomodo autem aliquis addiscit elementa,* id est, principia omnium, si supple ex ideis in nobis scientia causatur? quasi dicat quod non ; quod probat scilicet quod nihil contingit addiscere : *palam autem quia non est possibile,* scilicet addiscere, *præexistere prius cognoscentem,* quasi scilicet nullus id præcognoscit, quod addiscere debet, sicut manifestat per exemplum : *nam sicut discentem Geometriam,* licet præcognoscat aliqua quæ sunt necessaria ad demonstrandum, puta principia, non tamen præcognoscit quod addiscere debet, similiter est in aliis scientiis; *quare si qua est omnium scientia, ut quidam aiunt, non præexistit hoc utique præcognoscens, quamvis sit omnis disciplina per præcognita, aut omnia, aut quædam,* id est, si ideæ sint rationes omnium scibilium, ut aiunt Platonici ; ergo non possumus aliquid addiscere, nisi dicatur aliquis addiscere res quas præcognovit ; verumtamen si ponatur aliquis addiscere, oportet quod præcognoscat illa quæ addiscit, aut omnia, id est, universalia, quorum quædam præcognoscuntur notitia habita per demonstrationem vel definitionem ; aut quædam, id est, particularia præcognoscuntur notitia habita per inductionem. Ideo subdit : *aut per demonstrationem, aut per definitionem, oportet enim ex quibus est definitio præscire et esse nota aliqua,* id est universalia, *similiter autem et quæ per inductionem,* ut sunt quædam particularia.

Notandum, quod virtus dictæ consequentiæ, et etiam consequentis tenet ex hoc, nam Plato dicebat, illas ideas esse essentias et substantias rerum ; si igitur erant causæ sciendi, nihil addiscere poteramus, sed omnia essent nobis naturaliter nota, et per consequens nihil possemus oblivisci. cum semper ideæ inessent, vel adessent nobis. Deinde cum dicit :

At vero si existit connaturalis, mirum quomodo latemus habentes potissimam scientiarum. Text. com. 49.

Ponit secundam rationem, quæ sic formari potest : Si ideæ sunt causæ cognoscendi ; ergo nihil contingit nos oblivisci ; consequens est falsum ; ergo et antecedens. Consequentia probatur sicut et præcedens. Dicit ergo, *Quod si existit con-*

naturalis, scilicet nobis scientia, id est, si ideæ sunt causæ scientiæ, *mirum est quomodo obliviscimur potissimæ disciplinarum*, id est, potissimæ disciplinæ, id est, scientiæ, si illa est nobis connaturalis, nec ejus possemus oblivisci, sicut patet de notitia principiorum, quæ nullus ignorat; si ergo scientia in nobis causetur ab ideis, non possemus earum oblivisci, quod est contra Platonem, qui dicit animam oblivisci scientiæ, quam habet naturaliter de omnibus propter unionem ad corpus, et quod postea per doctrinam addiscit, quod prius novit, ut sic addiscere non sit aliud nisi reminisci. Deinde cum dicit :

10 '. Amplius autem quomodo aliquis cognoscit ex quibus est? et quomodo erit manifestum? etenim hoc habet dubitationem. Ambiget enim aliquis quemadmodum et circa quasdam syllabas. Ili namque *syma* ex *s*. et *y*. et *m* et *a* dicunt esse. Alii vero quemdam alium sonum dicunt esse et cognitorum nullum.

Ponit tertiam rationem quæ talis est : Ad cognitionem rei non solum oportet scire formam rei, sed etiam principia materialia ex quibus constat illa res ; sed ex ideis non possunt cognosci nisi principia formalia, cum ideæ ponantur formæ rerum; ergo ideæ non sunt sufficientia principia cognoscendi rem, si principia materialia sint ignota. Majorem probat, quia de principiis materialibus contingit aliquando dubitare, sicut de illa syllaba, *syma*, de qua quidam dubitant, utrum sit composita ex quatuor litteris, aut sit tantum una littera habens proprium sonum. Dicit ergo, quod *amplius quomodo aliquis cognoscit*, supple principia materialia rei ex quibus est, et quomodo *erit manifestum*, quasi diceret, quod non, et subdit, *etenim hoc habet dubitationem ; ambiget enim aliquis*, scilicet de principiis materialibus rei, *quemadmodum est circa quasdam syllabas*; *hi namque syma ex s. et y. et m. et a. dicunt esse*; *alii vero quemdam alium esse sonum dicunt, et cognitorum nullum*, id est, dictam syllabam unam litteram habentem proprium sonum præter dictas, et cognitas quatuor litteras prædictas. Deinde cum dicit :

Al. sma al. tribus.

Ad completam rei notitiam non sufficit cognoscere formam,

sed requ[iritur] eti[am] cogniti[o] materia[e]

Amplius autem quorum est sensus quomodo aliquis non habens sensum cognoscet? quamvis oportebat si omnium sint elementa ex quibus, quemadmodum compositæ voces sunt ex propriis elementis.

Ponit quartam rationem quam intendit talem : Si ideæ sunt causæ cognoscendi ; ergo sensibilia cognoscimus sine sensu; consequens est falsum; ergo et antecedens. Consequentia probatur, ex hoc quod si ideæ causant in nobis scientiam omnium; causant ergo, et scientiam sensibilium. Cum ergo scientia ab ideis insit nobis per influxum quemdam et non per sensum, habemus scientiam de sensibilibus sine sensu. Dicit ergo quod, *Amplius autem, quorum est sensus*, hæc scilicet sensibilia, *quomodo aliquis cognoscit non habens sensum ?* quasi diceret, impossibile est, *et oportet equidem*, supple sensibilia cognoscere, *si* pro quia, ea sunt *elementa omnium*, ex quibus tanquam ex materia fiunt res : *quemadmodum voces compositæ*, puta syllabæ, vel dictiones, *compositæ ex propriis elementis*. Necessarium est ergo cognoscere sensibilia, et tamen est impossibile sine

Hinc a[r]gum. c[on]tra Ara[bes] et quos[dam] Theolo[gos] de influ[xu] intellig[en]tiarum

sensu, sicut cæcus a nativitate non potest scientiam de coloribus habere, quia deficiente sensu deficit scientia, quæ est secundum illum sensum ex 1. poster. text. 33. Tunc sequitur illa pars :

110. Text. com. 50. Al. Quoniam ergo dictas.

Quod quidem igitur dictas in Physicis causas quærere, nisi sint omnes, et extra has nullam habemus dicere, palam est ex prius dictis. Sed tenuiter hæ et modo quodam omnes prius dictæ sunt, modo vero quodam nullatenus.

Text. com. 51.

Balbutiens enim visa est prima Philosophia, de omnibus velut novum existens circa principium et primum ; quoniam Empedocles os dicit esse rationem, hoc autem est, quod quid erat esse et substantia rei. At vero similiter necessarium et carnis, et aliorum singulorum esse rationem aut nihil; propter hoc enim, et caro et os est, et aliorum unumquodque, et non propter materiam quam ille dicit ignem, et terram, et aerem, et aquam. Sed hoc alio dicente quidem similiter dixit ex necessitate, manifeste vero non dixit. De talibus quidem igitur ostensum est prius. Quæcumque vero de ipsis his dubitavit aliquis, resumamus iterum. Nam forsan ex ipsis abundabimus aliquid ad posteriores dubitationes.

Epilogus primi libri.

Ubi Aristoteles pertractatis opinionibus antiquorum de causis et principiis entium concludit, et recolligit circa dicta, et continuat dicta dicendis. Dicit ergo, quod *quoniam ergo dictas causas in Physicis, nisi sunt quærere omnes*, scilicet Philosophi antiqui, et quod *extra has nullam habemus dicere*, id est, nullam aliam tetigerunt, *palam est ex prius dictis;* sed tamen antiqui Philosophi illas quatuor causas tetigerunt, obscure tamen, et *modo quodam omnes*, scilicet causæ *prius dictæ sunt ab eis, modo vero quodam nullatenus*. Unde accidit eis sicut pueris, qui noviter tentantes loqui balbutiendo proferunt quæ loquuntur, ideo dicit quod *balbutiens visa est prima Philosophia de omnibus, aut nova existens circa principia rerum ;* sicut patet de Empedocle, *quoniam, et ipse Empedocles ipsum os dicit rationem*, id est, proportionem mixtionis ; *hæc autem est, quod quid erat esse, et substantia rei*, id est, quod quia illa proportio elementorum mixtorum videtur esse forma rei, necesse est esse rationem, id est, proportionem mixtionis, *carnis, et aliorum singulorum, aut nihil*, id est, propter hoc enim, et non propter aliud omnia ista videntur esse ex elementis commixta ; et *propter hoc enim* Empedocles *caro et os est, et aliorum unumquodque, et non propter materiam quam* scilicet materiam, *ille dicit ignem, et terram, et aerem, et aquam*, id est, quod ex hoc patet, quod caro et os, etc. non sunt illud, quod sunt propter materiam, sed propter principium formale, quod ponebat illam mixtionem ; *sed hæc alia quidem dicente dixit simul ex necessitate*, manifeste enim non dixit, id est, quod Empedocles coactus necessitate ita dicente, et ostendente posuit hoc, licet non expressit manifeste, quia clare non tetigit naturam formæ, *de talibus ergo ostensum est prius*, licet ab eis imperfecte dicta sunt. *Quæcumque vero de his dubitaverit aliquis,* scilicet ad unam partem, vel ad aliam, *recapitulabimus iterum,* scilicet in 3. libro : *nam forsan ex eis*, scilicet ex talibus dubitationibus, *investigabimus aliquid*, scilicet utile, *ad posteriores dubitationes*, quas scilicet per libros sequentes, et totam istam scientiam determinando prosequemur, et sic est finis hujus primi libri.

LIBER SECUNDUS

Refutatis antiquorum opinionibus in primo libro, accedit in hoc secundo ad propriam intentionem, in quo tribus capitibus agit de pertinentibus ad considerationem veritatis in communi, explicans caput primum, quomodo ejus consideratio sit facilis et difficilis. Liber iste etiam est ex parte prœmialis, et unicam tantum continet summam in tria capita divisam. Quod ait Doctor infra cap. 1. *num.* 3. *confusa esse prius nobis nota, intellige, cognitione confusa, non distincta, de quo vide eum primo hujus,* q. 10. *et ibi Scholium primum. De eo quod ait ibidem, num.* 4. *difficultatem intelligendi esse ex parte intellectus nostri; vide ipsum hîc, q.* 3. *et ibi Scholium ultimum. Quod ex peccato sit, nos dependere a phantasmatibus in intelligendo, docet* 2. *d.* 3. *q.* 8. *ad primum, et alias ex Augustino.*

SUMMA UNICA.

De Speculatione Veritatis.

CAPUT I.

Quomodo facilitas et difficultas accidunt circa considerationem veritatis?

1. Text.com.1. De veritate autem theoria sic quidem difficilis est, sic vero facilis.

Hîc incipit secundus liber, ubi Philosophus postquam pertractavit opinionem antiquorum de causis et principiis entium, accedit ad suam propriam intentionem, pertractando ea quæ pertinent ad considerationem hujus scientiæ.

Veritas, et scientia de veritate duplex. Ad cujus evidentiam notandum, quod omnis scientia est de veritate. Differenter tamen est hoc, quia aliæ scientiæ particulariter considerant de veritate, ista autem universaliter, et ideo ad hanc proprie pertinet considerare, quæ respiciunt universalem veritatem. Et secundum hæc, ista pars dividitur in duas, quia primo agit Philosophus de his quæ spectant ad considerationem veritatis in communi. Secundo descendit ad ea quæ spectant specialiter ad considerationem hujus scientiæ. Secunda ibi, in principio tertii : *Necesse est ad quæsitam.* Prima dividitur in tres, quia primo præmittit qualiter facilitas et difficultas accidant circa notitiam et considerationem veritatis. Secundo, ostendit ad quam scientiam maxime pertinet considerare et habere notitiam veritatis. Tertio exponit modum acquirendæ veritatis. Secunda ibi : *Vocari vero Philosophiam.* Tertia ibi : *Contingunt autem.* Prima in duas, quia primo facit, quod dictum est. Secundo, ostendit quomodo homines mutuo se juvant in acquisitione veritatis. Secunda ibi : *Non solum autem his.* Prima in duas, quia primo proponit, quod consideratio veritatis est quodammodo facilis et aliquo modo difficilis. Secundo probat propositum ibi : *Signum autem.* Dicit ergo, quod *theoria*, id est, speculatio, vel consideratio, *de veritate sic quidem,* id est, uno mo- Speculat[io] verita[tis] est facil[is] et diffici[lis].

do *difficilis, sic quidem*, id est, alio modo *facilis.* Deinde cum dicit :

2. Signum autem est, neque digne quemquam adipisci ipsam posse, nec omnes exortes esse, sed unumquemque aliquid de natura dicere. Et secundum singulos quidem nihil, aut parum ei immittere, ex omnibus autem coacervatis fieri magnitudinem aliquam.

Probat propositum, assignando causam dicti. Circa quod duo facit, quia primo ostendit quomodo consideratio de veritate est facilis. Secundo, quomodo est difficilis. Secunda ibi : *Sed habere.* Prima in duas, quia primo reddit causam dicti. Secundo corollarie infert quoddam ex prædictis. Secunda ibi : *Quare sic videtur.* Dicit ergo, quod *signum est* supple, quod consideratio de veritate sit facilis, *nullum eam digne acquirere posse, nec omnes exortes esse*, id est, si nullus eam perfecte habeat, tamen nec omnes latet ; ideo dicit : *sed unumquemque quidem de natura aliquid dicere*, id est, quod quilibet aliquid novit, et potest enuntiare de natura rerum, cujus probatio est, quia *secundum unumquemque quidem nihil, aut parum ei est immittere;* ex omnibus autem, *coarticulatis fieri magnitudinem aliquam*, id est, quod quilibet seorsum nihil, aut parum novit de veritate, et parum immittit ad gazophylacium veritatis; tamen si omnia coarticulentur, et congregentur, fiet aliqua una magna quantitas. Deinde cum dicit :

3. Quare si sic videtur habere, ut proverbialiter dicimus : in foribus quis delinquet? sic quidem utique erit facilis.

Ad hunc textum vide jam q. 1. 2.

Infert quoddam corollarium ex prædictis, dicens : *quare* supple quilibet potest aliquid de veritate cognoscere, licet parum *sic videtur habere*, scilicet circa notitiam veritatis, *ut dicimus proverbialiter, in foribus quis delinquet?* id est, sicut dicimus communiter, quod in januis domorum nullus errat, licet enim interiora domus possunt ignorari, tamen circa introitum nullus errat; similiter in cognitione veritatis sunt aliqua per se nota, circa quæ nullus errat, sunt prima principia, puta, *non contingit idem esse et non esse*, et *omne totum est majus sua parte.* Circa conclusiones autem, ad quas per talia principia, quasi per januam pervenitur, contingit errare; concludit ergo *hoc modo*, cognitio veritatis *est facilis*, inquantum, scilicet est cognitum principium per se notum, per quod, quasi per januam omnibus notam, introitur ad notitiam veritatis.

Proverbium.

Circa prima principia nullus errat.

Notandum, quod hæc quæ in notitia veritatis se habent, ut fores in domo, sunt principia complexa, quæ secundum complexionem sunt sicut locus januæ, quem nullus ignorat. Deinde cum dicit :

Habere autem totum, aut partem non posse, difficultatem ejus ostendit.

Ostendit quomodo sit difficilis consideratio veritatis. Circa quod duo facit. Primo proponit intentum. Secundo reddit causam dicti. Secunda ibi : *Forsan autem.* Dicit ergo, quod *habere* ibi scilicet in consideratione veritatis *totum et partem non posse, ostendit difficultatem ejus.*

Notandum, quod hoc quod dicitur de toto et de parte exponitur uno modo sic, scilicet quod duplex est via procedendi ad cognitionem veritatis; una quidem per mo-

dum resolutionis, secundum quam procedimus a compositis ad simplicia, et a toto ad partem, sicut dicitur 1. physic. text. c. 3. quod confusa sunt nobis prius nota, et seundum hanc viam tunc est perfecta notitia veritatis, cum perventum est ad cognoscendum distincte singulas partes rei. Alia via est per modum compositionis, per quam proceditur e converso, scilicet a simplicibus ad composita et a partibus ad totum, et secundum hanc viam tunc est perfecta et imperfecta eo modo, quo imperfectum large dicitur pars perfecti; quia igitur multi imperfecte cognoscentes veritatem opinantur, se cognoscere perfecte, nescientes distinguere inter perfectum et imperfectum, et inter totum et partem, ideo ex hoc ostenditur difficultas circa notitiam veritatis. Deinde cum dicit :

Duplex via procedendi ad cognitionem veritatis.

4. Ad hunc textum e q. 2. 2.

Forsan autem, et difficultate duobus modis existente, non in rebus, sed in nobis est ejus causa. Sicut enim nycticoracum oculi ad lucem diei sese habent, sic et animæ nostræ intellectus ad ea, quæ sunt omnium naturæ manifestissima.

Reddit causam dicti. Dicit ergo, *forsan existente difficultate*, scilicet cognoscendi *secundum duos modos* supple, vel ex parte rerum cognoscibilium, vel ex parte intellectus cognoscentis, *non in rebus, sed in nobis est causa ejus,* scilicet difficultatis cognoscendi. Vult dicere, quod licet difficultas cognoscendi videatur accidere, vel ex defectu rei quæ cognoscitur, vel ex defectu intellectus qui cognoscit, tamen causa hujus difficultatis non est ex parte rerum, sed ex parte nostra ; quod probat cum subdit, *sicut oculi nycticoracum se habent ad lucem diei, sic et intellectus animæ nostræ ad ea quæ sunt manifestissima in natura,* et ideo signum est, quod defectus ille cognoscendi non est ex parte rerum, cum illæ sint manifestissimæ, quantum est de se et sua natura ; sed defectus est ex parte intellectus, sicut defectus visionis non est ex parte luminis diei, sed ex parte oculi nycticoracis, etc. Deinde cum dicit :

SUMMARIUM.

Gratias esse agendas his, qui pro veritate eruenda laborarunt, sive eam recte comprobaverint, sive non, quia eorum opera aliis deservit ad ejus indagationem. Timotheus iste, de quo est sermo (ex Suida) floruit tempore Philippi Macedonis et Alexandri Magni, quem ferunt illo cantante arduum Minervæ modulum, adeo permotum, ut inter audiendum ad arma concitaretur, diceretque regia carmina talia esse debere. Phrygnis fuit (ut dicitur) primus citharista apud Athenienses et Magister Timothei, licet non in toto forte excellens, dignus tamen cui gratiæ agantur ratione jam dicta.

Non solum autem his dicere gratiam justum est, quorum opinionibus aliquis communicaverit, sed et his qui adhuc superficialius enuntiaverunt etenim hi conferunt aliquid, nam habitum quidem nostrum præexercitati sunt. Nam si Timotheus non fuisset, multam melodiam non haberemus; si autem non Phrygnis, Timotheus non fuisset. Eodem autem modo et de enuntiantibus veritatem, a quibusdam vero opiniones quasdam accepimus, sed alii, ut hi forent, forte causa fuerunt. 5. Text. com. 1

Ostendit quomodo homines mutuo se juvant in acquisitione veritatis, quasi diceret, quod *non solum justum est reddere gratias his,* scilicet præcedentibus, qui aliquid dixerunt de veritatis natura, ita quod nobiscum communicaverunt in veritate inventa, sed etiam illis *qui superficialiter enuntiaverunt; etenim*, pro quia,

hi, id est, tales, *aliquid nobis contulerunt, nam habitum quidem nostrum*, id est, intellectum, *præexercitati sunt;* ideo posteriores debent regratiari præcedentibus, quia aliquo modo in sciendo dependent ab illis; *nisi enim fuisset Timotheus, multam non haberemus melodiam*, id est, compositionem musicalem, quia nos fundamur super id quod ipse reperit; *et si Phrygnis non fuisset præcedens, Timotheus non fuisset*, id est, non reperisset quod reperit, quia invenit virtute illius; *sic et de enuntiantibus veritatem a quibusdam accepimus quasdam opiniones*, quos credimus bene dixisse, *quibus etiam alii fuerunt causa.*

Antiqui regratiandi, et honorandi sunt.

Ad cujus evidentiam notandum quod intellectus virtute principiorum devenit in posteriora, et ex lumine intellectus, et virtute principiorum possunt elici ex principiis multa posteriora; sic sequentes Philosophi accipientes principia, licet pauca a præcedentibus, ex illis multa potuerunt elicere; si ergo tradiderunt principia vera, illis regratiandum est, quia profuerunt ad veritatem recipiendam; si autem tradiderunt principia non omnino vera, etiam illis est regratiandum, quia dederunt occasionem, ut illis reprobatis vera principia reperiremus.

SUMMÆ UNICÆ. CAP. II.

Cujus scientiæ sit speculari de veritate, et an detur processus in infinitum in causis?

SUMMARIUM.

Veritatis considerationem maxime ad Metaphysicam spectare. De causa æquivoca et univoca de quibus hîc loquitur Doct. vide eum 1. d. 3. q. 8. et 4. d. 12. q. 3. num 24. De veritate quam hic tangit, vide eum 1. 6. hujus q. 3. et ibi nostra Scholia et in supplemento de Anima disp. 3. sect 7. 8. 9. Quod vero non detur processus in infinitum in causis, ut hîc tangitur in 5. tractat. Doct. bene 1. d. 2. q. 2. art. 1. a num. 11. et de primo Princ. c. 3. et hîc q. 15. reliqua hujus capit. infra suo ordine notantur.

Vocari vero Philosophiam veritatis scientiam recte habet, nam Theoricæ finis est veritas, et praticæ opus; etenim si quomodo res sese habent intendunt practici, non tamen ejus causam per se, nec ut perpetuo talis est, sed ut ad aliquid, atque ut nunc speculantur. 6. Text. com. 3

Postquam Philosophus præmisit qualiter facilitas et difficultas accidit circa considerationem et notitiam veritatis, nunc ostendit ad quam scientiam maxime spectat consideratio veritatis, intendens probare, quod ad Metaphysicam. Circa quod duo facit. Primo facit quod dictum est. Secundo declarat quoddam, quod in sua probatione supponebat. Secunda ibi : *At vero quia principium.* Prima in duas, quia primo probat quod ad Metaphysicam spectat considerare simpliciter veritatem. Secundo, quod ad ipsam quam maxime spectat. Secunda ibi : *Nescimus autem.* In prima parte intendit talem rationem : Metaphysica est scientia speculativa non practica; ergo est scientia veritatis. Antecedens supponitur ex prologo hujus libri. Consequentiam autem probat ex differentia scientiæ speculativæ et practicæ, quia finis speculativæ est veritas, practicæ vero opus. Dicit ergo quod Philosophiam, id est, Metaphysicam *vocari scientiam veritatis recte habet; nam finis Theoricæ*, id est, speculativæ, *est veritas; practicæ autem opus*, id est,

Finis speculativæ, et practicæ.

praxis, quæ est actus voluntatis elicitus, vel imperatus, sicut declaratum fuit in prologo primi sententiarum, quæst. 4. Quod enim practica ordinetur ad opus, declarat hîc cum subdit : *etenim*, pro quia, *et si practici intendunt quomodo se habet,* scilicet veritas in rebus, *non tamen secundum se, sed ad aliquid, et nunc speculantur,* id est, quod illam veritatem non intendunt per se, ut finem, sed ulterius ordinant illam ad dirigendam aliquam praxim, circa aliquod objectum particulare operabile, et ad aliquid nunc, id est, secundum aliquod determinatum tempus. Deinde cum dicit :

7. Text com. 4. Nescimus autem verum sine causa. Unumquodque vero maxime ipsum aliorum dicitur, secundum quod etiam aliis inest univocatio, puta ignis est calidissimus, etenim est causa aliis hic caloris. Quare est verissimum, quod posterioribus est causa ut sint vera. Quapropter semper entium principia, semper esse verissima necesse est; non enim quandoque sunt vera, quandoque non; nec illis causa aliquid est veri ut sint, sed illa aliis, quare unumquodque sicut se habet, ut sit, ita et ad veritatem.

Metaphysica maxime considerat veritatem. Probat, quod Metaphysicam spectat quam maxime consideratio veritatis, et intendit talem rationem. Scientia Metaphysicæ considerat verissima et maxime vera ; ergo maxime est scientia veritatis. Consequentia est evidens; sed ad probandum antecedens intendit talem rationem : Metaphysica considerat primas causas et prima rerum principia ; sed illa sunt verissima ; ergo Metaphysica considerat verissima. Major hujus rationis supponitur ex prologo, quia ibi probata est, et minorem ipse declarat ex hoc, quod illud est maxime tale, quod est causa omnibus aliis ut sint talia, et nihil est ei causa, ut sit tale, sicut exemplificat de igne; sed primæ causæ et prima principia rerum sunt hujusmodi quantum ad veritatem; ergo sunt maxime vera. Dicit ergo, quod *nescimus verum sine causa ;* scientia ergo quæ est de vero habet aliquas causas, quæ etiam habent veritatem, quia verum non potest sciri ex falsis. Addit autem unam propositionem quod *unumquodque est illud aliquorum maxime*, id est maxime tale, *quod aliis inest univocatio,* id est, quod est causa univoca aliis ut sint talia, *ut ignis est calidissimus* ; *enim*, pro quia *hic*, id est ignis, *causa caliditatis est aliis,* scilicet elementis ; *illud ergo est verissimum, quod est causa posterioribus, ut sint vera*. Ex quo concludit, *quapropter principia semper existentium*, id est, corporum cœlestium, cujusmodi sunt substantiæ separatæ, *semper necesse est esse vera*, id est sunt verissima, cujus assignat rationem duplicem. Primo, quia *quandoque sunt vera et quandoque non*, et in hoc præcellunt generabilia et corruptibilia, quæ quandoque sunt, et quandoque non sunt. Secundo, *quia illis non est alia causa*, scilicet suæ veritatis, *sed illa sunt causa aliis*, et in hoc præcellunt corpora cœlestia, licet sint sempiterna, tamen habent causam sui esse et sui motus. Ex prædictis infert quamdam conclusionem, dicit *quare unumquodque sicut se habet ad esse, ita ad veritatem.*

Quid est maxime tale?

Causa simplex, univoca et æquivoca. Notandum, quod duplex est genus causæ : quædam est causa univoca, quædam æquivoca. Univoca dicitur quantum ad præsens spectat, quæ habet similem formam illi

quam producit; æquivoca vero dicitur, quæ non habet formam similem illi quam producit, licet eam habeat in virtute. Exemplum primi, ignis producens alium ignem. Exemplum secundi, Sol generans ignem; ad excludendum ergo causam æquivocam, quæ licet sit causa aliis ut sint talia, ipsa tamen non est in se forma talis, et ideo signanter dixit Philosophus : *unumquodque est maxime tale, secundum quod aliis inest univocatio.* Sol enim licet sit causa caliditatis in istis inferioribus, ipse tamen non est in se formaliter calidus; in causis autem univocis intelligendum est, quod hæc dicitur habere veritatem.

Notandum etiam, quod quia veritas est passio entis, ideo sequitur esse rei proportionabiliter; et idcirco concludit Philosophus ex prædictis, quod quia ea quæ possunt esse aliis causa essendi vera, sunt maxime vera, sequitur, quod unumquodque eo modo quo habet esse, habeat etiam veritatem; ut ea quorum esse est sempiternum, sit etiam veritas sempiterna; et quorum esse non est semper, et quorum esse habet causam. Similiter veritas habet causam, et quorum non, non; quia etiam veritas in intellectu oritur ex veritate in re, idcirco sicut res habet esse, sic etiam est apta nata vere cognosci, ut sic semper ab ipso esse rei oriatur conformitas veritatis, sive in re, sive in intellectu; quare bene dicit Philosophus, quod *unumquodque sicut se habet ad esse, ita se habet ad veritatem.*

Veritas consequi- ur rei en- titatem ›roportio- ıabiliter, de]uo et in ı. lib. q. 3.

Notandum etiam, quod posset esse dubium de qua veritate hîc loquitur Philosophus; utrum de veritate incomplexa, quæ est passio entis; vel de complexa, quæ est veritas propositionis; et juxta hoc, utrum intendat de primis principiis et causis incomplexis, cujusmodi sunt substantiæ immateriales, vel de principiis complexis, quando dicitur prima principia esse principia verissima. Unde dicendum, quod licet de utrisque verum sit quod hæc dicitur, tamen intellectus principalis Philosophi est loqui de veritate incomplexa, et principio incomplexo; ex quo enim vult habere, quod substantiæ immateriales sunt verissima, de quibus est sapientia quæ Metaphysica nominatur. Deinde cum dicit :

eritas du- ıex com- plexa, et comple- xa.

Et manifestum est, quod res habent principium, et quod causæ rerum entium non sunt infinitæ neque secundum rectitudinem, neque secundum speciem, scilicet ut species earum sint plusquam possint numerari in infinitum; impossibile enim est secundum naturam, ut aliquid sit ex alio in infinitum, v. g. caro est ex terra, et terra ex aqua, et aqua ex aere. et aer ex igne, et hoc in infinitum, et non cesset in aliquo. Neque etiam est possibile secundum illud ex quo est principium motus. v. g. quod homo movetur ab aere, et aer a Sole, et Sol a luce, et hoc in infinitum. Et similiter etiam est in eo quod est propter quid, impossibile est enim in hoc etiam procedere in infinitum, v. g. ut cursus propter sanitatem, et sanitas propter fortunam, et fortuna propter aliud, et sic in eo quod est, scilicet essentia. 9. Text.com.5.

Probat quoddam suppositum in ratione proxime dicta, supposuit enim esse aliqua prima principia et primas causas. Hoc probat, quia in causis non est processus in infinitum, sed est dare statum, et devenire ad aliquod primum principium in quolibet genere causæ. Circa quod duo facit, quia primo proponit intentam conclusionem. Secundo subjungit ejus probationem. Se-

In nullo genere causæ datur processus in infinitum.

cunda ibi : *Mediorum*. Dicit ergo quod, scilicet *palam est ex* dicendis, *quod est quoddam principium*, scilicet esse et veritatis rerum ; et quod non *sunt infinitæ causæ existentium, nec ad directam Theoriam*, id est, nec procedendo in directum, secundum unam speciem causæ, puta secundum speciem causæ materialis, et sic de aliis; *nec secundum speciem*, supple sunt infinitæ causæ, ita scilicet *quod sint infinitæ species causarum*, et exponit quod dixerat, causas non esse infinitas in directum. Primo in causis materialibus, *nec enim ex materia est possibile progredi in infinitum*, ut fiat hoc ex hoc, *veluti ut dicamus carnem fieri ex terra*, ut ex materia ; *terram vero ex aqua ; aquam vero ex aere ; aerem autem ex igne*, et hoc non stare, sed supple procedere in infinitum. Secundo exponit in causis efficientibus dicens. *nec unde principium motus*, id est, nec in causis moventibus, vel efficientibus est processus infinitus, ut dicas moveri hominem ab aere, et hunc, scilicet aerem moveri a Sole; Solem autem ab alio et hujusmodi, scilicet processus nullum esse finem. Tertio exponit in causis finalibus, dicit, *similiter autem nec illud cujus est causa*, id est, secundum causam finalem, *possibile est ire in infinitum*, ut si dicamus, quod ire, id est, ambulare, est causa sanitatis ; illa vero, scilicet sanitas, est causa felicitatis, et felicitas sit causa alicujus, id est alterius in infinitum. Quarto exponit in causis formalibus dicens, quod, *similiter est et in quod quid erat esse rei*, exempla non ponit, quia de se patent, puta quod in prædicatis formalibus, et primo modo per se non est processus in infinitum, ut quod animal prædicetur de homine, et aliquod aliud de animali, et ulterius in infinitum.

SUMMARIUM.

Non dari processum in causis probat discutiendo per singulas ; explicat varios modos quibus unum ex alio fieri dicitur.

10. Text. co[m.] 6.

Mediorum enim extra quæ est aliquid ultimum et primum, necesse est, quod prius est causam ipsorum esse, quæ sunt post se; nam si dicere nos oporteat unum trium causam, quod primum est dicimus, non enim quod est ultimum ; nullius enim quod finale est, sed nec medium, nam unius. Nihil enim differt unum aut plura esse nec infinita, aut finita. Infinitorum enim secundum istum modum, et omnino infiniti partes omnes mediæ sunt. Similiter autem usque modo. Quare si ex toto nihil est aliquid primum. Nec ex toto causa nuda est.

Postquam Philosophus posuit, quod in causis non est processus in infinitum, nunc probat intentum. Circa quod duo facit, quia primo probat, non esse in causis processum in infinitum secundum eamdem speciem et in directum. Secundo, quod sit impossibilis infinitas secundum speciem. Secunda ibi : *Sed si infinitæ*. Prima in quatuor, nam primo ostendit idem in genere causæ efficientis. Secundo in genere causæ materialis. Tertio in genere causæ finalis. Quarto in genere causæ formalis. Secunda ibi : *At vero nec in deorsum*. Tertia ibi : *Amplius autem et quod cujus est causa*. Quarta ibi : *Sed nec quod quid erat esse*. In prima parte intendit talem rationem : Si causæ efficientes procedunt in infinitum; ergo nulla est causa efficiens. Consequens est falsum, tum quia contradicit sensui, tum quia contradicit antecedenti ; consequentia probatur, quia si causæ sint

Probat [...] ducti[...] non da[...] processu[...] in infini[...] tum in [...] quo ge[...] causæ [...] prin[...] in effic[...] tibus.

infinitæ; ergo nulla erit prima, et si non est prima, nec aliqua sequens; ergo nulla. Dicit ergo, quod *mediorum extra quæ est dare aliquid primum et aliquid ultimum*, quæ sunt duo extrema, *necesse est illud quod est prius, esse causam ipsorum post se,* id est, eorum quæ posterius sequuntur, scilicet tam mediorum quam ultimi, quod declarat; quia si nos fuerimus interrogati, quod trium oportet dare causam, id est, acceptis tribus, scilicet primo, medio et ultimo; si interrogemur quod illorum sit causa aliorum, quod primum est dicimus, scilicet esse causam, *non enim quod est ultimum*, scilicet est causa, *nullus enim quod finale est,* id est, ultimum, supple ponit esse causam medii, vel primi, *sed nec medium*, supple est causa; *nam unius*, id est, quod medium solum est causa unius, scilicet ultimi, et non primi. Addit autem, quod *nihil differt esse plura*, scilicet media, aut supple unum, *nec infinita, aut finita,* vult dicere, quod ad propositum non differt medium esse unum vel plura, infinita vel finita, quia sive sint multa, sive pauca, semper habent rationem unius, id est, rationem medii, quatenus omnia sunt media; *infinitorum vero secundum modum istum, et omnino partes infiniti omnia media*
At omnes mediæ.
sunt. Ratio hujus est, quia ante omnem, scilicet causam efficientem, est aliqua prima. Si ergo dictæ causæ efficientes dicto modo ponantur procedere in infinitum, sequitur quod omnes causæ erunt mediæ; similiter oportet dicere, quod cujuslibet infiniti, sive in ordine causæ, sive in ordine magnitudinis, omnes partes sunt mediæ; quia si ponatur aliqua non esse medium, illa vel erit prima vel ultima, quod repugnat infinito, nam infinitum caret principio et fine. Addit quod, *similiter autem usque modo*, vult dicere, quod licet alicujus finiti partes mediæ non sint mediæ uniformiter, pro quanto aliquæ sunt propinquiores principio quam aliæ; hoc tamen non potest poni in infinito, ubi nec est primum, nec est ultimum, et ideo similiter usque modo, id est, usque ad quamcumque partem, quam modo signaveris, omnes partes simul erunt mediæ; *quare si ex toto,* id est totaliter, *nihil est aliquid primum,* supple in causis efficientibus, si procedatur in infinitum, *ex toto nulla causa est,* quia amota prima causa omnes secundæ causæ removentur.
Negato primo omnia destruuntur.

Contra rationem Philosophi instatur, quia videtur petere principium, nam supponit omnes causas esse medias si essent infinitæ; ergo præsupponit primum et ultimum. Respondeo, supponitur quod omnes causæ essent mediæ per abnegationem primitatis et finitatis; non enim accepit Philosophus quod essent infinitæ causæ mediæ positive ita quod esset aliqua prima simpliciter, et aliqua ultima in quarum comparatione dicantur mediæ; sed accipit negative, scilicet per negationem primæ causæ simpliciter et ultimæ, et sic tenet ratio sine petitione principii. Deinde cum dicit:
Medium duplex.

At vero neque in deorsum possibile est in infinitum ire, ipso sursum habente principium, ut ex igne quidem aquam, ex hac vero terram, et ita semper aliquod fieri aliud genus. 11. Text.com.7

Idem probat in causis materialibus.

Probat intentum in genere causæ materialis. Circa quod duo facit, quia primo proponit intentum. Secundo probat. Secunda ibi : *Dupliciter enim.* Dicit ergo, quod *nec in deorsum*, id est, in causis materialibus, *possibile est ire in infinitum, ipso sursum habente principium, ut* si dicatur quod *ex igne quidem*, ut materia, *est aqua; ex hac autem*, id est, aqua, *esse terram, et ita semper* ex hoc *aliquod aliud fieri genus.*

Sursum, deorsum, exponitur dupliciter.

Notandum quod sursum et deorsum possunt dupliciter exponi. Uno modo sic, nam patiens dicitur subjici agenti; unde procedere in agentibus est ire sursum; sed procedere in patientibus est ire deorsum; agere autem attribuitur efficienti, passio vero materiæ; processus ergo in causis efficientibus est processus sursum; processus in causis materialibus est deorsum; supposito ergo quod in sursum, id est, in causis efficientibus, sit dare aliquod primum, ut primo ostensum est, probat etiam quod in deorsum, id est in causis materialibus sit dare statum. Alio modo exponi potest, quod in genere causarum materialium supponitur unum principium, quia in sursum, quod est basis et fundamentum aliorum. Et potest dubitari, utrum procedatur in infinitum in deorsum secundum processum eorum quæ ex materia generantur? huic autem expositioni omnino serviunt exempla quæ ponit; non enim dicit, ut ignis ex aqua, et hoc ex alio, sed e converso, ut ex igne aqua, et ex hac terra etc. Unde supple ponentes primam materiam quærimus, an sit processus in infinitum in his quæ ex materia generantur. Deinde cum dicit :

Dupliciter enim fit hoc ex hoc, non ut hoc dicitur post hoc, ut ex Isthmiis Olympia, sed aut ex puero mutato vir, aut ex aqua aer. 12.

Probat intentum, circa quod tria facit. Primo distinguit duos modos fiendi hoc ex hoc. Secundo probat quod neutro illorum modorum contingit procedere in infinitum. Tertio declarat, quo illorum modorum dicitur res fieri ex primo principio materiali. Secunda ibi : *Sed utroque modo.* Tertia ibi : *Similiter autem et impossibile.* Prima in duas, quia primo distinguit duplicem modum quo fieri dicitur hoc ex hoc; secundo comparat illos modos penes differentiam. Secunda ibi : *Ergo sic ex puero.* Dicit ergo quod *dupliciter fit hoc ex hoc,* per se, scilicet et proprie, *non ut quia dicitur post hoc,* id est, ex ludendo illum modum, quo dicitur aliud fieri hoc ex hoc, quia fit hoc post hoc; nam ille modus fiendi non est proprie hoc ex hoc, *ut ex Isthmiis fiunt Olympia*; nomina sunt Græca et significant quædam festa Græcorum, quorum unum post aliud colebatur, ut sic unum festum diceretur fieri ex alio, quia fiebat post aliud, ut si diceremus, quod festum Sancti Francisci fit ex festo Beati Michaelis, quia fit post illud, non enim dicitur proprie, et ideo istum modum excludimus, et accipimus modum quo proprie dicitur hoc ex hoc fieri. Quod est dupliciter, uno modo ut *ex puero mutato dicitur fieri vir;* alio modo ut *ex aqua fit aer.*

Aliquid ex alio fieri contingit dupliciter.

Notandum, quod modus quo dicitur fieri hoc ex hoc, quia fit post

hoc, ut in exemplo prædicto est improprius, nam fieri est quoddam mutari; in omni autem mutatione non solum requiritur ordo terminorum, sed etiam subjectum, quod transit et substat utrique terminorum, sicut patet ex primo Physicorum, text. com. 60. t. c. 4. et 8. Idem. 5. Physic. 1. et 2. de Gen. et 12. Met. et 8. hujus, quod assignari non potest in exemplo dicto, ubi imaginamur tempus, quod est subjectum diversorum festorum, cum tamen idem tempus non maneat sub utroque festo quod finit; oportet ergo aliquod subjectum realiter mutari, ubi proprie dicitur fieri hoc ex hoc, sicut ex puero mutato debet fieri vir, et ex aqua aer. Deinde cum dicit :

Idem 5. Physic. 1. et 2. de Gen. et 12. Met.

13. Ita quidem igitur ex puero fieri virum dicimus quomodo ex eo quod fit, id quod factum est, aut ex eo quod perficitur, perfectum ; semper enim est medium inter esse et non esse generatio, et ita quod fit existentis et non existentis. Est autem addiscens qui fit sciens; et hoc est quod dicitur, quod fit ex addiscente sciens. Hoc vero ut ex aere aqua, corrupto altero.

Comparat penes differentiam dictos modos, et ponit duas differentias. Secundam ponit ibi : *Propter quod illa.* Dicit ergo, quod modus ille quo dicitur fieri hoc ex hoc, sicut *dicimus virum fieri ex puero,* accipitur *ex eo quod fit, et quod factum est ; aut ex eo quod perficitur, et quod perfectum est*, id est, quod hoc modo dicimus fieri hoc ex hoc, sicut ex eo quod est in fieri et in perfici, fit illud quod jam factum est, aut illud quod jam perfectum est; sicut enim *generatio est medium inter esse et non esse*, ita illud quod est in perfici, fit illud quod jam perfectum est, et perfici est medium inter ens et non ens; quia igitur ex medio pervenitur ad extremum, dicimus quod ex eo quod fit et generatur, et ex eo quod perficitur, fit illud quod jam et generatum et perfectum est, et sic dicimus quod vir fit ex puero, et ex addiscente fit sciens. Unde subdit, *est autem addiscens qui fit sciens, et hoc est quod dicitur, quod fit ex addiscente sciens,* nam addiscens se habet, ut in fieri ad scientiam; *hoc vero,* id est, in alio modo, *quo dicitur aqua fieri* ex *aere*, unum extremum non se habet ut medium ad alterum, sed magis ut extremum ad extremum, ut sic ex aere fiat aqua. Qualiter autem generatio sit medium inter esse et non esse, cum tamen esse et non esse videantur esse contradictoria, dicemus in quarto hujus, quando quæretur, utrum inter contradictoria possit esse medium. Deinde cum dicit.

Fit hoc ex hoc dupliciter.

14. Propter quod illa quidem non reflectuntur ad invicem, nec fit ex viro puer, non enim fit ex generatione quod fit, sed est post generationem. Sic enim est dies ex aurora, quia post hanc, propter quod nec aurora ex die. Altera vero reflectuntur.

Ponit secundam differentiam, quæ sequitur ex prima, dicens propter quod, scilicet in quibus illa dicuntur fieri hoc ex hoc, ut ex medio extremum et imperfecto perfectum, *non reflectuntur ad invicem, nec fit ex viro puer*, sicut scilicet e converso ex puero vir, cujus rationem subdit: *nec enim ex generatione fit, quod fit*, id est, terminus generationis, quod est esse; *sed est post generationem, sicut dies dicitur fieri ex aurora, quia fit post hanc*, quare non reflectitur, ut supple aurora fiat

In qua mulatione reperitur reflexio extremorum ad invicem, in qua non.

ex die. Vult dicere, quod ratio hujus est, quia illa duo ex quorum uno dicitur alterum fieri secundum istum modum, non se habent ad invicem sicut duo termini mutationis, sed sicut ea quorum unum est post alterum; sicut esse quod est terminus generationis, est post generationem, et dies post auroram, et ultimum post medium, quæ se consequuntur secundum ordinem naturalem; quare repugnat eis reflexio propter ordinem, qui mutari non potest, vel reflecti. Unde si consideremus illa duo, scilicet generationem, quæ est quædam via, et ipsum esse, quod est terminus generationis, non differunt quantum ad hoc ab illo modo quem exclusimus, in quo dicitur hoc fieri ex hoc, quia fit post hoc, sicut ex aurora dicitur fieri dies, quia fit post auroram. Unde sicut nec ibi, ita nec hîc est possibilis reflexio. *Altera vero reflectuntur,* id est, secundum alium modum, quo fit hoc ex hoc, potest esse reflexio. Sicut enim ex aere corrupto generatur aqua, ita e converso; nam illa duo non se habent ad invicem secundum ordinem naturalem, ut medium ad extremum, sed habent se sicut duo extrema, quorum utrumque poterit esse ultimum et primum. Deinde cum dicit.

Utroque autem modo impossibile est in infinitum ire, existentium enim intermediorum necesse est finem esse. Quædam vero ad se invicem reflectuntur, alterius enim corruptio est generatio alterius.

Non fit homo ex hoc in infinitum procedendo.

Ostendit, quod neutro istorum modorum contingit procedere in infinitum. Primo de primo modo, prout ex puero dicitur fieri vir; nam talis se habet, ut medium inter duo extrema, scilicet inter esse, et non esse; sed positis extremis impossibile est media esse infinita, quia habere extrema repugnat infinito; ergo secundum istum modum non est procedere in infinitum; et hoc est quod dicit, quod *utroque modo est impossibile ire in infinitum, nam intermediorum existentium*, id est, talium mediorum, *necesse est finem esse*, ex quo supple supponuntur extrema talium mediorum. Secundo probat idem de secundo modo ex hoc, quia in alio modo invenitur reflexio extremorum ad invicem, *nam alterius generatio, est alterius corruptio;* ubicumque autem est reflexio, fit reditus ad primum, ita scilicet, quod illud quod fuit primo principium, fit postea terminus, quod infinito non potest competere, quia infinitum non habet principium, neque terminum; ergo nullo modo potest in infinitum fieri hoc ex hoc. Deinde cum dicit :

Similiter autem impossibile est primum sempiternum corrumpi, quoniam enim non est infinita generatio in sursum, necesse est id ex quo corrupto primo aliquid factum est, non sempiternum esse. 15.

Ostendit quo dictorum modorum fiant res ex primo principio materiali.

Ad cujus evidentiam notandum, quod Philosophus ponit duo, quæ communiter omnes Philosophi concesserunt. Primum est, quod sit aliquod primum principium materiale, ita quod in generatione rerum non procedatur in infinitum ex parte superiori, scilicet ejus ex quo generatur. Secundum est,

Datur primun principiu materiai secundui omnes, s sempitei num secu dum Phil sophum

quod prima materia est sempiterna; et ex hoc secundo supposito sequitur, quod ex prima materia non fit aliquid secundo modo, scilicet sicut ex aere corrupto fit aqua, quia cum materia sit sempiterna, corrumpi non potest. Nec potest dici, quod materia sit sempiterna per successionem, sicut dicimus per generationem hunc mundum esse sempiternum; hoc enim excluditur per primam suppositionem, quia generatio non est infinita in sursum, sed est devenire ad aliquod primum principium materiale, quod ulterius non fit ex aliquo priori; ideo dicit quod, *similiter est impossibile primum sempiternum*, id est, primam materiam *corrumpi*, cum sit sempiterna, *quoniam etiam non est infinita generatio in sursum;* ideo supple est devenire ad aliquod primum principium materiale, quod probat, quia *necesse est illud, ex quo primo corrupto aliquid est factum, non esse sempiternum*; ergo cum prima materia sit sempiterna, non potest aliquid fieri ex prima materia secundo modo, ut est aliquod corruptum, et ex ipso est factum, scilicet secundo modo, ut ex aliquo corrupto. Restat igitur, ut ex prima materia fiat aliquid primo modo, scilicet sicut ex imperfecto, et in potentia existente, quod est quoddam medium inter purum non ens, et ens in actu.

SUMMARIUM.

Non dari processum in genere causæ finalis probat quatuor rationibus, vide Doct. 1. d. 2 q. 2. art. 1. et de primo princ. c. 3. et ibi Scholium tertium.

Amplius autem et quod est cujus causa finis est; tale vero quod non est alius causa, sed et alia illius. Quare siquidem fuerit tale ipsum ultimum, non erit infinitum. Sed si nihil tale, non erit quod cujus causa. 16. Text. com. 8.

Postquam Philosophus probavit, non esse processum in infinitum in genere causæ efficientis et materialis, nunc probat quod nec in genere causæ finalis. Circa quod quatuor facit, secundum quod quatuor rationes adducit ad conclusionem probandam quam intendit. Secunda ibi : *Sed si qui infinitum.* Tertia ibi : *Sed nullus conabitur.* Quarta ibi : *Nec etiam erit.* In prima parte intendit talem rationem : Si causæ finales procedant in infinitum, ergo nulla causa finalis est; consequens est falsum; tum quia contra dicit sensui; tum quia contradicit antecedenti. Consequentia probatur, quia finis est cujus causa alia sunt, et ipse non est causa alicujus; oportet ergo finem ultimum esse, et per consequens non procedere in infinitum. Dicit ergo, quod *amplius finis est id, quod est cujus causa; tale vero est, quod non est causa alicujus*, id est, alterius, *sed alia illius,* scilicet gratia sunt, *quare siquidem ipsum*, scilicet cujus causa, *fuerit ultimum, non erit infinitum, si vero non erit tale*, id ultimum, *non erit cujus causa*, id est, non erit finis, quare tolletur hoc genus causæ quod est finis.

Non datur processus in infinitum in causis finalibus.

Notandum, quod licet in ordine finitum sit dare finem, qui est gratia alterius, puta finem sub fine, est tamen devenire ad aliquem finem ultimum, qui ulterius non est gratia alterius, sed omnia alia sunt gratia ejus. Deinde cum dicit :

Sed qui infinitum faciunt, latent auferentes boni naturam.

Finis et bonum idem sunt. Vide Scot. q. 3. prol. sententiarum et d. 1. ejusdem.

Ponit secundam rationem, quam intendit talem : Si causæ finales procedant in infinitum, ergo nullum bonum erit in natura ; consequens est falsum ; ergo et antecedens. Probatio consequentiæ, quia finis et bonum idem sunt; sed qui ponit fines infinitos, tollit finem ex ratione præcedenti, ergo tollit bonum. Dicit ergo quod *si qui infinitum faciunt* supple in causis finalibus, *obliviscuntur auferentes naturam boni*. Deinde cum dicit :

Et nullus conabitur aliquid facere ad terminum non futurus venire.

Ponit tertiam rationem, quam intendit talem : Si fines sint infiniti, ergo nullum est agens in natura ; consequens est falsum ; ergo et antecedens. Consequentia probatur, quia nullus conabitur aliquid facere ad finem non futurus venire; sed si fines sunt infiniti, ergo impertransibiles, et per consequens nullum erit agens, cum ad finem non possit pervenire. Dicit ergo quod *nullus conabitur aliquid facere non futurus venire ad terminum*. Deinde cum dicit :

17. Text. com. 9.

Neque utique erit intellectus practicus in talibus, nam causa alicujus semper facit, qui intellectum habet ; hæc enim est terminus ; finis enim terminus est.

Data processu in finibus, nullum esset agens per intellectum.

Ponit quartam rationem, quam intendit talem : Si fines sunt infiniti, ergo nullum est agens per intellectum ; consequens est evidenter falsum ; ergo et antecedens. Consequentia probatur, quia omne agens per intellectum intendit finem, et cognoscit quod non posset, si fines essent infiniti. Dicit ergo *quod nec aliquid erit intellectus*, id est, agens per intellectum, *in talibus*, scilicet in infinitis ; *nam causa alicujus semper facit, qui habet intellectum, hoc* enim terminus est, finis vero terminus est. Loquitur de intellectu practico, qui semper agit propter finem, qui est praxis. Tunc sequitur illa pars:

SUMMARIUM.

Non dari processum in causis formalibus, probatur quatuor rationibus. An omne quod movetur, quod tangit Doct. hîc text. 12. habeat materiam, discutit q. 15. de Anima, tractans an in anima, et Angelo sit materia ; text 13. innuit non dari processum in speciebus, ita ut non sit dare nobilissimam, de quo vide eum hîc q. 6. et ibi Scholium 1. ubi varia ejus loca de hoc afferuntur.

Sed nec quod quid erat esse convenit reduci ad aliam definitionem multiplicantem rationem. Text. com. 10.

In causis formalibus non datur processus in infinitum.

Ubi ostendit, quod in causis formalibus non sit processus in infinitum. Circa quod duo facit. Primo proponit intentum. Secundo probat ibi : *Semper enim quæ est.*

Ad evidentiam primæ partis notandum, quod forma est unde primo sumitur definitio speciei ; quare processum in formis oportet accipere secundum processum in definitionibus ; in definitionibus autem una pars est prior altera, sicut genus est prius differentia, et una differentia est prior altera ; idem ergo est esse processum in infinitum in formis, et esse processum in infinitum in definitionibus. Dicit ergo quod *non contingit,* quod quid *erat esse reduci ad aliam definitionem multiplicantem rationem*, supple in infinitum ; puta quod sic multiplicetur ratio definitiva, ut sicut qui definit hominem, in ejus definitione ponit animal, ita quod definitio

hominis reducitur ad definitionem animalis; sic definitio animalis reducatur ulterius in definitionem alterius, et sic in infinitum. Deinde cum dicit :

18. Semper enim quæ ante est, communiter est ; et quæ posterior est, non est; cujus autem primum non est, nec habitum est.

Probat propositum per quatuor rationes. Quarum secunda ponitur ibi : *Amplius scire.* Tertia ibi : *Sed cognoscere non est.* Quarta ibi : *Sed materiam.* In prima parte intendit talem rationem : Si causæ formales procedunt in infinitum ; ergo nulla causa formalis est. Consequens est falsum evidenter, et contradicit antecedenti ; ergo et antecedens. Consequentia patet, quia si formæ sunt infinitæ, nulla erit prima, et si prima non est, nulla posterior erit. Dicit ergo quod *semper enim forma*, scilicet *quæ ante est*, id est prior, *magis est*, non quod sit perfectior, sed quia est universalior; forma enim generis universalior est quam forma speciei, licet sit imperfectior, ideo dicit, quia forma, scilicet *quæ est posterior, non est.* scilicet ubicumque forma prior est, non enim ubicumque est forma animalis, ibi est forma hominis, et ex hoc ultra arguit : *Cujus autem primum non est, nec habitum est,* id est, consequenter se habens ; si ergo formæ sunt infinitæ, nulla erit prior; ergo nec altera posterior. Deinde cum dicit :

Primum duplex et troque remoto removentur consequenter entia.

19. Text. com. 11. Amplius scire destruunt omnes, qui ita dicunt non enim possibile scire, antequam ad individua perveniatur.

Ponit secundam rationem quam intendit talem : Si causæ formales sunt infinitæ ; ergo nihil contingit scire; consequens est evidenter falsum ; ergo et antecedens. Consequentia probatur, quia nihil contingit scire priusquam perveniatur ad individua, quod supple non contingit, si formæ sunt infinitæ.

Notandum, quod ly *individuum*, potest exponi tripliciter : uno modo, quod individuum accipiatur non pro individuo singulari, quia singularium non est scientia ; sed individuum dicatur ipsa species specialissima, quæ ulterius per differentias essentiales, vel specificas non dividitur, ut sit sensus, quod non contingit scire, scilicet perfecte, quousque perveniatur ad speciem specialissimam, quia scire in genere est scire aliquid imperfecte ; et secundum istam expositionem dicimus, quod sicut prima ratio concludebat, non esse in causis formalibus processum in infinitum secundum sursum ; sic ista secunda probat, quod non sit processus in infinitum in deorsum, quia sic non esset pervenire ad individuam speciem. Secundo modo exponitur, ut per *individuum* intelligatur supremum genus, cujus ratio non est ulterius divisibilis in aliqua priora. Divisio enim formalis non solum est, secundum quod genus dividitur per differentias essentiales, per ejus divisionis privationem species specialissima potest dici individuum, sed etiam secundum quod definitio dividitur in partes definitionis, ut sit sensus, quod *non contingit scire,* scilicet per definitionem, *priusquam perveniatur ad individua,* id est, ad suprema genera, quibus ignoratis ignorantur

Individuum in propositopotest sumi tripliciter.

Processum in infinitum imaginari dupliciter.

omnia posteriora; et secundum hanc expositionem illa secunda ratio sicut prima probat non esse in causis formalibus processum in infinitum in sursum. Tertio modo exponitur ut per individuum intelligatur propositio immediata, ut sit sensus, quod si procedatur in definitionibus,vel causis formalibus in infinitum secundum sursum,nulla erit proportio immediata, et per consequens non contingit aliquid scire per demonstrationem concludentem conclusionem ex principiis immediatis deductam. Deinde cum dicit :

Et cognoscere non est, nam quæ sic sunt infinita, quomodo contingit intelligere ?

Ponit tertiam rationem, quæ ducit ad hoc inconveniens, quod tota cognitio habita tollitur, quæcumque sit. Circa quod duo facit. Primo adducit rationem. Secundo excludit falsam responsionem. Secunda ibi : *Non enim simile*. In prima intendit talem rationem : Si causæ formales sunt infinitæ, nihil omnino contingit scire ; consequens est falsum evidenter; ergo et antecedens. Consequentia patet,quia ad cognitionem rei oportet cognoscere formam rei ; si ergo in formis proceditur in infinitum, non contingit eas intelligere; ergo, etc. Dicit ergo, quod *non est,* id est non contingit *cognoscere,* si supple causæ formales sunt infinitæ, *namque sic sunt infinita quomodo oportet intelligere,* quasi diceret,impossibile est. Deinde cum dicit :

20. Non enim simile in linea, quæ secundum divisiones quidem non stat. Intelligere vero non est non statuentem. Propter quod non enumerabit sectiones, qui per infinita procedet.

Reprobat falsam responsionem : potest enim aliquis dicere, quod res posset cognosci non obstante infinitate formarum sicut linea, quæ in infinitum dividitur. Hanc responsionem excludit, dicens quod *non est simile in linea, quæ quidem non stat secundum divisiones*; non enim est simile, quia in linea est infinitas in potentia, in formis si esset, haberet esse in actu ; unde subdit quod *intelligere non est statuentem,* id est, quod impossibile est aliquid intelligi, nisi in aliquo stetur ; unde linea inquantum stat, ut finita in actu habet puncta terminantia, et sic potest intelligi, secundum enim quod non statur in divisione lineæ, non potest sciri, ideo subdit : *propter quod non enumerabit*, supple aliquis, *sectiones*, id est, divisiones, quæ procedunt in infinitum ; quia igitur formæ si essent infinitæ, essent actu, ideo nullo modo possent sciri. Deinde cum dicit :

Infinita duplex : potentia, in act

Linea qu modo int ligi pote

Sed materiam in eo quod movetur, intelligere necesse est, et infinito nihil est esse, aut non. Si vero non est infinitum, quid est infinito esse ?

Text. co. 12.

Ponit quartam rationem, quæ talis est, quod necesse est intelligere materiam in moto, id est, in omni eo quod movetur ; materia autem habet rationem infiniti ; infinito autem competit esse nihil ; materia enim quæ intelligitur rationem infiniti habere, de se nullam habet formam, quia de se est quasi nihil. Si ergo ei, quod est infinitum, competit esse nihil, sequitur per oppositum quod ipsa

Materia t prope ni

forma, quæ dat esse, non sit infinita; ergo in formis non erit processus in infinitum. Dicit ergo, quod *necesse est materiam intelligere in moto et infinito*, quod supple est materia, *nihil est*, scilicet quantum est de se; *esse autem non*, id est, forma quæ dat esse, non est infinita, quare non erit infinitum in esse, id est, in formis.

21. Notandum, quod ex illa auctoritate, quod in omni eo quod movetur, oportet intelligere materiam, videtur posse haberi, quod in cœlo sit materia, cum cœlum moveatur. Verumtamen qui sunt alterius opinionis, distinguunt de materia, quod materia dupliciter dicitur, vel quæ est altera pars compositi cum forma constituente per se unum, vel potest accipi materia pro subjecto. Primo modo materia non est in cœlo, nec in Angelis. Secundo modo ponitur in utrisque, et hanc materiam sufficit intelligere in omni eo quod movetur; sed de illa quæstione quærendum est amplius in octavo hujus, et ideo usque tunc differatur. Tunc sequitur illa pars :

Materia duplex.

Vide Scot. in secundo de motu Angelor. d. 2.

Text. com. 13.

Sed si infinitæ essent pluralitate species causarum, non esset ita cognoscere. Tunc enim scire putamus, cum causas ipsas noverimus. Infinitum vero secundum adjectionem non est pertransire in finito tempore.

Ubi probat, quod non est possibilis infinitas in causis secundum speciem. Et talem rationem intendit : Si causæ sunt infinitæ, ergo nihil contingit nos cognoscere ; consequens est falsum ; ergo et antecedens. Consequentia probatur, quia tunc opinamur scire, cum causas cognoscimus, infinitum autem non contingit scire. Dicit ergo, quod *si species causarum essent infinitæ pluralitate, non esset*, id est, non contingeret, nec ita *cognoscere, tunc enim putamus scire, cum noverimus ipsas causas; infinitum vero secundum additionem*, scilicet speciei unius ad aliam *non est pertranseundum*, in infinito tempore, id est, secundum illam infinitatem, ita quod possent cognosci omnes causæ, si ponantur infinitæ.

Species causarum esse finitas ostendit.

SUMMÆ UNICÆ

CAPUT III.

Modus acquirendi notitiam veritatis.

SUMMARIUM.

Magnam esse virtutem consuetudinis ad acquirendam veritatem, suadet Doctor exemplo variarum nationum suis ritibus addictarum. Reliqua quæ in hoc capite tractantur, inferius noto.

Contingunt autem auditiones secundum consuetudines entibus, nam ut consuevimus ita dignamur dici, et quæ præter ea non similia videntur, sed propter inconsuetudinem minus nota, et magis extranea. Nan consuetum notius. 22. Text. com. 14.

Postquam Philosophus præmisit facilitatem et difficultatem, quæ accidunt circa considerationem veritatis, et quod ad scientiam Metaphysicæ maxime spectat habere notitiam veritatis, nunc ostendit modum acquirentiæ veritatis. Circa quod tria facit. Primo præmittit virtutem consuetudinis in acquisitione veritatis. Secundo subjungit diversos modos, quos diversi observant in acquisitione veri-

Quæ sunt magis consueta nobis, libentius recipimus.

tatis. Tertio ex dictis describit regulam, et modum magis convenientem quem observare oportet in acquisitione veritatis. Secunda ibi : *Alii igitur si non.* Tertia ibi : *Propter quod oportet.* Prima in duas. Quare primo intentum proponit. Secundo probationem addit, quæ est per signum. Secunda ibi : *Quantam.* Dicit ergo quod *auditiones contingunt entibus,* id est, hominibus *secundum consuetudines, nam ut consuevimus, ita dignamur dici.* Vult dicere, quod ea quæ sunt nobis consueta, et in quibus nutriti sumus, libentius audimus et suscipimus, et sic videtur nobis dignum debere dici, et non aliter; unde subdit quod *ea quæ non videntur similia, et sunt præter ea,* quæ scilicet consuevimus, *videntur nobis magis extranea, et minus nota propter inconsuetudinem, nam consuetum,* supple *notius* est quoad nos. Ratio hujus est, quia consuetudo est quædam natura, et vertitur in naturam; unde habitus qui ex consuetudine generatur, ut habetur 2. Ethic. cap. 1. inclinat per modum naturæ, propter quod illud videtur unicuique ad quod secundum habitum inclinatur. Et ideo quæ sunt secundum habitum, videntur homini notiora, verbi gratia, homines nutriti et habituati in opinione alicujus Doctoris, nihil dignantur audire, vel suscipere, quod repugnat opinioni illius, et quidquid consonat illi opinioni reputant verum, et suscipiunt libentissime et gratanter. Deinde cum dicit :

Consuetudo est quædam natura.

Quantam vero vim habeat, quod consuetum est, leges ostendunt in quibus fabularia, et puerilia magis quidem valent cognitione de eis propter consuetudinem.

Probat quod dixerat per signum, dicens *quantam vim habeat, quod consuetum est,* id est, consuetudo, *ostendunt leges,* scilicet humanæ; *in quibus* propter consuetudinem, *quædam fabularia et puerilia magis valent cognitione,* id est quam cognitio veritatis de eis.

Consuetudinis v[is].

Notandum, quod leges humanæ, quæ ad civilem conversationem, ut ad finem ordinantur, institutæ sunt ab hominibus, ut cives ad bonum civile inducantur et a malis retrahantur; secundum autem diversitatem nationum sic sunt multa instituta et frivola et vana, quæ homines a pueritia in eis nutriti, propter consuetudinem magis approbant quam notitiam veritatis, et hoc est signum quantam efficaciam habeat consuetudo. Deinde cum dicit :

SUMMARIUM.

Quinque modi acquirendi veritatem, quos Doctor bene explicat ex Philosopho, ponens regulam, nempe prius acquirendum modum sciendi, id est, Logicam quam scientiam. De quo vide eum q. I. super Universalia.

Alii autem si non Mathematice quis dicet, non recipient dicentes. Alii si non exempliter. Et hi testem induci dignantur poetam. Et illi quidem omnia certe. His vero flebilis est certitudo, aut propter impotentiam complectendi, aut propter micrologiam. Habet enim aliquid quod certum est tale. At quemadmodum in symbolis, et ratiocinationibus non liberum quid quibusdam esse videbitur.

23. Text. co[m]. 15.

Ponit diversos modos, quos diversi observant in acquisitione veritatis, et ponit quinque modos. Primus est, quod *alii igitur,* propter consuetudinem, scilicet *non recipiunt dicentes, si non Mathematice quis*

Modi acquirendæ veritatis qui[n]que.

dicet, id est, non dicatur eis modo Mathematico; quod potest esse duplici de causa, vel quia propter consuetudinem in Mathematicis sunt nutriti, vel propter dispositionem animæ, quia scilicet sunt fortis imaginationis. Secundus modus est, quod *alii sunt*, qui scilicet nihil volunt recipere de veritate, *si non exemplariter*, id est, nisi eis aliquod signum sensibile proponatur, quod potest accidere, vel propter consuetudinem, vel propter debilitatem intellectus et dominium in eis potentiæ sensitivæ. Tertius modus est, quia *hi testem induci dignantur aliquem Poetam*, id est, nihil reputant dignum recipi, nisi adducatur testimonium Poetæ vel alicujus doctoris, quod potest accidere, vel propter consuetudinem, vel propter defectum judicii intellectus non valentis judicare, vel intelligere rationem, non enim credentes rationi petunt sibi dari testimonium alicujus. Quartus modus est, *quia illi*, scilicet alii, *omnia*, alia supple, *certe* quærunt, id est, alii sunt, qui per certitudinem omnia volunt dici. et per diligentem inquisitionem rationis; quod potest accidere, vel propter consuetudinem, vel propter bonitatem, et subtilitatem intellectus quærentis rationem omnium, de quibus est certa ratio possibilis assignari. Quintus modus est, quod *his vero*, id est aliis, *certitudo est flebilis*, id est tristabilis, quod scilicet aliquid per certitudinem inquiratur, cujus causam assignat duplicem; quia hoc potest accidere, *aut propter impotentiam complectendi*, id est, quia habent debilem intellectum ad videndum complexiones principiorum ad conclusiones et notorum ad ignota; *aut propter micrologiam*, id est, parvorum ratiocinationem; *tale autem*, id est, simile *habet aliquid, quod certum est*, id est, certam inquisitionem de de re, quod scilicet nihil quantumcumque parvum prætermittit indiscussum, quod exponit cum subdit, *unde quemadmodum in symbolis*, id est, in compositis contractibus, *videtur quibusdam non liberum esse*, scilicet computare minima et parva, *sic et in rationibus*, id est, scientificis. Vult dicere, quod sicut in convivio magno videtur repugnare liberalitati et largitati, computare minima, ita videtur quibusdam esse in scientia veritatis, quod scilicet videtur esse quædam inopportunitas et illiberalitas, si in cognitione veritatis minima discutiantur. Deinde cum dicit :

Propter quod oportet erudiri quomodo singula sunt recipienda. Et absurdum est quærere simul scientiam, et modum sciendi. Est autem neutrum facile accipere. 24.

Ex dictis describit regulam, et modum magis convenientem, quem observare oportet in acquisitione veritatis. Circa quod duo facit : Primo quod dictum est. Secundo ostendit, quod unus modus inquirendi veritatem, qui est potissimus inter numeratos, non est in omnibus scientiis observandus. Secunda ibi : *Acribologia vero*. Dicit ergo, quod quia supple diversi varios modos quærunt circa notitiam veritatis, *propter hoc oportet erudiri quomodo*, id est, secundum quem modum, *singula*, scilicet in singulis scientiis, *sunt recipienda*, ea, scilicet quæ traduntur; et subdit, quod *ab-*

Oportet prius discere modum sciendi quam scientiam.

surdum est quærere simul scientiam, et modum sciendi, est autem neutrum facile accipere. Vult dicere, quod quia non est facile duo simul accipere, absurdum est simul velle habere scientiam et modum sciendi; propter quod oportet prius habere modum sciendi quam scientiam, et per istum modum procedere ad considerationem et notitiam veritatis.

Notandum, quod secundum expositionem Commentatoris, per modum sciendi intelligit Philosophus Logicam, quæ modus sciendi dicitur omnibus aliis scientiis, ut est utens; omnes enim scientiæ Logica utuntur, ut quatenus Logica tradit modum definiendi, syllogizandi, etc. hujusmodi, quæ a Logica accipiunt omnes aliæ scientiæ, et per quæ procedunt ad inquisitionem et notitiam veritatis; prius ergo addiscenda est Logica, et sic est ad alias scientias procedendum ad inquisitionem et notitiam veritatis. Deinde cum dicit :

SUMMARIUM.

De Mathematicis dari majorem certitudinem, Metaphysica tamen in se certior est, et etiam nobis, ejus principiis jam perspectis, ut notavi in proœmio, §. Scientiam uno.

25. Text. c. 16 Acribologia vero Mathematica non in omnibus est expetenda, sed in non habentibus materiam, propter quod non naturalis est modus; omnis enim forsan natura materiam habet, ideoque primum perscrutandum quid est natura, ita namque et de quibus est Physica manifestum erit; et si unius scientiæ, aut plurium est causas, et principia considerare.

Ostendit, quod unus modus, qui est potissimus ad inquirendum veritatem, ille scilicet qui est per certitudinem, non est in omnibus scientiis observandus. Dicit ergo, quod *acribologia Mathematica*, id est, certitudo demonstrandi, quæ est maxime in Mathematicis, *non est accipienda in omnibus*, scilicet scientiis, *sed in non habentibus materiam*, id est, in abstractis a materia; propter quod non est naturalis modus, id est, quod ille modus, qui est per certitudinem demonstrationis, non spectat ad Philosophum Naturalem; *omnis enim forsitan natura materiam habet*, ideo est alius modus inquirendi veritatem in scientia naturali, quem exponit cum subdit : *ideo primum perscrutandum est, quid est natura, ita namque manifestum erit de quibus est Physica*, id est, de quo est scientia naturalis, et iterum perscrutandum est, *si unius scientiæ*, scilicet naturalis, *est considerare causas, et principia*, aut hoc sit, *plurium* scientiarum. Hunc autem modum observat Philosophus 2. Phys. text. com. 3. et inde, quia primo definit naturam, et postea determinat de causis rerum; per hunc enim modum potest patere, quis modus demonstrandi competat Philosopho Naturali.

Notandum, quod ea quæ habent materiam, sunt subjecta motui et transmutationi, propter quod non potest de eis haberi omnimoda certitudo, quia non eveniunt necessario, nec semper, sed ut frequenter, sicut dicitur 2. Phys. text. com. 48. Immaterialia vero propter causam oppositam, quia scilicet abstrahunt a motu, sunt quantum est de se certissima; non tamen sunt nobis certissima, sicut supra dic- Different. materialium et immaterialium, quoad certitudinem, et cognitionem nostram.

tum fuit de substantiis separatis, et hoc est propter defectum nostri intellectus; sed Mathematica sunt abstracta a materia, et tamen non sunt excedentia intellectum nostrum, et ideo sunt nobis certissima, et de eis certissimas demonstrationes fabricamus.

Notandum etiam, quod omnia naturalia dicit habere materiam forsitan, ut caveat sibi a corporibus cœlestibus, quæ secundum eum, vel non habent materiam, vel non habent talem, qualem ista inferiora, ideo dubitative loquitur; quæ autem fuerit intentio Philosophi circa materiam in cœlo, inquiretur diligentius in octavo hujus.

LIBER TERTIUS.

In hoc libro determinat Philosophus de iis, quæ specialiter pertinent ad considerationem hujus scientiæ : dividitur autem in duas Summas, quarum prima dubitationes proponit; secunda examinat. In prima parte capitis primi usque ad text. 2. ostendit Philosophus, ut acquiratur scientia a principiis nobis notis, agendum esse de iis, de quibus dubitatur, vel dubitari potest, cujus rei quadruplex datur ratio.

SUMMA PRIMA.

Dubitationes multæ proponuntur.

CAPUT I.

Ostendit causas dubitationis.

Text. com. 1. Necesse est autem ad quæsitam scientiam nos aggredi primum de quibus dubitare primum oportet. Hæc autem sunt quæcumque de ipsis aliter susceperunt quidam, et si quid extra hoc prætermissum est.

1. Postquam Philosophus in secundo libro determinavit de his, quæ spectant ad considerationem veritatis in communi, nunc descendit ad determinandum ea, quæ spectant specialiter ad considerationem hujus scientiæ. Circa quod duo facit. Primo procedit modo disputativo et dubitativo. Secundo procedit modo determinativo sive demonstrativo. Secunda ibi, in principio quarti : *Est autem scientia quædam.* Prima in duas. Quia primo præmittit suum intentum. Secundo prosequitur de intento. Secunda ibi : *Primum ergo de quibus.* Prima pars, quæ est quoddam proœmium hujus tertii, dividitur in duas. Quia primo proponit suam intentionem in generali. Secundo exponit eam in speciali. Secunda ibi : *Est autem dubitatio.* Prima in duas. Quia primo præmittit suam intentionem. Secundo subjungit intentionis rationem. Secunda ibi : *Inest autem investigare.* Dicit ergo primo sic, quod *ad quæsitam scientiam*, scilicet a nobis de principiis *necesse est aggredi ea, de quibus dubitare nos oportet primum*, supple antequam veritas determinetur; *ea vero sunt*, scilicet dubitabilia, scilicet de quibus intendimus; *quæcumque quidam*, scilicet antiqui Philosophi, *de ipsis aliter susceperunt*, id est, opinati sunt aliter quam habeat veritas rei; *et si quid extra hoc est*, ab eis scilicet *prætermissum*, quod dicit propterhoc, quod ipse inquirit de quibusdam, quæ Philosophi antiqui dimiserunt. Deinde cum dicit :

Proœmi[...] hujus [...] tii, in c[...] suam in[...] tione præmit[...] et ejus r[...] tione[...] quadru[...] cem ost[...] dit.

Inest autem investigare volentibus pretium operæ bene dubitare; posteriorum enim investigatio priorum est solutio dubitatorum. Solvere vero non est ignorantis vinculum, sed mentis dubitatio hoc de re demonstrat. Inquantum enim dubitat, in tantum similiter ligatis est passus. Impossibile enim utrisque procedere ad id, quod est ante. Propter quod, et difficultates oportet speculari omnes prius et harum causas.

Subjungit, et assignat istius intentionis quadruplicem rationem, quarum secunda ponitur ibi : *Et quia quærentes.* Tertia ibi : *Et adhuc.* Quarta ibi : *Amplius melius.* Dicit ergo, quod *volentibus investigare*, scili- 2.

cet veritatem, *inest*, id est oportet *bene dubitare ab initio*, id est, principio inquisitionis. Cujus rationem subdit, *quia investigatio posteriorum*, in inquisitione veritatis non est aliud, *quam solutio priorum dubitatorum*, quod declarat per simile in solutione ligaminis corporalis dicens, quod *solvere non est ignorantis nodum*; nam ille, qui ignorat nodum non potest ipsum dissolvere : *sed mentis dubitatio hoc enim simile de re demonstrat*; sic enim videtur se habere dubitatio de re ad mentem, sicut ad corpus nodatum, vel ligatum : *in quantum aliquis dubitat, in tantum enim est passus similiter*, id est, aliquid simile *ligatis*, *impossibile est enim utrisque pervenire ad quod est ante*, id est, quod sicut ille, qui habet pedes ligatos, non potest procedere ad anteriora secundum viam procedendi, vel progrediendi, sic ille, qui dubitat, quasi habens mentem ligatam, non potest ad anteriora procedere secundum viam speculandi. Ideo subdit, *propter quod oportet speculari prius omnes difficultates harumque causas;* sicut enim ligatus corporaliter si vult solvere vinculum et nodum, oportet quod prius respiciat vinculum, et nodum ligaturæ ; sic ille, qui vult solvere dubitationem prius debet considerare difficultates et earum causas. Deinde cum dicit :

Et quia quærentes sine dubitatione primo similes sunt quo oportet ire ignorantibus.

Assignat secundam rationem dicens, quod oportet, supple prius dubitare, *quia quærentes*, supple veritatem, *sine investigatione*, scilicet dubiorum, *similes sunt ignorantibus quo oportet ire*, id est, illis, qui nesciunt quo vadant. Ratio hujus est, quia sicut terminus viæ intenditur ab ambulante, ita exclusio dubii est finis intentus a speculante et inquirente veritatem. Sicut ergo ille, qui nescit quo vadit, non potest pervenire ad terminum, nisi forsitan a casu, sic nec aliquis potest directe inquirere veritatem, nisi dubitationem prævideat et præcognoscat. Deinde cum dicit : 2. Dubitatio utilis est speculanti.

Et adhuc neque quando quæsitum invenit, aut non cognoscit. Finis enim huic est non manifestus. Prædubitanti vero manifestus.

Ponit tertiam rationem, quæ videtur explicare secundam, dicens quod *adhuc* quando scilicet aliquis, qui nescit quo vadit, *nec quando quæsitum inveniet cognoscet*, id est, cum pervenerit ad locum, ad quem tunc intendebat, ignorabit utrum ille sit terminus, et utrum sit sistendum, vel ulterius procedendum. Similiter est de illo, qui inquirit veritatem sine dubitatione, ideo dicit, quod *finis huic non est manifestus, prædubitanti vero est manifestus*. Deinde cum dicit :

Amplius melius, necesse est enim habere ad judicandum eum, qui audivit velut adversariorum, et dubitantium omnes rationes.

Ponit quartam rationem, quæ sumitur ex parte auditoris. Dicit ergo, quod *amplius melius est*, scilicet inquirere dubitationes, *necesse est enim eum qui audit, habere ad judicandum sicut adversariorum, et dubitantium omnes rationes*, scilicet quod auditorem oportet judicare de auditis, ut sicut in judiciis nullus potest bene judicare, nisi audiat rationes u- 3. Inquirenti de veritate considerandæ rationes utriusque partis. Idem 2. de Anima. Text. com. 146.

triusque partis, ita necesse est audientem Philosophiam, et judicantem de veritate audire omnes rationes adversariorum dubitantium, quod fit inquirendo prius dubia, quæ accidunt circa veritatem quæ inquiritur. Deinde cum dicit :

SUMMÆ PRIMÆ CAP. II.

Dubitationes variæ ad hanc scientiam spectantes proponuntur.

SUMMARIUM.

In prima parte hujus capitis usque ad §. *Et utrum*, proponuntur dubitationes ex parte considerationis hujus scientiæ.

Text. com. 2. Est autem dubitatio prima quidem de quibus proœmialiter dictis dubitavimus: Utrum unius, aut multarum est scientiarum causas speculari? Et utrum substantiæ principia prima est scientiæ hujus scire solum? Aut etiam de principiis de quibus ostendunt omnes? Ut utrum contingit unum, et idem simul dicere et negare, aut non? et de aliis talibus? Et si est circa substantiam, utrum una circa omnes, aut plures sunt? Et si plures, utrum omnes cognatæ, aut earum hæ quidem sapientiæ? Illæ vero aliquid aliud dicendæ sunt? Et hoc idem quoque necessarium est quærere : utrum sensibiles substantiæ esse solum sunt dicendæ, aut præter has aliæ? Et utrum unicæ sunt, aut plura genera substantiarum, ut facientes species, et Mathematica inter ista, et sensibilia dixerunt? De his ergo, ut diximus perscrutandum est, et utrum circa substantias solum est speculatio? aut circa quæ accidunt secundum se substantiis. Adhuc autem de eodem et diverso, simili et dissimili, et contrarietate, et de priore et posteriore, et de aliis omnibus talibus, et de quibuscumque Dialectici intendere tentant, ex probabilibus solum perscrutationem facientes, quorum Theoria est de omnibus. Amplius autem his eisdem quæcumque secundum se accidunt et non solum quid est horum unumquodque, sed utrum uni est unum contrarium?

4. Exponit suam intentionem in speciali, enumerans dubitationes omnes, circa quas versatur ista scientia. Circa quod duo facit. Primo enumerat dubitationes pertinentes, et tenentes se ex parte considerationis istius scientiæ. Secundo enumerat dubitationes tenentes se ex parte rerum consideratarum in ista scientia. Secunda ibi : *Et utrum principia, et elementa.* In prima parte enumerat, et proponit quæstiones tenentes se ex parte considerationis istius scientiæ. Hic en[...] rat d[...] tione[...] parte [...] sider[...] nis h[...] scien[...]

Prima dubitatio est, de quibus in prædictis dubitavimus, id est, dubitando proposuimus, scilicet in fine secundi libri : *utrum* scilicet *speculari causas*, quæ sunt quatuor, *sit unius scientiæ, aut multarum scientiarum ?*

Secunda dubitatio est, utrum *istius scientiæ sit scire solum prima principia substantiæ* ; *aut etiam* considerare *de principiis ex quibus*, scilicet *omnes* scientiæ *ostendunt*, id est, demonstrant sicut sunt prima principia, *ut utrum contingit unum, et idem simul dicere*, id est, *affirmare et negare ? et de aliis talibus*, sicut sunt, omne totum est majus sua parte.

Tertia dubitatio est, *et si est circa substantiam*, id est, dato quod ista scientia versetur circa substantiam ; quæstio est *utrum una scientia sit circa omnes substantias, aut sunt plures* scientiæ de diversis substantiis ? quia supple videtur prima facie, quod de pluribus substantiis debent esse plures scientiæ.

Quarta dubitatio est, quod et si plures, id est, dato quod plures scientiæ sint de pluribus substantiis, quæstio est *utrum omnes sint cognatæ*, id est, unius generis, aut non ? ita quod quædam *hæ quidem dicendæ sunt sapientiæ : illæ vero*, id est, aliæ *aliquid aliud*, sicut videmus quod

Geometria et Arithmetica sunt cognatæ, quia utraque est in genere scientiæ Mathematicæ, quædam autem scientiæ sunt alterius generis, ut Mathematicæ et naturales; videtur enim primo aspectu quod cum substantiæ materiales et immateriales non sint unius rationis, quod scientiæ circa omnes substantias non sint unius rationis, nec ejusdem generis.

Quinta dubitatio est, *et hoc idem necessarium est quærere, utrum substantiæ sensibiles dicendæ sunt esse solum*, ut dixerunt antiqui Philosophi naturales; *aut præter eas*, scilicet substantias sensibiles et materiales sunt *aliæ* intelligibiles et immateriales ut posuit Plato, et etiam Aristoteles ut patebit 7. et etiam 12. hujus libri, text. 6. et inde, text. com. 5. et inde.

Sexta dubitatio est, quod dato quod sint aliquæ scientiæ separatæ a sensibilibus, quæstio est *utrum sint univocæ*, id est, unius generis tantum; *aut sint plura genera substantiarum, ut dicunt facientes species et ideas, et Mathematica intermedia inter ideas et sensibilia*, quales fuerunt Platonici, ut dictum fuit in primo libro? *De his igitur* dubitationibus *perscrutandum est ut prædiximus.*

Septima dubitatio est, *utrum speculatio* istius scientiæ *sit solum circa substantias, aut circa ea quæ secundum se accidunt substantiis*, id est, circa proprias passiones substantiæ? Videtur enim prima facie quod ad eamdem scientiam pertinet considerare subjectum et per se accidentia subjecti.

Octava dubitatio est, utrum ista scientia consideret de quibusdam, quæ videntur sequi ens inquantum ens, scilicet *de eodem et de diverso, simili et dissimili, et de contrarietate, et et de priore et posteriore, et aliis omnibus talibus, de quibuscumque Dialectici tentant intendere?* nam Dialectici *facientes perscrutationem ex probabilibus solum eorum theoria*, id est, consideratio, *est de omnibus*. Circa enim idem laborant Metaphysicus et Dialecticus, ut dicetur in 4. hujus, text. c. 5. licet Dialecticus procedat ex probabilibus, non tamen necessariis; videtur enim ex una parte quod cum ista quæ numerata sunt, sint communia, quod pertineant ad considerationem scientiæ Metaphysicæ; sed videtur ex alia parte, quod ex quo Dialectici est considerare talia, qui procedit ex probabilibus, quod non pertineant ad considerationem Metaphysicæ, cujus est demonstrare ex necessariis.

Nona dubitatio est quoad illa communia, quæ consequuntur ens inquantum ens, quæ talis est quæstio: utrum ad istam scientiam pertineat considerare de istis communibus, *non solum quid est unumquodque eorum*, sed etiam *quæcumque secundum se accidunt his eisdem*, ut *utrum unum sit contrarium uni*, et sic de aliis.

Notandum, quod licet omnes dictæ dubitationes pertineant ad considerationem istius scientiæ, tamen aliquo modo inter se distinguuntur; quod quomodo hoc sit, patebit inferius, quando de istis dubitationibus prosequetur, sufficit enim pro nunc dubitationes prædictas enarrare. Deinde cum dicit :

SUMMARIUM.

Quatuordecim considerationes ex parte rerum consideratarum in hac scientia, de quibus postea suo ordine.

Et utrum principia et elementa genera sunt; aut in quæ dividitur existentium singulum? Et si genera, utrum quæcumque dicuntur de individuis finalia; aut prima, ut utrum homo, aut animal principium est magis quam singulare? Maxime vero quærendum est, et tractandum, utrum est aliquid præter materiam, causa secundum se, aut non? Et hoc separabile aut non? et utrum unum, aut plura numero? Et utrum est aliquid præter synolon? Dico autem synolon quando prædicatur aliquid de materia, aut nihil, aut horum quidem, horum vero non. Amplius autem utrum principia numero, aut specie determinata, et quæ in rationibus, et quæ in subjecto? Et utrum corruptibilium et incorruptibilium eadem et diversa? Et utrum incorruptibilia omnia, aut corruptibilia corruptibilium? Amplius autem quod omnium difficillimum est, et plurimam habet dubitationem: utrum unum, aut ens quemadmodum Pythagorici, et Plato dicebant non alterum aliquid est, sed entium substantia, aut non, sed aliquid alterum ipsum subjectum, ut Empedocles amorem dicit; alius vero ignem; alius aquam, aut aerem? Et utrum principia sint universalia, aut singularia rerum? Et potestate, aut actu? Amplius autem utrum aliter, aut secundum motum? Hæc enim dubitationem præstant magnam. Adhuc autem numeri, et longitudines, et figuræ, et puncta substantiæ quædam sunt, aut non? Et si substantiæ, utrum separatæ a sensibilibus, aut in eis? De his enim omnibus non solum difficile veritatem ipsam inquirere, sed nec ratione quidem bene dubitare facile est.

5. Dubitationes ex parte rerum consideratarum hic enumerat.

Enumerat dubitationes tenentes se ex parte rerum consideratarum in ista scientia et enumerat 14. dubitationes.

Prima dubitatio est, *utrum principia et elementa, de quibus considerat ista scientia, sint genera universalia; aut sint illa in quæ dividitur singulum existentium*, id est, illa ultima, in quæ dividitur singulare existens? Ratio hujus dubitationis potest esse, quia elementum rei dicitur, ex quo primo res componitur, et in quod ultimo dividitur. Est autem duplex modus compositionis et resolutionis. Unus secundum quem conceptus specierum resolvuntur in genera, et secundum hunc modum genera videntur esse elementa. Secundus modus est magis realis et naturalis, secundum quem corpora naturalia dicuntur resolvi in elementa; et secundum hunc modum non genera communia, sed corpora elementaria erunt principia et elementa rerum.

Nota... dum ... lution et compo... nis d... cei...

Secunda dubitatio est, quod dato quod genera sint principia rerum, est quæstio *utrum* illa principia sint *quæcumque finalia*, id est, ultima *aut prima*, id est, illa *quæ primo, et proximo de individuis dicuntur*, sicut sunt species specialissimæ, quæ largo modo et Platonico dicuntur genera, pro quanto de pluribus individuis prædicantur; aut prima, scilicet genera sint rerum, ut sunt genera generalissima, ut *utrum principium sit animal aut homo*, quia secundum Platonicos est magis principium circa singularia, id est, magis existens *quam singulare.*

Ratio hujus dubitationis sumitur ex duplici divisione: quarum una est secundum quam genera in species dividuntur. Alia est secundum quam species resolvuntur in genera; nam illud, quod est ultimum in dividendo, videtur in componendo esse principium et elementum.

Divis... ple...

Tertia dubitatio est, quod *maxime quærendum est, et tractandum, utrum sit aliqua causa præter materiam, aut non?* Ista dubitatio habuit ortum ex opinionibus antiquorum, qui solam

materiam ponebant causam et substantiam rerum, ut in primo libro dicebatur.

Quarta dubitatio est, quod dato, quod sit aliqua causa rerum præter materiam, est quæstio *utrum hæc sit separata,* ut dicebat Plato, *aut non*, ut quidam alii posuerunt.

Quinta dubitatio est, quod dato, quod sit aliquid separatum a materia, est quæstio *utrum* illud sit *unum numero*, ut Anaxagoras, qui posuit unum intellectum; *aut sint plura*, ut posuit Plato, et etiam Aristoteles.

Sexta dubitatio est, *utrum sit aliquod aliud præter synolon*, id est, simul totum, quod est singulare, aut nihil; et exponit quid vocat synolon: *Dico autem synolon quando prædicatur aliquid de materia, aut nihil;* addit etiam quod si sit dare aliquid præter synolon, est dubium *aut de his quidem; de illo vero non*, id est, in quibus sit et in quibus non, et qualia sunt in quibus est, et qualia in quibus non?

Synolon quid est?

Notandum, quod ut imponitur Platoni, ipse posuit hominem et leonem, et hujusmodi, esse quasdam formas separatas, quæ de istis inferioribus prædicantur; et per hoc homo prædicatur de Socrate vel Platone, quod ista materialia sensibilia participant illam formam separatam. Socrates ergo, et Plato dicuntur *synolon*, id est, simul totum constitutum ex hoc quod materia participat formam separatam, quæ est quoddam prædicatum de materia, id est, de istis inferioribus materialibus. Est ergo ista dubitatio, *utrum quidditas individui sit separata ab ipso individuo, vel non, et in quibus sit verum, et in quibus non?* Quam dubitationem pertractat et determinat 7. hujus.

Septima dubitatio est, utrum principia de quibus considerat ista scientia, *sint determinata numero, aut specie, et quæ in rationibus, et quæ in subjecto?* id est, quantum ad causam formalem, et quantum ad causam materialem sive subjectivam. Dicimus enim tria esse principia, ut habetur 1. Physic. text. com. 56. iste autem numerus ternarius potest intelligi, vel secundum numerum, id est, quod sit una forma, numero, et materia una numero, quæ sunt principia naturæ; vel potest intelligi iste numerus ternarius secundum speciem, scilicet quod sint multæ causæ materiales quæ conveniunt in specie, et ratione materiæ, et sic de aliis.

Octava dubitatio est, *utrum corruptibilium et incorruptibilium sint eadem principia, aut diversa*; et dato quod diversa, *utrum omnia principia* sint *incorruptibilia, aut corruptibilium sint principia corruptibilia,* sicut incorruptibilium sunt principia incorruptibilia.

7. Resumit breviter opinionem antiquorum de substantia rerum et ente et uno.

Nona dubitatio est, quam dicit esse difficillimam omnium, et habere plurimam dubitationem, *utrum unum et ens sint substantia omnium, et non aliquod diversum, quemadmodum dicebant Pythagorici et Plato, aut non; sed sit aliquod alterum* aliud unum *ipsum subjectum* ipsi uni et enti diversum ab eis; quod subjectum *Empedocles dixit esse amorem*; *alius vero ignem*, ut Heraclitus; *alius vero aquam*, ut Thales; *alius aerem,* ut Diogenes. Plato enim et Pythagorici dixerunt unum, et ens esse rerum

substantiam, et non additum aliquid substantiæ. Empedocles autem et alii Naturales dixerunt unum, et ens esse aliquid additum substantiæ rerum, sicut quoddam accidens superadditum substantiæ; substantiam autem rerum ponebant ignem, aut aquam, etc. Empedocles autem posuit amorem subjectum esse unius et entis, quem amorem ponebat principium rerum, ut efficiens, ut dictum fuit in primo libro. Dicit autem istam dubitationem esse difficillimam, quatenus ex ea pendet opinio tota Platonis et Pythagoricorum, et ponentium numeros esse rerum principia.

Decima dubitatio est, *utrum principia rerum sint universalia, aut singularia*, id est, utrum ea quæ ponuntur, ut principium, habeant rationem principii, et sint universalia, vel habeant rationem singularis.

Undecima dubitatio est, *utrum principia sint potestate, an actu?* et hæc duo videntur convenienter quæri de principio materiali, eo quod ponebant antiqui Naturales aliqua corpora actu, puta ignem, aut aquam, etc. vel sit tantum ens in potentia, ut posuit Aristoteles.

Duodecima dubitatio est, *utrum secundum motum, aut aliter?* id est, utrum principia rerum sint causæ solum secundum motum, sicut posuerunt antiqui Naturales materiam, vel efficiens; aut sint aliter, quam secundum motum principia, sicut dixit Plato ponens ideas esse principia, non secundum motum, sed secundum quamdam participationem. Addit autem quod *hæc*, scilicet dubia quæ dicta sunt, *præstant magnam dubitationem*, ex hoc, scilicet quod circa ea Philosophi antiqui ab invicem discordabant.

Decimatertia dubitatio est, *utrum numeri, et longitudines, et figuræ, et puncta sint quædam substantiæ*, aut non? Aliqui enim Philosophi, ut Pythagorici et Platonici posuerunt hujusmodi Mathematica esse rerum principia et substantias.

Decimaquarta dubitatio est, dato quod hujusmodi Mathematica sint substantiæ, est quæstio *utrum sint substantiæ separatæ a sensibilibus*, ut ponebat Plato; *aut sint in eis*, i ! est, in sensibilibus, ut Pythagorici ponebant? Addit autem rationem pertractandi dubitationes dictas, dicens quod *de his omnibus*, supple oportet quærere, quia *non solum difficile est inquirere ipsam veritatem de eis, sed nec est bene facile dubitare rationem* inveniendo, scilicet rationes probabiles pro et contra.

Notandum quod licet omnes prænumeratæ quæstiones teneant se ex parte rerum, quæ subsunt considerationi hujus scientiæ, tamen inter se aliqualiter distinguuntur, sicut patebit inferius pertractando ipsas.

SUMMA SECUNDA.

In hac Summa examinantur propositæ difficultates, in cujus primo capite usque ad §. *At vero*, agitur, an unius scientiæ sit speculari omnia genera causarum? et pars negativa suadetur primo.

CAPUT I.

Disputantur difficultates de causarum, principiorum, ac substantiarum cognitione.

Primum ergo de quibus inprimis diximus, utrum unius aut plurium scientiarum sunt speculanda omnia genera causarum? Text. 3

8 Postquam Philosophus in præcedenti parte, quæ est in prologo hujus tertii, præmisit suam intentionem, nunc exequitur de intento, disputando de quæstionibus prædictis, et formando rationes pro et contra. Circa quod duo facit : quia primo disputat de quæstionibus, quæ se tenent ex parte scientiæ considerantis. Secundo de quæstionibus, quæ se tenent ex parte rerum consideratarum. Secunda ibi : *Amplius utrum sensibiles?* Prima in duas, quia primo facit quod dictum est, secundum quod consideratio hujus scientiæ respicit causas et principia. Secundo, ut respicit causata et principia. Secunda ibi : *Totaliter quæ substantiarum.* Prima in duas, quia primo facit, quod dictum est, ut consideratio scientiæ respicit causas et principia incomplexa. Secundo, ut respicit complexa. Secunda ibi : *At vero de principiis.* Prima in duas, quia primo proponit quæstionem. Secundo arguit ad quæstionem. Secunda ibi : *Unius enim scientiæ.* Dicit ergo quod *primum*, supple est inquirendum, *de quo imprimis diximus*, scilicet enumerando quæstiones, ut sic ordo disputandi correspondeat ordini proponendi. Et est quæstio prima, quam prius primo proposuit, *utrum unius scientiæ, aut plurium scientiarum sit speculari omnia genera causarum?* Deinde cum dicit :

Prosequitur problematice disputando, et primo ad quæstionem.

Unius enim scientiæ quomodo erit non contraria principia existentia cognoscere ?

Arguit ad quæstionem. Circa quod duo facit, quia primo ponit rationes ad ostendendum, quod ad eamdem scientiam non pertinet considerare omnes causas. Secundo supponendo quod pertineat ad diversas scientias, movet quamdam aliam quæstionem annexam. Tertio ex quæstione annexa pertractata concludit conclusiones primarum rationum. Secunda ibi : *At vero si causarum scientiæ.* Tertia ibi : *Quapropter videtur.* Prima in duas secundum duas rationes quas adducit. Secunda ibi : *Amplius autem.* In prima parte intendit talem rationem : Contraria sunt unius scientiæ; ergo quæ non sunt contraria, non spectant ad unam scientiam. Dicit ergo, quod si *unius scientiæ quomodo erit cognoscere*, scilicet principia *non existentia contraria?* quasi diceret, quod non.

Philosophus indisputando adducit, quandoque rationes sophisticas.

Notandum, consuetudinem esse Philosophi, quod cum pertractat aliquam materiam disputando, non solum adducit rationes probabiles, vel necessarias, sed interdum etiam sophisticas, sicut patet 4. hujus, et in isto tertio frequenter. Unde illa ratio, quæ nunc facta est sicut dicit Commentator, et est evidens de se, peccat per consequens arguendo a destructione antecedentis. Deinde cum dicit :

Amplius autem multis existentium non insunt omnibus omnia. Quo namque modo possibile est motus principium esse in immobilibus, aut boni naturam? si quidem omne quod est bonum secundum se, et propter suam naturam finis est, et ita causa, quod illius causa, et fiunt, et sunt cætera. Finis autem, et cujus causa actus cujusdam est finis, sed actus omnis cum motu. Quare in immobilibus non contingit hoc esse principium, nec esse aliquid ἀυτοάγαθον, id est, per se bonum. Unde et in Mathematicis per hanc nihil ostendit causam. Nec est demonstratio nulla eo quod melius, aut deterius; sed nec omnino nullus talium alicujus reminiscitur; quapropter, et Sophistarum quidam, ut Aristippus, ipsas præneglexit. In

aliis enim artibus, et illiberalibus, ut Tectonica, et Coriaria eo quod melius, vel deterius dici omnia; Mathematicas vero, nullam de bonis et malis facere rationem.

9. Ponit secundam rationem, quæ sic formari potest : Si unius scientiæ est considerare omnes causas, ergo quæcumque scientiæ considerant unam causam, considerabunt omnes; consequens est falsum, ergo et antecedens. Falsitatem consequentis ostendit prolixe in littera. Dicit ergo, quod *amplius multis existentium*, id est, de numero entium *non insunt omnia*, scilicet genera causarum omnibus, et per consequens scientia considerans talia entia, non considerabit omnes causas; quod declarat primo de causa efficiente : *quo namque modo est possibile principium unde motus*, id est, efficiens *in immobilibus?* quasi diceret, quod non. Cum ergo sint multa etiam entia immobilia, sicut patet ex opinione Platonis et etiam Aristotelis, scientia considerans talia entia immobilia non considerabit causam moventem, cum talia entia non habeant principium, unde motus. Secundo ostendit hoc idem in causa finali, dicit *aut* supple, quomodo est possibile ipsorum immobilium *esse boni naturam,* id est, causam finalem quæ habet rationem boni? quasi diceret, quod non; quod probat cum subdit : *si* pro quia, quia *omne quod est bonum secundum se, et propter suam naturam est finis, et ita potior causa, qui illius causa cætera sunt et fiunt; finis autem et cujus causa, est finis*, id est, terminus *actus cujusdam,* id est, actionis vel operationis ; *sed omnis actus*, id est, omnis actio, vel operatio *est cum motu*, ut videtur; *quare* sequitur, quod *non contingit id esse principium,* scilicet finem *in immobilibus*, cum talia abstrahant a motu, *nec* videtur *esse aliquid* αὐτοάγαθον *id est, per se bonum* vult dicere quod, quia illa quæ sunt per se existentia absque materia, sunt necessario immobilia, ideo non videntur esse bona, ut ponebat Plato, qui omnia immaterialia et separata vocabat per se existentia, puta ideam hominis, vocabat per se hominem, quia non participatam in materia. Iterum per se bonum vocabat illud, quod est sua bonitas non participata, cujusmodi est primum principium. Hanc autem rationem dictam confirmavit per quoddam signum, dicens *unde* supple, quia in immobilibus non est ratio finis et boni; idcirco *in Mathematicis*, quæ abstrahunt a motu, nihil *ostendit per eam*, scilicet causam finalem; *nec est vera demonstratio ejus quod melius, aut deterius*, id est, in Mathematicis nihil demonstratur ex ratione boni, puta quod hoc modo sit, quia melius est hoc modo esse, aut deterius, si ita non esset; ut si diceretur, quod triangulus habet tres, quia melius est quod habeat tres quam si non haberet. Ideo subdit, quod *nec omnino nullus reminiscitur*, scilicet in Geometria, *alicujus talium*, scilicet modorum demonstrandi ex ratione boni, vel finis, vel formæ, vel sint tales plures modi : *quapropter quidam de numero Sophistarum, ut Aristippus, ipsam enim neglexit*, scilicet demonstrationem per causam finalem, ex quo, scilicet quod talem demonstrationem reputabat vilem. Unde subdit, quod ille, scilicet Aristippus pone-

Non omnia causata habent omnes causas, nec omnis scientia illas considerat.

Al. si quid.

In Mathematicis non est demonstratio per causam finalem.

bat, quod in *aliis artibus liberalibus*, servilibus et vilibus, *ut in Tectonica et Coriaria*, et artibus aliis mechanicis, dici *omnia*, scilicet assignari *ex hoc*, *quod aliquid deterius*, id est vilius, *vel melius*, *Mathematicas vero* scientias *nullam facere rationem de bonis et malis*, cum scilicet sint certissimæ et nobilissimæ; iste autem Aristippus dicitur fuisse de secta Epicureorum.

Naturalis scientia demonstrat ex causa finali.

Notandum, quod licet in Mathematicis non probetur aliquid ex fine et ex ratione boni, ut prædictum est, tamen hoc faciunt aliquæ aliæ scientiæ, sicut naturalis scientia, quæ ut plurimum demonstrat ex causa finali, ut habetur 2. Physic; unde assignamus causam quare habet pedes, ut melius possit ambulare et sibi acquirere necessaria ad vitam.

Bonum triplex, honestum, utile et delectabile.

Notandum etiam, quod ut habetur 4. Ethicor. cap. 9. et circiter, sed expressius habetur 8. Ethicorum, triplex est bonum, scilicet bonum honestum, bonum utile, et bonum delectabile. Primum est bonum secundum se, et habet rationem finis proprie, et est amabile amore amicitiæ. Secundum bonum habet magis rationem amabilis amore concupiscentiæ, et sic potest habere rationem finis, non tamen ita proprie sicut primum bonum; magis autem habet rationem ejus, quod est ad finem, sicut medicina utilis ad sanitatem ordinatur ad sanitatem, ut ad finem. Tertium bonum, scilicet delectabile magis etiam habet rationem ejus, quod est ad finem, licet rationem finis habeat aliquo modo, non tamen sic sicut primum bonum. Bene ergo ait Aristoteles, quod omne quod est bonum propter se, et secundum suam naturam, quod proprie est bonum honestum, finis est, et ita causa cujus gratia sunt, et fiunt alia. Deinde cum dicit :

SUMMARIUM.

Si de variis causis variæ dentur scientiæ, quænam erit nobilior ? Excludit materiam, ratione a Doctore assignata.

At vero si scientiæ causarum sunt plu- 10.
res, et altera alterius principii quæ earum est dicenda quæritur ? Aut quis maxime rem quæsitam est sciens eam habentium ?

Interponit quamdam aliam quæstionem annexam. Circa quod tria facit. Primo proponit quæstionem quæ habet duas partes. Secundo demonstrat secundam partem quæstionis. Tertio resumit quæstionem, quantum ad primam partem specialiter. Secunda ibi : *convenit autem eidem*, Tertia ibi : *Igitur ex dudum determinatis*. Dicit ergo, *at vero* dato quod *sint plures scientiæ causarum, et altera alterius principii*, puta quod una scientia considerat de causa formali, alia de causa finali, etc. Est quæstio, *quæ earum sit dicenda illa*, scilicet scientia, *quæ quæritur?* id est, quæ illarum scientiarum debeat dici sapientia, de qua modo quæritur et intenditur, et hæc est prima pars quæstionis. Secundam partem subdit : *aut* supple est quæstio *quis maxime rem quæsitam sciens*, *est habentium*, eas, scilicet causas, id est, quod si aliqua res sit quæ habeat plures causas, est quæstio quis maxime cognoscit illam rem earum, quæ considerantur per diversas scientias et causas. Deinde cum dicit :

Contingit enim eidem omnes modos causarum inesse, ut domus. Unde quidem motus ars, et ædificator; cujus vero causa opus, et materia terra et lapides; species vero ratio.

11. Quomodo in una re concurrunt omnes causæ.

Demonstrat secundam partem quæstionis, ex hoc scilicet quod invenitur aliqua res habens omnes causas. Dicit ergo, quod convenit aut *contingit eidem* rei *inesse omnes modos causarum, ut* ipsius *domus ars, et ædificator* est, *unde motus*, id est, causa efficiens. *Cujus vero causa,* id est, causa finalis, *est operatio*, id est, usus, vel habitatio; *materia autem sunt terra et lapides; species vero*, id est causa formalis est *ratio*, id est compositio, vel proportio domus. Vel per rationem domus intelligit formam domus, quam artifex in mente habet, quæ 7. Metaphysicæ text. com. 23. vocatur, *quod quid erat esse*, et prima substantia; et ibidem dicitur, quod ex domo intra, quæ est ipsa domus imaginata, fit domus cum materia, quæ est domus extra. Deinde cum dicit :

Igitur ex dudum determinatis quam decet vocare scientiarum sapientiam, habet rationem quamlibet appellari, inquantum senior quidem et principalior, cui veluti servientes non contradicere scientias alias certum est ,quæ finis enim boni talis est, sunt enim hujus causa cætera.

Resumit quæstionem specialiter, quantum ad primam partem, et adducit rationes. Circa quod tria facit. Quia primo inducit rationem ad ostendendum, quod scientia considerans causam finalem, mereatur nomen sapientiæ, dato quod de diversis causis, diversæ scientiæ tractarent. Secundo inducit rationem ad probandum idem de causa formali. Tertio de causa efficiente. Secunda ibi : *Inquantum vero primarum*. Tertia ibi : *Circa generationem.* Dicit ergo, quod *ex determinatis dudum* scilicet in primo libro, *quam,* scilicet scientiam decet *vocare sapientiam, habet rationem quamlibet* scilicet scientiam,de quacumque causa considerat *appellari,* scilicet nomine sapientiæ; et primo quantum ad scientiam, quæ considerat causam finalem, intendit talem rationem : Scientia directiva aliarum, et ad quam aliæ ordinantur, meretur magis nomen sapientiæ; (Hæc enim est conditio sapientiæ, ut dictum fuit in prologo primi libri) sed scientia considerans de fine est hujusmodi, quia ex fine omnia alia diriguntur, et ad finem omnia alia ordinantur; ergo talis scientia erit senior, id est dignior, et illæ erunt subservientes sibi, et per consequens ipsa meretur magis nomen sapientiæ. Dicit ergo, quod *inquantum* scilicet sapientia est, *quidem senior et principalior* est dignior, *cui non contingit alias scientias contradicere sibi veluti servientes sibi*, quia per eam dirigunt; quia inquam sic est juste scientia quæ est *de fine et bono talis est*, scilicet quæ dicatur sapientia. *Hujus enim causa*, id est, propter finem *cætera sunt*, signum hujus est, quia ars architectonica, ad quam pertinet finem considerare, principatur et imperat aliis artificibus, sicut usualis imperat navifactivæ, et navifactiva dolativæ, quæ præparat materiam ad formam navis; si igitur sapientia est præceptiva aliarum, maxime videtur propter hoc pertinere ad scientiam de fine. Deinde cum dicit :

Scientia directiva aliarum, est senior, et dignior illis.

Inquantum vero primarum causarum, et maxime scibilis definitiva est esse, 12.

quæ substantiæ, utique erit talis. Multis enim modis idem scientibus, magis quidem scire dicimus eum qui novit in ipso esse quid res, quam in non esse, et horum eorumdem alium alio magis. Sed maxime quid est, et non quantum, aut quale, aut quid facere, aut pati apta nata est. Amplius autem et in aliis scire singula, et quorum demonstrationes sunt tunc putamus existere, quando scimus quid est, ut tetragonizare quid est, quia mediæ intentio. Similiter autem et aliis.

Adducit rationem pro scientia considerante de causa formali. Et intendit talem rationem: Illa scientia quæ considerat primas causas et est scientia maxime certa, meretur magis nomen sapientiæ; hæc enim est conditio sapientiæ, ut patet ex prologo primi libri; sed scientia considerans causam formalem est hujusmodi, quod patet ex hoc, quia inter diversos modos sciendi, maxime dicimus illum scire, qui scit esse rei, et quod quid erat esse ejus; ergo talis scientia magis meretur nomen sapientiæ. Dicit ergo, quod *inquantum vero sapientia*, supple est *definitiva esse primarum causarum, et maxime scibilis*, ex hoc, scilicet videtur *quod* scientia *substantiæ*, id est, de causa formali et substantiali *erit talis*, scilicet sapientia; *multis enim modis scientibus idem*, id est, inter multos modos sciendi rem, *magis quidem dicimus scire eum qui novit in ipso esse, quid est in ipsa re, quam in non esse,* id est, quod magis scit ille aliquid, quam qui scit aliquid non esse. Demonstratio enim et scientia affirmativa potior est, quam ipsa negativa, sicut patet primo Posteriorum; *et horum eorumdem* qui, scilicet sciunt esse aliquid, *alium alio magis* dicimus scire; *sed maxime qui* scit *quid est et non quantum est, aut quale, aut quod est apta nata facere aut pati*, scire autem quid est, est

Scientia de causa formali maxime sapientiæ nomen meretur.

Vide notanter Scot. q. 3. prolog. Sent. in solutione 1. lateralis.

scire formam rei. *Amplius autem et in aliis*, scilicet proprietatibus *scire singula, et quorum sunt demonstrationes*, ut sunt propriæ passiones; *tunc putamus existere, quando scimus quid est*, puta *ut* quid *tetragonizare, quia* scilicet est, *mediæ inventio, similiter autem et in aliis.*

13. Quod quid est reperitur etiam in accidentibus.

Notandum, quod ipsum quod quid est, non solum invenitur in substantiis, sed etiam in accidentibus, et ideo sicut in substantiis, tunc putamus maxime scire rem, quando scimus quid est; ita etiam in accidentibus, et in aliis proprietatibus, quorum sunt demonstrationes, tunc maxime scimus cum scimus de eis, quod quid est.

Tetragonismus quid?

Notandum, quod tetragonismus dicitur secundum Geometram superficies quadrati vel quadrangularis, non habentis omnia latera æqualia, sed alteram partem longiorem, cui si velimus invenire quadratum æquale habens omnia latera æqualia, oportet invenire lineam mediæ proportionis, et tetragonizare, id est, quadrare tetragonismum. Ad cujus evidentiam notandum, quod regula est in Geometria, quod quandocumque tres lineæ sunt proportionales, illud quod resultat ex prima et tertia, est æquale ei, quod resultat ex ductu secundæ lineæ in seipsam; quod manifestus apparet in tribus numeris proportionalibus, ut sunt duo, quatuor, octo; nam sicut se habent quatuor ad duo, ita se habent octo ad quatuor, et ideo illud, quod resultat ex duc-



Tres numeri proportionales.

tu binarii is octonarium, ent æquale ei, quod resultat ex ductu quaternarii in seipsum, nam bis octo, faciunt sexdecim, similiter quater quatuor faciunt sexdecim. Similiter in proposito, si accipiantur tres lineæ proportionales, quarum prima sit duarum palmarum, secunda quatuor, tertia octo, quadrangulus constitutus ex prima linea et ex tertia, erit æqualis quadrato, constituto ex ductu secundæ lineæ in seipsam; quia secunda linea quæ est quatuor palmarum, est quædam medietas et proportio media inter lineam duarum palmarum, et tertiam quæ est octo palmarum. Tetragonizare ergo, id est, quadrare quadrangulum, cujus altera pars est longior, est invenire mediiam proportionem modo præexposito, et qui hoc scit, scit quid est *tetragonizare*, id est, quadrangulum quadrare. Deinde cum dicit:

Circa generationes vero et actus, et circa omnem transmutationem opinantur nos perfecte cognoscere, quando cognoscimus principium motus. Hoc autem alterum, et oppositum fini.

14. Scientia considerans de causa efficiente videtur maxime scientia.

Adducit rationem pro scientia considerante de causa efficiente. Dicit ergo, quod *circa generationes et actus, et circa omnem transmutationem*, tunc supple *dicimur maxime scire, quando cognoscimus principium unde motus*, id est causam efficientem; nam motus est actus mobilis a movente, ut dicitur 3. Physic. ergo scientia considerans de causa movente, videtur esse maxime scientia, et per consequens maxime meretur nomen sapientiæ. Addit autem, quod *hoc*, scilicet principium movens et efficiens, *est diversum et oppositum fini*, id est, efficiens est principium oppositum principii finis, sicut dictum fuit in primo libro.

Notandum, quod de causa materiali prætermisit facere mentionem, quia materia cum sit ens in potentia, et ens imperfectum quantum est de se, minus quam aliæ causæ facit ad cognitionem rei, et ideo dato quod aliqua scientia consideret seorsum de causa materiali, non videtur posse haberi ratio, quod illa meretur magis nomen sapientiæ. Deinde cum dicit :

Quapropter videtur alterius esse scientiæ causarum harum singulas speculari.

Pertractata quæstione annexa concludit conclusionem primarum rationum, ad quæstionem principalem dicens : *quapropter videtur alius*, id est, alterius *esse scientiæ speculari singulas harum causarum*.

Et tamen veritas quæstionis principalis est, quod unius scientiæ est considerare omnia genera causarum. Cujus ratio est, quia scientiæ cujus est considerare effectum, est considerare omnes causas ejus, sicut de domo superius declarabatur; ergo ad illam scientiam pertinet considerare omnes causas. Hoc apparet manifeste in Physica 2. lib. text. com. 28. et inde, et de Metaphysica 5. Metaphysicæ cap. de causis, text. com. 2. et inde, licet Physica et Metaphysica, differenter considerent de omnibus causis, sicut dictum est in primo libro. Nec rationes in contrarium concludunt. Prima est sophistica, et arguit a destructione antecedentis, ut prædictum est. Secunda

Veritas quæstionis. Vide S. Thomam hic copiosius.

etiam ratio non valet, non enim sequitur, quod si alicujus scientiæ non est considerare omnes causas; ergo nullius. Neganda est consequentia, quia potest esse, quod alicujus unius scientiæ sit considerare omnes causas, et alicujus non.

SUMMARIUM.

An de principiis complexis detur una, et eadem scientia? et an eadem de his, et de substantiis? rationes pro parte negativa.

Text. com. 4. At vero de principiis demonstrationis, utrum unius scientiæ est, aut plurium, dubitatio est? Dico autem demonstrativas communes opiniones, ex quibus omnes demonstrant. Ut quoniam omne necessarium est, aut dicere, aut negare, et impossibile idem simul esse et non esse, et quæcumque aliæ tales propositiones. Utrum harum una scientia, et substantiæ, aut alia. Et si non una est, quam oportet appellare, quæ nunc est quæsita?

15. Postquam Philosophus disputavit quæstiones respicientes principia incomplexa, nunc disputat eas, quæ respiciunt principia complexa. Circa quod duo facit. Primo proponit quæstionem. Secundo objicit pro et contra. Secunda ibi: *Unius igitur esse.* Dicit ergo quod *dubitatio est de principiis demonstrativis*, quæ scilicet sunt complexa, *utrum sunt unius scientiæ, aut plurium*, id est, utrum considerare de eis pertineat ad unam scientiam, vel ad plures? et exponit quæ sunt hujusmodi principia. *Dico autem demonstrativas, et communes opiniones, ex quibus omnes* scilicet scientiæ *demonstrant*, *ut quoniam omne necessarium est, aut dicere*, id est, affirmare, *aut negare, et impossibile est idem simul esse et non esse, et quæcumque aliæ tales propositiones;* et dato quod sint unius scientiæ, est quæstio *utrum sit una scientia harum, et substantiæ, aut alia*, id est, utrum scientia considerans de substantia, et de talibus principiis sit una, vel sit alia; et dato quod non sit una, sed quod alia scientia consideret de substantia, et alia de illis principiis communibus, est dubium, *quam illarum oportet appellare, quæ nunc est quæsita,* id est, sapientia.

[?. q. principalis.] [Prima principalis quæstionis.] [An sit unius scientiæ considerare principia communia, et substantiam.]

Notandum, quod principia communia, de quibus exemplificat, dicuntur communes opiniones vel conceptiones, quatenus omnes scientiæ utuntur eis in demonstrando; non quod ipsa ingrediantur demonstrationem secundum substantiam, cum ipsa sint communia, et demonstratio procedat ex propriis, sed pro quanto principia omnium scientiarum habent per illa communia robur et firmitatem, ideo licet non ingrediantur demonstrationes aliarum scientiarum secundum substantiam, ingrediuntur tamen virtualiter. Deinde cum dicit: 16. Principia communia quæ dicuntur? et qualiter intrant demonstrationem aliarum scientiarum?

Unius igitur esse non est rationabile Quid enim magis Geometriæ, quam qualiscumque de his proprium est audire? Si igitur similiter quidem qualiscumque est. Omnium vero non convenit, sicut nec aliarum, ita nec ipsas substantias cognoscentis, proprium est de ipsis cognoscere.

Arguit ad quæstionem. Primo ad partem negativam, scilicet quod non est unius scientiæ considerare principia demonstrationis, et substantiam. Secundo arguit ad partem affirmativam oppositam. Secunda ibi: *At vero si alia.* Prima in duas secundum quod duas rationes adducit pro ista parte. Secunda ibi: *Simul autem.* Dicit ergo, quod *non est rationabile esse unius scientiæ,* Quod non sit unius scientiæ considerare principia communia et substantiam.

quod scilicet ipsa consideret dicta principia. Cujus causam subdit, *quid enim magis Geometriæ, quam qualiscumque alterius* scientiæ est proprium *de his obaudire*, id est, considerare? quasi diceret, quod non, cum pertineat ad omnes; sed nec hoc videtur verum, ideo dicit, quod *omnium vero non convenit* quia videtur superfluum, quod in diversis scientiis de eisdem tractetur. Si igitur nec una, nec omnes scientiæ considerant dicta principia, sequitur quod nulla, nec per consequens illa quæ est de substantia; ergo non est ejusdem scientiæ considerare de substantia, et de principiis prædictis; et hoc est quod concludit, quod *sicut nec aliarum, ita nec ipsius cognoscentis*, id est, considerantis substantias ipsas, *est proprium cognoscere de his*. Deinde cum dicit :

Simul autem, et quomodo erit ipsorum scientia? Quid quidem enim, et unumquodque horum existit ens, et nunc novimus. Utuntur igitur eis, ut notis artes aliæ. Si autem demonstratio de eis est, oportebit aliquod igitur esse subjectum; et hæc quidem passiones; illa vero dignitates eorum. Nam de omnibus esse demonstrationem, impossibile est; necesse est enim ex aliquibus esse, et circa aliquid, et aliquorum demonstrationem. Quare accidit omnium esse genus unum aliquid demonstratorum; omnes enim demonstrativæ dignitatibus utuntur.

17. Consideratio scientifica duplex.

Ponit secundam rationem quam intendit talem : Omnis consideratio scientifica, vel est per definitionem, vel per demonstrationem; sed principia demonstrationis prædicta non possunt cognosci per definitionem, quia statim cognoscuntur quid sunt, notis terminis; nec per demonstrationem, quia cum in demonstratione sint tria, scilicet subjectum, passio et principia, ipsorum principiorum non est demonstratio, alias esset processus in infinitum, et per consequens scientia non esset de substantia. Dicit ergo, quod *simul autem, quæ erit scientia eorum*, scilicet dignitatum? quasi diceret, nulla; quia illa scientia, vel esset definitiva vel demonstrativa ; et quod non definitiva probat, cum subdit: *Horum igitur cuilibet quid inest*, id est, quid sunt, *et nunc novimus*, id est, statim in principio cognoscimus notis terminis, et propter hoc *aliæ artes utuntur eis, ut notis*, scilicet quid sunt. Ulterius probat, quod non cognoscantur scientia demonstrativa dicens : *si autem de eis est scientia demonstrativa exiget aliquod genus esse subjectum, et hæc quidem passiones, illa vero dignitates eorum*; hæc enim tria ad demonstrationem requiruntur, necesse est enim demonstrationem esse ex aliquibus, scilicet principiis, et circa aliquid, scilicet circa subjectum, et aliquorum, scilicet accidentium propriorum; sed impossibile est dignitates demonstrari, tum ex parte principii, *nam de omnibus esse demonstrationem est impossibile*, quia esset processus in infinitum; tum ex parte subjecti, quia cum una scientia sit unius generis subjecti, oporteret quod illa quæ demonstraret dignitates, haberet unum subjectum; cum ergo omnes scientiæ utantur istis dignitatibus, omnes scientiæ haberent unum subjectum commune, quod est falsum ideo, subditur; *quare accidit aliquid esse unum, ergo omnium demonstratorum*, id est, omnium scientiarum demonstrativarum ; omnes enim scientiæ *demonstrativæ ipsis dig-*

Principia communia nequeunt cognosci per defini-

tionem vel demonstrationem.

Tria quæ necessario requiruntur ad demonstrationem

nitatibus utuntur. Deinde cum dicit :

SUMMARIUM.

Dato plures esse scientias de principiis et substantiis, quæ illorum principalior? resolvitur de his agere hanc scientiam unicam. text. 5. Arguitur pro et contra, an una scientia sit de omnibus substantiis, de quo vide Doctorem 1. hujus, q. 9.

18. At vero si alia, quæ substantiæ et quæ de his, quæ eorum principaliter, et prior est? universaliter enim maxime omnium principia sunt dignitates. Et si non est Philosophi, cujus erit alterius de eis speculari veritatem, et falsitatem ?

Arguit ad partem affirmativam oppositam, et dicit, quod si alia est scientia, scilicet quæ *est de substantia,* et alia, *quæ est de his*, scilicet dignitatibus, restat dubium, *quæ earum est principalior et dignior;* nam videtur ex una parte, quod scientia de dignitatibus esset prior, *nam dignitates sunt principia maxime universalia omnium*, et per consequens videtur, quod scientia de eis esset universalior et prior. Et ex alia parte cum substantia sit primum ens, scientia de substantia erit prima Philosophia. *Et si igitur Philosophi*, scilicet primi, *cujus est substantia speculari,* non est supple de hujusmodi dignitatibus, *cujus alius, id est, alterius*, scientiæ erit *speculari de eis veritatem et falsitatem?* quasi diceret, quod nullius alterius.

Ejusdem scientiæ est considerare substantiam, et dignitates. Veritas hujus quæstionis est sicut apparet ex quarto hujus, text. com. 7. et circiter, quod ejusdem scientiæ, scilicet Metaphysicæ, est considerare de substantia et de dignitatibus; nam cum subjectum Metaphysicæ sit ens inquantum ens, ideo ejus est considerare talia principia communia, quæ in ente, vel in partibus entis fundantur, sicut patet de primo principio simpliciter quidem, quod est : *Impossibile est idem simul esse, et non esse.* Satisfit argumentis in oppositum.

Nec rationes in oppositum concludunt. Prima non, quia licet omnes scientiæ utantur dictis principiis, non tamen sequitur quod omnes considerent ipsa, sed accipiunt ea ab una aliqua communi, cujus est illa communia considerare, et hæc est Metaphysica. Quodlibet nequit per demonstrationem sciri. Secunda ratio procedit ab insufficienti, non enim omne quod scitur, per definitionem vel demonstrationem scitur, nisi illa tantum, quorum cognitio est ex aliquo priori; principia autem cum sint prima simpliciter, non possunt cognosci ex aliquo priori, sed cognitis terminis, statim in lumine naturali intellectus cognoscentis, cognoscuntur, ut declaratum fuit in 2. lib. text. com. 5. Tunc sequitur illa pars:

Totaliter quæ substantiarum, utrum una omnium est, aut plures scientiæ ? 19.

Ubi disputat quæstiones, ut consideratio hujus scientiæ respicit principiata, quæ sunt substantiæ et accidentia. Circa quod duo facit, secundum quod movet duas quæstiones. Secunda ibi : *Amplius autem.* Prima in duas, quia primo movet quæstionem. Secundo arguit pro et contra. Secunda ibi : *Siquidem ergo.* Est ergo prima quæstio, *utrum universaliter sit una scientia omnium substantiarum, aut plures scientiæ,* quæ scilicet considerent substantias diversas. Deinde cum dicit : 3. q. principalis.

Si quidem ergo non una, cujus substantiæ ponenda est scientia ista ?

Arguit ad quæstionem. Primo ad

unam partem, scilicet quod unius scientiæ est omnes substantias considerare. Secundo arguit ad oppositum, ibi : *Unam vero omnium.* Dicit ergo, quod *si quidem non est una,* scientia scilicet de omnibus substantiis, est dubium, *cujus substantiæ ista scientia*, scilicet Metaphysica est ponenda, scilicet considerativa? quasi diceret, quod non possit assignari, cum omnes substantiæ sint partes entis. Deinde cum dicit :

Unam vero omnium non est rationabile, etenim demonstrativa una de omnibus erit utique per se accidentibus. Si quidem omnis demonstrativa circa aliquod subjectum speculatur per se accidentia ex communibus opinionibus. Et circa idem igitur genus accidentia pro se ejusdem est speculari ex ejusdem opinionibus, nam circa ipsum, quia unius et ex quibus unius, sive ejusdem, sive alius. Quare et accidentia sive hæ speculabuntur, aut ex his una.

20. Arguit ad oppositum, et intendit talem rationem : Si una scientia est omnium substantiarum ; ergo una scientia erit omnium per se accidentium, *etenim,* pro quia, *tunc esset una scientia demonstrativa in omnibus per se accidentibus.* Cujus causam subdit : *etenim* omnis *demonstrativa* scientia *speculabitur singula accidentia, circa aliquod subjectum ex communibus opinionibus*, vel conceptionibus, cujusmodi sunt principia prima dummodo fiat ex eisdem principiis. Nam *circa ipsum*, *quia unius est demonstrare*, *quia ita est per aliqua principia unius, et ex quibus unius,* id est, quod demonstrare, quia ita est, aliquando pertinet ad unam scientiam ; et demonstrare principia ex quibus demonstrabatur, quia ita est, pertinet ad unam scientiam ; quandoque quidem ad eamdem, quandoque vero ad aliam. Ideo subdit, *sive ejusdem, sive alius,* id est, alterius, *quare accidentia sive speculabuntur hoc sive ex his,* semper illa scientia erit una.

Notandum quod principia demonstrationis non semper sunt indemonstrabilia simpliciter ; sed quod est conclusio unius demonstrationis, potest esse principium alterius demonstrationis, et quoniam sic est demonstrare talia principia, quandoque pertinet ad eamdem scientiam, quandoque ad aliam. Exemplum primi in Geometria, quod triangulus habet tres, etc. per hoc quod angulus extrinsecus trianguli est æqualis duobus intrinsecis sibi oppositis, hoc etiam probari potest. Cujus probatio etiam pertinet ad Geometriam. Exemplum secundi : Musicus probat, quod tonus dividitur in duo semitona inæqualia, per hoc quod proportio sexquioctava non potest dividi in duo æqualia, cum semper sit superparticularis, sed hoc probare non tantum pertinet ad Musicum, sed etiam ad Arithmeticum. Aliud exemplum, quod Chirurgicus probat, quod vulnera circularia tardius sanantur per hoc, quod partes circuli difficilius conjunguntur ; hoc autem probare non pertinet ad Chirurgicum, sed ad Geometricum. Sic ergo patet, quod aliquando diversitas scientiarum oritur ex diversitate principiorum, puta quando una scientia demonstrat principia alterius, secundum quem modum se habent scientia subalternans, et scientia subalternata ; sed supposita identitate principiorum remanet iden- Una scientia potest demonstrare principia alterius

titas scientiarum, dummodo sint eadem per se accidentia, et idem genus subjectum, ut si una et eadem scientia consideret subjectum, et ejus per se accidentia.

21. Veritas quæstionis. Qualiter Metaphysica considerat omnes substantias.

Veritas hujus quæstionis est, quod sicut habetur ex quarto hujus, unius scientiæ est considerare de omnibus substantiis, vel secundum proprias rationes substantiæ, vel secundum communem rationem, secundum quam omnes substantiæ sunt entia et primæ partes entis; hæc scientia est Metaphysica, cujus est considerare de ente inquantum ens, et omnes partes entis, puta de substantia, ut de nobili parte sui subjecti primi; nec ratio ad oppositum cogit, quia Metaphysica licet consideret de omni substantia sub ratione entis, non oportet tamen propter hoc, quod consideret omnia specialia accidentia per se, sed solum per accidentia entis, quæ conveniunt substantiæ secundum rationem entis. Ad alias autem scientias convenit considerare particulariter passiones substantiæ, secundum propriam et particularem rationem. Deinde cum dicit :

SUMMARIUM.

Arguitur pro et contra, an Metaphysica sit tantum de substantiis, an etiam de accidentibus earum? resolvit Doctor affirmative, de quo fusius quarto hujus.

Text. com. 6.

Amplius autem, utrum circa substantias solum est Theorica, aut et circa ipsis accidentia ? Dico autem, ut si solidum quædam substantia est, et linea, et superficies, utrum et ejusdem scientiæ est ea cognoscere, et accidentia circa unumquodque genus, de quibus Mathematicæ ostendunt, aut alius.

Ponit secundam quæstionem. Circa quod duo facit. Primo movet quæstionem. Secundo arguit pro et contra. Secunda ibi : *Nam si ejusdem*. Dicit ergo, quod *amplius autem* est quæstio, *utrum Theorica*, id est, consideratio hujus scientiæ, *sit solum circa substantias, aut etiam circa accidentia eis*, scilicet substantiis. *Dico autem, ut si dicatur*, quod *solidum*, id est, corpus, *est quædam substantia, et similiter linea, et superficies*, ut quidam, scilicet Platonici et Pythagorici posuerunt : *utrum ejusdem scientiæ est ea cognoscere, et accidentia circa unumquodque genus tale, de quibus*, scilicet accidentibus, *Mathematicæ ostendunt, aut alius*, id est, alterius scientiæ. Deinde cum dicit :

4. q. principalis, sed est 7. in ordine supra in procemio ex parte considerationis hujus scientiæ.

Nam si demonstrativa quædam ejusdem erit, et quæ est substantiæ. Non autem videtur ejus quod quid est, esse demonstratio.

Arguit ad quæstionem, et primo ad partem negativam. Secundo ad partem affirmativam oppositam. Secunda ibi : *Si vero diversæ*. Dicit ergo, quod *si ejusdem*, scilicet scientiæ, *est considerare accidentia et substantias*, cum scientia, quæ considerat accidentia, sit demonstrativa; sequitur, quod demonstrativa quædam erit, quæ est substantiæ, *non autem videtur ejus quod est esse demonstratio*, quia hoc est impossibile cum definitio sit indicans substantiam, et quod quid est, sicut apparet ex 2. Poster. Deinde cum dicit : 22.

Ipsius quod quid est, non est demonstratio.

Si vero diversæ quæ erit speculans circa substantiam accidentia ? hoc enim reddere est valde difficile.

Arguit ad opinionem dicens, quod *si diversæ*, scilicet scientiæ, est considerare substantias et accidentia,

quæ erit speculans accidentia circa substantiam, quasi dicat, quod nulla ; non erit enim assignare quæ scientia speculetur accidentia circa substantiam, quia utrumque consideraret, et tamen hoc videtur ad omnes scientias pertinere ; quælibet enim scientia considerat passiones circa proprium subjectum, et *tamen hoc reddere esset valde difficile,* imo impossibile, si alterius scientiæ esset considerare substantiam, et alterius passiones.

Scientia aliter considerat de substantia et aliter de accidente.

Veritas hujus quæstionis est (ut colligitur ex 4. hujus) quod ejusdem scientiæ est considerare de ente inquantum ens, et de substantia et de per se passionibus tam entis quam substantiæ. Nec ratio ad oppositum cogit, quia licet eadem scientia consideret de substantia et de accidentibus, non tamen eodem modo ; sed de substantia considerat modo definitivo, ut arguebat ratio, de accidentibus autem considerat modo demonstrativo.

SUMMARIUM.

Quoad res consideratas in hac scientia; primo agit contra ideas Platonicas, seu quidditates existentes separatas de quibus l. 1. text. 5. Item contra ponentes Mathematica a materia separata, de quibus ibi.

23. Text. com. 7.

Amplius autem utrum sensibiles sensibiles substantiæ esse solæ sint dicendæ, aut præter eas aliæ ? Et utrum unicæ aut plura genera substantiarum sunt, ut dicentes species et intermedia circa quæ Mathematicas dicunt esse scientias?

Postquam Philosophus pertractavit quæstiones tenentes se ex parte considerationis hujus scientiæ, nunc pertractat quæstiones se tenentes ex parte rerum consideratarum. Circa quod duo facit, quia primo disputat quæstiones de principiatis. Secundo quæstiones de principiis. Secunda ibi : *Et de principiis.* Prima in duas, quia primo proponit duas quæstiones de substantiis, circa quas ista scientia principalius versatur. Secundo arguit ad partes. Secunda ibi : *Quomodo ergo dicimus.* Proponit ergo duas quæstiones, quarum prima est, *utrum* in universitate entium *solæ substantiæ sensibiles sint dicendæ esse,* sicut communiter antiqui Naturales dicebant, non ponentes nisi entia sensibilia ; *aut præter eas,* scilicet substantias sensibiles, *sint aliæ* substantiæ, sicut posuerunt Platonici et etiam Aristoteles. Secunda quæstio est, dato quod sint aliæ substantiæ præter sensibiles, *utrum* sint *unicæ,* scilicet unius generis ; *aut sint plura genera substantiarum,* sicut sunt differentes species, id est, ideæ, et quæ sunt infra, id est, Mathematica intermedia, circa quæ dicunt esse scientias Mathematicas, ut dicebatur in primo libro. Quidam enim Platonicorum præter substantias sensibiles posuerunt solum unum genus substantiarum separatarum, scilicet idearum, ut per se hominem immaterialem, et per se equum, et sic de aliis speciebus separatis. Alii vero posuerunt aliud genus substantiarum separatarum, scilicet Mathematica media inter ideas et sensibilia, circa quæ dicebant esse Mathematicas scientias. Deinde cum dicit :

Quomodo ergo dicimus species causasque et substantias secundum se, dictum est in prioribus de ipsis sermonibus.

Arguit ad propositas quæstiones. Circa quod duo facit, quia primo innuit quomodo sumi possit ratio ad probandum esse substantias separatas. Secundo arguit ad partem contrariam negativam. Secunda ibi : *Multis autem*. Dicit ergo quod *quomodo dicimus species*, id est, ideas *esse causas* rerum *et substantias secundum se*, id est, separatas. *Dictum est de eis in prioribus sermonibus*, scilicet in primo libro, pertractando opinionem Platonis; et ideo ex his quæ ibi dicta sunt, sumi possunt rationes pro parte affirmativa propositarum quæstionum. Deinde cum dicit :

24. Multis autem modis habentibus difficultatem nullo minus absurdum dicere quidem alias esse naturas præter eas, quæ sunt in cœlo, has autem easdem dicere sensibilibus, nisi quia hæc quidem sempiterna, illa vero corruptibilia. Nam per se dicunt hominem esse, et equum, et sanitatem. Aliud autem nihil simile facientes Deos esse dicentibus, et humanæ speciei esse. Nihil enim aliud fecerunt illi quam homines sempiternos, nec hi species, nisi sensibiles sempiternas.

Corruptibile et incorruptibile differunt specie.

Arguit ad partem oppositam, circa quod duo facit. Quia primo arguit ad ostendendum non esse ideas a sensibilibus separatas. Secundo ad ostendendum non esse Mathematica intermedia separata. Secunda ibi : *Amplius si quis præter*. In prima parte intendit talem rationem : Corruptibile et incorruptibile differunt, supple specie, imo etiam genere, ut dicetur circa finem decimi hujus; ergo inconveniens est dicere incorruptibilia esse ejusdem speciei cum istis sensibilibus, et corruptibilibus; ergo inconveniens est, et impossibile illo modo ponere ideas. Dicit ergo, quod *multis modis habentibus difficultates*, scilicet contra opinionem de ideis, ut dictum fuit in primo libro contra Platonem, *nullo aliorum minus est absurdum ;* imo magis absurdum, *dicere quidem esse aliquas naturas*, scilicet ideas separatas *præter eas quæ sunt in cœlo*, id est, præter res sensibiles quæ in cœlo continentur; sed tamen dicere *eas esse easdem*, scilicet secundum speciem *sensibilibus nisi quia hæc quidem ut sempiterna,* scilicet ideæ separatæ, *illa vero corruptibilia*. Platonici enim licet ideas separatas ponerent ejusdem speciei cum sensibilibus, ponebant tamen aliquam differentiam, quatenus ideas ponebant entia incorruptibilia; sensibilia esse entia corruptibilia, non obstante identitate specifica horum et illorum, quod exponit, cum subdit : *nam per se,* scilicet hominem *dicunt hominem esse*, scilicet Platonici, id est, hominem idealem separatum, *et similiter equum*, *et sanitatem; aliud autem nihil* est, id est, non est aliud secundum speciem ab homine sensibili, vel equo, vel sanitate, et sic de aliis, quod supple est inconveniens; nam isti sunt facientes *similes dicentibus Deos esse humanæ speciei,* scilicet similis speciei cum hominibus, quæ fuit opinio Epicureorum secundum Tullium in libro de natura Deorum : *isti enim nihil aliud fecerunt quam homines sempiternos* esse illos, scilicet Deos; dicebant enim quosdam homines deificatos et incorruptibiles, quos Deos appellabant; *nec hi*, scilicet Platonici ponentes *species*, id est, ideas faciebant aliud *quam res sensibiles esse sempiternas;* et sic corruptibilia et incorruptibilia esse ejusdem speciei,

Opinio Epicureorum. Non contra modernos Epicureos.

quod est impossibile per naturam. Deinde cum dicit :

Amplius autem si quis præter species, et sensibilia intermedia ponat, multas habebit dubitationes. Palam enim, quia similiter lineæ præter ipsas et sensibiles erunt et unumquodque aliorum generum. Igitur quoniam Astrologia harum una est, erit quoddam cœlum, et Sol, et Luna, et alia similiter cælestia. Et quomodo his credere oportet ? Neque enim immobiliter rationabile esse. Mobile vero omnino impossibile. Similiter autem de quibus Perspectiva tractat, et in Mathematicis Harmonica. Etenim hoc impossibile præter sensibilia esse propter easdem causas ; nam si sint sensibilia intermedia et sensus, palam quia, et animalia erunt intermedia ipsorum, et corruptibilium.

25. Arguit contra ponentes Mathematica intermedia, et quia quidam posuerunt ea a sensibilibus separata, et quidam posuerunt ea in sensibilibus ; primo ergo arguit contra eos, qui ponebant ea esse separata, et secundo arguit contra eos, qui posuerunt ea esse in sensibilibus. Secunda ibi : *Sunt autem aliqui.* Prima in duas, quia primo arguit contra eos. Secundo innuit rationem ad oppositum et pro eis. Secunda ibi : *At vero nec sensibilium.* Prima in tres secundum quod tres rationes fabricat contra eos. Secunda ibi : *Dubitabit autem.* Tertia ibi : *Simul autem nec verum.* In prima parte intendit talem rationem : Ejusdem rationis est unam scientiam Mathematicam esse circa lineas separatas, et omnes alias scientias Mathematicas, quæ versantur circa aliqua alia Mathematica a lineis; sed sunt aliquæ scientiæ Mathematicæ, quæ non versantur circa aliqua entia Mathematica separata, verbi gratia, Astrologia, Musica et Perspectiva; ergo similiter scientia de lineis, vel quæcumque alia non erit circa aliqua Mathematica separata. Dicit ergo, quod *amplius si quis præter species*, id est, ideas, et præter *sensibilia*, ponat quæ dicuntur intra, id est, *Mathematica separata*, *multas habebit dubitationes*, id est, impossibilia quæ sequuntur; *palam enim, quod similiter*, scilicet *erunt lineæ*, quæ sunt, scilicet mediæ *præter eas,* scilicet lineas ideales, *et sensibiles*, id est, mediæ inter has et illas ; ita supple erit *circa unumquodque aliorum generum*, quod ostendit esse impossibile, dicens, *igitur quoniam Astrologia est una harum*, id est, de numero scientiarum Mathematicarum, *erit quoddam cœlum*, præter sensibile, et similiter *Sol et Luna, et alia supercœlestia et quomodo credere his oportet ?* quasi diceret, quod est incredibile, quod probat, quia supple tale cœlum separatum, vel esset immobile, vel mobile. Non potest dici quod immobile, *nihil enim rationabile esse immobile,* supple in cœlo, cum cœlum sit naturale; semper vero mobile esse est omnino impossibile, quia nihil separatum a materia naturali potest moveri. Secundo ostendit hoc esse impossibile de aliis scientiis Mathematicis, dicit *similiter autem*, est impossibile esse media separata eadem, *et de quibus tractat practica Perspectiva*, *et in Mathematicis,* de quibus scilicet agit *Harmonica*, id est Musica. Perspectiva enim tractat de lineis visualibus ; Musica vero de sonis audibilibus, *hæc est enim impossibile esse media præter sensibilia,* cum ipsa sint quædam sensibilia, ideo subdit: *propter easdem causas, nam si illa sensibilia sunt infra,* id est, intermedia, *palam quia*

Non esse mathematica intermedia separata.

Al. c... natura sit ut v... mus co... quod s... per mo... tur.

sensus sunt intermedii; et cum sensus non sint sine animali, sequitur quod *animalia erunt infra ea,* id est, ideas et corruptibilia. Alia translatio habet *ipsorum et corruptibilium*, et est idem, quod supple manifestum est esse impossibile, et falsum. Deinde cum dicit :

Text. com. 8. Dubitabit autem aliquis, et circa quæ existentium quærere oportet has scientias. Nam si in hoc differt Geometria a Geodæsia solum; quia hæc quidem horum est quæ sentimus, illa vero non sensibilium. Palam quia et præter medicinalem, et alia erit scientia, et præter unamquamque aliarum inter ipsam medicinalem, et hanc medicinalem. Sed quomodo hoc possibile? Etenim salubria quædam utique erunt præter sensibilia et ipsum etiam sanum.

26. Scientiæ mathematicæ non sunt circa illa intermedia separata. Ponit secundam rationem, quæ talis est : Si in illis generibus, id est, entium, de quibus sunt scientiæ Mathematicæ, est dare tria, scilicet sensibilia, ideas et intermedia, eadem ratione et in omnibus aliis entibus, sed hoc est falsum, ut ostendetur; ergo illud ex quo sequitur. Dicit ergo quod dato, supple, quod in Mathematicis sit dare illos tres gradus entium dictos : *Dubitabit aliquis circa quæ existentium oportet quærere eas scientias*, scilicet Mathematicas, id est circa quod illorum trium versantur scientiæ Mathematicæ; *nam si in hoc solum differt Geometria et Geodæsia,* id est, a scientia de mensuris sensibilibus; *quia hæc quidem*, scilicet Geodæsia *est horum quæ sentimus*, id est, de sensibilibus; *illa vero*, scilicet Geometria *non* est *sensibilium*, sed supple, est de intermediis, *palam quia et præter medicinalem erit alia* scientia, scilicet quæ erit de intermediis medicinalibus; *et præter aliarum singulas*, id est, quod similiter est de aliis scientiis quibuscumque; ergo aliqua scientia erit medicinalis intermedia, quæ scilicet erit *inter hanc scilicet medicinalem*, quæ est de sensibilibus, *et illam medicinalem quæ* scilicet erit de ideis, *sed quomodo hoc est possibile?* quasi diceret, nullo modo; quod probat, *nam nunc salubria quædam erunt præter sensibilia; ergo salubre*, id est, quod cum medicina sit circa salubria, id est, sanativa, si medicina est media, sequitur quod sint quædam sanativa media præter sensibilia sanativa et idealia, quod est evidenter falsum. Patet igitur quod scientiæ Mathematicæ non sunt circa aliqua intermedia separata. Deinde cum dicit :

Similiter autem nec hoc verum, quia Geodæsia sensibilium est magnitudinum et corruptibilium, corrupta enim esset utique corruptis.

Ponit tertiam rationem. Ubi notandum, quod opinio prædicta ponebat aliquam scientiam esse circa magnitudines sensibiles, et sic esse aliam scientiam circa insensibiles, ex quo habetur esse aliquas magnitudines medias, contra hoc est præsens ratio. Dicit ergo quod *simul autem nec hoc est verum*, *quia Geodæsia est sensibilium magnitudinum et corruptibilium*, ut superius dicebatur; *etenim,* pro quia, *corruptis*, scilicet magnitudinibus *esset corrupta*, scilicet ipsa Geodæsia, scientia enim videtur corrumpi corruptis rebus; nam te non sedente, non erit vera opinio, quæ opinabatur te sedere; corrumpi autem videtur esse contra rationem scientiæ, quæ videtur necessaria et incorruptibilis; ergo ut videtur sequi ad dictam opinio- 27. Quæ notitia corrumpitur corruptis rebus, et quæ non.

nem, nulla scientia etiam naturalis erit de sensibilibus; sed omnis vel erit de rebus intermediis, vel erit de ideis. Quod apparet evidenter esse falsum. Deinde cum dicit:

SUMMARIUM.

Arguitur pro ponentibus Mathematica, media inter ideas et sensibilia.

At vero nec sensibilium erit magnitudinum, nec circa cœlum hoc Astrologia. Nec enim sensibiles lineæ tales sunt, quales dicit Geometer; nihil enim rectum sensibilium, ita nec rotundum. Tangit enim regulam non secundum punctum circulus, sed ut Pythagoras ait Geometras redarguens. Nec motus, nec revolutiones cœli similes, de quibus Astrologia facit sermones, nec astris puncta naturam habent eamdem.

28. Arguit ad opinionem et pro dicta opinione, et intendit talem rationem: Omnis scientia est de rebus, quæ sic se habent, quales in scientia traduntur; sed Mathematica sensibilia non sic se habent, sicut traduntur in scientiis Mathematicis; ergo scientiæ Mathematicæ non sunt de talibus sensibilibus; oportet ergo dare aliqua media, de quibus sint. Minorem ostendit in quibusdam exemplis, ut patebit. Dicit ergo, *at vero non videtur* supple scientias Mathematicas. *esse sensibilium magnitudinum*; *nec enim Astrologia erit circa hoc cœlum*, quod est sensibile, et subdit probationem, *nec enim lineæ sensibiles tales sunt, quales dicit Geometer*, qui supple dicit quod linea recta tangit circulum in puncto; *nihil tamen rectum, nec rotundum*, id est circulare *ita se habet sensibilium*, id est, quod in sensibilibus non est reperire aliquam lineam rectam, vel superficiem, nec circulum aliquem, qui sic se tangant, scilicet in puncto; ideo subdit, quod *circulus tangit regulam*, id est, lineam rectam, vel superficiem *non secundum punctum, sed ut Pythagoras ait redarguens Geometras*, id est, quod propter istam rationem Pythagoras nitebatur destruere certitudinem Geometricarum scientiarum, quia scilicet in re, non esset invenire tres magnitudines, quales Geometræ dicebant. Addit etiam alias instantias dicens, quod *nec motus, nec revolutiones cœli sunt similes*, id est, tales quales sunt illæ, *de quibus Astrologia sermones facit*; multa enim forsan ponunt Astrologi de motibus et de revolutionibus cœlorum, quæ non se habent sic in re, sicut ostendit cum subdit, quod *puncta non habent eamdem naturam astris*; Geometræ enim utuntur aliquando illis stellis, quasi quibusdam punctis, cum tamen stellæ sint corpora grandis magnitudinis. Videtur ergo oportere dare aliqua Mathematica intermedia, quæ sic se habeant sicut Mathematica tradit, de quibus sint scientiæ Mathematicæ. Deinde cum dicit:

Vide Euclidem in 3. lib.

Sunt autem et aliqui qui dicunt esse quidem intermedia hæc, inter species et sensibilia, non tamen sine sensibilibus; sed in his quibus accidentia impossibilia omnia quidem pluris est orationis pertransire. Sufficit autem et talia speculari. Text. com. 9.

Arguit contra aliam opinionem, quæ ponebat Mathematica intermedia esse in sensibilibus, et non separata. Circa quod duo facit. Primo præmittit et proponit illorum opinionem. Secundo arguit contra eam, ibi: *Non enim*. Dicit ergo, quod *sunt aliqui qui dicunt esse*, id est, ponunt esse *infra species*, id est, ideas et sensibilia *quæ dicta* 29.

An sint intermedia Mathematica in sensibilibus

sunt, scilicet Mathematica intermedia non extra sensibilia ; *sed in his*, scilicet sensibilibus esse, *quibus omnia quidem impossibilia accidentia*, quæ scilicet sequuntur contra eos ; *pluris orationis*, id est, majoris negotii *est pertransire, sufficit tamen speculari talia*, supple nunc breviter et succincte.

Notandum quod istius opinionis videntur fuisse illi, qui dixerunt locum esse quasdam dimensiones per se existentes, quæ omnia sensibilia corpora localia penetrabant, quam opinionem Aristoteles prolixe pertractat. 4. Physicorum, cap. de loco, text. com. 37. et inde, ideo hîc breviter transit circa eam. Deinde cum dicit :

SUMMARIUM.

Rejiciuntur illa Mathematica, et sententia de ideis juxta mentem Aristotelis refutatur.

Non enim in talibus congruum est habere sic solum, sed palam, quia et species contingit in sensibilibus esse ; ejusdem enim rationis utraque hæc sunt.

Arguit contra dictam opinionem per quatuor rationes. Secunda ponitur ibi : *Amplius autem*. Tertia ibi : *Et non esse*. Quarta ibi : *Totaliter*. In prima parte intendit talem rationem : Ejusdem rationis videtur esse ponere ideas et Mathematica intermedia, quia utrumque ponitur, ut abstractio rerum correspondeat abstractioni intellectus, ut dictum fuit in primo libro ; si igitur Mathematica ponuntur esse in sensibilibus, pari ratione et ideæ, quod est contra opinionem de ideis. Dicit ergo, quod *non solum congruum est se habere in talibus*, scilicet Mathematicis, *sed palam, quia species*, id est, ideas *contingit esse in sensibilibus, ejusdem enim rationis utraque ea sunt*. Deinde cum dicit :

Amplius autem duo solida in eodem necesse est esse loco.

30. Ponit secundam rationem, quæ sic formari potest : Si Mathematica sunt in sensibilibus ; ergo duo corpora erunt simul ; consequens est falsum ; ergo et antecedens. Consequentia patet, quia corpus cum sit quoddam Mathematicum, simul erit cum corpore sensibili ; duo autem corpora quomodocumque accepta sive Mathematice, sive Physice, sive mixtim, sunt simpliciter incompossibilia secundum naturam propter repugnantiam dimensionum. Dicit ergo, quod *amplius necesse est esse duo solida*, id est, duo corpora *in eodem loco*. Deinde cum dicit :

Duo corpora nequeunt esse simul ex natura sua.

Et non esse immobilia in motis existentia sensibilibus.

Ponit tertiam rationem, quæ sic formari potest : Si Mathematica sunt in sensibilibus ; ergo Mathematica moventur ; consequens est falsum, quia Mathematica abstrahunt a motu. Consequentia patet, quia ad motum alicujus moventur ea quæ sunt in eodem ; cum ergo sensibilia moveantur, si Mathematica sint in sensibilibus, oportet quod ipsa etiam moveantur. Dicit ergo quod supple impossibile est Mathematica *non esse mobilia existentia*, id est, cum existant *in sensibilibus motis*. Deinde cum dicit :

Totaliter autem cujus causa quis ponet utique esse quidem ipsa, esse autem in sensibilibus. Eadem enim contingent inconvenientia eis quæ prædicta sunt ; erit enim aliquod cœlum præter cœlum, tamen non

extra, sed in eodem loco, quod magis est impossibile. De his ergo dubitatio multa quomodo oportet positam habere veritatem?

31. Ponit quartam rationem, quæ sic formari potest : Omnis positio est irrationabilis, ad quam sequitur majus inconveniens, et quæ ponitur sine ratione ; sed opinio prædicta est hujusmodi, quia ponitur sine ratione, et ad eam sequuntur omnia inconvenientia, quæ sequuntur ad illam opinionem, quæ ponit Mathematica non esse in sensibilibus, et adhuc plura, ut patet ex dictis, ergo illa opinio est omnino irrationabilis. Dicit ergo quod *totaliter cujus causa*, id est, qua ratione *ponet quis quidem*, scilicet Mathematica *esse in sensibilibus*; eadem ratione supple, *eadem inconvenientia contingunt eis quæ prædicta sunt* id est, contra dictam opinionem, quia *erit aliquod cœlum præter cœlum*, scilicet sensibile ; *non tamen extra, sed in eodem loco, quod est magis impossibile*, secundum enim istam viam cœlum Mathematicum esset simul cum cœlo sensibili. Ultimo epilogat, quod *de his ergo* quæstionibus *multa est dubitatio*; *quomodo oportet habere positam veritatem*, id est, quomodo habent veritatem ?

Veritas quæstionis. Veritas hujus quæstionis est secundum quod colligitur ex 7. et 13. et 14. hujus, text. com. 51. et inde, quod nec ideas, nec Mathematica intermedia est ponere realiter separata. Nec ratio in oppositum sumpta ab abstractione intellectus valet, ut dictum fuit in primo libro, non enim oportet esse separata secundum rem, quæcumque separatim ab intellectu cognoscuntur; nam multa sunt conjuncta in re, quæ distincte concipiuntur, et tamen abstrahentium non est mendacium, ut habetur secundo Physicorum, text. com. 18. illa autem ratio quæ hîc injungitur, scilicet quod non sit dare tales magnitudines, quales a Mathematica scientia traduntur, non cogit; quia vel est dare aliquas magnitudines sic in re se habentes, puta quod aliquis circulus tangat planum in puncto, et sic de aliis, vel saltem eis non repugnat sic habere in re ; et hoc sufficit ad veram scientiam habendam, quia vera scientia, ut plurimum abstrahit ab existentia. Quod autem dicitur Geometria uti suppositionibus falsis, ut puta astris quasi punctis, non est intelligendum quod Geometria supponat astra esse puncta simpliciter, cum aliquando demonstret quamlibet stellam visu notabilem esse majorem tota terra; verumtamen hoc ponit aliquando non simpliciter, ut dictum est, sed in comparatione alicujus magnitudinis cœli, quæ excedit in magnitudine multum qualitatem astri, ut sic in comparatione, astrum dicatur, quasi punctum.

Sermon Astrolog- rum pl[...] rumqu[...] sunt hyp[...] bolici, a[...] tonomas[...] ci, et co[...] parativ[...]

SUMMÆ SECUNDÆ CAP. II.

Examinantur quæstiones de generibus.

SUMMARIUM.

In priori parte hujus cap. usque ad §. *Adhuc autem*, arguit tripliciter pro et contra, an principia, seu elementa rerum sint genera, quæ de pluribus prædicentur, vel alia ex quibus unumquodque consistit, ut ex partibus?

Text. com. 10. Et de principiis, utrum oportet genera, elementa et principia suscipere. Aut magis ex quibus cum insimul est unumquodque primis?

32. Postquam Philosophus disputavit quæstiones de principiatis, nunc prosequitur quæstiones de principiis. Circa quod duo facit. Quia primo disputat quæstiones pertinentes ad principiorum quidditatem, quæ scilicet sint principia. Secundo quæstiones pertinentes ad principiorum qualitatem, sive proprietatem. Secunda ibi : *Ad hoc autem utrum substantia.* Prima in duas, quia primo disputat quæstiones de principiis, prout eorum natura, sive quidditas respicit universalitatem. Secundo prout respicit separabilitatem. Secunda ibi : *Est autem habita his.* Prima in duas, secundum quod duas quæstiones movet, et disputat de principiorum universalitate. Secunda ibi : *Adhuc autem si quam maxime.* Prima in duas, quia primo proponit quæstionem. Secundo arguit pro et contra. Secunda ibi : *Ut vocis elementa.* Dicit ergo, quod, supple quæstio est, *de principiis : utrum principia et elementa rerum oportet suscipere esse genera, aut magis*, supple sint principia, et elementa illa *ex quibus est unumquodque, cum* insint *et primis,* id est, utrum principia rerum sint genera quæ de pluribus prædicantur, vel sint ea ex quibus unumquodque est sicut ex partibus ?

Sequitur q. de principiis, q. 3. Hæc est prima superius assignata de numero q. ex parte considerationum in hac scientia.

Advertendum quod de talibus partibus ponit duas conditiones. Prima est, quod insunt ad differentiam contrarii, vel privationis, ex quibus dicitur aliquid fieri, cum non insint. Exemplum, dulce dicitur fieri ex amaro, vel ex non dulci, quæ tamen non insunt ipsi dulci, et ideo non sunt elementa ejus. Secunda conditio est quod sint prima ad differentiam secundorum componentium. Exemplum, ut corpus animalis dicitur fieri ex carnibus et ossibus, quæ insunt animali; tamen quia non componitur ex eis, ut ex primis, sed potius ex aqua, et aere, et igne et terra, ideo carnes et ossa non dicuntur esse elementa animalis. Deinde cum dicit :

Quomodo corpus hominis sit ex carne, et ossibus ?

Ut vocis principia et elementa videntur esse ea, ex quibus componuntur voces omnes primis, sed non commune vox. Et diagrammatum ea dicimus elementa, quorum demonstrationes insunt in aliorum demonstrationibus, aut omnium, aut plurimorum.

Arguit ad quæstionem. Circa quod duo facit. Primo probat quod dictum est. Secundo excludit quamdam responsionem, quæ posset dari. Secunda ibi : *At vero non utrobique.* Prima in duas. Primo arguit ad hanc partem, quod scilicet ea, ex quibus primis aliquid componitur, sint principia et elementa rerum. Secundo arguit ad partem oppositam. Secunda ibi : *In quantum cognoscimus.* Prima in tres, secundum quod tres rationes adducit. Secunda ibi : *Amplius autem.* Tertia ibi : *Et adhuc autem.* Prima ratio sumitur ex rationalibus scientiis, ex quibus propositum ostendit inductive, et ponuntur duo exempla ; primum est de voce litterata et articulata, ideo dicit, quod *principia et elementa vocis videntur esse ea, ex quibus primis omnes voces componuntur*, ut sunt litteræ, *sed non genus commune,* quod est *vox.* Secundum exemplum est in dia- 33.

Litteræ sunt elementa vocis.

grammatibus, id est, in demonstrativis descriptionibus figurarum Geometricarum. Dicit ergo, quod *diagrammatum ea dicimus elementa quorum demonstrationes, aut omnium, aut plurium insunt aliis demonstrationibus*, et non supple, ponit elementum hoc commune, quod est diagramma.

Quomodo demonstrationes priores dicuntur elementa posteriorum? Al. principium unius.

Notandum, quod in demonstrationibus Geometricis aliquando proceditur ex suppositione aliarum primarum demonstrationum, ut una demonstratio sit principium alterius, et quod est conclusio unius demonstrationis non est simpliciter immediatum, sed potest demonstrari per aliquod prius; demonstrationes ergo priores dicuntur Theoremata et elementa posteriorum, quatenus conclusiones primorum sunt principia posteriorum, et hoc modo procedunt aliquando demonstrativæ descriptiones figurarum Geometricarum. Undè liber Euclidis dicitur liber elementorum, pro quanto in eo demonstrantur aliqua principia Geometrica, ex quibus demonstrationes Geometricæ procedunt. Deinde cum dicit :

Unde communiter lib. Euclidis dicitur liber elementorum.

Amplius autem corporum qui dicunt esse plura elementa, et qui unum ex quibus componuntur, et constat principia esse dicunt, ut Empedocles ignem et aquam, et quæ cum his ; hæc elementa dicit esse ex quibus sunt entia inexistentibus. Sed non ut genera dicit ea eorum, quæ sunt.

34. Ponit secundam rationem, quæ procedit ab auctoritate, in rebus naturalibus, dicens quod *amplius, qui dicunt elementa corporum*, scilicet naturalium *esse plura, et qui dicunt esse unum, principia dicunt esse, ex quibus*, scilicet corpora, *constituntur*, et constant tanquam scilicet inexistentibus, et primis, *ut Empedocles ignem, et aquam, et quæ sunt infra*, scilicet aerem et terram, quorum aer est infra ignem, et terra infra aquam. Dicit esse *elementa ex quibus inexistentibus sunt entia* scilicet naturalia, *sed non dicunt* scilicet Empedocles et alii Naturales, *genera esse principia eorum quæ sunt*. Deinde cum dicit :

Et adhuc autem, et aliorum si quis vult naturam speculari, ut lectus ex quibus partibus est, et quomodo compositus, tunc cognoscet ejus naturam. Ex quibus quidem igitur rationibus non utique erunt principia genera existentium hæc sunt.

Ponit tertiam rationem, quæ procedit in artificialibus, dicens, *et si quis vult speculari naturam ad hæc quæ dicta sunt*, scilicet naturalia, et aliorum, scilicet a naturalibus, puta artificialia, *ut lectum ex quibus partibus*, scilicet constat lectus, *et quomodo componitur, tunc cognoscet ejus naturam*, scilicet quod genera non sunt principia lecti, sed potius partes ex quibus constat. Concludit ergo, quod *ex his quidem rationibus*, supple patet, quod *genera non sunt principia existentium*, id est, entium. Deinde cum dicit :

Inquantum enim cognoscimus unumquodque per definitiones ; principia autem definitionum sunt ipsa genera ; necesse et definitorum principia, genera esse.

Arguit ad partem oppositam per tres rationes. Secunda ponitur ibi : *Et si est eorum*. Tertia ibi : *Videntur autem quidam*. In prima parte intendit talem rationem : Eadem sunt principia essendi et cognoscendi, sed principia cognoscendi sunt definitiones, et principia definitionum sunt genera ; ergo genera erunt princi-

Genera sunt principia definitionum. pia essendi. Dicit ergo quod *inquantum autem cognoscimus, unumquodque per definitiones, et ipsa genera sunt principia definitionum; necesse est igitur genera esse principia definitorum.* Deinde cum dicit:

Et si est eorum, quæ sunt accipere scientiam, specierum scientiam accipere, secundum quas dicuntur entia, specierum autem principia genera sunt.

35. Item sunt principia specierum. Ponit secundam rationem, quæ in hoc consistit, quod scientia uniuscujusque est secundum quod scitur species ejus, secundum quam res est quidditative, sicut Socrates cognoscitur quid est, inquantum scitur quid est homo; genera autem sunt principia specierum, quia species constat ex genere et differentia; ergo genera erunt principia aliorum, quia quod est principium principii consequenter est principium principiati. Dicit ergo, *et si,* pro quia, *eorum quæ sunt accipienda,* scientia est acceptatio *specierum, secundum quas dicuntur entia,* scilicet quidditative; *specierum autem genera sunt principia,* et per consequens aliorum. Deinde cum dicit:

Videntur autem quidam dicentium elementa existentium unum, aut ens, aut magnum, aut parvum, ut generibus eis uti.

Elementa existentium secundum Platonicos. Ponit tertiam rationem, sumptam ab auctoritate Platonicorum; videntur enim quidam Platonici dicere unum, aut ens, aut magnum, aut parvum esse elementa existentium; id est, entium, et uti eis, ut generibus, quare videtur quod elementa sint genera rerum. Deinde cum dicit:

At vero neque utrobique possibile dicere principia. Ratio namque substantiæ est una, diversa vero erit, quæ est per genera definitio, et quæ dicit ex quibus est inexistentibus.

Excludit quamdam responsionem, quæ dari posset, scilicet utraque tam genera quam partes, ex quibus res constant esse principia, quod excludit tali ratione: Unius rei una est definitio, sicut et una essentia; sed non est eadem definitio quæ datur per genera, et quæ datur per partes ex quibus aliquid componitur; ergo non est eadem definitio rei utraque hæc et illa, ex principiis autem rei potest sumi definitio essentialis rei; ergo impossibile est principia rerum esse genera simul et partes rei. Dicit ergo, quod *non est possibile dicere,* ipsa esse *principia utrobique,* id est, utraque tam genera quam partes; *ratio namque substantiæ,* id est, definitio substantialis *est una*; *diversa vero erit definitio quæ est per genera, et quæ dicit, vel ex quibus,* id est, ex partibus quæ insunt, ergo utraque non erunt rerum principia. Deinde cum dicit: 36. Unius rei una definitio. Genera et partes simul, non posse esse principia rei.

SUMMARIUM.

Arguit utrinque tripliciter, an genera communissima, vel ultimæ species sint rerum principia. Doctor notat unam rationem Philosophi esse sophisticam.

Adhuc autem si quam maxime principia genera sunt, quæ oportet existimare prima generum principia, aut ultima prædicta de individuis? Etenim hoc dubitationem habet.

Ponit secundam quæstionem. Circa quod duo facit, quia primo proponit quæstionem. Secundo arguit ad utramque partem. Secunda ibi: *Nam si universalia.* Dicit ergo, quod *adhuc autem,* supposito scilicet Quæst. 4. Hæc est secunda q. superius assi-

gnata ex parte considerata-rum.

quod genera *sint maxime principia*; est quæstio *utrum oportet existimare principia prima generum*, id est, genera communissima, *aut ultima prædicata de individuis*, id est, species specialissimæ, quæ proxime et ultimo de individuis prædicantur? *etenim hæc*, scilicet quæstio *habet dubitationem*. Deinde cum dicit:

Nam si quæ universalia sunt magis principia, palam quia suprema generum, hæc namque dicuntur de omnibus. Tot ergo erunt entium principia quot genera prima. Quare erunt ens, et unum principia, et substantiæ; hæc namque de omnibus maxime dicuntur existentibus. Non est autem possibile genus existentium unum esse, neque unum, neque ens, nam nec esse differentias. Cujuslibet generis esse et unam esse quamlibet. Impossibile autem prædicari, aut species generis de propriis differentiis, aut genus sine suis speciebus. Quare si est unum genus, aut ens, nulla differentia, nec unum, nec ens erit. At vero si non ens, et unum genera, nec principia erunt, si principia genera.

37. Arguit ad quæstionem. Circa quod tria facit, quia primo inducit rationes ad probandum prima genera non esse principia prima. Secundo inducit rationes ad probandum species ultimas esse magis principia. Tertio arguit ad oppositum hujus secundi. Secunda ibi: *At vero si magis*. Tertia ibi: *Iterum autem quomodo oportet*. Prima in tres secundum tres rationes. Secunda ibi: *Amplius quæ sunt intermedia*. Tertia ibi: *Adhuc autem magis*. In prima parte intendit talem rationem: Si suprema genera sunt magis principia; ergo principia non sunt genera. Consequens contradicit antecedenti. Consequentia probatur, quia si suprema genera sunt magis principia, hoc est ratione majoris communitatis; ergo communissima maxime erunt principia; hæc

Si suprema genera sunt principia ratione communitatis, ergo communissima erunt maxime principia.

autem communissima sunt ens et unum, quæ de omnibus generaliter prædicantur, sed ens et unum non sunt genera, quod probat ex hoc, quia tunc differentiæ eorum non erunt ens vel unum, et per consequens essent nihil; ergo principia non sunt genera, quod fuit consequens. Et hoc est quod dicit: *nam si universalia sunt magis principia, palam quia suprema generum erunt* supple *maxime principia, namque* pro quia, ea *dicuntur de omnibus*; *tot igitur erunt principia entium, quot sunt prima genera*; *quare ens, et unum erunt principia substantiæ*, id est, substantialia rerum, *namque* pro quia, ea scilicet *ens et unum maxime de omnibus dicuntur*, id est, prædicantur. Postea probat, quod ens et unum non sunt genera, dicens quod *non est possibile, nec unum, nec ens esse unum*, id est, aliquod *genus existentium*. Cujus causam subdit, *namque* pro quia, *differentias cujuscumque generis necesse est, et quamlibet esse, et unam esse*, quia supple ens et unum de omnibus prædicantur, *impossibile est autem species prædicari de propriis differentiis, aut genus sine suis speciebus*. Vult dicere, quod nec species prædicatur de differentiis seorsum sumptis, nec genus sine speciebus, quod dicit pro tanto; quia genus quatenus prædicatur de specie, eatenus prædicatur quodammodo de differentia, quæ includitur in ratione speciei. Ratio primi est, quia cum differentia sit pars integralis et essentialis speciei, ideo species non potest de differentia prædicari, sicut nec totum de parte sua integrali prædicatione quidditativa dicente, hoc est hoc, de qua nunc loquimur. Ratio secundi est,

Ens non est genus vide 3. dist. p. 3.

Quod genus non prædicatur de differentia, nec etiam species, ostendit.

Different contrahe

est extra rationem contracti. quia differentia cum dividat, et contrahat ipsum genus, idcirco est extra rationem generis, sicut contrahens est extra rationem contracti, et per consequens genus non potest de differentia prædicari; unde concludit Philosophus: *quare si unum, aut ens sunt genus, nulla differentia erit, nec unum, nec ens;* at *vero si unum, aut ens non sunt genera*, ut probatum est; *ergo nec erunt principia, si principia* ponantur *genera*, quæ est conclusio principalis.

38. Notandum, quod ut superius dicebatur, non est multum innitendum rationibus Philosophi in hoc tertio quod concludant, quia Philosophus intendit hîc arguere ad partes oppositas quæstionum, quas disputavit sicut ipse promisit in procemio hujus tertii; duo autem opposita non possunt concludi, nisi ubi argumentum alterum sit Sophisticum, quod Commentator dicit (ut superius dicebatur de primo argumento ad primam quæstionem superius disputatam) quod ibi est fallacia consequentis, scilicet quod si contraria pertinent ad eamdem scientiam; ergo non contraria non pertinent. Dico similiter hîc, quod si ens et unum essent genera, non sequitur quod eorum differentiæ essent nihil, sed bene sequitur, quod non essent ens vel unum quidditative et formaliter, sicut oportet concedere de primis contractivis entis, per quæ ens descendit ad inferiora. Unde cum Philosophus infert, quod si unum esset genus, aut ens, nulla differentia, aut ens, aut unum erit. Quæro, aut intendit inferre, quod differentia non erit ens, vel unum per se primo modo, et sic concedo, nec hoc est inconveniens specialiter de uno, cum unum sit passio entis; aut intendit inferre negativam absolute, et tunc consequentia non valet, non enim, si rationale est differentia animalis, sequitur quod rationale non est animal absolute, sed quod non est animal primo modo, quod est etiam in proposito. Deinde cum dicit:

Amplius autem intermedia, et coaccepta cum differentiis erunt genera usque ad individua. Nunc autem hæc quidem videntur esse, illa vero non videntur. Text. com. 11.

39. Ponit secundam rationem, quæ sic formari potest: Si prima genera ponuntur principia eo quod sunt communia, et de pluribus prædicantur; ergo omnia communia de pluribus prædicata sunt principia et genera; consequens est falsum; ergo et antecedens. Consequentia patet: quia omnia intermedia inter individua et genera prima, sunt communia de pluribus prædicata; si ergo omnia talia sunt genera et principia, sequitur quod species specialissimæ quæ sunt de numero talium, erunt principia et genera, quod apparet esse falsum, quia species specialissima non est genus. Dicit ergo, *amplius*, supple si sic est, *intermedia omnia coaccepta cum differentiis*, quæ sunt omnia contenta scilicet a primis generibus *usque ad individua, erunt genera*, quod est falsum, unde subdit: *Nunc autem hæc,* scilicet species subalternæ *videntur*, scilicet genera; *illa vero*, scilicet species specialissimæ *non videntur* esse genera. Deinde cum dicit:

Si prima genera ratione communitatir ponuntu, principia sequitur quod species ultimæ erunt principai.

Adhuc autem magis differentiæ sunt principia quam genera. Si autem et hæc principia, infinita, ut ita dicatur, erunt principia. Aliter et si quis primum genus principium ponat.

Ponit tertiam rationem quæ talis est : Si prima genera sint principia ; ergo differentiæ erunt principia ; consequens est falsum ; ergo et antecedens. Consequentia patet : quia non solum prima genera sunt principia cognoscendi speciem, sed etiam multo magis differentiæ, cum sint actus et principia formalia speciei, per quæ res maxime cognoscitur. Falsitas consequentis patet ex hoc, quia differentiæ rerum sunt infinitæ, scilicet quoad nos, quod patet, si accipiatur primum genus, puta substantia, cujus differentiæ sunt nobis innumerabiles ; principia ergo rerum essent infinita, quod est impossibile. Dicit ergo, *adhuc autem differentiæ sunt magis principia quam genera*, etsi hæ scilicet differentiæ, *sunt principia, infinita, ut ita dicatur, quoad nos erunt principia*, quod patet supple in se considerando multitudinem differentiarum ; *aliterque si aliquis ponat principium primum genus*, scilicet genus substantiæ, sub quo quidem innumerabiles differentiæ continentur. Deinde cum dicit :

40. At vero et si magis principii speciem habens est unum ; unum autem indivisibile est. Indivisibile vero omne, aut secundum quantitatem, aut secundum speciem. Prius autem quod secundum speciem. Genera vero divisibilia in species. Magis utique unum ultimum erit prædicatum. Non enim est genus homo aliquorum hominum.

Arguit quod species specialissimæ sint magis principia quam genera prima, et hoc per tres rationes. Quarum secunda ponitur ibi : *Amplius in quibus.* Tertia ibi : *Amplius autem.* Prima ratio procedit ex opinione Platonicorum, qui posuerunt ipsum unum esse principium ; tunc sic, ipsum unum habet rationem indivisionis, quia unum est, quod in se indivisum est, et divisum ab omni alio ; ergo quod est magis indivisibile, magis erit principium ; sed species specialissima est magis indivisibilis quam genus, ergo erit magis principium quam genus. Minor ostenditur : quia indivisibile dicitur dupliciter, vel secundum quantitatem, ut punctus ; vel secundum speciem, puta, quod non dividitur in plures species. Indivisibile autem secundo modo est principalius, quam indivisibile primo modo, sicut species rei est principalior quam ejus quantitas. Si ergo aliquod unum indivisibile ponatur principium, multo magis species specialissima ponetur principium. Dicit ergo, *at vero et si magis habens speciem principii est unum*, id est, quod species magis habet rationem principii, quia unum, quod scilicet ponitur principium secundum Platonicos : *unum autem est indivisibile, omne vero divisibile, vel est secundum quantitatem, vel est secundum speciem, et prius*, et principalius *quod secundum speciem*, et per consequens suum oppositum scilicet indivisibile secundum speciem erit principalius ; *magis enim erit unum ultimum prædicatum*, scilicet species specialissima quam genera ; *genera enim* sunt *divisibilia in species*, quod patet, *quia homo non est genus aliorum hominum ;* sed supple species cum sit divisibilis in individua, et non in species. Deinde cum dicit :

Unum quid ...

Indivisi... duplex : ... cundum quantit... tem et ... cundum speciem.

Compar... ergo ... secundum speciem et non secundum genus.

Amplius in quibus, et prius et posterius est, non est possibile in his aliquid esse præter ipsa. Ut si prima numerorum est dualitas, non erit numerus aliquis præter species numerorum. Similiter autem nec figura aliqua præter species figurarum. Si autem non horum schola, aliquorum erunt genera præter species. Horum enim maxime genera esse videntur. In individuis vero non est hoc prius, et illud posterius.

Ponit secundam rationem, quæ etiam procedit ex opinione Platonis.

41 Quod Plato præcise posuit ideas specierum, et non generum, et quare?

Ad cujus evidentiam notandum, quod secundum opinionem Platonis, quando aliquid unum dicitur de pluribus non secundum prius et posterius, illud ponitur esse aliquod unum separatum, qualiter se habet species respectu individuorum, et ideo ponebat ideas separatas specierum, puta hominem præter omneshomines; quando vero aliquid dicitur de pluribus secundum prius et posterius, illud non ponebat separatum; secundum quem modum se habet genus respectu specierum, quarum una habet rationem prioris et perfectioris respectu alterius, ideo non ponebat ideas generum separatas; tunc sic : Communia separata secundum Platonem sunt principia, sed solæ species sunt separatæ secundum eumdem; ergo solæ species erunt principia et non genera. Dicit ergo, quod *amplius in his in quibus est prius et posterius, non est possibile*, secundum Platonem *esse aliquid* præter hoc, id est, aliquid separatum *præter ea de quibus dicitur*, quomodo se habet genus respectu specierum; si *prima* scilicet species *numerorum est dualitas, non erit aliquis numerus præter species numerorum; similiter autem nec figura aliqua erit præter species figurarum*, quia

...eo latet ...quivoca... in generibus.

supple tam species numerorum quam etiam figurarum se habent secundum prius et posterius; nam dualitas ponitur prima species numeri, et ternarius secunda, et sic de aliis. Similiter triangulus ponitur prima species figuræ, et quadrangulus secunda, et sic de aliis; quod *si genera erunt præter species*, id est, si ponantur genera separata a speciebus, *non erit horum, sed aliorum schola*, id est, erit eorum alia doctrina et regula, quam sit regula et doctrina Platonis; *horum enim*, scilicet specierum *maxime videntur genera*, id est, communia speciebus; *in individuis vero non est hoc quidem prius et illud posterius*, quare supple species eis communis erit secundum Platonem separata, et per consequens magis principium.

Species sunt sicut numeri.

Notandum, quod prius et posterius dicunt ordinem : Iste autem ordo vel est inter distincta essentialiter et specifice, vel inter distincta solum numeraliter, non specifice. Exemplum primi, ut homo et asinus respectu animalis. Exemplum secundi, albedo intensa et remissa respectu albedinis in communi; primus ordo est essentialis, secundus autem non. Inter species ergo est ordo essentialis secundum perfectius et imperfectius, non sic autem in individuis ejusdem speciei, sicut hîc ait Philosophus. Ex hoc tamen non negatur, quin individua secundum prius et posterius habeant ordinem prout secundum magis et minus perfectius et imperfectius participant naturam propriæ speciei. Negat autem Philosophus ab individuis esse ordinem essentialem solum qui est in

Prius et posterius habent ordinem essentialem et numeralem.

Quomodo negatur ordo ab individuis ejusdem speciei, et quomodo non, quære, 3. d. 2. q. 7.

distinctis secundum speciem. Deinde cum dicit :

Amplius ubi hoc quidem melius, illud vero vilius, semper quidem est melius prius. Quare neque horum erit utique genus. Ex his quidem igitur ea quæ de individuis prædicantur, magis inquam generum principia esse videntur.

42. Ponit tertiam rationem, quæ sumitur ex meliori et pejori, quia in quibuscumque unum est melius alio, semper illud quod est melius, est prius naturaliter ; et secundum Platonem quæ sic se habent, non habent unum genus commune separatum, et sic idem quod prius; quia species sub genere sic se habent, quod una habet rationem melioris respectu alterius, ideo dicit quod *amplius ubi hoc quidem melius, illud vero vilius, semper quod est melius, est prius, quare nihil horum est genus*, scilicet separatum. Concludit ergo, quod *ex his igitur*, scilicet ex tribus rationibus prædictis, *magis videntur esse principia quæ de individuis sunt prædicata*, scilicet speciei specialissimæ, *magis inquam generum*, id est, quam genera. Accipitur autem Genitivus pro Ablativo casu more Græcorum, qui carent ablativo. Deinde cum dicit :

SUMMARIUM.

Alia ratio suadens genera communissima esse prima rerum principia. Doctor resolvit rationes factas pro et contra, secundum Platonem tantum procedere, quia secundum veritatem nullum est genus, vel species separata a rebus. Ad mentem Aristotelis explicat genera et differentias magis esse principia, cum sint essentialia, quam partes integrantes ; comparando prædicata communia inter se, superiora sunt magis principia, quia inferiora ex eis fiunt.

Iterum autem quomodo oportet hæc existimare principia non facile dicere. Principium enim et causam oportet esse præter res, quarum principium est, et possibile ab eis separatum esse. Tale vero aliquid præter singularia esse propter quod utique aliquis suscipit, nisi quia universaliter et de omnibus prædicatur. At vero si propter hoc, magis universalia magis ponenda sunt principia, quare principia prima erunt genera.

Arguit ad oppositum tali ratione : Principia rerum oportet esse separata ab his, quorum sunt principia, quod verum est de principiis extrinsecis ; ergo quanto magis separata, tanto magis erunt principia ; sed genera sunt magis separata a rebus, quia universaliora, quam species specialissimæ ; ergo erunt magis principia. Dicit ergo, *quomodo oportet hæc*, scilicet species specialissimas *existimare*, id est, opinari *esse principia, non est facile dicere;* cujus causam subdit, *enim*, pro quia, *principium et causam oportet esse præter res, quarum est principium, et possibile esse ab his separatum ; tale autem aliquid esse præter singularia*, scilicet separatum *propter quid*, id est, quare *aliquis suscipit*, id est, opinatur *nisi quia universaliter de omnibus prædicatur*, quasi diceret, quod hæc est causa et nulla alia, ideo concludit ; *sed si propter hoc aliquid ponatur*, separatum, *magis universalia magis sunt principia* ponenda, *quare primo genera erunt principia.* 43.

Veritas harum quæstionum potest sic haberi, scilicet quod si genera et species accipiantur modo prædicto Platonico, sic videntur procedere rationes factæ pro et contra ; sed secundum veritatem non est dare talia universalia separata, et sic quantum ad primam quæstionem partes rei erunt principia et elementa rei, et non ali- Veritas [...]rum q[...] tionu[...] Partes [...] sunt [...] menta [...] non spe[...] nec gen[...]

quod genus commune. Quantum autem ad secundam, nec species, nec genera erunt principia. Si vero loquamur modo Platonico et non secundum veritatem, sic genera erunt magis principia quam partes quantum ad primam quæstionem, et intermediæ species magis quam genera quantum ad secundam, quia solum specierum posuit Plato ideas, quas principia rerum ponebat esse. Si autem loquamur secundum viam Aristotelis sic videtur posse dici quantum ad primam quæstionem, quod genera communia, puta genus et differentia, cum sint principia essentialia et quidditativa, sunt magis principia quam partes, de quibus quæritur quæ sunt principia integralia et materialia. Sed pro quanto genus et differentia sumuntur a materia et forma, quæ sunt principia essendi et cognoscendi rem compositam ab eis; quantum ad secundam quæstionem videtur posse dici, quod genera sint magis principia quam species, pro quanto sunt etiam principia specierum, propter quod autem unumquoque tale, et illud magis; unde genus et differentia sunt principia speciei et quantum ad esse, quia ex eis componitur, et quantum ad cognosci, quia per ea definitur. Ad argumenta autem facta in oppositum quid sit dicendum, sic potest patere ex prædictis, nec de eis multum est curandum. Sicut nec de aliis quæ dicuntur in isto tertio, sicut dictum fuit supra.

SUMMARIUM.

Arguitur pro et contra, an universalia sint vere separata. Doctor resolvit negative. Quæstio eadem est fere cum præcedenti.

Est autem habita his dubitatio et omnium difficillima, et ad considerandum maxime necessaria, de quo oratio nunc existit. Text. com. 12.

Postquam Philosophus disputavit quæstiones de quidditate principiorum, ut respiciunt universalitatem, nunc disputat quæstiones prout quidditas principiorum respicit separabilitatem. Circa quod movet duas quæstiones. Secunda ponitur ibi : *Amplius autem si quam maxime.* Circa primam quæstionem duo facit. Primo quæstionem proponit. Secundo ad quæstionem arguit pro et contra. Secunda ibi : *Nam si non.* Dicit ergo quod *est quædam dubitatio habita his quæ*, scilicet proxime dicta sunt *difficillima omnium ad considerandum maxime necessaria, de qua nunc existit ratio,* scilicet ultimo posita. 14.

Notandum, quod in ultima ratione præcedentis quæstionis, tactum est de separabilitate principiorum, et ideo juxta hoc est dubitatio habita, id est, consequenter se habens, scilicet utrum universalia sint separata a sensibilibus, sicut præmissa ratio supponebat. De ista autem dubitatione dicit tria. Primum, quod est consequenter se habens ad præmissa, quatenus consideratio præcedentis quæstionis dependet ex ista; nam si universalia non sint separata, non erunt principia; si autem sunt separata, erunt principia secundum illam viam. Secundum est, quod est difficillimum omnium dubitationum ad istam scientiam pertinentium, 5. Q. Hæc q. tangit motivum 3. 4. et 5. q. superius assignatarum ex parte consideratarum.

quatenus magni Philosophi diversimode de ipsa senserunt. Nam Platonici posuerunt universalia separata, et alii Philosophi negaverunt. Tertium est, quod est maxime necessaria ad considerandum, quatenus ex ea dependet tota notitia de substantiis tam materialibus quam immaterialibus. Deinde cum dicit :

Nam si non est aliquid præter singularia, singularia vero infinita, quomodo contingit accipere scientiam ? Nam in quantum unum aliquid et idem, et in quantum universale aliquid est, in tantum omnia cognoscimus.

45. Arguit ad quæstionem, et primo ad partem affirmativam. Secundo ad partem negativam. Secunda ibi: *At vero si hoc est.* In prima parte intendit talem rationem : Omnis scientia est de realiter existentibus; sed omnis scientia est de universalibus, nam singularia cum sint infinita sciri non possunt, nisi in quantum reducuntur ad aliquod unum commune, quod est universale; ergo universalia sunt realiter existentia, et per consequens separata. Dicit ergo, *nam si non est aliquid præter singularia,* supple tolleretur scientia, *singularia enim infinita sunt*, infinitorum quoque non contingit scientiam accipere : *nam in quantum aliquid unum et idem*, *et in quantum universale aliquid est*, scilicet separatum *in tantum omnia*, scilicet singularia *cognoscimus*. Deinde cum dicit :

At vero si hoc est necesse, et oportet aliquid esse præter singularia, necesse utique erit genera esse præter singularia, aut ultima, aut prima ; hoc autem quia impossibile, nuper ostendimus dubitando.

Arguit ad oppositum dicens quod *si hoc est necesse, et oportet aliquid esse præter singularia,* scilicet separatum, *necesse erit ista genera,* quæ ponunt *præter singularia*, aut *esse prima, aut ultima: hoc autem quia impossibile est esse*, scilicet separata, *nunc dubitavimus*, scilicet ex præcedenti dubitatione. Patet ergo quod universalia non sunt a singularibus separata.

Singula[r] sunt infi- ta nec d[e] eis est scientia

Nec ratio ad oppositum cogit; nam sicut sæpe dictum est, modus sciendi vel intelligendi non omnino sequitur modum essendi; multa enim seorsum intelligimus et scimus, quæ seorsum non existunt. Deinde cum dicit :

Verit[as] quæstio[nis].

SUMMARIUM.

Arguit dupliciter dari universale, vel aliquid separatum a sensibilibus. Item ad oppositum. Doctor ex ipso negative resolvit docens dari substantias immateriales. Solvit quomodo a Philosopho dicitur motus cœli finitus, et infinitus sine contradictione.

Amplius autem si quam maxime est aliquid præter simul totum, quando prædicatur aliquid de materia ; utrum si est aliquid, præter omnia oportet aliquid esse ; aut præter quædam esse, et præter quædam non esse, aut præter nihil ?

Ponit secundam quæstionem, circa quam sic procedit, quod primo quæstionem ponit, secundo ad quæstionem arguit pro et contra, ibi : *Siquidem nihil.* 46

Ad evidentiam primi, notandum quod prima quæstio est universalior quam ista secunda : prima enim quærebat generaliter, utrum universale esset separatum a singularibus? Singulare autem aliquod est compositum ex materia et forma, non autem omne singulare. Sunt enim multa singularia

simplicia simplicitate quæ opponitur compositioni ex materia et forma, sicut sunt omnia singularia accidentium, et etiam multa singularia substantiæ, puta substantiæ separatæ. De singularibus autem compositis ex materia et forma est maxima et specialis difficultas, utrum in talibus sit aliquod separatum de quo quærit ista secunda quæstio, ideo dicit : quia *amplius si quam maxime est*, id est, valde dubitabile *si est aliquid præter simul totum*, id est, præter singulare compositum ex materia et forma, quod exponit dicens, *quando prædicatur aliquid de materia*. Plato enim posuit ista sensibilia et materialia participare universalia separata, aut universale participatum prædicaretur de singulari, et sic constituetur quoddam simul totum. Est ergo quæstio, scilicet trimembris, utrum si est aliqua species, id est, idea separata a talibus singularibus, et an oporteat *aliquid esse præter omnia, aut præter quædam esse et præter quædam non esse, aut præter nihil*. Deinde cum dicit :

;.Q. hæc est q. 6. superius assignata ex parte considera-torum.

Si quidem igitur nihil est præter singularia, nihil utique erit intellectuale, sed omnia sensibilia et nullius scientia, nisi quis dicat esse scientiam sensuum.

Arguit ad quæstionem. Primo ad partem affirmativam. Secundo ad oppositam negativam. Secunda ibi : *At vero si iterum*. Prima in duas, secundum quod duas rationes inducit. Secunda ibi : *Amplius autem nec sempiternum*. In prima parte intendit talem rationem : Si nihil est separatum præter singularia ; ergo nihil est intelligibile, vel sensus et scientia erunt idem ; consequens utrumque est falsum, sicut patet, ergo et antecedens. Consequentia probatur, ex hoc quia omne singulare est sensibile ; si ergo nihil est præter singularia, singularia omnia erunt sensibilia et nihil intelligibile, et per consequens cum de sensibilibus non sit scientia, nulla erit scientia de rebus, nisi quis dicat scientiam et sensum esse idem, ut dixerunt aliqui antiqui, quod tamen est falsum. Dicit ergo, *quod si quidem nihil est præter singularia*, scilicet separatum, *nihil erit intelligibile, sed omnia sensibilia et scientia nullius erit, nisi quis dicat esse scientiam*. Deinde cum dicit :

Amplius autem nec sempiternum est aliquid, nec immobile ; nam sensibilia omnia corrumpuntur et in motu sunt.

Ponit secundam rationem quæ 47.
talis est : Si extra singularia nihil existit separatum ; ergo nihil est sempiternum ; consequens est falsum, ergo et antecedens. Consequentia est evidens, quia singularia omnia sunt corruptibilia ; si ergo nihil est præter singularia, nihil est sempiternum. Falsitatem autem consequentis probat dupliciter. Primo ex parte materiæ. Secundo ex parte formæ. Et secundum hoc ista pars dividitur in tres. Quia primo ponitur dicta consequentia. Secundo probatur falsitas consequentis ex parte materiæ. Tertio ex parte formæ. Secunda ibi : *At vero si sempiternum*. Tertia ibi : *Amplius autem cum sit*. Dicit ergo, quod *Amplius autem si* supple nihil est separatum a sensibilibus, sequitur quod *nec sempiternum est aliquid, nec immobile, nam sensibilia omnia*

corrumpuntur et in motu sunt. Deinde cum dicit :

At vero si sempiternum nihil est, nec generationem esse possibile est. Necesse est enim aliquid esse quod fit, et ex quo fit, et horum ultimum ingenitum si statur, et ex non ente generari impossibile.

Probat falsitatem consequentis. Primo ex parte materiæ. Et dicit quod, *at vero si nihil est sempiternum, nec est possibile esse generationem alicujus*, quod scilicet est manifeste falsum. Probat autem istam consequentiam, quia scilicet in omni generatione *necesse est aliquid esse quod factum est, vel quod fit et ex quo fit, et hoc ultimum,* scilicet ex quo fit, quod est materia, necesse est esse *ingenitum*, quod probat; *si* pro quia, quia *generatio stat*, et non procedit in infinitum, *et ex non ente impossibile est generari* aliquid, vult dicere quod materia ex qua alia generantur, est ingenita, et per consequens sempiterna ; quia si generatur, vel generatur ex ente, vel ex non ente. Non potest dici quod ex non ente, quia ex nihilo, nihil fit per naturam. Si generatur ex alio ente, quæretur de illo alio, utrum sit ingenitum; et sic vel generatio procedit in infinitum, vel stabitur ad aliquid ingenitum et sempiternum. Deinde cum dicit :

Materiam esse ingenitam.

Amplius autem cum sit generatio et motus finem esse necesse est : Motus enim nullus est infinitus, sed motionis omnis est finis : Generari enim non possibile quod impossibile est factum esse. Quod autem est generatum necessarium est esse quando primum factum est.

48. Probat idem ex parte formæ, et hoc per duas rationes; quarum secunda ponitur ibi : *Amplius si materia.* In prima parte intendit talem rationem : Omnis motus et generatio et universaliter omnis mutatio est finita secundum terminos; cum ergo forma sit terminus generationis, non erit procedere in infinitum in formis, sed erit aliqua forma ultima, cujus non sit aliqua generatio ut videtur. Sicut ergo materia ex qua aliquid generatur, ponitur esse ingenita ab eo quod non proceditur in infinitum, ita videtur quod oporteat ponere aliquam formam esse ingenitam, ex eo quod in formis non sit processus in infinitum, sed omnis est finis, supple quantum ad terminos; et *generari quidem non est possibile, quod impossibile est factum esse*, id est, nisi talis generatio posset terminari ad factum esse; *quod autem est generatum, necesse est esse, quando primum factum est*, id est, in termino generationis, qui est factum esse, oportet esse generatum.

Omnis motus est finitus.

Datur forma ingenita.

Notandum, quod Philosophus videtur sibi contradicere, nam 8. Physic. et 12. hujus, text. com. 40. et inde, ostendit motum cœli esse infinitum, et tamen hîc videtur asserere motum esse finitum; sed sciendum quod, ut habetur juxta finem sexti Physic. infinitas in motu potest dupliciter intelligi, vel secundum durationem, vel secundum terminos. Primo modo motus cœli est infinitus, secundum viam Philosophi, et hoc probat ipse 8. Physic. Secundo autem modo, omnis motus etiam cœlestis est finitus, licet enim una circulatio succedat alteri sine fine, quælibet tamen circulatio in se finita est secundum terminos, a quo et ad quem, et hoc modo verum est, quod hîc dicitur,

Text. c. 34. et inde.

Motum esse finitum, vel infinitum contingit intelligi dupliciter.

omnem motum esse finitum. Deinde cum dicit :

Amplius autem si materia est, quia ingenita est, multo rationabilius est substantiam quando illa fit esse. Nam si hæc non erit, nec illa, nihil erit omnino. Sed si hoc est impossibile, necesse est aliquid esse præter synolon, scilicet formam et speciem.

Si materia est ingenita, multo magis et forma.

Ponit secundam rationem sumptam ex parte formæ, quæ sumitur a minori dicens : quod *amplius si materia est ingenita, multo rationabilius est substantiam,* id est formam, scilicet *esse ingenitam, quando ipsa fit esse*, id est, quia per illam scilicet formam res habet esse magis supple quam per materiam; *nam si hæc non erit, nec illa*, id est, si nec materia, nec forma est ingenita, *nihil erit omnino*, scilicet ingenitum; *sed si hoc est impossibile*, ut probatum est, *necesse est aliquid esse præter synolon*, id est, simul totum compositum ex materia et forma, puta *formam et speciem*, nam materia de se non potest existere. Deinde cum dicit :

49. Sed si hoc iterum quis ponit, dubitatio est in quibus hoc ponet, et in quibus non? Nam quod in omnibus non possibile sit, manifestum est; non enim utique ponemus domum aliquam præter singulares domos.

Arguit ad partem oppositam negativam dicens, quod *si iterum quis hæc ponit*, scilicet aliquam formam esse separatam præter singularia composita ex materia et forma; est *dubium in quibus sit hoc verum et in quibus non, nam quia in omnibus non existimatur*, scilicet aliquid esse sic separatum, *manifestum est* scilicet in artificialibus; *non enim ponimus aliquam domum separatam præter aliquas domos,* id est, singulares.

Veritas quæstionis.

Veritas hujus quæstionis sumitur ex 7. hujus, text. com. 51. et circiter, et ex 12. text. com. 29. et inde, nam præter sensibilia non est ponere aliquas formas sensibiles separatas, est tamen ponere aliquas substantias immateriales separatas, puta intelligentias. Rationes autem ad oppositum non cogunt; non enim sequitur, quod de sensibilibus non sit scientia, nec quod scientia et sensus sint idem, nam ut sæpe dictum est, non est idem modus essendi rei in se, et in consideratione intellectus; quia res in se materiales et corruptibiles modo immateriali et incorruptibili ab intellectu concipiuntur; nec sequitur, quod forma si non est separata a materia generetur, quia forma per se non generatur, ut habetur 7. hujus, text. com. 22. et inde. In quibusdam ergo ponere oportet formas separatas, et in quibusdam non, nam omnium sensibilium formæ non existunt separatæ : illa autem, quæ secundum suam naturam sunt immaterialia et insensibilia, existunt a sensibilibus separata, cujusmodi sunt Intelligentiæ, de quibus agetur, 12. hujus libri.

Formæ immaterialium sunt separatæ, sensibilium vero non.

SUMMARIUM.

Non dari formam unam omnium, quæ sint ejusdem speciei, vide Doct. 7. hujus q. 7.

Adhuc autem utrum substantia una erit omnium, ut hominum? Text. com. 13.

50. Postquam Philosophus disputavit quæstiones pertinentes ad principiorum quidditatem, nunc disputat quæstiones pertinentes ad principiorum qualitates, sive proprie-

tates. Circa quod tria facit : quia primo disputat quæstiones de principiis penes eorum identitatem, vel diversitatem. Secundo penes eorum actualitatem vel potentialitatem. Tertio penes eorum singularitatem. Secunda ibi : *His autem a fine.* Tertia ibi : *Et utrum universalia.* Prima in duas. Primo facit quod dictum est. Secundo inquirit, quomodo ratio principii se habeat ad rationem unius. Secunda ibi : *Omnium autem ad considerandum.* Prima in tres, quia primo in speciali quærit de principio formali, utrum sit unum numero respectu omnium sub una specie contentorum ? Secundo universaliter quærit hoc idem in omnibus principiis, utrum sint eadem numero ? Tertio magis specialiter quærit de unitate et diversitate principiorum ? Utrum scilicet sint eadem principia corruptibilium et incorruptibilium ? Secunda ibi : *Amplius autem de principiis.* Tertia ibi : *Nec minor dubitatio.* Prima in duas : quia primo proposuit quæstionem. Secundo arguit ad eam. Secunda ibi : *Sed impossibile.* Dicit ergo, quod *adhuc est dubitatio utrum substantia*, id est, forma *sit una omnium*, scilicet existentium sub una specie, *ut hominum?* Deinde cum dicit :

7. q. hæc q. et sequens tangunt motivum 7. quod superius assignatæ ex parte considerata rum.

Sed inconveniens est, non enim unum omnia quorum substantia una ; sed multa et differentia, sed et hoc extra rationem est.

Arguit ad unam partem quæstionis, scilicet ad partem negativam, per duas rationes : quarum secunda ponitur ibi : *Simul autem et quomodo.* In prima parte intendit talem rationem : Si omnium sub una specie existentium est una forma, ergo multorum differentium erit una forma, quod manifeste videtur esse falsum. Consequentia patet, quia ea quæ sunt sub una specie, sunt multa et differentia. Dicit ergo, sed hoc est impossibile, scilicet unam esse formam omnium talium : *non enim omnia erunt unum quorum substantia*, et forma ponitur esse *una, sed erunt multa et differentia* ; *hoc autem est extra rationem.* Deinde cum dicit :

Simul autem et quomodo fit materia horum unumquodque, et est synolon ambo hæc?

Ponit secundam rationem quam intendit talem : illud quod est in se unum indivisum, non concurrit cum alio diverso ad componendum multa, sed materia dividitur in singularia; ergo forma una et eadem, non poterit concurrere cum diversis partibus materiæ ad componendum plura singularia, ita quod singulare in synolon, id est, simul totum, et singulare complectens ea ambo, scilicet materiam et formam ; ideo dicit, quod *simul autem* scilicet cum præcedenti ratione, *quomodo fit materia horum singulorum*, id est, singularium, *et est synolon*, id est, singulare, *ea ambo*, scilicet complectens materiam et formam ? quasi diceret, quod non videtur.

Eamd. formam non pos. cum un. materi. constitu. singular.

Ad oppositum non arguit. Quia rationes ponendæ in sequenti quæstione, et quæ positæ sunt supra, de separatione universalium, faciunt pro illa parte ; nam si universale sit separatum, necesse est, unam esse formam et substantiam eorum, quæ sub eadem spe- 51.

cie continentur, nam universale ponitur substantia singularium.

Veritas quæstionis. Text. com. 20. et inde.

Veritas hujus quæstionis patet ex. 7. hujus, ubi ostenditur quod substantia, et *quod quid est* rei, non est aliud a re, et per consequens impossibile est, eamdem quidditatem, vel formam esse plurium, ut plura sunt; licet omnium singularium sub una specie sit una forma specifica, et communis, quæ dividitur realiter in singularia. Deinde cum dicit :

SUMMARIUM.

Arguit pro et contra, an principia sint eadem, vel diversa specie, aut numero. Doctor resolvit, efficiens et finem in idem numero coincidere ; materiam et formam non, de quo 12. hujus, vide cum Theor. 19.

Text. com. 14.

Amplius autem de principiis, et hic dubitabit aliquis. Nam si specie sunt unum, nihil numero erit unum.

Quærit universaliter de omnibus principiis : Utrum sint eadem numero, vel eadem specie, vel diversa numero? Circa quod duo facit, quia primo inducit rationes ad probandum, quod sint eadem numero. Secundo arguit ad oppositum. Secunda ibi : *At vero si unum.* Prima in tres, secundum quod breviter tangit tres rationes pro illa parte. Secunda ponitur ibi : *Nec iterum.* Tertia ibi : *Et scire.* In prima parte fecit talem rationem : quidquid in principiatis reperitur, illud oritur ex principiis; si ergo in principiis non invenitur unum numero, sed solum unum specie; ergo nihil erit in principiatis unum numero, sed tantum unum specie, quod est falsum. Dicit ergo primo tangens quæstionem, quod *amplius dubitabit aliquis de principiis*, scilicet generaliter, hæc scilicet quæ dubitata sunt de principio formali, utrum scilicet sint eadem numero principia, vel non? Secundo tangit dictam rationem dicens, *namque* pro quia *si specie unum sunt*, scilicet principia *nihil erit unum numero,* scilicet in principiatis. Deinde cum dicit :

Nec iterum unum ipsum et ens.

Tangit secundam rationem, quæ talis est : Illud quod est ipsum unum, vel ipsum ens, oportet quod sit unum numero ; si igitur principium rerum non sit unum numero, sed unum specie ; ergo nihil erit ipsum unum et ipsum ens, quæ scilicet unum et ens separata ponuntur rerum principia, ideo dicit quod *nec iterum ipsum unum et ens* erunt supple unum numero. Deinde cum dicit : 52.

Et scire quomodo erit, si non aliquid erit unum in omnibus.

Omnis scientia est de universale.

Ponit tertiam rationem quæ talis est : Omnis scientia est de universali, quod est unum in multis, quia de singularibus non est scientia. Cum igitur scientia de principiatis dependeat ex scientia principiorum, si igitur principia non sint eadem numero, non poterit de eis esse scientia, ut videtur, nec per consequens de principiatis, et sic tollitur omnis scientia ; ideo dicit : *Et scire quomodo erit,* id est quomodo continget, *nisi fuerit quid unum in omnibus?* quasi diceret, quod non. Deinde cum dicit :

At vero si unum numero, et unum quodlibet principiorum, et non quemadmodum in sensibilibus alia aliorum, ut in hac syllaba, BA. specie eadem existente, et

principia specie eadem, etenim hæc sunt numero diversa. Si autem non ita, sed quæ sunt existentium principia numero sunt unum, non erit præter elementa aliud quidquam. Nam numero unum aut singulare dicere nihil differt. Si enim dicimus singulare numero unum, universale vero quod in his est. Sicut igitur si vocis elementa numero essent determinata tot omnes litteras esse necesse esset quot elementa; non existentibus quidem duobus eisdem, nec pluribus.

53. Arguit ad oppositum, quod non sint idem numero, intendens talem rationem : Si principium omnium entium sint eadem numero; ergo nullum erit dare principium; consequens est evidenter falsum, et contradicit antecedenti. Consequentia patet ex hoc, quia principium cum sit relativum, arguit diversitatem ad principiatum, cui opponitur relative; si autem principium sit unum numero, tollit principiatum, quia unum numero dicitur quod est semel tantum, nam unum numero et singulare idem sunt; ergo principium non erit principium. Dicit ergo, quod si quodlibet principiorum *est unum numero, et non* se habent, scilicet principia entium, *quemadmodum in sensibilibus* videmus quod *aliorum numero sunt alia principia numero;* videmus enim *quod in hac syllaba, BA, specie autem eadem existente, et principia sunt eadem specie,* ea tamen *sunt numero diversa* : nam quot sunt numero syllabæ BA, tot sunt numero B et A, licet B et A, quotiescumque sumantur, sint eædem litteræ specie, sicut et ipsa syllaba supple specie est eadem quotiescumque sumpta; unde addit quod si non est ita, sed quæ sunt scilicet principia existentium, sunt unum numero, *non erit aliquod aliud præter elementa,* scilicet principia: *nam dicere unum numero, aut dicere singulare unumquodque* ut habet alia littera, *nihil differt, sicut enim dicimus singulare unum numero, universale vero quod est in his,* scilicet singularibus; *si igitur elementa vocis essent numero determinata, necesse esset tot omnes esse litteras quot sunt elementa,* ita quod non esset distinctio inter principia et principiata, et sic litteræ non possent multiplicari, ut essent duo vel plura, ideo subdit *non quidem existentibus duobus, nec pluribus.* Eadem ergo ratione, si omnium entium sint eadem principia numero, sequitur quod nihil sit præter principia, quod videtur falsum ; cum principium dicatur ad aliquid, et sit alicujus principium, quare principium non erit principium si nihil sit præter ipsum.

Unum numero quid.

Principium includit relationem formaliter.

54. Veritas hujus quæstionis colligitur ex 12. hujus, text. com 19. inde, ubi habetur, quod principia extrinseca entium, ut sunt efficiens et finis sunt eadem numero omnium, loquendo de primo efficiente et de ultimo fine, qui est Deus benedictus. Etenim secundum cum omnes substantiæ immateriales, puta, Intelligentiæ quæ sunt principia rerum extrinseca et separata, sunt eadem respectu omnium. Principia autem intrinseca, ut sunt materia et forma, et privatio sunt alia aliorum simpliciter, licet possint esse eadem secundum proportionem, ut ibi exponetur. Principia etiam extrinseca proxima, puta agens particulare et finis, possunt esse diversa diversorum. Nec rationes ad oppositum cogunt, nam non est necesse quantum ad

Veritas quæstionis.

Principium duplex, et utrumque subdividit.

Ab eadem causa numeros p

sunt procedere effectus diversi. primam rationem, quod si principium sit unum numero, quod principiata sint unum numero, quia ab eodem principio numero possunt procedere effectus numero diversi. Nec valet etiam quantum ad secundam rationem, quod ipsum unum et ipsum ens non sunt unum numero propter eamdem causam, et maxime cum ipsum unum et ens, non sint aliquid realiter separatum, ut posuerunt Platonici. Nec oportet quantum ad tertiam rationem, quod universale de quo est scientia, sit unum numero in multis; sed potest esse unum alia unitate, quæ est minor unitate numerali, ut habet declarari 7. hujus. Ratio autem ad oppositum, si aliquid valet, concludit de principiis intrinsecis, sicut patet in exemplo syllabæ BA, cujus principia intrinseca sunt A et B, et concessum est talia principia intrinseca esse numero diversa. Deinde cum dicit :

SUMMARIUM.

Non eadem esse principia corruptibilium et incorruptibilium. Rejicit responsiones varias, et præcipue Theologorum poetarum, de gustantibus nectar et manna. Doctor rejicit circa hoc expositionem D. Thomæ.

Text. com. 15. Non enim minor dubitatio modernis, et prioribus relinquitur. Utrum eadem corruptibilium et incorruptibilium sint principia vel diversa?

9. Q. hæc q. 8. superius assignata ex parte consideratarum. Quærit magis specialiter de unitate et diversitate, utrum scilicet sint eadem principia corruptibilium et incorruptibilium ? Circa quod duo facit. Primo proponit quæstionem. Secundo arguit pro et contra ibi : *Nam si eadem*. Dicit ergo quod quædam dubitatio, quæ *non minor modernis relinquitur*, scilicet Philosophis sequentibus Platonem, *quam prioribus*, scilicet antiquis, quæ est : *utrum sint eadem principia vel diversa corruptibilium et incorruptibilium*. Deinde cum dicit :

Nam si eadem sint, quomodo hæc quidem incorruptibilia; illa vero corruptibilia, et propter quam causam? 55.

Arguit ad quæstionem et primo inducit rationes, ad probandum non esse eadem principia corruptibilium et incorruptibilium. Secundo arguit ad oppositum, scilicet quod non sint diversa. Secunda ibi : *Si vero diversa principia*. Prima in duo, quia primo ponit rationem. Secundo excludit duplicem responsionem. Secunda ibi : *Qui quidem igitur*. In prima parte intendit talem rationem : Ex eisdem principiis sequuntur iidem effectus; sed corruptibilia et incorruptibilia non sunt iidem effectus ; ergo eorum non sunt eadem principia, ideo dicit, *nam si eadem sunt*, scilicet principia omnium : *quomodo hæc quidem corruptibilia, illa vero incorruptibilia sunt, et propter quam causam?* quasi diceret, quod non posset assignari. Deinde cum dicit : Identitas effectus arguit identitatem principii.

Qui quidem igitur circa Hesiodum, et omnem quicumque Theologi solum ad ipsos persuasiones curaverunt, nos autem neglexerunt. Deos enim facientes principia, et ex Deis dicunt esse facta; quæ vero non gustaverunt nectar et manna, mortalia facta esse dicunt.

Excludit duplicem responsionem quæ datur ad rationem dictam. Primo excludit responsionem Poeticam. Secundo excludit responsionem naturalem sive Philosophicam. Secunda ibi : *A dicentibus vero*. Prima in tres, quia primo

solutionem præmittit. Secundo ipsam includit. Tertio excusat se de diligentiori improbatione talis positionis. Secunda ibi : *Palam quod hæc omnia*. Tertia ibi : *Sed de fabulose*.

56 Poetæ Theologi divina occulte tradentes.

Ad evidentiam primæ partis, sciendum quod sicut tactum fuit in primo libro apud Græcos, fuerunt ante Philosophos Naturales quidam sapientes vocati Poetæ Theologi, qui veritatem divinorum occulte sub quodam fabularum velamine tradiderunt, sicut Orpheus et quidam alii. Dicit ergo quod *quidam* Hesiodistæ, id est, sectatores *Hesiodi et omnes alii qui erant vocati Theologi solum ad eos*, id est, ad seipsos *curaverunt facere persuasionem, non autem spreverunt*, id est, veritatem quam intendebant taliter tradiderunt, quod tantum eis erat nota et non nobis, quia, scilicet veritatem tradiderunt sub quadam umbra fabularum quæ eis tantum notæ erant. Isti igitur Hesiodistæ *facientes principia rerum esse* quosdam Deos *et ex divinis dicunt alia esse facta* immortalia, *illa vero quæ non gustaverunt ipsum nectar et manna, dicunt esse facta mortalia*, id est, dixerunt quod illi de numero Deorum, qui non gustaverunt quemdam cibum dulcem, qui nectar vel manna vocatur, facti sunt mortales, qui autem gustaverunt, facti sunt immortales. Et per istum modum forsan voluerunt salvare eadem principia, scilicet Deos esse omnium principia, tam corruptibilium quam incorruptibilium, sed inter ipsos Deos esset dicta differentia, ut sic Dii mortales essent principia corruptibilium, immortales autem ipsorum incorruptibilium, licet omnes illi convenirent in ratione Deitatis, et sic haberent aliquam identitatem.

Fictio Poetica de Deorum diversitate. Vide Scot. in 7. d. 2. ubi hanc fictionem tangit.

Notandum, quod, ut dicit quidam expositor, sub ista fabula potuit contineri aliquid veritatis, ut scilicet per nectar et manna, intelligatur bonitas primi principii; nam omnis dulcedo dilectionis et amoris refertur ad bonitatem, omne autem bonum oritur a primo bono; potuit ergo esse intellectus illorum Poetarum, quod ex participatione summæ bonitatis aliqua reddantur incorruptibilia, ut illa quæ perfecte participant divinum esse, ut intelligentiæ et corpora cœlestia ; quædam vero propter longe distare a primo principio, quod est non gustare nectar vel manna, non possunt perpetuo conservari secundum identitatem numeralem, sed tantum specificam, ut habetur 2. de Anima. text. com. 35. et 2. de Generatione. text. com. 59. Sed quæ utilitas est immorari circa intentionem fabularum? licet ergo istud forsitan sit bene dictum, tamen dubium est et forte falsum, quod illa fuerit intentio Poetarum. Deinde cum dicit :

57. Palam quod hæc omnia sibi nota dicentes equidem de allatione harum causarum super nos dixerunt ; nam si gratia voluptatis, ut ipsi tangunt, non est causa existendi nectar et manna ; si vero existendi, quomodo erunt sempiterni cibo egentes?

Excludit istam responsionem dicens, *palam esse quod isti*, Hesiodistæ, *sunt dicentes sibi hæc omnia*, scilicet tanquam *sibi nota*, et non nobis, et *etiam de allatione harum causarum dixerunt præter nos*, id est, quod quando afferuntur illæ causæ ad propositam quæstionem, hoc est supra nostrum intellectum. Et ideo subjun-

git talem rationem contra illud quod sonant eorum verba, quidquid sit de eorum occulta intentione; nam Dii, aut gustaverunt illud nectar et manna propter delectationem, aut propter necessitatem essendi, hac enim de causa cibus sumitur; sed neutrum potest dari : *nam si gratia voluptatis*, id est delectationis, *ea tangunt*, id est, gustant, sequitur quod *nectar et manna non erunt eis causa existendi*, ut ex hoc fiant incorruptibiles, nam delectatio sequitur esse rei, et non præcedit. *Si vero causa existendi*, id est, propter necessitatem essendi, sumunt illum cibum, *quomodo egentes illo cibo erunt sempiterni?* quasi diceret quod non, quia omne indigens cibo, est corruptibile; nam cibus sumitur ad restaurationem deperditi, etiam corrumpitur et transit in substantiam aliti; quod autem est corruptibile, non potest alteri esse causa incorruptibilitatis. Deinde cum dicit :

Sed de fabulose sophisticantibus non est dignum cum studio intendere.

58. Excusat se de diligentiori improbatione dictæ positionis, dicens quod *de fabulose sophisticantibus*, id est, philosophantibus, *non est dignum intendere cum studio.* Ratio hujus est, quia si quis vult contra eorum dicta disputare secundum quod exterius sonant, ridiculosa sunt et vana, cum per modum fabulæ proferantur; si vero vult inquirere de veritate quæ latet sub illis verbis, illa immanifesta est et occulta. Et ex hoc aliqui volunt accipere, quod Aristoteles disputans contra Platonem, et alios consequenter Philosophos, disputat magis contra dicta quam contra intentionem; eo quod ipsi doctrinam suam sub quadam obscuritate et velamine verborum tradiderunt, quod non pertinet ad Philosophum, qui ex propriis non per ænigmata, vel extrema debet procedere. Deinde cum dicit :

SUMMARIUM.

Refutat responsionem Empedoclis ponentis principia communia corruptibilium et incorruptibilium. Doctor explicat ejus positionem.

A dicentibus vero per demonstrationem, oportet sciscitari, interrogantes quare ex eisdem existentia ; hæc quidem sempiterna secundum naturam sunt, illa vero corrumpuntur existentium. Quoniam autem nec causam dicunt, nec rationabile est sic habere, palam quod nec eadem principia, nec causa ipsorum erunt.

Excludit secundam responsionem quorumdam Naturalium. Circa quod tria facit. Quia primo resumit dictam responsionem. Secundo ponit illorum responsionem. Tertio addit responsionis improbationem. Secunda ibi : *Etenim qui existimabit.* Tertia ibi : *Videbitur autem nihilominus.* Dicit ergo, quod supple prætermissis illis, qui scilicet veritatem sub fabulis tradiderunt : *oportet sciscitari*, id est inquirere veritatem *a dicentibus,* id est, tradentibus veritatem *per demonstrationem interrogantes*, scilicet ab eis *quare ex eisdem*, scilicet principiis, *hæc quidem existentia*, sunt secundum naturam *sempiterna; illa vero corrumpuntur existentium,* id est, de numero entium, *sed quandoque, nec ipsi causam dicunt, nec est rationabile sic se habere,* scilicet ut ex eisdem principiis sint cor- 59.

ruptibilia, *palam quia eædem causæ non sunt eorum utrorumque.* Deinde cum dicit :

Etenim et Empedocli, quem maxime sibi consona dicere quispiam arbitrabitur, idem sane contingisse videtur. Ponit enim principium quoddam causam corruptionis odium.

Ponit quorumdam Naturalium responsionem, et dicit quod supple responsio ad dictam quæstionem *quam aliquis existimabit dicere maxime ei confesse*, id est, quæ videtur magis conveniens ad quæstionem Empedoclis, est illa quam Empedocles assignavit, et tamen hic scilicet Empedocles, *idem passus est cum aliis*, quia scilicet ejus responsio est inconveniens, ut ostenditur, sicut et aliorum : *ponit enim principium quoddam,* scilicet *odium, esse causam corruptionis.*

Omnia præter Deum secundum Empedoclem erant composita ex odio. Text. com. 18. Text. com. 80.

Notandum, quod Empedocles posuit quædam principia communia corruptibilium et incorruptibilium, ut innuitur in littera; sed cum hoc posuit quoddam principium speciale, scilicet odium elementorum esse causam corruptibilium, ut sic istud principium adjunctum aliis principiis faceret corruptibilitatem in entibus; unde sicut patet ex primo hujus, et innuitur 1. de Anima, solum Deum posuit Empedocles non compositum ex odio, intelligens per Deum, ut communiter exponitur, corpus cœleste et omnia incorruptibilia. Deinde cum dicit :

Videbitur nihilominus, et extra unum hoc generare, nam omnia ex hoc alia sunt præter Deum ; dicit ergo ex quibus omnia et quæcumque erant, et quæcumque erunt, et arbores pullulaverunt, et viri, et fœminæ, bestiæque, et vultures, et aqua nutriti pisces, et Dei longævi, et præter hæc palam, quia si non esset in rebus, essent unum omnia, ut ait ; nam quando convenerunt, tunc ultimum omnium stabat odium.

Arguit contra istam responsionem tripliciter. Primo ostendens, 60.
quod contradicit suæ opinioni. Secundo quod est insufficiens. Tertio quod non est ad propositum. Secunda ibi : *Similiter ipsius transmutationis.* Tertia ibi : *Attamen tantum solum.* Prima in tres. Quia primo ostendit, quod dictum est ex parte odii. Secundo ex parte ipsius Dei. Tertio ex parte amoris. Secunda ibi : *Propter quod accidit.* Tertia ibi : *Similiter autem nec amor.* Dicit ergo, quod secundum opinionem Empedoclis, hoc scilicet odium, quod ponebat causam corruptionis, *videbitur nihilominus generare*, id est, esse causa generationis, *extra unum*, id est, præter unum quod non ponebant ex odio componi. Ideo subdit, *nam omnia sunt ex hoc*, id est, ex odio *præter Deum,* id est, quod secundum ejus opinionem omnia sunt composita ex odio, et aliis principiis *præter unum,* scilicet Deum, quem utique dicebat componi ex aliis principiis, præter quam ex odio; Deum autem appellabat cœlum; cœlum enim dicebat componi ex quatuor elementis, et ex amicitia tantum, sed omnia alia etiam componi ex odio. Ideo subdit : quod *dicit ergo ex quibus,* scilicet principiis simul cum odio *omnia sunt*, scilicet composita, *et quæcumque sunt,* quantum ad præsentia ; *et quæcumque erunt*, quantum ad futura ; *et quæcumque erant,* quantum ad præterita, *ut arbores,* quæ *pullulaverunt, et viri, et fœminæ, bestiæ,* puta animalia terrestria ; *et vultures,* quantum ad

Quod responsio Empedoclis implicat.

volucres; *et pisces nutriti in aqua*, quantum ad aquatica, *et Dii etiam longævi*, omnia breviter ponebat componi ex odio et aliis principiis; ad hæc etiam scilicet secundum opinionem Empedoclis *palam quia si non erit in rebus, omnia essent unum* per amicitiam, et generatur chaos confusum, tunc ultimo per odium separantur, et ab invicem dissolvuntur. Cum igitur esse mundi consistat in ordine et distinctione rerum; odium erit causa generationis mundi, cum dividat et distinguat res.

Verba Empedoclis.

Notandum, quod per Deos longævos quos ponebat componi ex odio, forte intellexit stellas, quas ponebat aliquando corrumpi post longum tempus; vel intellexit dæmones, quos Platonici dicebant esse animalia aerea; vel intellexit Deos in forma humana, quos posuerunt Epicurei, ut dictum est supra in hoc eodem tertio. Deinde cum dicit:

Dii longævi qui intelliguntur.

SUMMARIUM.

Odium non magis esse causam corruptionis quam generationis, nec amorem causam generationis vel existentiæ. Rejicitur etiam stulta ejus responsio de mundo infinities genito et producto.

Propter quod, et accidit ipsi felicissimum Deum minus prudentem esse aliis; non enim cognoscit elementa omnium, nam odium non habet. Notitia vero simili similis fiat. Terram namque ait per terram cognoscimus, et per aquam aquam, et per affectum affectum, et adhuc odium per odium triste. Sed unde ratio hæc etiam palam, quia accidit ei odium non magis corruptionis quam existendi causam esse.

61. Ponit secundam rationem ex parte Dei sumptam.

Ad cujus evidentiam notandum, quod secundum quod habetur primo de Anima, text. com. 25. opinio fuit Empedoclis sicut et multorum aliorum, quod anima esset composita ex principiis omnium rerum, ut sic posset anima omnia cognoscere; dicebant enim simile cognosci a simili, ut terra cognosci per terram, et aqua per aquam, et sic de aliis, et ideo oportebat animam componi ex terra, aqua, et ex aliis. Empedocles ergo quia posuit sex principia rerum, scilicet quatuor elementa ut principia materialia, et amorem et odium ut principia effectiva, dixit animam esse compositam ex quatuor elementis, et ex amore et odio, ut sic posset omnia cognoscere, cum secundum eum simile simili cognoscatur. Deus ergo qui est felicissimus, est imprudentior aliis, cum non cognoscat omnia, quæ alii cognoscunt, quod videtur absurdum; et hoc est quod dicit Philosophus: *propter quod,* quia scilicet Deus non est compositus ex odio, *accidit ei,* scilicet Empedocli, *Deum felicissimum esse minus prudentem aliis; non enim cognoscit omnia elementa, nam odium non habet. Notitia vero similis fit simili,* secundum eum ut sic *terram cognoscamus per terram, et aquam per aquam, et affectum* id est, amorem *per affectum, et odium per odium*, difficile, id est, cum odium sit malum, est quoddam difficile et grave; sed quia illa ratio videtur esse præter propositum principale, ideo rediens ad propositum dicit, *sed unde ratio*, scilicet erat prius, *hoc enim palam*, scilicet contra Empedoclem, *quia accidit ei ipsum odium non magis esse causam corruptionis quam existendi,* id

Opinio ponens animam conflatam ex propriis omnium rerum.

Argumentum contra negantes Deum alia a se cognoscere.

Odium est grave.

est generationis, sicut patet ex prædictis. Deinde cum dicit :

Similiter autem nec amorem existendi magis quam corruptionis ; colligens enim in unum corrumpit alia.

62. Ponit rationem sumptam ex parte amoris. Dicit ergo, quod *similiter nec amor est causa existendi*, id est generationis, sicut dicebat Empedocles. Nam ex alia parte dicebat, quod amor colligit et congregat : *colligens autem in unum corrumpit alia*, et per consequens erit causa corruptionis, quod negabat. Patet ergo ex prædictis quod positio ejus implicet repugnantiam, et contradicit sibiipsi.

Amor congregat, et odium separat.

Notandum, quod secundum Empedoclem sicut amor congregabat elementa in unum, sic odium separabat ; quia igitur congregatio in unum chaos est corruptio elementorum in se, et similiter separatio elementorum ab invicem, et ab illo uno chaos est generatio elementorum secundum naturas proprias, et in se, ideo sequitur, quod amor sit causa corruptionis et odium generationis. Si ergo Empedocles ex alia parte dicat, amorem esse causam generationis et odium corruptionis, contradicit sibiipsi evidenter. Deinde cum dicit :

Similiter ipsius transmutationis causam nullam dicit, nisi quia sic aptum natum fuit. Ait utique, magnum odium in membris nutritum est, et ad honorem intendebat perfecto tempore qui mutabilis dissolvit sacramentum ; quare necessarium ens transmutari, causam vero necessitatis nullam ostendit.

Ostendit responsionem Empedoclis esse insufficientem.

Ad cujus evidentiam notandum, quod ut habetur 8. Physicorum, juxta principium, text. com. 2. et hoc idem hic tangitur, opinio fuit Empedoclis mundum infinities generari, et infinities corrumpi; nam secundum eum amor, quem ponebat principium generationis, regnabat et dominabatur super odium tempore determinato, in quo tempore mundus durabat et existebat generatus; odium vero quod ponebat principium corruptionis, similiter regnabat et dominabatur super amorem in alio tempore, in quo tempore mundus manebat corruptus, et post illud tempus redibat amor ut prius, et post amorem odium, et sic successive per infinitum : tempus autem illud, in quo regnabat amor, vel odium dicebat esse quemdam annum magnum. Quod si ab eo quæretur causa hujus, quare scilicet amor regnabat uno tempore et odium alio, nullam assignabat causam, nisi quia aptum natum erat esse, quod est insufficienter dictum, de qua insufficientia redarguit eum Philosophus in hoc loco. Dicit ergo, quod *similiter quoque nullam dicit esse causam*, ejus vel *ipsius transmutationis*, quod scilicet amor quandoque congregat, quandoque odium separat, *nisi quia sic aptum natum fuit ;* ponit consequenter verba Empedoclis quæ ut dicitur in Græco metrice erant scripta, sunt autem verba ejus ista ; *alias utique magnum odium in membris nutritum est, et ad honorem tendebat perfecto*, vel partito *tempore qui mutabilis solvit sacramentum.*

Imaginati Empedocli mundum infinities generari, et corrumpi.

63. Ad cujus evidentiam notandum, quod Empedocles poetice locutus est de toto mundo, ad instar unius

Universum assimilav Empedocles animali.

animalis, in cujus membris primo est maxima convenientia quam vocabat amorem, vel concordiam; postea vero paulatim incipit esse aliqua dissolutio quam vocabat discordiam; similiter in partibus universi erat a principio magna concordia, et postea paulatim in membris, id est, in partibus universi nutritum est odium quousque odium intenderet, id est, procederet ad honorem, scilicet ut dominaretur super elementa. Et hæc perfecto, vel partito quodam tempore determinato, et completo quodam anno, quem ponebat Empedocles, qui scilicet odium vel discordia vel annus mutabilis existens solvit vel dissolvit sacramentum, id est, unionem elementorum præcedentem. Postea Aristoteles rediens ad propria verba, et faciens mentionem in hoc quod dixerat, mutabilis, subjungit exponens *quare necessarium ens transmutari?* quasi diceret quod sic Empedocles affirmavit prædicta, ac si necesse sit esse transmutationem odii et amoris : *causam vero ex necessitate nullam ostendit*, quæ supple in uno animali apparet esse causa transmutationis odii et amoris, scilicet propter motum cœli, qui est causa generationis, et corruptionis in rebus, quod de toto universo causa assignari non potest, ex quo patet insufficientia dictæ positionis. Deinde cum dicit :

Attamen tantum solum dicit confesse. Non enim existentium hæc quidem corruptibilia, illa vero incorruptibilia facit, sed omnia corruptibilia præter elementa. Dicta vero nunc hæc dubitatio est cur hæc quidem, illa vero non si ex eisdem sunt. Quod quidem utique non erunt eadem principia tot dicta sunt.

Ostendit prædictam responsionem non esse ad propositum dicens, quod hîc solum *dicit confesse*, id est, manifeste, scilicet quod non ponit, vel facit existentia, id est, entia, *hæc quidem corruptibilia, illa vero incorruptibilia, sed omnia esse corruptibilia præter elementa*, quare non videtur evadere dictam dubitationem; nam *dicta dubitatio est*, si omnia sint ex eisdem principiis, *cur hæc quidem sunt*, scilicet corruptibilia, *illa vero non?* quare sua responsio non est propositum, concludit ergo ad totum præcedens dicens, *ergo quod quidem non sunt eadem principia*, scilicet omnium, *tot dicta sunt*. 64.

Sed hîc est dubium de dicto Philosophi, quando dicit, scilicet Empedoclem posuisse omnia corruptibilia præter elementa, cum tamen supra dixerit solum unum, scilicet Deum, esse incorruptibilem et non compositum ex odio. Propter quod sciendum quod Empedocles in rebus posuit duplicem corruptionem ex duplici causa procedentem; unam quidem secundum confusionem elementorum et totius mundi, quam faciebat amor; aliam vero rerum singularium, cujus principium erat odium, sicut apparet ex supradictis; a prima corruptione non excipiebat Deum, cum in eo poneret amorem; sed a secunda excipiebat Deum, cum in Deo odium non poneret, ut dictum est superius. Deinde cum dicit :

Empedocles posuit duplicem corruptionem in rebus.

SUMMARIUM.

Rursus arguit dupliciter eadem esse principia corruptibilium et incorruptibilium.

Si vero diversa principia una quidem dubitatio : utrum et incorruptibilia hæc erunt, aut corruptibilia ? Nam si corruptibilia manifestum, quia necessarium et ea ex aliquibus esse ; omnia enim corrumpuntur in ea ex quibus sunt. Quare contingit principiorum alia principia esse priora. Hoc autem et impossibile, sive stet, aut in infinitum vadat. Amplius autem quomodo erunt ipsa corruptibilia, si destruentur principia ? si vero incorruptibilia, cur ex his quidem incorruptibilibus existentibus corruptibilia erunt, ex diversis vero incorruptibilia ? Hoc enim non rationabile est. Sed aut impossibile, aut multa oratione eget.

65 Arguit ad partem oppositam quæstionis per duas rationes, quarum secunda ponitur ibi : *Amplius autem nec conatus.* In prima parte intendit talem rationem : Si sunt diversa principia corruptibilium et incorruptibilium, vel hæc et illa sunt corruptibilia vel sunt incorruptibilia, sed neutrum istorum potest dari; ergo etc. Non enim potest dari quod sint corruptibilia, quia omne corruptibile corrumpitur in ea ex quibus est; si igitur principia corruptibilium sunt corruptibilia, oportebit ponere alia principia priora ex quibus sint, et sic procedetur in infinitum in principiis, cum ad principia corruptibilia non possit esse status. Tum quia si principia corruptibilium sunt corruptibilia, oportet ea aliquando corrumpi. Postquam autem sunt corrupta, non possunt esse principia, quia quod non est, non potest esse principium alicujus ; et tamen entia corruptibilia semper causantur successive, et per consequens principia eorum non erunt corruptibilia. Si dicatur, quod principia corruptibilium sunt incorruptibilia, remanet dubium, cum a principiis incorruptibilibus procedant aliqui effectus corruptibiles et aliqui incorruptibiles, quod non videtur possibile. Dicit ergo, quod *si diversa sunt principia*, scilicet corruptibilium et incorruptibilium, *est quidem una dubitatio, utrum hæc*, scilicet principia corruptibilium, *sint incorruptibilia aut corruptibilia? nam si corruptibilia, manifestum est, quod necesse est ea ex aliquibus esse, omnia enim corrumpuntur in ea ex quibus sunt ; quare contingit principiorum esse alia principia priora, hoc autem est impossibile*, scilicet quod principii sit principium, *sive stet, sive in infinitum vadat. Amplius autem quomodo corruptibilia erunt*, scilicet semper *si principia auferantur?* quasi diceret esse impossibile, et tamen oportet principia auferri si corrumpantur. *Si vero incorruptibilia sint* principia corruptibilium, *cur ex his*, scilicet principiis *incorruptibilibus existentibus erunt corruptibilia?* quasi diceret quod non potest esse, *hoc enim non est congruum ; sed aut est impossibile, aut eget multa ratione*, id est, inquisitione. Deinde cum dicit : 66.

Arguit non esse diversa principia corruptibilium et incorruptibilium.

Amplius autem nec conatus est aliquis diversa dicere, sed eadem omnium principia omnes dicunt. Verum primum dubitatum concedunt tanquam hoc parum aliquid accipientes.

Ponit secundam rationem, quæ sumitur ab opinione communi omnium, dicens quod *amplius nec aliquis conatus est dicere diversa, sed eadem dicunt omnium principia; verum* pro sed, *primum dubitatum*, id est, primam rationem factam ad oppositum, *concedunt tanquam hoc parum aliquid accipientes*, id est, opinantur illam rationem parum ponderare, quare eam despiciunt.

Veritas hujus quæstionis. Prima principia effectiva sunt eadem omnium.

Veritas hujus quæstionis colligitur ex 12. hujus, text. com. 19. et inde, quod scilicet prima principia effectiva et motiva, sunt eadem omnium, puta Intelligentiæ et corpora cœlestia, licet inter se differant; quatenus quædam eorum sunt immobilia, puta Intelligentiæ; quædam sunt mobilia, scilicet corpora cœlestia, quæ mediante motu causant generationem et corruptionem in entibus; principia vero intrinseca sunt diversa simpliciter, licet sint eadem secundum proportionem, ut ibi habet exponi; et etiam principia intrinseca corruptibilium, ut puta materia et forma non sunt per se corruptibilia, sed per accidens, ut dicetur 7. hujus, text. com. 22. et inde. Nec etiam rationes hinc inde factæ cogunt, unde ab eodem principio primo potest esse effectus corruptibilis et incorruptibilis, propter diversitatem principiorum intrinsecorum; principia etiam non procedunt in infinitum, esto tamen quod corrumpantur in aliqua priora cum sint simplicia, sicut vita comite in septimo hujus habet prolixius declarari.

67. Ab eodem principio potest procedere effectus corruptibilis, et incorruptibilis.

SUMMÆ SECUNDÆ CAP. III.

An ens, et unum sint rerum substantiæ.

SUMMARIUM.

In hoc capite usque ad §. *At vero,* ponuntur variæ opiniones, an unum et ens sint substantiæ existentium, et an ipsorum sit aliquod ens et unum? rationes ponuntur singularum opinionum.

Omnium autem difficillimum ad considerandum, et ad cognoscendum veritatem maxime necessarium : utrum unum et ens substantiæ entium sunt ? Et utrum ipsorum non alterum aliquid ens, hoc unum quidem, hoc autem ens est ? Aut oportet quærere quid est ipsum ens et unum, quasi subjecta alia natura ?

Postquam Philosophus disputavit quæstiones de principiis penes eorum identitatem, vel diversitatem, nunc inquirit quomodo ratio ipsius principii se habeat ad rationem unius. Circa quod tria facit : quia primo inquirit, quomodo unum et ens se habeant in ratione principii, utrum scilicet sint principium formale et substantia omnium entium? Secundo utrum ea quæ ex una oriuntur secundum opinionem Platonis, puta Mathematica sint rerum principia? Tertio utrum ideæ, quas ponebat Plato quasdam unitates separatas, sint rerum principia? Secunda ibi : *His autem habita est dubitatio.* Tertia ibi : *Omnino vero dubitabit.* Prima in tres, quia primo proponit quæstionem. Secundo recitat opinionem Platonis, scilicet utriusque partis ibi : *Hi namque illo modo.* Tertio inducit rationem ad utramque partem ibi : *Accidit autem.* Dicit autem quod *omnium*, id est, inter omnes quæstiones motas est *unum difficillimum ad considerandum*, scilicet propter efficaciam rationum pro utraque parte; *et ad cognoscendum veritatem maxime necessarium*, scilicet quia ex hoc dependet veritas de substantia rerum; est ergo quæstio, *utrum unum et ens sint substantiæ existentium,* id est, entium? *et utrum eorum,* scilicet entis et unius, *non sit aliquod aliud ens aut unum, hoc quidem unum, illud vero ens,* est; *aut oportet quærere quid est*

68. 20. Q. hæc q. est 9. superius assignata ex parte consideratorum.

ipsum ens et unum quasi subjecta alia natura?

Opinio duplex de ente et uno.

Notandum, quod de uno fuerunt duæ opiniones, ut dictum fuit in primo libro; nam aliqui, sicut Platonici et Pythagorici, dixerunt ipsum unum et ens esse substantiam rerum, ita quod non subjicitur eis aliqua altera natura, quæ scilicet sit subjectum entis et unius, quasi accidentium, sed quod ipsum unum et ens est ipsa tota natura, et substantia rei; aliqui enim ut pure Naturales dixerunt unum et ens non esse substantiam rei, sed quasi accidentia, quibus subjiciebant aliquam alteram naturam quasi subjectum, puta aquam, vel aerem, et sic de aliis secundum variam opinionem de principiis, quæ principia dicebant rerum substantiam. Deinde cum dicit:

Hi namque illo modo, illi hoc modo putant naturam se habere. Plato namque et Pythagorici non aliud aliquid ens, nec unum, sed hoc ipsorum naturam esse, quasi existente substantia ipsum unum esse, et ens aliquid. Alii vero de natura, ut Empedocles, ut ad notius reducens, dicit quia unum et ens est, videbitur enim utique dicere hoc amorem esse, causa namque est, hic omnibus unum esse. Alii vero ignem; alii aerem dicunt esse unum hoc, et ens ex quo entia esse et facta esse. Similiter autem et qui plura ponunt elementa. Necesse namque et his tot dicere ens et unum, quot principia dicunt esse.

69. Recitat opinionem ad utramque partem, et dicit, quod *hi*, id est, aliqui Philosophi *putant naturam se habere*, scilicet rerum *illo modo, quidam alio modo. Plato namque et Pythagorici non dicunt unum et ens esse aliquid aliud*, supple a natura rerum, *sed hoc idem naturam esse quasi substantia eorum existente aliquid idem quod est unum et ens. Alii vero de natura,* id est, Philosophi Naturales, *ut Empedocles quasi ad notius reducentes, dicunt quod est unum et ens*, id est, quod attribuunt unum et ens alicui alteri naturæ, quasi unum et ens reducentes ad aliquid notius, quod dicebant esse unum et ens; unde supple Empedocles, *videtur dicere hoc*, id est, illud quod subjicitur uni et enti *esse amorem, et cujus causa est, quia hic*, scilicet amor, *est causa omnibus*, ut sint unum, amor enim videtur esse causa unitatis. *Alii vero* Philosophi Naturales, *dicunt esse unum et ens ignem; alii autem aerem, ex quo* tanquam ex principio, *dicunt esse entia facta; similiter autem et qui plura ponunt elementa*, id est, principia, *necesse est namque his tot dicere ens et unum quot dicunt esse principia.* Vult dicere quod Philosophi Naturales attribuebant unum et ens alicui naturæ subjectæ, quam ponebant principium substantiale rerum, sive illud principium ponerent unum, sive plura secundum varias opiniones positas in primo libro. Deinde cum dicit:

Variæ opiniones antiquorum de ente, et uno.

Accidit autem siquidem quis non ponit esse quamdam substantiam unum et ens, nec aliorum esse universalium nullum, hæc namque universalia sunt maxime omnium. Si vero non est aliquid unum ipsum, neque ipsum ens, nihil aliorum aliquid erit præter ea quæ dicta sunt singularia. Amplius autem non existente unius substantia, palam quia, nec numerus erit quasi natura alia ab existentibus separata, numerus enim unitates, unitas vero quod vere unum aliquid est. Si autem aliquid est ipsum unum et ens, necesse est substantiam ipsorum esse quod sit ens et ipsum unum. Non enim aliquid aliud universaliter prædicatur, sed hæc ipsa.

Inducit rationes pro utraque parte. Et primo pro opinione Platonica et Pythagorica. Secundo pro opinione physica quæ fuit aliorum 70.

Naturalium. Secunda ibi : *At vero si erit aliquid.* In prima parte intendit talem rationem : Ipsum unum et ens separatum, vel est quædam substantia, vel non. Si dicatur quod non, sequitur duplex inconveniens. Primum, quod cum unum et ens sint maxime universalia si non sint quædam substantia separata, sequitur quod nullum universale erit separatum, et per consequens quod nihil sit in rebus præter singularia, quod videtur inconveniens, ut dictum est in præcedentibus quæstionibus. Secundum inconveniens est, quia cum numerus non sit aliud quam unitates ex quibus componitur, unitas autem non est aliud quam ipsum unum; si igitur ipsum unum non sit separatum, ut quædam substantia per se existens, sequitur, quod numerus non erit quædam natura separata ab his quæ sunt in materia. quod videtur inconveniens secundum ea quæ dicta sunt in præcedentibus. Si detur secunda pars divisionis, scilicet quod unum, et ens sit aliquid existens separatum, sequitur quod ipsum sit substantia omnium, de quibus ens et unum prædicantur; nam omne separatum existens quod de pluribus prædicatur, est substantia eorum de quibus prædicatur, quod maxime competit uni et enti; quæ maxime universaliter de omnibus prædicantur, et per consequens sunt maxime omnium substantia. Dicit ergo, quod *si quis non ponit unum et ens esse quamdam substantiam*, scilicet separatam, *accidit nec aliorum universalium ullum esse*, scilicet separatum, *ea namque*, scilicet unum et
71. ens, *sunt maxime universalia omnium. Si vero unum et ens non est aliquid separatum, vix aliorum aliquod erit præter ea quæ sunt singularia*, quod fuit primum inconveniens. *Amplius autem substantia unius non existente*, scilicet separata, *palam quia nec numerus erit, quasi natura alia separata ab existentibus*, id est, ab entibus materialibus, *numerus enim est unitates. Unitas vero est aliquid, quod est ipsum unum*, et hoc fuit secundum inconveniens. *Si vero unum et ens est aliquid*, scilicet separatum, *necesse est unum et ens esse substantiam eorum de quibus*, scilicet prædicantur; *etenim* pro quia, *non prædicatur universaliter aliquid aliud, nisi ea ipsa*, scilicet unum et ens, id est, quod nullum universale sic generaliter de omnibus prædicatur, sicut unum et ens. Deinde cum dicit :

Numerus et unitas quid?

Prædicatum esse subjecto idem hic sequitur.

SUMMARIUM.

Opinio Philosophorum Naturalium, unum et ens esse ignem vel aerem. Rejiciuntur iterum ideæ.

At vero si erit aliquid ens ipsum, et ipsum unum multa erit dubitatio, quomodo erit diversum aliquid præter hoc ? Dico autem quomodo erunt uno plura entia. Quod enim diversum est ab ente, non est. Quare secundum Parmenidis rationem accidere est necesse unum omnia esse entia, et hoc esse ens.

Arguit pro opinione contraria, quæ fuit Philosophorum Naturalium, et ponit duas rationes, quarum secunda ponitur ibi : *Amplius si indivisibile.* Prima in duas, quia primo proponit rationem. Secundo ostendit, quod ex ista ratione difficilis est opinio Platonis. Secunda ibi : *Utrobique vero difficile.* In prima parte intendit talem rationem : quidquid est separatum ab uno vel ente, est non ens; sed si ens et unum sunt separata ab aliis entibus inferioribus, ipsa inferiora separata ab ente, vel uno, igitur ipsa inferiora essent non entia, quare non

Ens et unum non esse separata ab inferioribus.

possent esse multa; sed ad salvandum ipsa essentia oportebit redire ad opinionem Empedoclis, scilicet quod omnia sint unum, et per consequens tollitur pluralitas ab entibus. Dicit ergo, quod *at vero si dicitur ipsum ens, et ipsum unum*, scilicet separata, *multa erit dubitatio, quomodo erit aliquid diversum præter ea*, scilicet præter ens et unum. *Dico autem quomodo erunt entia plura uno*, quod enim diversum est ab ente, non est; *quare secundum rationem Parmenidis necesse est accidere omnia entia esse unum*, scilicet unum esse ens, et nihil aliud, quod scilicet est absurdum. Deinde cum dicit:

Al. Parmenidis.

72. Utrobique vero difficile, sive namque non sit unum substantia, sive sit ipsum unum, substantiam esse numerum est impossibile. Siquidem igitur non sit, dictum est prius propter quid. Si autem fuerit, eadem est dubitatio, et de ente. Ex aliquo namque, et præter unum erit ipsum aliquod aliud unum. Nihil enim esse est necesse. Omnia autem entia, aut unum sunt, aut multa, quorum est unum unumquodque.

Ostendit quod ex ista ratione accidit difficultas in opinione Platonis, dicentis ipsum unum esse rerum principium et substantiam. Dicit ergo, quod *utrobique*, id est, ex utraque parte est difficile, scilicet sive dicatur, quod ipsum unum non sit scilicet substantia separata, sive quod sit. Nam supple quodcumque detur, *impossibile est numerum esse substantiam* rerum, quod exponit, quia si non, id est, *si unum non sit substantia* separata, *dictum est prius*; quia, scilicet numerus non erit rerum substantia cum hoc posito non potest esse separatus; *quod si est*, scilicet unum substantia separata, *eadem est dubitatio et de ente*, sicut scilicet et de uno, *ex aliquo namque præter ens erit hoc aliud unum*, id est, quod si unum et ens sunt separata, et substantia rerum, quidquid erit præter unum et ens separatum, erit nihil; ergo si ponatur aliud unum præter unum separatum, puta aliquod unum materiale, tale unum erit nihil, cum sit præter ens et unum, quod est substantia rei, ideo subdit, quod *nihil enim necesse est esse*; ex isto ergo uno materiali et secundario cum sit nihil, non poterit constitui multitudo in entibus, et tamen omnia entia, aut sunt unum, aut multa, quorum quodlibet est unum, quia ex uno et ente constituitur multitudo entium; ideo subdit, *omnia autem entia, aut unum, aut multa quorum quodlibet est unum.*

Vis istius rationis est, quod Plato quidquid det de separatione unius, non potest evadere inconveniens, vel contra se, vel contra veritatem simpliciter; nam si ipsum unum non ponatur separatum, sequitur quod nec numerus erit separatus, cum numerus ex unitatibus constituatur; et tunc sequitur, quod non sit rerum substantia, cum secundum eum nihil sit rerum substantia, nisi sit aliquid separatum, et hoc contradicit suæ positioni, nam ponit numerum substantiam rerum esse. Si vero unum ponatur separatum, eadem ratione et ens, et tunc, vel aliquid erit unum præter unum separatum, vel non: si non; ergo omnia erunt unum, ut ait Parmenides, et sic tollitur multitudo ab entibus; si vero sit dare aliquid unum quasi secundarium et materiale præter unum separatum,

73. Plato sive ponat separationem unius sive non, incidit in absurdum.

tale unum erit nihil, cum sit præter ens et unum quæ sunt separata, et ponuntur rerum substantia, et per consequens ex tali uno non poterit causari entium multitudo, et sic idem quod prius. Deinde cum dicit :

Amplius, si indivisibile est unum ipsum secundum Zenonis dignitatem, nihil utique erit. Quod enim nec additum, nec ablatum facit majus, nec minus, non ait hoc esse existentium. Tanquam palam, quod existente magnitudine ipso ente, etsi magnitudo corporalis, hoc enim omnino ens. Alia vero aliqualiter quidem addita faciunt majus; aliqualiter autem nihil, ut superficies et linea. Punctum vero et unitas nullatenus.

Ponit secundam rationem. Circa
74. quam tria facit. Quia primo præmittit rationem. Secundo subjungit ejus solutionem. Tertio describit difficultatem, quæ adhuc remanet Platonicis post datam solutionem. Secunda ibi : *Sed quoniam hoc speculatur*. Tertia ibi : *Sed quomodo ex uno*. In prima parte intendit talem rationem : Si unum separatum ponitur ; ergo unum separatum nihil est ; consequens est falsum, et includens oppositum in adjecto. Consequentia probatur ab auctoritate Zenonis cujus principium fuit, quia illud quod additum alteri, vel remotum, non facit majus, vel minus, est nihil, et per consequens quod omne ens est aliqua magnitudo, et magnitudo corporalis, quia talis proprie facit majus, vel minus ; sed unum cum sit indivisibile, non facit majus, vel minus additum alteri, vel ablatum, et per consequens unum, sicut et punctus, est nihil. Dicit ergo, quod *amplius, si unum est indivisibile, sequitur quod erit nihil secundum Zenonis dignitatem*, id est, principium. *Quod enim nec additum, nec ablatum facit majus, vel minus, non dicit esse existentium*, id est, de numero entium ; *tanquam palam sit* secundum eum, quia in omni ente *existente* mensura, id est, *magnitudine*, cum enim omne ens sit magnitudo corporalis, *hoc enim*, scilicet corpus *est omnino ens*, ex eo, scilicet quod secundum quamlibet partem facit majus et minus additum alteri, vel ablatum, cum habeat omnes dimensiones ; *alia vero*, scilicet a corpore *aliqualiter addita faciunt majus, aliqualiter autem non, ut superficies, et linea*, quia scilicet superficies facit majus, scilicet secundum longum vel latum, non tamen secundum profundum; linea vero secundum longum tantum, *punctum vero, et unitas nullatenus* ; quare sequitur secundum Zenonem, quod punctus et unitas sint omnino nihil; superficies autem et linea sunt aliqualiter ens, et aliqualiter non ens ; corpus vero est omnino ens. Deinde cum dicit :

Principium Zenonis.

Si ens ponitur separatum, sequitur, quid erit nihil.

Sed quoniam hic speculatur onerose, et contingit esse indivisibile, ut et sic ad illum aliqua habeatur responsio; majus enim non faciet, sed plus additum tale.

Ponit dictæ rationis solutionem, 75.
dicens quod *quoniam ipse Zenon ponderose*, id est, grosse et ruditer, *speculatur hoc*, scilicet tale principium, scilicet quod *nullum indivisibile contingit esse*; ideo supple oportet, *ut habeatur responsio ad illum*, id est, ad hominem, licet non sit responsio quantum ad rem, ut dicamus, quod *tale* indivisibile *additum alteri non faciet majus, sed faciet plus*, et hoc sufficit ad rationem entis; nam in continuis est ens quod facit majus, et in discretis ens quod facit plus. Quare non sequitur, quod indivisi-

Indivisibile facit plus non autem majus.

bile sit non ens. Deinde cum dicit :

SUMMARIUM.

Duæ difficultates contra Platonicos, ponentes unum esse principium numeri et magnitudinis. Resolutio, ens et unum dicere eamdem naturam et substantiam cum rebus, vide Doct. 4. hujus, q. 2.

Sed quomodo ex uno tali, aut pluribus erit magnitudo? Simile namque est, et lineam ex punctis esse dicere.

Ponit duas difficultates, quæ sequuntur Platonicos post datam solutionem, quarum secunda ponitur ibi : *At vero si quis.* Dicit ergo, *sed quomodo ex tali uno, aut pluribus erit mensura*, id est magnitudo ? quasi diceret esse impossibile; *nam simile est hoc, et dicere lineam ex punctis.*

Positio Platonicorum de indivisibili. Notandum, quod Platonici illud unum indivisibile dicebant esse causam non solum numeri, sed etiam magnitudinis; concesso ergo, quod unum additum alteri faciat plus, ut sic sit causa sufficiens numeri, non tamen videtur posse dici, quod sit causa magnitudinis, ut Platonici posuerunt, ut, scilicet ex uno indivisibili, vel ex pluribus talibus constituatur magnitudo, nam hoc dicere simile est, ac si dicatur lineam componi ex punctis, nam tam unitas quam punctus indivisibilia sunt. Deinde cum dicit :

At vero et si quis ita putat factus sit, ut quidam dicunt, ex uno ipso, et alio non uno aliquo numerus, nihil minus est quærendum, quare, et quomodo quandoque quidem numerus; quandoque autem magnitudo erit, quod factum est; si non unum inæqualitas, et eadem natura erat. Nec enim quomodo ex uno, et hac; nec quomodo ex numero aliquo, et hac fient utique magnitudines palam.

Ponit secundam difficultatem. Ad cujus evidentiam notandum, quod aliqui Platonici opinati sunt numerum constitui ex uno indivisibili, et ex aliquo alio quod est unum formaliter; sed participat unum sicut quædam natura materialis, et illud tale aliqui dicunt esse magnitudinem, nominabant enim illud quamdam inæqualitatem, vel inæquale; iterum Plato ponebat ex isto materiali inæquali, et aliquo numero formali fieri magnitudines; sic quod ex primo numero, qui est dualitas fiebat alius numerus, ex quo alio numero, et aliqua inæqualitate fiebat magnitudo. Contra hoc dicit hîc Philosophus, quod ex tali positione dubium est, et difficile quomodo ipsæ magnitudines possent constitui ex ipso uno indivisibili vel numero formali, et ex aliquo materiali, quod dicunt inæqualitatem quamdam. Dicit ergo, quod *at vero si quis ita suscipiat*, id est opinetur, *ut dicunt quidam*, scilicet Platonici, quod *numerus fiat ex ipso uno, et aliquo alio non uno*, *nihil minus est quærendum quare, et quomodo quandoque quidem numerus*, *quandoque vero mensura*, id est *magnitudo erit*, *quod factum est*, scilicet ex talibus principiis, *si eadem natura quæ est inæqualitas non est unum, nec est etiam palam quomodo ex uno, et hac*, scilicet natura materiali, *fiant mensuræ, et magnitudines.* 76. Quomodo ponebant Platonici constitui numerum et magnitudinem.

Veritas hujus quæstionis colligitur ex quarto hujus, ubi probatur quod ens et unum dicunt eamdem naturam et substantiam cum rebus, quia idem est homo, et unus homo, et ens homo, et per consequens non sunt separata a rebus, Veritas quæsiti. Ens, et unum non sunt separata a rebus.

quia substantia uniuscujusque non est separata ab eo cujus est.

Advertendum tamen, quod unum est duplex; quoddam est passio convertibilis cum ente, de quo loquitur Aristoteles quarto hujus, text. com. 3. ubi probat illud quod dictum est. Aliud est unum, quod est principium numeri, quod quidem significat rationem mensuræ primo et per se; ita quod ex tali uno derivatur ratio mensuræ ad alia genera, sicut habetur 10. hujus cap. 2. text. com. 2. c. 3. 4. hujus. Platonici vero, ut ait Commentator, non distinguebant inter unum quod convertitur cum ente, et quod est principium numeri, et ideo dicentes unum esse substantiam rei, ponebant numeros esse consequenter substantias rerum, inquantum ex pluribus unitatibus substantialibus componuntur.

Unum duplex, id est, quod est passio entis, et illud quod est principium numeri.

Nec rationes ad oppositum cogunt: nam illa ratio, qua putat se concludere inconvenientia, non concludit inconvenientia; nam verum est, quod nullum universale est præter singularia separatum, quod fuit primum inconveniens; nec numerus est rerum substantia, loquendo de numero quomodo ipsi loquuntur, qui causatur ex divisione continui, et est de genere quantitatis.

SUMMÆ SECUNDÆ

CAP IV.

An numerus et magnitudo sint substantiæ, necne?

SUMMARIUM.

In prima parte hujus capitis usque ad §. *At vero si hoc*, ponitur sententia ponens numerum, corpora, superficies, seu puncta esse substantias sensibilium. Varii modi explicandi hujus sententiæ.

His autem habita est dubitatio, utrum numeri, et corpora, et superficies, et puncta substantiæ aliquæ sunt, aut non? Text. com. 17.

77. Postquam Philosophus inquisivit quomodo unum et ens se habeant in ratione principii, nunc inquirit utrum ea quæ ex uno oriuntur, secundum opinionem Platonis, puta Mathematica, sint principia? Circa quod duo facit: Quia primo quæstionem proponit. Secundo ad quæstionem arguit. Secunda ibi: *Nam si non.* Dicit ergo, quod *est quædam dubitatio habita*, id est consequenter se habens *his* quæ dicta sunt: *utrum numeri, et corpora, et superficies, et puncta sint aliquæ substantiæ* istorum sensibilium, et supple separatæ, vel non?

11. q. Hæc q. est 13. superius assignata ex parte considera-torum.

Notandum, quod dicit istam quæstionem esse habitam ad prædictam, quia in dubitatione prædicta, quærebatur, utrum unum sit substantia rerum, unum vero est principium numeri; numerus vero videtur substantia magnitudinis, sicut et punctum, quod est principium magnitudinis secundum Platonicos; punctum quidem videtur esse unitas habens positionem, et linea dualitas habens positionem et superficies ternarius habens positionem, et corpus quaternarius habens positionem; hæc enim videtur fuisse opinio Platonis, ut habetur 1. de Anima, text. com. 68.

Quantitas continua fit ex discretis, secundum Platonem hoc dicit.

Nam si non sunt, diffugit nos quidnam sit ipsum ens, et quænam entium substantiæ? Passiones enim, et motus, et ad aliquid, et dispositiones, et orationes nullius videntur substantiam significare; dicuntur enim omnia de subjecto aliquo et nihil hoc aliquid. Quæ vero maxime substantiam

significare videntur, aqua, et ignis, et terra ex quibus composita corpora constant; horum calores quidem, et frigiditates, et similes passiones non sunt substantiæ. Corpus vero hoc patiens solum remanet, ut ens aliquod, et substantia aliqua existens,

78. Arguit ad quæstionem, et primo ad partem affirmativam. Secundo ad partem negativam. Secunda ibi: *At vero si hoc quidem.* Prima in duas: quia primo inducit rationes. Secundo ex rationibus concludit quoddam consequens. Secunda ibi: *Propter quod multi.* Prima in duas, secundum duas rationes, quarum prima principaliter arguit de corpore, quod sit substantiale principium entium; secunda de aliis Mathematicis a corpore, quod sint magis principia quam corpus. Secunda ibi: *Sed corpus est.* Dicit ergo, quod *si* supple prædicta Mathematica *non sunt*, id est substantiæ rerum: *diffugit a nobis quid sit ipsum ens* substantialiter, *et quæ namque sunt substantiæ entium; etenim*, pro quia, *passiones, et motus, et ipsum ad aliquid*, id est, relationes, *et dispositiones, et orationes* prout scilicet prolatæ ponuntur de genere Quantitatis, *nullam substantiam videntur significare; dicuntur enim omnia de aliquo subjecto, et nihil hoc aliquid*, id est, nullum eorum significat hoc aliquid, id est, substantiam: *quæ vero maxime videntur significare substantiam, sunt aqua, ignis, terra, ex quibus constant corpora composita*, id est, mixta, in quibus corporibus inveniuntur aliquæ dispositiones et accidentia, sed *horum calores et frigiditates et similes passiones non sunt substantiæ; corpus vero hoc patiens ut subjectum solum remanet, ut aliquod ens et substantia aliqua existens*, ex quo sequitur quod corpus sit principaliter principium substantiæ rerum.

Al. At vero corpus.

Notandum quod in numerando elementa prætermisit aerem, propter hoc, quia est minus sensibilis, unde aliqui opinati sunt aerem nihil esse, dicentes plenum aere vacuum esse, ut habetur 4. Physicorum, text. com. 52. ipse etiam Aristoteles secundo de Anima, cap. de Sono, text. com. 81. nominat ipsum aerem vacuum, utens modo loquendi antiquorum. Deinde cum dicit:

Quare enumerando elementa hic prætermisit aerem?

At vero corpus est minus substantia superficie, et hæc linea, et hæc unitate, et puncto, his enim definitur corpus. Et hæc quidem sine corpore contingere videntur esse; corpus vero sine his est impossibile.

Ponit secundam rationem probantem ipsa Mathematica magis esse substantiam rerum, quam ipsum corpus dicens: quod *corpus est minus substantia superficie*, id est, quam superficies, *et ea*, scilicet superficies *minus quam linea, et ea linea minus quam unitas vel punctus.* Ad quod probandum innuit medium duplex. Tum primo, quia illud per quod aliquid definitur, videtur ejus substantia, cum definitio sit indicativa substantiæ; sed corpus definitur per superficiem, et superficies per lineam, et linea per punctum, et punctus per unitatem, nam punctus est unitas posita; ergo superficies erit substantia corporis, ideo dicit, quod *his enim definitur corpus*. Tum secundo, quia illud quod est prius, videtur magis esse substantia; sed superficies est prior naturaliter quam ipsum corpus; eodem modo potest argui de aliis specie- 79.

Definitio est substantia definiti.

Quibus definitur corpus?

bus quantitatis per ordinem, ideo dicit, quod *hæc quidem videntur esse contingere sine corpore; corpus vero impossibile est esse sine his*. Deinde cum dicit :

Propterea multi quidem et priores substantiam et ens putabant corpus, alia vero hujusmodi passiones; quare et principia corporum entium esse principia. Posteriores vero et sapientiores his esse opinabantur numeros. Quemadmodum ergo dicebamus, si non sunt substantia hæc, omnino nulla substantia est, nec ens nullum; non enim horum accidentia dignum est vocare entia.

80. Concludit quoddam consequens ex prædictis dicens, quod propter prædictas rationes *multi* antiquorum maxime *priores* Philosophi *substantiam et ens putaverunt corpus esse*, id est, quod nihil putabant esse ens, vel substantiam nisi corpus; *alia vero* omnia *esse passiones* et accidentia *hujus*, scilicet corporis ; *unde principia corporum* dicebant *esse principia entium*, *unde sicut dictum est* in libro primo, volentes inquirere principia entium, inquirebant principia corporum; *posteriores vero*, id est, alii Philosophi posteriores, qui putati sunt *sapientiores esse quam isti, opinabantur numeros*, scilicet esse rerum substantiam, isti fuerunt Pythagorici et Platonici; inquantum enim numeri componuntur ex unitatibus, unum autem videtur esse rerum substantia, consequenter numerum posuerunt esse rerum substantiam. Epilogat ergo, *quod quemadmodum dicebamus, si non sint substantia*, id est, Mathematica dicta scilicet numeri, lineæ, superficies et corpora, *nulla omnino sunt substantia*, *nec ens*, *non enim est dignum accidentia horum vocare entia*, scilicet ipsa non sunt entia, et hoc supple secundum opinionem dictorum Philosophorum. Deinde cum dicit :

Quare Platonici et Pythagorici numerum considerunt erum substantiam?

SUMMARIUM.

Prædicta Mathematica non esse principia rerum. Quod dicitur ratione tertia, superficiem externam tantum esse in actu, intelligitur quoad terminationem, quia internæ superficies continuant, et idem est de aliis indivisibilibus internis.

At vero si hoc quidem confessum est, quia magis sunt substantia longitudines corporibus, et puncta. Hæc autem non videmus qualium utique erunt corporum; nam in sensibilibus impossibile esse non utique erit substantia nulla.

Arguit ad partem oppositam negativam per quatuor rationes, 81.
sed quæ sequuntur non sunt directe ad partem negativam quæstionis; sed contra hoc quod conclusum est in secunda ratione præcedente, scilicet quod alia Mathematica a corpore, sunt magis principia quam corpus, cujus oppositum probant istæ quatuor rationes, et ex hoc sequitur propositum, quia si quod magis videtur esse, non est, nec illud quod minus; ergo si alia Mathematica a corpore non sunt principia, de quibus magis videtur secundum eos, multominus corpus erit principium de quo minus videtur. Secunda ratio ponitur ibi : *Amplius ea*. Tertia ibi : *Adhuc autem*. Quarta ibi : *Nam ad dicta*, vel *nam cum dictis*, ut habet alia littera. In prima parte intendit talem rationem : Longitudines et puncta non sunt substantia rerum; ergo nec corpus. Consequentia patet a majori, si aliquis scilicet opinetur longitudines et puncta esse magis substantiam quam corpus. Antecedens probatur, quia hæc sunt accidentia corporum, nam punctus

Corpus non esse substantiam rerum.

est terminus lineæ et linea superficiei etc. sed ista non possunt esse substantia, quia sunt termini corporum sensibilium, et variantur circa idem subjectum, sicut alia accidentia; ergo nihil talium erit substantia. Dicit ergo, quod *at vero si hoc quidem aliquis confitetur quod longitudines corporum et puncta sint magis substantia quam*, scilicet corpora, *non videmus qualium corporum sunt ea*, scilicet linea, superficies etc. quæ ponuntur esse substantia; *nam si sint in sensibilibus* corporibus, *impossibile est* talia esse substantias propter dictam causam, *non utique nulla substantia erit* Deinde cum dicit :

Amplius hæc omnia videntur dimensiones esse corporis, hoc quidem ad latitudinem, hoc vero ad profunditatem, illud ad longitudinem.

Ponit secundam rationem quæ talis est : Dimensiones corporis non sunt substantiæ, sed omnia prædicta sunt quædam dimensiones corporis, puta superficies secundum latitudinem; linea vero secundum longitudinem; corpus autem secundum profunditatem; ergo hujusmodi talia non erunt substantia, ideo dicit quod *omnia hæc videntur esse dimensiones corporis, hæc quidem ad latitudinem, illa vero ad profunditatem et aliud ad longitudinem*, modo præexposito. Deinde cum dicit :

Dimensiones corporis non possunt esse substantiæ.

Adhuc autem similiter inest in solido quæcumque figura. Quare si nec in lapide Mercurius, nec medietas cubi in cubo sit ut segregata; igitur nec superficies; nam si quæcumque et utique hæc erit determinans medietatem, eadem autem ratio est et in linea, et in puncto, et unitate. Quare si maxime quidem substantia est corpus, hoc autem magis hæc. Nec sunt autem hæc, nec substantiæ aliquæ, diffugit quid est ens, et quæ substantia entium.

Ponit tertiam rationem quæ talis 82.
est : Omnis substantia est actu in eo cujus est substantia; sed superficies et alia Mathematica, non sunt actu in eo cujus ponuntur esse substantia, ergo non sunt veræ substantiæ. Majorem declarat ex eo quod omnes figuræ sunt potentialiter in corpore solido, puta in lapide, vel in ligno, et nulla est in actu, nec per consequens superficies est in actu quæ nata est terminare talem figuram, quæ est ibi in potentia; nulla enim superficies est actu in corpore, nisi illa tantum, quæ actu terminat ipsum corpus continuum, quam non constat esse substantiam. Dicit ergo quod *adhuc autem quæcumque figura est in solido*, id est, in corpore; *similiter*, scilicet in potentia, *quare si nec in lapide est Mercurius*, id est figura Mercurii; *nec medietas* corporis *cubi est in cubo sicut segregata*, id est, divisa in actu; sed supple utrumque tam Mercurius in lapide quam medietas cubi in cubo sunt ibi in potentia et non in actu, quia inquam sic est : *non igitur erit superficies* in actu, illa scilicet, cujus est terminare figuram vel medietaten cubi; *nam si quæcumque* superficies præter exteriorem habet esse ibi in actu, *ergo et ista quæ terminat medietatem* vel figuram medietatis, quod supple falsum est. Addit autem quod *eadem ratio est in linea et in puncto et in unitate*, quod scilicet non sunt actu in continuo. Concludit ergo, si omnia dicta Mathematica *sunt substantiæ, maxime quidem substantia est corpus; hæc autem*, scilicet linea et superficies, et alia præter corpus; oportet *magis eo*, id est, corpore esse

Notabil[e de] partib[us] figuris[, di]mensio[ni]bus, [et] termin[is] continu[orum] rum di[...] cibus, [...] omnia [...] le expo[...]

substantias, et magis videntur esse substantiæ; quare *si ea non sunt*, scilicet in actu, et per consequens non *sunt aliquæ substantiæ, diffugit*, scilicet cognitionem nostram, ut scilicet *videatur quid sit ipsum ens, vel substantia entium.* Et nota quod corpus cubum vocatur corpus, quod habet sex superficies ut taxillus. Deinde cum dicit :

Corpus cubum quid?

Nam cum dictis et circa generationem et corruptionem accidunt irrationabilia. Videtur enim substantia non ens prius nunc esse, aut prius existens, posterius tamen non per fieri et corrumpi hoc pati. Puncta vero et lineas, et superficies non contingit, neque fieri, neque corrumpi, quandoque quidem existentes, quandoque vero non existentes; nam quando copulantur, aut dividuntur corpora simul; quandoque quidem una copulatorum, quandoque vero duæ diversorum fiunt. Quare non compositorum est, sed corruptum est divisorum, quia sunt prius non existentes. Non enim indivisibile punctum divisum est in duo. Et si generantur et corrumpuntur, ex aliquo generantur.

83. Linea, puncta superficies aliquando sunt, sicut aliquando non sunt sine generatione et corruptione.

Ponit quartam rationem. Circa quod duo facit : quia primo præmittit rationem. Secundo declarat eam per quoddam simile. Secunda ibi : *Similiter autem se habet.* In prima parte intendit talem rationem : Omnis substantia quæ aliquando est, aliquando non est, generatur et corrumpitur, sed linea, puncta et superficies aliquando sunt, aliquando non sunt sine generatione et corruptione; ergo talia non sunt substantia. Prima pars minoris patet : quia si corpus aliquod dividitur, fiunt ibi novæ duæ superficies quæ prius non erant, similiter cum duo corpora uniuntur et continuantur, ex duabus superficiebus fit una communis. licet in potentia, ad quam ut communem partes continui copulantur, et nulla est in actu; quæ superficies prius erant postea non sunt. Secunda pars minoris probatur, quia omne quod generatur vel corrumpitur, habet materiam; sed hæc non habent materiam propter sui simplicitatem, ergo talia sunt, et non sunt sine generatione et corruptione. Dicit ergo, *nam cum dictis*, scilicet inconvenientibus, alia scilicet *accidunt irrationabilia*, quæ sunt circa *generationem et corruptionem; videtur enim substantia prius non ens, et nunc esse, aut prius existens, posterius autem non cum* generatione et corruptione *ea pati*, id est, quod omnis substantia, quæ habet esse post non esse cum generatione et corruptione patitur, *puncta vero, lineas et superficies non contingit, id est, generari nec corrumpi, quandoque quidem existentes, quandoque non existentes; nam quando copulantur et distinguuntur corpora simul*, id est, ad invicem, *quandoque quidem una*, scilicet fit superficies *copulatorum, quandoque fient duæ disjunctorum, quia non compositorum est, sed corruptum est divisorum*, quæ sunt prius non existentes, id est, quod diviso corpore fiunt duæ superficies; non ex illa divisa in duas, cum superficies sit indivisibilis, sed illa prima desinit esse, et quando ex duobus corporibus fit unum conjunctum, non fit una superficies ex duabus, sed illæ duæ primæ existentes desinunt esse, et sunt non existentes; ideo subdit, quod *punctum indivisibile non est divisum in duo*, id est, quod simile est de puncto, et de linea sicut de superficie, nam sicut superficies non potest dividi in duas cum sit indivisibilis secundum profunditatem, sic nec linea

Hic argumentum quod quantitates sunt respectus, sed oppositum tenendo tange hæc plura. Al. ex una.

in duas, cum sit indivisibilis secundum latum; similiter et punctum, cum sit indivisibile omnino, non potest dividi in duo puncta. Addit autem ad probandum quod talia sunt, et non sunt sine generatione et corruptione, dicens : *quia si generantur et corrumpuntur, ex aliquo generantur*, scilicet ex materia, quod supple de talibus non potest dici. Deinde cum dicit :

SUMMARIUM.

Declarat quomodo dicitur linea non generari, nec corrumpi, exemplo nunc temporis, quod manet idem secundum substantiam, licet varietur secundum esse. Doctor ex ipso lib. 13. et 14. docet prædicta Mathematica non esse substantias, sed accidentia rerum; ex ipso etiam explicat, quomodo idem nunc temporis, secundum substantiam dicatur manere et variari secundum esse, licet vere nullum instans temporis maneat, de quo fuse agit 2. d. 2. q. 2. §. *Instatur contra*, num. 4. Quod hîc ait mobile secundum se non mensurari tempore, sed ævo, ibi docet quæst. 4. §. *Primum essentialiter*, num. 9.

84. Similiter autem se habet circa nunc in tempore, non enim hoc contingit fieri et corrumpi; attamen videtur aliquid semper esse, non substantia aliqua existens. Similiter autem palam quia se habet et circa puncta, et lineas, et superficies, eadem enim ratio; nam omnia similiter, aut termini, aut dimensiones sunt.

Declarat dictam rationem in quodam simili, scilicet in *nunc* respectu temporis. Et innuit talem rationem : Sicut se habet *nunc* ad tempus, ita se habet punctus ad lineam; sed *nunc* nec generatur, nec corrumpitur, est tamen idem secundum substantiam, licet varietur secundum esse; ergo similiter punctum non generabitur nec corrumpetur, et similiter est de linea respectu superficiei, et sic de superficie respectu corporis; nam sicut *nunc* est terminus temporis et quædam divisio pro quanto tempus dividitur per *nunc*, ita punctum est terminus et divisio lineæ, et linea superficiei corporis. Dicit ergo quod *similiter se habet circa nunc in tempore, non enim contingit hoc, vel fieri vel corrumpi*, quia supple si sic, generatio ejus vel corruptio ejus, mensuraretur tempore vel instanti, et sic mensura illius *nunc* esset aliud *nunc* in infinitum, vel tempus, quod est impossibile. Addit autem quod *nunc* ipsum *videtur semper esse aliud* quantum ad esse : *substantia tamen ejus non est alia et alia existens*, *palam autem quia similiter se habet et circa puncta, et lineas et superficies* modo præexposito, *eadem enim est ratio, nam omnia similiter sunt termini aut dimensiones*.

Nunc ingenerabile et incorruptibile manet idem in toto tempore.

85. Veritas quæsiti.

Veritas hujus quæstionis est, quod ista Mathematica non sunt substantia rerum, sed accidentia, sicut Philosophus ostendit 13. et 14. libro hujus, ubi istam quæstionem prolixius pertractat, nec ratio ad oppositum cogit; nam fallit secundum æquivocationem, non distinguens de corpore, secundum quod est de genere Substantiæ, vel de genere Quantitatis, sicut patet per exempla quæ adducit, aquæ, ignis, et terræ, etc. quæ sunt corpora de genere Substantiæ, composita ex materia et forma; ipsæ autem dimensiones quæ sequuntur talia corpora, non sunt substantiæ, sed magis pertinent ad genus quantitatis; sic enim decipiebantur ponentes numeros substantiam rerum, quia non distinguebant inter unum, quod est principium numeri,

Corpus duplex.

et quod convertitur cum ente, ut superius dictum fuit.

Notandum, quod ex illo loco, et ex 4. Physic. capitulo de tempore, text. com. 90. oritur una opinio satis communis, quod scilicet *nunc* est idem secundum substantiam in toto tempore, licet sit aliud et aliud secundum esse, ut hîc et 4. Physic. ut supra videtur dicere Philosophus expresse, quod declaratur sic: quia substantia ipsius *nunc* respondet substantiæ ipsius mobilis, variato autem ipsius *nunc* secundum esse, respondet variationi motus; unde secundum defluxum motus variatur, et ita secundum esse, licet maneat idem secundum substantiam, propter identitatem mobilis in toto motu. Sed contra istam opinionem, inquantum verba videntur sonare, arguitur per duas rationes Philosophi, ex 4. Physic. text. com. 92. primo sic: Illa dicuntur simul, quæ sunt in eodem *nunc* indivisibili; si ergo idem est *nunc* in toto tempore; ergo illa quæ fuerunt ante millesimum annum, et quæ sunt hodie erunt simul, quod est evidenter falsum. Respondetur, quod omnia possunt esse in eodem *nunc* realiter, sicut unum et idem mobile realiter per suum motum habet esse in omnibus partibus spatii; non tamen omnia sunt in eodem *nunc* secundum rationem, sicut nec est idem mobile secundum rationem, prout habet esse in diversis partibus spatii. Contra, quia uniformitas simultatis accipienda est, ut correspondeat identitati ipsius *nunc*, ut quæ sunt in eodem *nunc* realiter, sunt simul realiter, et quæ sunt in eodem *nunc* secundum rationem, sunt simul secundum rationem; si ergo in toto tempore est idem *nunc* realiter alterum secundum rationem ejus, illa quæ fuerunt in millesimo anno et quæ sunt hodie, erunt simul realiter et secundum veritatem, licet non sint simul secundum rationem, quod nullus sanæ mentis diceret, ut videtur.

Totam hanc litteram habet Doct. 2. d. 2. q. 2.

Arguit contra opinionem ponentem nunc esse idem secundum substantiam in toto tempore.

Præterea secundo sic: Cujuslibet continui sunt duo termini distincti; sed tempus est quoddam continuum, cujus termini sunt ipsa *nunc*, ergo, ipsa sunt distincta. 86.
Ista ratio declaratur, quia ipsum *nunc* secundum substantiam est aliquod indivisibile de genere Quantitatis. Tunc quæro cujus continui est terminus, vel cujus discreti pars, quia omne indivisibile quod est per se de genere Quantitatis, vel est terminus continui, vel pars discreti; si ponatur pars discreti, ergo tempus ponitur discretum, quod Philosophus non concederet proprie loquendo; si ponitur terminus continui, ergo oportet quod sit aliud secundum quod terminat aliam, et aliam partem continui, quod est propositum. Respondetur quod unum et idem *nunc* secundum rem potest terminare aliquod tempus ex utraque parte, sicut unum et idem mobile per suum motum terminat aliquod spatium ex utraque parte, quia prius existens in principio alicujus spatii fit postea per motum in fine illius spatii. Contra, quia ista esse accidunt illi *nunc* eidem secundum substantiam et secundum rem, quia per te illud *nunc* manet idem sub diversis *esse*, et per consequens ista *esse* accidunt

sibi; ergo non per se, sed per accidens erit terminus temporis, quod est falsum; nam omne indivisibile de genere Quantitatis per se terminat quantitatem, vel est pars discreti, quare sequitur quod tale idem *nunc* non sit indivisibile per se in genere Quantitatis.

Præterea ista *esse* quæro cujus generis sunt : si sint indivisibilia de genere Quantitatis, ergo sufficiunt ad terminandum proprium continuum absque illo *nunc* secundum substantiam, quod nullus diceret; si autem sunt alterius generis, puta. Qualitatis, ergo qualitas erit per se ratio terminandi continuum in genere quantitatis, quod est falsum Videntur ergo rationes Philosophi stare, nec ipse eas aliquando solvit, sicut patet inquirenti capitulum de tempore in 4. Physicorum.

Præterea ad principale : Si idem *nunc* secundum substantiam flueret per totum tempus; ergo totus ejus fluxus componeretur ex indivisibilibus, et per consequens tempus secundum eos *nunc* fluens causat tempus; consequens est falsum manifeste, ergo et antecedens. Probatio consequentiæ quia *nunc* indivisibile non posset fluere nisi secundum diversa esse, quæ necessario sunt indivisibilia; probat autem Philosophus 6. Physic. text. com. 89. quod indivisibile non potest moveri, quia tunc motus ejus componeretur ex indivisibilibus, quia prius pertransiret minus quam æquale sibi et quam majus; esset ergo tempus compositum ex indivisibilibus, quod est contra Philosophum.

Præterea, omnis mutatio habet aliquam mensuram : si ergo idem *nunc* secundum substantiam mutatur secundum diversa esse, oportet ejus, et suorum esse quærere aliquam mensuram; sed illa vel erit tempus, vel *nunc*.

Concl[us.] dubii re[s]ponsiva. 87.

Dicendum ergo aliter, quod *nunc* est aliud et aliud secundum substantiam in toto tempore, sicut est aliud et aliud punctum in tota linea. Sed ad salvandum Philosophum, quia videtur prima facie dicere oppositum, notandum, quod non est intentio Philosophi, quod idem *nunc* maneat in toto tempore, sed quodcumque *nunc* de pluribus consideratum secundum se est idem, et hoc est dicere idem secundum substantiam; consideratum autem in ordine ad tempus præteritum et futurum, cum sit terminus præteriti et principium futuri, distingui dicitur secundum esse, quia alia est ratio termini, et alia principii; ut sic ergo unum *nunc* habet identitatem secundum substantiam, hoc est, ad se, et habet distinctionem secundum esse respectu partium temporis, et non est tanta identitas ipsius *nunc* in toto tempore, cum illa sint infinita, quanta est identitas unius instantis; igitur instans in toto tempore vere est aliud et aliud secundum substantiam. Et ad hoc valet declaratio Philosophi, quam isti adducunt pro se de mobili, quod manet idem non quidem mobile, ut absolute præcedit mutationem; quia hoc modo non est tempus mensura ejus, nec aliquid pertinens ad tempus, sed forte, ut sic ævum est mensura ejusdem, de quo alias; sed mobile, ut est sub una mutatio-

Nunc e[st] aliud, e[t] aliud se[-] cundu[m] substa[n-] tiam in [to-] to temp[ore] etiam s[e-] cundu[m] Philoso- phum.

In 2. se[n-] tentiar[um] ubi sup[ra].

ne, est idem secundum substantiam, id est, secundum esse istius mutationis consideratæ secundum se; est autem aliud secundum esse, hoc est, ut sub illa mutatione terminat præteritum et initiat futurum, et secundum hoc dicitur alibi et alibi esse, non quidem actu, sed in eodem uno *nunc* medio inter extrema; in quantum illud terminat motum secundum prius *ubi*, et inchoat motum secundum posterius *ubi*, dicitur alibi et alibi esse, quatenus mutari est aliquid respectu utriusque extremi.

SUMMÆ SECUNDÆ

CAPUT V.

Dubitationes de ideis, et an principia sint in potentia vel actu, et an sint universalia, vel singularia?

SUMMARIUM.

In hoc capite usque ibi : *Nam si aliter*, arguit pro et contra ponentes ideas principia rerum. Doctor resolvit ex ipso negative.

Text. com. 18. Omnino vero dubitabit aliquis, quare et oportet quærere alia quædam præter sensibilia et intermedia, ut quas ponimus species.

88. 12. q. hæc q. est 14. superius assignata ex parte consideratorum. Postquam Philosophus inquisivit quomodo unum et ens se habent in ratione principii, et utrum Mathematica sint rerum principia, nunc inquirit utrum ideæ, quas ponebat Plato unitates separatas, sint rerum principia? Circa quod duo facit : quia primo proponit quæstionem. Secundo arguit pro et contra. Secunda ibi : *Nam si ideo.* Dicit ergo, quod supple dato, quod Mathematica non sint rerum sensibilium principia : *omnino dubitabit aliquis, quare oportet quærere quædam præter sensibilia, et præter Mathematica*, quæ sunt infra, id est, intermedia, *ut species*, id est, ideas *quas ponimus*, supple quasi quoddam tertium genus. Deinde cum dicit :

Nam si ideo quia Mathematica a præsentibus in aliquo quodam differunt, in esse vero plura similis speciei nihil differunt. Quare non erunt ipsorum principia numero determinata, quemadmodum, et præsentium litterarum numero quidem omnium non sunt principia determinata, sed specie. Si vero sumat hujus quis syllabæ, aut hujus vocis harum erunt, et numero determinata? Similiter autem, et in intermediis, infinita namque sunt, et illic quæ ejusdem speciei. Quare si non sunt præter sensibilia et Mathematica, alia quædam qualia dicunt species ipsas quidam, non erit una numero et specie substantia. Nec principia entium numero erunt quanta aliqua, sed specie. Ergo si hoc est necessarium, et species est necessarium propter hoc esse? etenim si non bene dearticulant dicentes, sed hoc est quod volunt, et hoc ipsos necesse dicere, quia specierum unaquæque substantia quædam est, et nihil secundum accidens.

Arguit ad quæstionem, et primo ad partem affirmativam, assignans rationem quare oporteat ponere species separatas. Secundo arguit ad partem oppositam negativam. Secunda ibi : *At vero si ponimus.* In prima parte intendit talem rationem : Si nihil esset separatum præter sensibilia et Mathematica; ergo principia entium non erunt determinata numero; consequens est falsum, quia sic contingeret principia rerum esse infinita numero; ergo et antecedens. Consequentia probatur ex hoc; quia sicut in sensibilibus inveniuntur plura numero sub una specie, ita et in Mathematicis; si ergo principia sensibilium non sunt determinata numero, 89. Quare ideæ sunt necessariæ secundum ponentem eas?

sed tantum specie, ita esset de Mathematicis. Videtur ergo, quod necessarium sit esse ideas præter sensibilia et Mathematica. Dicit ergo, quod *Mathematica quidem a præsentibus,* id est, a sensibilibus *in aliquo,* scilicet in eo quod abstrahi habent a materia sensibili *differunt; in esse vero plura similis speciei nihil differunt,* sicut enim plures equi sunt sub una specie equi, ita plures circuli sunt sub una specie circuli; si ergo sic est : *eorum,* scilicet Mathematicorum, *non erunt principia numero determinata, quemadmodum nec præsentium litterarum,* exemplificat enim in vocibus, quarum principia sunt litteræ, ideo subdit : quod *omnium* scilicet vocum *non sunt principia determinata numero, sed specie, nisi quis sumat* scilicet principia *hujus syllabæ* particularis, aut hujus vocis, *harum erunt principia numero determinata;* vult dicere, quod principia sensibilium non sunt in numero certo, nisi aliquis accipiat principium hujus individui, sive hujus syllabæ vel illius; litteræ enim, quæ sunt principia vocis litteratæ, non sunt sub aliquo numero certo secundum numerum, sed solum secundum speciem : non enim tantum unum A, vel tantum unum B, nisi secundum speciem. *Similiter autem, et in his,* quæ sunt infra, id est, in Mathematicis *intermediis sunt infinita secundum numerum,* licet sint specialia, id est, determinata *secundum speciem,* puta si dicatur quod principia pentagoni sunt quinque latera et quinque anguli, *hoc est secundum speciem,* quia secundum numerum possunt multiplicari in infinitum : *quare si non sunt præter sensibilia et Mathematica, alia quædam qualia quidam,* scilicet Platonici, *dicunt species,* id est, ideas, sequitur quod *non erit una substantia numero, sed specie; ergo si hoc est necessarium,* scilicet substantiam et principia esse numero determinata, *necessarium est propter hoc esse species,* id est, ideas, et hoc est quod volunt dicere isti, scilicet Platonici, licet non *bene dearticulant,* id est, certificant hoc, *dicentes et quidem necesse est eos hîc dicere quod* scilicet singula specierum, id est, quælibet idea *est quædam substantia, et non secundum accidens,* id est, cui nihil convenit per accidens, sed solum illud quod est de ratione speciei. Deinde cum dicit :

At vero si ponimus species esse, et unum numero principia et non specie, diximus quæ contingere necesse est impossibilia.

Arguit ad oppositum dicens, 90. quod, *at vero si ponimus esse species,* id est, ideas, *et principia unum numero,* id est, determinato numero, *et non solum specie* supple *jam diximus,* scilicet superius in hoc eodem tertio, et etiam in primo libro; *quia impossibilia contingere est necesse,* scilicet contra ponentes.

Veritas hujus quæstionis est, sicut patet ex 7. hujus, quod non est ponere species separatas præter Mathematica et sensibilia, sicut nec Mathematica præter sensibilia, ut habetur 13. et 14. hujus, text. com. 45. et inde. Nec ratio ad oppositum cogit, quia licet principia effectiva, ut sunt Deus et Intelligentiæ sint numero certo, etiam secundum viam Philosophi, ut patet 12. hujus, text. com. 42. et inde, principia tamen intrinseca rerum materialia, et formalia non sunt determinata

Verit[as] quæsi[ti]

Infinita duplicia. numero; sed sicut individua sub una specie sunt multiplicabilia in infinitum secundum numerum, sic et principia intrinseca eorum; nec hoc est aliquod inconveniens, quia illa infinitas non ponitur actualis, sed potentialis tantum. Tunc sequitur illa pars :

Text. com. 19. His autem affine est quærere, utrum potestate sunt elementa, aut alio aliquo modo.

91. Ubi Philosophus disputat quæstiones de principiis penes eorum actualitatem vel potentialitatem. Circa quod duo facit. Quia primo proponit quæstionem. Secundo arguit pro et contra. Secunda ibi : *Nam si aliter*. Dicit ergo quod *affine*, id est, in fine quæstionum hujus tertii *est quærere utrum elementa*, id est, principia *sint potestate*, an aliquo alio modo, id est, actu?

13. q. Hæc q. est 11. superius assignata ex parte consideratorum. Notandum, quod ista quæstio videtur introduci occasione antiquorum Naturalium, qui solum principium materiale posuerunt, quod est in potentia; Plato autem qui posuit ideas, posuit principia esse in actu. Deinde cum dicit :

SUMMARIUM.

Arguit pro et contra, an principia sint in potentia vel in actu. Doctor resolvit efficiens esse in actu. Item materiam esse in actu entitativo, sed in potentia subjectiva; forma etiam quando principiat, est in actu; finis tamen, quando finalizat, quandoque est tantum in potentia objectiva, ut quando volo potionem amaram propter sanitatem acquirendam.

Nam si aliter, aliqualiter prius erit aliquid principiis aliud, prior enim erit potestas causa illa. Possibile autem non necessarium est illo modo se habere.

Arguit ad quæstionem. Et primo ad probandum principia esse in potentia. Secundo arguit ad oppositum ibi : *Si vero potestate*. In prima parte intendit talem rationem : Si principia non sunt in potentia; ergo aliquid est prius ipsis principiis; consequens est falsum, ergo et antecedens. Consequentia probatur, quia illud est prius a quo non convertitur subsistendi consequentia, sed bene sequitur, quod si aliquid est in actu quod possit esse, et non convertitur quod si potest esse, quod sit actu; ergo potentia, est prior actu; si igitur principia non sunt in potentia, aliquid erit prius. Dicit ergo : *nam si aliter* sunt principia quam in potentia *aliquid aliud erit prius* ipsis *principiis; prior enim est potentia illa causa*, id est, quam principium, quod non poneretur esse in potentia; sed *possibile non est necessarium illo modo se habere*, quod scilicet sit aliquis prius quam principium. Deinde cum dicit : Ab esse ad posse non e contra valet argumentum, nisi in necessariis simpliciter.

Si vero potestate sint elementa, nihil entium esse contingit : nam possibile est esse quod nondum est ens, fit enim non ens. Nihil autem fit impossibilium esse. Has igitur dubitationes necessarium est dubitare de principiis. 92.

Arguit ad oppositum per talem rationem : Si principia rerum sunt in potentia; ergo nullum ens est in actu; consequens est falsum, ergo et antecedens. Consequentia probatur, quia illud quod est in potentia nondum est, quia illud quod est, non fit; quod autem est, possibile fit; ergo omne possibile est non ens; si autem principia non sunt cum sint in potentia, sequitur quod nec aliquis effectus erit. Dicit ergo, quod *si*, elementa, id est, principia *sint potestate, nihil entium contingit esse; nam* Quod est tantum in potentia, nondum est. Quod impossibile est esse, impossibile est fieri.

illud est in potentia esse quod nondum est ens, quia nihil impossibilium esse fit, sed supple quod fit non est. Ultimo epilogat, dicens quod *eas dubitationes quæ dictæ sunt, necesse est quærere de principiis*.

Veritas quæsiti.

Veritas istius quæstionis est, quod loquendo de principiis effectivis, talia principia sunt in actu, quia nihil efficit nisi, quod est in actu; loquendo autem de principiis intrinsecis, forma est quidam actus; materia autem est in potentia subjectiva opposita actui formali, licet in se sit quoddam ens in actu distinctum contra nihil, vel contra potentiam objectivam, nam materia non est nihil. Nec rationes ad oppositum cogunt. Prima quidem non, quia licet potentia præcedat actum respectu ejusdem generabilis et corruptibilis, sicut arguit ratio, tamen actus est prior potentia simpliciter, quia nihil transit de potentia ad actum, nisi reducatur ad actum per aliquod ens actu, sicut habetur 9. hujus. text. com. 13. Ratio ad oppositum arguit de potentia objectiva, quia quod sic est in potentia, est non ens, et de tali concessum est nullum principium esse in potentia. Tunc sequitur illa pars :

Materia est ens in actu entitativo et in potentia subjectiva.

Quomodo potentia prior est actu.

SUMMARIUM.

Arguit pro et contra, universalia esse principia rerum. Doctor ex ipso resolvit negative, solvens rationem in oppositum.

Text. com. 20. Et utrum universalia sint, aut, ut diximus, singularia ?

93. Ubi Philosophus disputat quæstiones de principiis penes eorum singularitatem et universalitatem. Circa quod duo facit : quia primo proponit quæstionem. Secundo arguit pro et contra. Secunda ibi: *Nam si universalia*. Est ergo quæstio *utrum principia sint universalia, aut singularia ?* Sed hîc est unum dubium, qualiter ista quæstio differat a duabus aliis superius disputatis, quarum prima fuit : utrum principia sint universalia et genera. Secunda, utrum principia sint magis suprema genera quam immediate prædicata de individuis ? Dicendum quod illarum duarum quæstionum altera, scilicet prima, quærebat de universalitate principiorum absolute: Utrum scilicet genera essent magis principia quam partes, ex quibus res constat; altera vero scilicet secunda quærebat de universalitate comparata comparando scilicet magis universale ad minus universale. Sed ista quæstio quærit de universalitate comparando universalitatem simpliciter ad singularitatem simpliciter : utrum scilicet principia sint universalia vel singularia, et in hoc distinguitur ista quæstio ab illis. Deinde cum dicit :

14. q. Hæc q. 10. superius assignata ex parte considerato rum.

Nam si universalia non erunt substantiæ, nihil enim communium hoc aliquid significat, sed quale ; substantia vero hoc aliquid, est, sed si est hoc aliquid, et ponitur, quod communiter prædicatur, multa erit animalia Socrates, ipseque homo et animal, si significat unumquodque hoc aliquid et unum. Si igitur universalia sunt principia hæc contingunt.

94. Arguit ad quæstionem, et primo ad ostendendum principia non esse universalia. Secundo arguit ad oppositum. Secunda ibi : *Si autem non universalia*. In prima parte intendit talem rationem : Si principia sunt universalia ; ergo principia non sunt substantiæ; consequens est

Principia non esse universalia.

falsum, quia saltem principia substantiæ, de quibus principaliter quæritur, sunt substantiæ, cum ex non substantiis non fiat substantia; ergo antecedens ex quo sequitur, erit falsum. Consequentia probatur, quia omnis substantia videtur significare hoc aliquid; universalia autem magis significant quale quid, quod si dicas quod universale significat hoc aliquid, sequitur quod aliquod unum hoc aliquid, puta Socrates, erit multa hoc aliquid, cum de Socrate multa universalia prædicentur, scilicet homo, animal, etc. Dicit ergo, quod si *universalia* scilicet ponantur principia esse, sequitur scilicet quod principia *non erunt substantiæ; nihil enim communium,* id est, universalium *significat hoc aliquid, sed quale quid, substantia vero est hoc aliquid* puta ipse Socrates; *sed si* supple universale *est hoc aliquid, et ponitur quod communiter prædicatur, multa,* id est, unumquodque singulare *erit animalia,* id est, multa *hoc aliquid,* puta Socrates *erit homo et animal;* quare quodlibet horum trium erit hoc aliquid, *si singulum eorum sit hoc aliquid et unum; si igitur principia sunt universalia, hæc,* scilicet impossibilia *contingunt.*

Hinc argumentum contra Nominales.

Qualitas duplex.

Notandum, quod omne universale significat quale quid, non quidem propter qualitatem accidentalem, sed substantialem; nam aliqua est qualitas substantialis, ut habetur 5. hujus de differentia specifica. capite de qualitate, text. com. 19. Ratio hujus est, quia hoc aliquid videtur importare id quod secundum se existit, quod non potest competere universali quod est unum in multis, et ideo nullum universale est hoc aliquid, proprie loquendo; substantia autem significat hoc aliquid, non quidem omnis substantia, sed sola prima, quæ proprie et per se existit. Et ex hoc patet, quod illa ratio parum cogit; nam secundæ substantiæ utique sunt substantiæ, licet non significent hoc aliquid, sed magis quale quid. Deinde cum dicit:

Si autem non universalia, sed quasi singularia, non erunt scibilia, universales enim sunt omnium scientiæ. Quare erunt principia diversa priora principiis universaliter prædicata, si futura est esse eorum scientia.

Arguit ad oppositum per talem rationem: Si principia non sunt universalia; ergo non sunt scibilia; consequens est falsum, ergo et antecedens. Consequentia patet ex hoc, quia scientia est tantum de universalibus et non de singularibus. Falsitas consequentis probatur: quia tunc nihil sciretur, cum ignoratis principiis ignorentur et alia. Vel si dicas, quod oportet ipsa principia sciri, habebis dare alia principia priora universalia, de quibus scientia possit esse. Dicit ergo, quod *si principia non sint universalia, sed quasi singularia,* sequitur quod *non erunt scibilia, quia scientiæ omnium sunt universales,* id est, de universalibus: *quare* supple si principia oportet sciri, *erunt aliqua principia diversa, et priora principiis,* scilicet istis quæ ponuntur; quæ principia alia et priora erunt, *uni-* 95.

Scientia tantum est universalium.

versaliter prædicata, si futura est esse scientia eorum, id est, si de eis oporteat scientiam habere.

Veritas hujus quæsiti.

Veritas istius quæstionis habetur ex 7. hujus, text. com. 45. et inde, ubi probatur quod universalia non sunt principia, nec substantia rerum, quare oportet esse singularia. Nec ratio ad oppositum cogit, quod de singularibus non sit scientia, quia singularia licet singulariter existant, possunt tamen ab intellectu universaliter concipi secundum aliquam naturam communem abstrahibilem ab eis, secundum quam erit scientia de eis.

LIBER QUARTUS

Descendit Philosophus in hoc quarto libro ad tractanda, quæ determinate ad hanc scientiam spectant, in quo de objecto ejusque partibus, affectionibus et principiis tractat. De quibus Doctor optime agit hic, et per quinque quæstiones, quas super hunc librum disputat. Dividitur autem iste liber in duas Summas, quarum prima inquirit ad quæ se extendit consideratio Metaphysica. Secunda agit de cognitione principiorum. In primo capite summæ primæ resolvitur, ens qua tale esse hujus scientiæ objecum, de quo vide Doct. hic q. prima, quod tangit de sensu reduplicativo, vide cum quodlib. 3. *et* 3. *dist.* 11. *quæst.* 2. *et Theorem.* 20.

SUMMA PRIMA.

De quibus habeat prima Philosophia pertractare?

CAPUT I.

Ens ut ens, et omnes ejus partes a primo Philosopho considerari.

Text. com 1. Est autem scientia quædam quæ speculatur ens in quantum ens, et quæ huic insunt secundum se.

1. Postquam in libro tertio processit modo disputativo circa inquisitionem veritatis eorum, quorum speculatio pertinet ad præsentem scientiam, nunc procedit circa idem modo determinativo et demonstrativo. Circa quod duo facit: Primo enim declarat ambitum hujus scientiæ, ostendens ad quæ se extendit consideratio Metaphysica, ex quo colligitur veritas quæstionum prius disputatarum, tenentium se ex parte hujus scientiæ considerantis. Secundo inquirit veritatem eorum, quæ subsunt considerationi scientiæ Metaphysicæ, ex quo colligitur veritas quæstionum prius disputatarum, tenentium se ex parte rerum consideratarum; sic enim distinguebantur omnes quæstiones propositæ in 3. libro ut patuit ibi : *Primum ergo de quibus.* Secunda incipit in principio septimi libri, ibi : *Ens dicitur multipliciter.* Circa primum tria facit. Quia primo facit, quod dictum est. Secundo, ut non laboret in æquivoco, distinguit intentiones, sive significata nominum, quæ subsunt considerationi hujus scientiæ. Tertio describit modum, quo ista scientia considerat de prædictis. Secunda ibi in principio quinti hujus : *Principium dicitur aliud quidem.* Tertia ibi in principio sexti : *Principia et causæ quæruntur.*

Ad evidentiam primæ notandum, quod scientia Metaphysicæ supponitur esse una. Una autem scientia ut dicitur primo Poster. text. 43 respicit tria considerata ad quæ se extendit scilicet subjectum, et partes subjecti, et iterum passiones subjecti; una, inquit, scientia est quæ est unius generis; quæcumque ex primis componuntur et partes aut passiones horum sunt per se; et secundum hoc iste

Quælibet una scientia respicit tria. Vide in prolog. Sent. q. 3. Dividit librum in res partes.

quartus liber dividitur in tres partes. Primo enim secundum quod dicit Commentator, statuit subjectum hujus scientiæ, ostendens circa quæ versatur. Secundo ostendit quod versatur circa *unum* et *multa*, *idem* et *diversum*, et hoc ut circa passiones entis. Tertio ostendit quod versatur circa prima principia, quæ dicuntur dignitates fundatæ in ente, et in terminis convertibilibus cum ente, vel quæ sunt partes entis. Secunda ibi : *Si igitur ens et unum*. Tertia ibi : *Dicendum autem utrum*. Circa primum duo facit. Primo ostendit, quomodo ista scientia se habeat circa ens, probans quod ad eam solam pertineat considerare ens inquantum ens. Secundo qualiter se habeat ad partes entis. Secunda ibi : *Ens autem multis modis*. Prima in tres, quia primo supponit, quod est aliqua scientia, quæ speculatur ens inquantum ens. Secundo ostendit quod illa non est aliqua particularium scientiarum. Tertio quod illa est Metaphysica quam intendimus. Secunda ibi : *Hæc autem nulli*. Tertia ibi : *Quoniam autem principia*. Dicit ergo, quod *est quædam scientia quæ speculatur ens inquantum ens, et quæ huic insunt secundum se,* id est, proprias passiones quæ per se insunt enti, inquantum ens. Ratio hujus est, quæ tractata fuit circa principium istius operis in prima quæstione, quia scilicet ens inquantum ens et passiones entis, ut sic, non sunt de se nota nec desperata cognosci; ergo possunt cognosci, et cognoscuntur in aliqua scientia, alioquin deficeret nobis aliqua scientia nobis possibilis haberi, quod est inconveniens; quare oportet esse quamdam scientiam, quæ speculatur ens inquantum ens, et passiones quæ per se insunt enti inquantum ens.

Ens et ejus passiones debent ab aliqua scientia considerari.

2. De reduplicativis vide idem 3. Quodlibet. Dictio reduplicative duplicite potest sumi.

Notandum, quod ly *inquantum*, et quælibet dictio reduplicativa potest teneri dupliciter, scilicet vel reduplicative vel specificative. Primo modo sumitur, quando illud quod sequitur immediate reduplicationem, notatur esse causa formalis et præcisa inhærentiæ prædicati ad subjectum. Secundo modo sumitur, quando illud quod sequitur reduplicationem immediate, accipitur tantum secundum suam rationem formalem, sine præcisione causalitatis inhærentiæ prædicati ad subjectum. Exemplum primi : *Triangulus inquantum triangulus habet tres*, nam hîc ly *triangulus*, qui sequitur ly *inquantum* est formalis ratio et præcisa inhærentiæ prædicati ad subjectum ; nam forma specifica trianguli est formalis et præcisa ratio, quod *habere tres*, insit triangulo, quæ est ejus passio adæquata inhærens sibi per se primo. Exemplum secundi : *Homo inquantum homo est albus*; hîc enim ly *homo*, qui sequitur ly *inquantum*, non est causa formalis inhærentiæ prædicati ad subjectum, alioquin omnis homo necessario esset albus, sed accipitur tantum secundum suam rationem formalem, sine illa præcisione causalitatis, ut sit sensus, homo inquantum homo, id est, illud quod est homo est albus; isto enim modo ly *inquantum* solum specificat, et non reduplicat subjectum. Ad propositum cum hîc

dicitur, quod quædam scientia scilicet Metaphysica speculatur ens inquantum ens; ly inquantum accipitur reduplicative, ad denotandum quod ratio formalis entitatis est ratio formalis subjectiva hujus scientiæ, ut quidquid consideratur in ista scientia consideretur sub ratione qua ens formaliter vel reduplicative. Deinde cum dicit:

3. Hæc autem nulli in parte dictarum eadem est. Aliarum enim nulla intendit universaliter de ente inquantum ens; verum partem ejus abscindentes aliquam circa hanc speculantur ipsum accidens, velut scientiarum Mathematicæ.

Nulla scientia particularis considerat ens in universali inquantum ens.

Ostendit quod talis scientia considerans ens inquantum ens, *non est in parte dictarum eadem*, id est, quod non est aliqua scientiarum dictarum particulariter; *enim* pro quia, *nulla* scientia aliarum, scilicet particularium scientiarum, *intendit universaliter de ente inquantum ens: utrum abscindentes aliquam partem ejus*, id est, entis *circa hanc* scilicet partem entis *speculantur ipsum accidens*, supple per se, *velut scientiæ Mathematicæ*; quare sequitur quod scientia considerans ens, communiter non est eadem alicui particularium scientiarum.

Sola Metaphysica considerat ens inquantum ens.

Notandum, quod nulla scientia alia a Metaphysica considerat ens inquantum ens communiter, quia sic consideraret de omni ente, sed considerant de aliqua parte subjectiva entis, puta Mathematica de ente immobili, et sic de aliis; et ratione hujus nominantur scientiæ particulares respectu scientiæ Metaphysicæ, quæ considerat de toto ente, et ideo Metaphysica non est eadem alicui earum. Deinde cum dicit:

Quoniam autem principia et extremas quærimus causas, palam quia naturæ cujusdam ipsnm secundum se esse necesse est. Si ergo et entium elementa quærentes hæc quæsierunt principia, necesse et entis elementa esse non secundum accidens, sed inquantum entia, unde et nobis entis inquantum est ens primæ causæ sunt accipiendæ. 4.

Probat ad Metaphysicam spectare considerationem entis inquantum ens.

Probat quod illa scientia, quæ considerat ens inquantum ens, est scientia Metaphysicæ quam hîc intendimus, et intendit talem rationem: Ejusdem scientiæ est considerare principia entis inquantum ens, et ipsum ens inquantum ens; sed scientia Metaphysicæ considerat principia entis inquantum ens; ergo, etc. Minorem probat, quia ista scientia considerat prima principia et primas causas, ut ostensum est in prologo primi libri; prima autem principia sunt causæ universales omnis entis. Dicit ergo, quod *quoniam quærimus*, scilicet in illa scientia, *principia et causas extremas*, id est, primas: *palam quia illas necesse est esse per se cujusdam naturæ*, scilicet entis in communi, quod declarat ex opinione antiquorum dicens: *si ergo quærentes*, scilicet antiqui, *elementa*, id est, principia rerum, *quæsierunt* ea principia, scilicet entis inquantum ens; quia inquantum sic est, *necesse est esse principia entis non secundum accidens, sed inquantum sunt entia*; *unde et nobis accipiendæ sunt causæ primæ entis inquantum ens*.

Notandum, quod ly *inquantum ens*, potest accipi dupliciter, ut dictum est, scilicet vel specificative vel reduplicative. Primo modo accipitur cum hîc dicitur, quod entis inquantum ens sunt primæ causæ. Primæ enim causæ causant proprie enti-

In hac : entis inquantum ens sunt primæ causæ, *ly* inquantum sumitur specificative.

tatem, quia sunt causæ universales omnis entitatis. Secundæ enim causæ inferiores magis causant talitatem entis sive entitatis, quia causant tale vel tale ens, non omne ens, nec aliquando ens inquantum ens, si autem ly *inquantum ens*, acciperetur reduplicative ; ergo omne ens haberet causam, quod est falsum, quia processus infinitus esset in causis et causatis ; de hoc amplius dictum fuit in prima quæstione circa principium hujus libri, quære ibi. Deinde cum dicit :

Text. com. 2. Ens autem multis modis dicitur, sed ad unum, et ad unam aliquam naturam, et non æquivoce.

5. Ostendit qualiter Metaphysica se habeat ad partes entis, intendens quod considerat omnes partes entis, scilicet tam substantias quam accidentia. Circa quod duo facit, quia primo præmittit quoddam necessarium. Secundo arguit ad propositum ostendendum. Secunda ibi : *Sed quemadmodum*. Dicit ergo, quod *ens dicitur multis modis non æquivoce, sed ad unum et ad unam aliquam naturam*, id est, secundum quamdam attributionem et analogiam ad aliquod unum.

Multiplicitas duplex. Notandum, quod duplex est multiplicitas : quædam significatorum et quædam suppositorum. Prima multiplicitas est æquivocorum, quando scilicet aliquod unum est commune pluribus, sine aliqua communitate, quæ sit ex parte rei. Secunda multiplicitas est univocorum ; species enim habet multa individua supposita sibi, non obstante univocatione ad sua supposita, et sic accipitur in proposito, cum dicitur : *ens dicitur multipliciter*, quia ens vere est univocum ad omnia entia Metaphysice loquendo. Deinde cum dicit :

Ens est univocum omnibus entibus.

SUMMARIUM.

Arguit Metaphysicam considerare omnia entia, sive ens dicat conceptum univocum omnibus entibus, sive non, et sive ens et unum dicant unam naturam, sive non. De quo Doctor hîc q. 2.

Sed quemadmodum salubre omne ad sanitatem, hoc quidem in conservatione; aliud vero in actione; aliud vero quia est signum sanitatis;hoc autem quia illius est susceptibile et medicabile ad medicinam; hoc enim in habendo medicinam dicitur medicabile; illud vero in exhibendo bene natum ad ipsam, et aliud per actus medicative. Similiter autem et alia sumemus his dicta. Ita vero et ens multipliciter dicitur quidem, sed omne ad unum principium ; hæc quia substantiæ etiam dicuntur, illa vero quia passiones substantiæ ; alia vero quia via ad substantiam, aut corruptiones, aut privationes, aut qualitates, aut effectiva, aut generativa substantiæ, aut ad substantiam dictorum, aut horum cujusdam negationes,aut substantiæ. Quapropter et non ens esse non ens dicimus.

6 Probat Metaphysicam considerare omnes partes entis.

Arguit ad propositum, scilicet quod Metaphysica considerat omnes partes entis per duas rationes, quarum secunda ponitur ibi : *Omnis autem generis*. Prima in duas : quia primo præmittit rationem. Secundo solvit quamdam dubitationem. Secunda ibi : *Ubique vero primi*. In prima parte intendit talem rationem : Omnia entia habent attributionem ad aliquod unum ens ; ergo omnia entia pertinent ad unam scientiam, et per consequens ad istam. Circa hanc rationem sic procedit. Primo præmittit antecedens. Secundo subjungit probationem consequentiæ. Tertio concludit ipsum consequens. Secunda ibi : *Quemadmodum ergo*. Tertia ibi : *Palam ergo*. Antecedens autem decla-

rat per simile ad sanitatem et ad sanativum. Dicit ergo, quod *quemadmodum salubre*, id est, sanativum *se habet ad sanitatem*, secundum quamdam attributionem, *hoc quidem*, dicitur salubre *in conservatione*, sicut diæta; *illud vero in actione*, sicut potio; *aliud vero quia est signum sanitatis*, ut veritas; *hoc autem quia est susceptivum illius*, id est, sanitatis, ut animal. *Similiter medicinale*, id est, effectivum medicinæ se habet *ad medicinam*, secundum quamdam attributionem; *hoc enim dicitur medicinale in habendo medicinam*, ut medicus; *illud vero in existendo*, susceptibile ad medicinam, ut homo aptus ad habendum medicinam; *aliud vero per actus existentium medicinæ*, ut sunt instrumenta, per quæ medicinam ministrat; *similiter autem potest dici in aliis dictis*, sicut sumitur in istis; sicut ergo est in istis, *ita vero et ens multipliciter dicitur*. Sed omne ens ad unum principium reducitur, scilicet ad ipsum ens in communi, vel ad ipsam substantiam, ad quam omnia alia entia habent attributionem; unde subdit, *hæc enim dicuntur entia, quia sunt substantiæ; illa vero quia sunt passiones substantiæ*, ut accidentia; *alia quia sunt via ad substantiam*, ut motus, *et generationes*, *aut corruptiones*, *aut privationes*, quæ sunt via ad non esse substantiæ; *aut qualitatis*, quæ sunt *effectivæ aut generativæ substantiæ*, *aut ad substantiam dictorum*, ut sunt quædam qualitates et accidentia activa; *iterum negationes*, *quorumdam horum*, quæ scilicet habent habitudinem ad substantiam; aut etiam ipsius substantiæ supple dicuntur esse, *unde dicimus quod non ens est non ens*, quod non esset verum, nisi negationi et non enti aliqualiter competeret ipsum ens; omnia enim prædicta dicuntur aliqualiter entia, quatenus habent aliquam attributionem ad ipsum ens, vel ad substantiam modo præexposito, licet secundum alium et alium gradum, ut patet intuenti. Deinde cum dicit:

Ambitus Metaphysicæ hic ostenditur.

Est ut sic et est ut non.

Quemadmodum ergo et salubrium omnium una est scientia, ita hoc et in aliis, non enim solum eorum quæ secundum unum dictorum est unius scientiæ speculari, sed et dictorum ad unam naturam, etenim hoc modo quodam secundum unum dicuntur. 7.

Subjungit probationem consequentiæ, et arguit sic: Ejusdem scientiæ est considerare ea quæ habent ordinem attributionis, ut scientiæ medicinæ omnia salubria; sed omnia entia sunt hujusmodi, ut ostensum est; ergo ad unam scientiam spectat considerare omnia entia. Majorem ostendit ex hoc quod unius scientiæ est considerare non solum illa quæ dicuntur ad unum aliquid, quod formaliter participant et univoce, sed etiam quæ ad aliquam unam naturam dicuntur secundum rationem attributionis. Exemplum primi, ut omnes lineæ ad lineam, et omnes numeri ad numerum. Exemplum secundi, omnia salubria ad sanitatem. Entia autem primo modo dicuntur ad ens. Secundo modo ad substantiam. Dicit ergo, quod *quemadmodum omnium salubrium est una scientia*, *ita et in aliis*; *non enim solum unius scientiæ speculari dictorum circa unum*, id est, ea quæ dicuntur univoce ad unum, *sed etiam dictorum ad unam naturam*, scilicet secundum attributionem; *talia enim quodammodo dicuntur ad aliquod unum*, ratione cujus unius scientiæ est

Scientiæ est considerare illa quæ attribuuntur ad suum objectum.

omnia illa speculari. Deinde cum dicit :

Palam ergo, quia et entia unius est scientiæ speculari inquantum entia.

Ostendit consequens dictæ consequentiæ principalis; *palam*, inquit, *quia unius scientiæ est speculari entia in quantum sunt entia*, sicut intelligendo quod ly *inquantum*, accipiatur reduplicative. Deinde cum dicit :

Ubique vero proprie primi est scientia, et ex quo alia pendent, et propter quod dicuntur ; ergo si est hoc substantia substantiarum, oportet principia et causas habere philosophum.

Solvit quamdam dubitationem, quia dixerat omnia entia pertinere ad Metaphysicam. Dubitaret aliquis utrum æque primo consideraret de omni ente? ad quod respondet quod non, sed principalius intendit de substantia, cujus ratio est, quia scientia considerans aliqua plura habentia ordinem attributionis, principalius considerat illud ad quod omnia alia attribuuntur, cujusmodi est substantia inter omnia entia; ideo dicit quod *ubique*, id est, in quacumque scientia quod est *scientia primi, ex quo alia pendent, et propter quod dicuntur*, id est, in pluribus considerat de illo primo, ad quod omnia alia attribuuntur; *ergo si hoc primum est substantia, oportet primum Philosophum*, id est, Metaphysicum, *habere principia et causas* substantiæ.

Quomodo Metaphysica principaliter est de substantia?

Notandum, quod intentio Aristotelis est in loco isto, quod primus Philosophus agit principalius de substantia, ut de nobiliori parte sui subjecti primi, quod est ens, sicut dictum fuit juxta principium hujus libri. Ex quo patet quod argumentum illorum, qui ex loco isto volunt probare, quod substantia sit subjectum primum hujus scientiæ, et non ens inquantum ens, non vadit ad mentem Philosophi. Deinde cum dicit :

Omnis autem generis unius sensus est unus, atque scientia, ut Grammatica una ens omnes speculatur voces. Quapropter et entis inquantum ens quascumque species speculari unius est scientiæ genere, species autem specierum. 8.

Metaphysica considerat omnia entia, ut sunt entia.

Ponit secundam rationem ad probandum, quod Metaphysica considerat omnes partes entis, quæ sic potest formari : Ea quæ sunt unius generis et unius rationis, ut sic, pertinent ad unam scientiam; sed omnia entia, ut sic, sunt unius generis et unius rationis generalis ; ergo omnia entia, ut sunt entia, pertinent ad unam scientiam quæ est Metaphysica, ut probatum est supra. Dicit ergo, quod *omnes*, id est, omnium eorum, quæ sunt *unius generis, et unus sensus est et una scientia*, sicut visus est de omnibus visibilibus ; *et Grammatica una existens speculatur omnes voces, quapropter unius scientiæ* genere, id est generalis est ; *speculari quascumque species entis inquantum est ens, et species specierum*, id est, quod species, id est, partes subjectivæ entis secundum rationes speciales faciunt scientias particulares.

Ex prædictis patet veritas illius quæstionis, qua quærebatur in tertio, utrum unius scientiæ sit considerare substantias et accidentia, quia ostensum est, quod sic, ut patet ex præcedentibus.

SUMMÆ SECUNDÆ CAP. II.

Hanc scientiam considerare passiones entis, sive disjunctas, sive non.

SUMMARIUM.

Ostendit duabus rationibus Metaphysicam considerare *unum* et species *unius*, et sic de reliquis passionibus simplicibus entis quæ sunt *verum, bonum*, etc. infert, hic considerari *unum*, sicut *ens*, cum tot sint partes *unius* quot *entis*, quod bene explicat Doctor; deinde partes primæ Philosophiæ, seu Metaphysicæ distingui secundum partes unius, et maxime substantiæ.

9. Text. com. 3. Si igitur ens et unum idem et una natura, eo quod se ad invicem consequuntur, sicut principium, et causæ, sed non ut una ratione ostensa. Nil autem differt, nec si similiter suscipiamus, sed et operæ pretium magis.

Postquam Philosophus ostendit circa quod versatur ista scientia, ut circa subjectum, ostendens quod circa ens et circa partes entis, nunc ostendit quod ista scientia versatur circa *unum* et *multa*, *idem* et *diversum*, etc. hujusmodi, ut circa passiones entis.

Passiones entis duplicis. Ad cujus evidentiam notandum, quod passiones entis sunt in duplici genere. Quædam sunt unicæ, quæ uno nomine designantur, et istæ simpliciter sunt convertibiles cum ente. Quædam sunt disjunctæ, quæ disjunctis nominibus designantur, et hæ non sunt simpliciter convertibiles cum ente, sed sub disjunctione, per quam disjunctionem circumloquimur unam passionem entis innominatam nomine proprio. Exemplum primi : *Unum, bonum* et *verum*. Exemplum secundi : *Idem* vel *diversum ; contingens* vel *necessarium ; actus* vel *potentia*, etc. Secundum hoc ergo ista pars dividitur in duas. Quia primo ostendit, quod Metaphysica considerat *unum*, et species *unius*, per *unum* dans intelligere alias passiones simplices et unicas. Secundo considerat passiones disjunctas et contrarias. Secunda ibi : *Quoniam autem unius*. Prima in duas, quia primo ostendit, quod hujus scientiæ est considerare de uno. Secundo infert quædam corollaria ex dictis. Secunda ibi : *Quare quot*. Prima in duas, quia primo proponit intentam conclusionem. Secundo subjungit ejus probationem. Secunda ibi : *idem enim*.

Dicit ergo, quod *ens et unum sunt unum et idem natura, quia consequuntur se ad invicem, ut principium, et causa, sed non ut ostensa una ratione ; nihil autem differt, nec si similiter accipimus, sed operæ pretium magis*, id est, quod primus modus identitatis magis est in proposito. Ens et unum idem.

Notandum, quod dupliciter dicunt aliqua eamdem naturam : uno modo, quia habent identitatem realem et distinctionem rationum realium ex natura rei. Alio modo, quia sunt idem secundum rem et secundum rationem realem. Exemplum primi, ut causa et principium; nam eadem res est causa et principium, sed secundum aliam et aliam rationem realem, nam principium dicitur ratione primitatis; idem enim dico primum, et principium, ex 1. Poster. text. 5. sed dicitur causa ratione dandi esse, quia causa est ad cujus esse sequitur aliud, et istæ rationes non sunt eædem ex natura rei, et una est prior alia, si- Dicere eamdem naturam contingit dupliciter. Principium quid. Causa quid. Quomodo ens, et unum sunt idem?

cut patet. Exemplum secundi, ut tunica et vestis, et quæcumque synonyma. Primo modo sunt idem ens et unum, et non secundo modo, ut ostendetur inferius, in quæstione quadam. Deinde cum dicit :

10. Idem enim unus homo, et homo, et ens homo, et non diversum aliquid ostendit secundum dictionem repetitam ; homo, et ens homo, et unus homo. Palam autem, quia non separantur, nec in generatione, nec in corruptione ; similiter autem, et in uno. Quare palam, quia additio in his idem ostendit, et nihil aliud unum præter ens.

Limita ut 2. d. 1. q. 4. solvendo 1. principale habet. Scot. Idem sunt unus homo, et ens homo.

Probat intentam conclusionem per duas rationes, quarum secunda ponitur ibi : *Amplius autem cujuscumque*. In prima parte intendit talem rationem : Quæcumque uni et eidem realiter sunt eadem, inter se sunt eadem realiter ; sed ens et unum sunt hujusmodi, quia sunt eadem realiter homini, et cuicumque alteri ; ergo sunt idem realiter inter se. Minorem probat ex hoc, quia quæcumque sunt inseparabilia quantum ad suum esse et suum non esse, illa sunt idem realiter ; sed homo et ens homo, et unus homo, sunt hujusmodi ; ergo, etc. Dicit ergo, quod *idem sunt unus homo et ens homo et non diversum aliquod ostenditur secundum repetitam dictionem* ipsum quod est *homo, et est unus homo, et homo; palam autem* quod dictum est, scilicet homo et ens homo *non separantur, nec in generatione, nec in corruptione*, id est, nec quantum ad esse, nec quantum ad non esse, quod unum non potest esse sine alio, *similiter autem, et* se habet *de uno ; quare palam quia additio in his*, cum dicitur homo vel ens homo, vel unus homo, hoc ostendit, *et nihil aliud*, scilicet realiter est *unum præter ens ;* idem enim est generari hominem et unum hominem, et entem hominem, et similiter de corrumpi. Deinde cum dicit :

Amplius autem cujuscumque substantia est unum non secundum accidens ; similiter autem et quod quidem ens aliquid.

Ponit secundam rationem quæ talis est : Quæcumque duo prædicant substantiam alicujus rei, sunt idem realiter ; sed ens et unum sunt hujusmodi, quia substantia uniuscujusque est unum et ens, non secundum accidens, sed per se, licet differenter, quia est unum per se secundo modo ; sed ens per se primo modo ; ergo unum et ens sunt idem realiter. Dicit ergo, quod *amplius substantia cujuscumque est unum, non secundum accidens;* sed supple per se secundo modo ; *similiter cujuscumque est ens*, non supple per accidens, sed per se primo modo. Deinde cum dicit :

Quæcumque duo prædicant substantiam alicujus rei, sunt idem realiter.

11. Quare quotcumque unius sunt species, tot et entis, de quibus quod quid est ejusdem scientiæ genere speculari. Dico autem de eodem et simili, et aliis talibus. Fere autem omnia reducuntur contraria in principium.

Speculata sunt autem a nobis, et in ecloga contrariorum. Text. com. 4.

Concludit ex prædictis, quod istius scientiæ est considerare unum sicut et ens. Circa quod duo facit : quia primo facit, quod dictum est. Secundo etiam concludit ex dictis, quod partes primæ Philosophiæ distinguuntur secundum partes unius, et etiam substantiæ, quæ est principalior pars sui subjecti primi. Secunda ibi : *Et tot partes sunt*. Dicit ergo, quod supple quia sic est, quod unum et ens dicunt eamdem naturam, sequitur, quod

quot sunt species, id est, partes *unius*, *tot sunt et entis*, *de quibus quidem est speculari ejusdem scientiæ genere*, id est, generalis qualis est Metaphysica. *Dico autem de eodem et simili*, *et aliis talibus*, quæ scilicet sunt partes unius; addit etiam, quod *fere omnia contraria referuntur*, id est, reducuntur ad illud, scilicet ad unum, ut ad primum principium. *Speculata autem sunt ista in ecloga contrariorum*, id est, in tractatu Elcon de contrariis, qui ponitur quarto hujus. Dicit autem *fere*, quia cum in omnibus contrariis alterum habeat privationem inclusam respectu alterius, oportet omnia contraria reduci ad prima privativa inter quæ ipsum unum est præcipuum quatenus concludit quamdam indivisionem; multitudo etiam quæ ex uno causatur, est causa diversitatis, differentiæ et contrarietatis.

Correspondent partes unius partibus entis.

Notandum, quod quia *ens* et *unum* eamdem significant naturam, oportet tot species, id est, tot partes subjectivas esse *unius*, sicut et *entis*, sibi invicem correspondentes; sicut enim partes entis sunt *substantia*, *quantitas*, *qualitas*, sic et partes unius sunt, *idem*, *æquale*, *simile;* nam *idem*, est unum in substantia; *æquale*, unum in quantitate; et *simile*, unum in qualitate; similiter secundum alias partes entis possunt sumi aliæ partes *unius*, si essent nomina imposita; sicut igitur unius scientiæ est considerare omnes partes entis, et ita omnes partes *unius*, scilicet idem, æquale et simile. Deinde cum dicit :

Et tot partes sunt Philosophiæ quot substantiæ, quare necessarium est aliquam primam et habitam ipsis ; statim enim existunt genera habentia ens, et unum : quapropter et scientiæ hæc sequuntur, est enim Philosophus, ut Mathematicus dictus; etenim hæc partes habet, et prima quædam, et secunda est scientia, et aliæ consequenter in Mathematicis.

Concludit ex dictis, quod partes primæ Philosophiæ distinguuntur secundum partes *unius* et *entis*, et specialiter secundum partes substantiæ, de qua principaliter intendit, ut de principaliori parte sui subjecti primi. Dicit ergo, quod *tot sunt partes Philosophiæ*, id est, istius, *quot sunt substantiæ, quare aliquam necesse est esse primam et eas habentem*, id est, quia partes hujus Philosophiæ distinguuntur secundum partes substantiæ, quæ habent pro genere unum et ens, ut in consideratione *unius* et *entis* diversæ partes istius scientiæ uniuntur; ita quod licet substantiæ sint diversæ, omnes tamen ad unam scientiam pertinebunt, ideo subdit : *Existunt enim statim genera ens et unum habentia se*, scilicet æqualiter ad omnes substantias ; *quapropter et hæ scientiæ consequuntur*, quod declarat a simili in Mathematicis ; *nam* Philosophia dicta Mathematica *habet partes quarum una scientia est prima, et alia secunda, et alia deinde in Mathematicis*, id est, Mathematica habet diversas partes, quarum una est prima et principalis, ut forsan Arithmetica ; alia secunda, ut forsan Geometria ; alia se consequenter habens ad istas, ut Musica, Perspectiva, etc. Similiter autem in proposito licet non sit omnino simile, quia Arithmetica et Geometria sunt simpliciter diversæ scientiæ ; una autem est scientia de omnibus sub- 12.

Al. recte.

stantiis quæ est Metaphysica, licet habeat diversas partes.

De unitate Metaph. vide infr. in 6. q. 1. Metaphys. est una unitate generis habens plures partes.

Notandum, quod Metaphysica est una scientia unitate generis, cujus partes sunt plures; una quædam quæ est de substantia sensibili, de qua agitur 7. et 8. hujus, et ista pars est prima primitate doctrinæ, nam omnis doctrina incipit a notioribus. Alia pars est de substantia insensibili et immateriali, de qua agitur 12. hujus, et ista pars est posterior posterioritate doctrinæ, licet sit prima primitate dignitatis et intentionis istius scientiæ; verumtamen quia omnia scita reducuntur ad ens et unum, quæ sunt genera, id est, generalia generaliter de omnibus prædicata, ideo hæc scientia habet unitatem.

13. Quoniam autem unius est opposita speculari, uni autem opponitur pluralitas; negationem autem, et privationem unius est speculari; propter utroque modo speculari unum, cujus negatio, aut privatio; aut simpliciter dicta quia non inest illi, aut alicui generi. Huic quidem ergo uni differentia adest, præter id quod est in negatione, illius enim absentia negatio est. In privatione vero subjecta quædam fit natura, de qua privatio dicitur.

Metaphysicam considerare omnes passiones disjunctas entis.

Postquam Philosophus ostendit, quod Metaphysica considerat de *uno*, dans intelligere per *unum* alias passiones entis simplices et unicas, nunc ostendit quod Metaphysica considerat omnes passiones entis disjunctas et contrarias. Circa quod duo facit. Primo probat intentum. Secundo concludit ex dictis quædam contraria. Secunda ibi : *Palam igitur ex his.* Prima dividitur in quatuor, secundum quatuor rationes quas adducit ad propositum ostendendum. Secunda ponitur ibi : *Et Philosophi de omnibus.* Tertia ibi : *Signum autem.* Quarta ibi : *Amplius contrariorum.* Prima in tres : quia tangit primo virtutem rationis, et addit quoddam incidens, scilicet quod hæc scientia considerat de privatione et negatione. Secundo resumit rationem et concludit intentum. Tertio excludit quamdam cavillationem. Secunda ponitur ibi : *Sed uni pluralitas.* Tertia ibi : *Quare quoniam multipliciter.*

Unius scientiæ es[t] opposita considera[re].

Vis ergo primæ rationis est in hoc, quod unius scientiæ est opposita considerare; sed unum et pluralitas sunt opposita, ergo illius scientiæ est considerare pluralitatem, cujus est considerare ipsum unum, ista autem est Metaphysica, ut prædictum est. Addit etiam quod quia de ratione unius est privatio et negatio, ideo hæc scientia considerat de privatione et negatione.

14. Unum im[portat] privationem et negatio[nem].

Dicit ergo, quod *quoniam unius scientiæ est opposita speculari, et uni est opposita pluralitas;* iterum quia supple unum importat, vel implicat negationem et privationem, ideo *unius scientiæ est speculari negationem et privationem,* illius, scilicet quæ de uno speculatur; ideo subdit quod *utrumque speculatur unum,* id est, ex utroque dependet consideratio unius, de cujus ratione est negatio et privatio; nam *unum* dicit quamdam indivisionem oppositam divisioni, quæ pertinet ad multitudinem, quæ uni opponitur, ideo subdit; *cujus,* scilicet unius, *negatio aut privatio, aut simpliciter dicta quia non inest illi,* qualis est negatio extra genus, *aut alicui generi,* qualis est negatio infra genus, et *huic quidem,* scilicet uni *adest differentia propter quod est in negatione,* id est, propter quod differt hoc unum

in negatione; quia negatio tantum dicit absentiam alicujus sine hoc, quod determinet subjectum, ideo negatio absoluta potest verificari tam de ente quam de non ente; privatio vero connotat subjectum determinatum, ideo dicit, quod *illius absentia negatio est, in privatione vero fit quædam subjecta natura, de qua dicitur privatio.* Ex quo patet, quod cum negatio quæ in ratione *unius* includitur, sit negatio in subjecto (alias *unum* posset dici de non ente) sequitur quod *unum* differt a negatione simpliciter, et magis declinat ad naturam privationis, ut dicetur 10. hujus text. com. 9. et inde.

Notandum, quod ex hac ratione et præcedenti lectione patet, quod hujus scientiæ est considerare de uno, tum quia *unum* dicit eamdem naturam cum ente, ut patet modo præexposito; tum quia opponitur pluralitati, et ideo dicitur forte quod propter utrumque hæc scientia speculatur *unum*, licet ly *utrumque* possit aliter exponi, et forte melius, ut jam expositum est construendo litteram.

Negatio duplex, extra et intra genus.

Notandum etiam, quod duplex est negatio : quædam est simpliciter et extra genus, per quam absolute dicitur quod hoc non est illud; alia est negatio in genere sive infinitans, per quam aliquid negatur non absolute, sed intra metas alicujus generis, sicut cæcum dicitur, quod non habet visum; non tamen omne non habens visum est cæcum, sed in genere animalium, quod natum est habere visum. Unde negatio extra genus potest verificari tam de non ente, quod non est natum habere affirmationem, quam de ente quod est natum habere et non habet. Unde tam chimera, quam lapis, quam etiam homo, potest dici non videns; non sic autem de privatione, quæ est negatio intra genus, quia non omne non videns potest dici cæcum, sed solum quod est aptum natum habere visum ; talem negationem vel privationem includit ipsum unum, ut prædictum est.

15. Unum dicit negationem in genere.

Notandum etiam, quod licet superius probatum fuerit, quod *unum* forte dicat aliquid positivum, tamen hoc non obstante, includit aliquam negationem non formaliter, sed quasi consequenter, quæ quidem negatio fundatur super illud quod dicit positivum.

Verumtamen sciendum, quod ista negatio vel privatio quam importat ipsum unum, non est privatio multitudinis; quia cum privatio sit posterior habitu, sequeretur, quod multitudo esset prior ipso uno, quod est falsum, cum unum sit principium multitudinis, et ipsa multitudo definiatur per unum, nam multitudo est quædam aggregatio unitatum; si autem multitudo esset prior quam unum, posset ipsum definire, et sic esset circulus in definitionibus. Idcirco dicendum, quod *unum* importat privationem divisionis, non quidem divisionis quantitativæ, cum ista sit determinati generis, sed privationem divisionis formalis, quæ fit per opposita, cujus radix est oppositio contradictoria; nam illa sic ad invicem dividuntur, quæ ita se habent, quod hoc non est illud. Primo igitur ex natura rei intelligitur ipsum ens. Secundo non ens.

Unum importat privationem divisionis formalis.

Tertio intelligitur divisio. Quarto consequenter intelligitur *unum*, quod privat divisionem. Quinto et ultimo intelligitur multitudo, de cujus ratione est divisio. Hæc autem divisa dicto modo non possunt habere rationem multitudinis, nisi cuilibet illorum attribuatur prius ratio *unius*. Istam autem privationem vel negationem primam, quæ est indivisio a se, consequitur secunda negatio quæ est non identitas, vel divisio ab omni alio. Deinde cum dicit :

16. Uni autem pluralitas opponitur, quare et opposita dictis diversumque, et dissimile, et inæquale, et quæcumque alia dicuntur, aut secundum eadem, aut secundum pluralitatem, et unum est dictæ cognoscere scientiæ. Quorum unum quidem aliquid contrarietas est : differentia enim quædam contrarietas est, differentia autem diversitas.

Ordo transcendens attributionis.

Resumit rationem, et intentum concludit dicens quod *uni opponitur pluralitas;* quia igitur supple unius scientiæ est opposita speculari, ideo dictæ scientiæ, scilicet Metaphysicæ est cognoscere utrumque; quare igitur cum supple ista scientia speculetur *unum* et species *unius*, scilicet idem, simile et æquale; *similiter* oportet, *quod* speculetur *opposita dictis, scilicet diversum, dissimile, et inæquale et quæcumque alia dicuntur*, id est, reducuntur ad ista, aut ad pluralitatem et unum; *quorum unum*, scilicet eorum quæ sic reducuntur ad pluralitatem, est *contrarietas, nam contrarietas est quædam differentia*, et maxima, ut habetur 10. hujus, text. com. 13. *differentia vero est quædam diversitas*, ex quibus patet, quod ad istam scientiam pertinet de contrarietate speculari. Deinde cum dicit :

Quare quoniam unum multipliciter dicitur, et hæc multipliciter quidem dicentur, attamen unius omnia cognoscere est. Non alterius enim si multipliciter, sed si nec secundum unum, nec ad unum rationes referantur alterius tunc. Quoniam vero omnia ad primun referuntur, ut quæcumque unum dicuntur ad primum unum. Similiter dicendum est de eodem et de diverso, et contrariis se habere. Ergo divisum quotiens dicitur singulum sic reddendum est ad primum in singulis prædicamentis quomodo ad illud dicitur ; hoc enim in habendo illud ; illa vero in faciendo ; alia vero secundum aliquos dicentur tales modos. Palam ergo, quod in dubitationibus dictum est, quia unius est de his et de substantia sermonem habere, hoc autem erat unum eorum, quæ in dubitationibus.

Excludit quamdam cavillationem : forte enim diceret aliquis, quod cum prædicta opposita dicantur multipliciter, sicut et ipsum unum a quo oriuntur, ideo non est unius scientiæ considerare de ipsis. Ad quod respondet, quod hoc non obstante, quod talia dicantur multipliciter, nihilominus pertinent ad eamdem scientiam, quatenus dicuntur ad aliquid unum secundum ordinem attributionis. Dicit ergo, quod *quoniam unum dicitur multipliciter*, et ea, scilicet quæ determinantur ab uno, scilicet idem et diversum, et talia *etiam dicuntur multipliciter; attamen unius scientiæ est omnia cognoscere*, scilicet Metaphysicæ; non enim sunt scientiæ diversæ simpliciter supple de his quæ multipliciter dicuntur : *sed si nec secundum unum*, id est, univoce, *nec ad unum* scilicet analogice *rationes talium referuntur*, tunc de talibus sunt diversæ scientiæ. Vult dicere, quod de pluribus, quæ nec habent unitatem univocationis, nec unitatem attributionis ad aliquod unum, sed sunt pure æquivocata, de talibus inquam sunt scientiæ diversæ, si- 17.

Quando rietas c jectorum variat scientia et quan non?

cut de cane cœlesti considerat Astrologia; de cane vero marino, vel latrabili considerat Physica, sed sic non est in proposito, ideo subdit : *Quoniam vero ad primum aliquod omnia referuntur, ut quæcumque unum ad aliquod primum unum*, id est, quæcumque significantur per hoc nomen *unum* reducuntur ad unum primum, licet sint multa et diversa : *similiter oportet se habere, et de eodem, et diverso, et contrariis.* Sic ergo in talibus procedendum est : quia primo videnda est eorum multiplicitas, quot modis unumquodque dicatur. Secundo investiganda est eorum reductio et ordo attributionis, ideo subdit; ergo *divisum quotiens dicitur singulum sic reddendum*, id est, reducendum est ad primum, quando aliquid ad aliud reducitur; in singulis talibus nominibus quæ de pluribus prædicantur et dicuntur, puta quod *hoc* ibi reducitur ad aliquod *primum in habendo illud, illud vero faciendo; alia vero secundum alios modos dicuntur*, id est, reducuntur. Ultimo epilogat quod *palam est quod dictum est in quæstionibus*, scilicet tertii libri; *quia unius ut hujus*, scilicet scientiæ, *est habere sermonem*, id est, considerationem de his quæ dicta sunt et de substantia : *hoc enim erat unum dubitatorum*, id est, una quæstionum disputatarum ibidem. Deinde cum dicit :

Text. com. 5. Et Philosophi est de omnibus posse speculari ; nam si non Philosophi, quis erit qui investigabit si idem Socrates et Socrates sedens ? aut si unum uni contrarium, aut quid est contrarium aut quotiens dicitur ? Simpliciter autem, et de aliis talibus.

18. Ponit secundam rationem. Circa quod duo facit. Primo sub quæstione proponit quod istius scientiæ, et non alterius, est considerare de prædictis. Secundo format rationem. Secunda ibi : *Quoniam ergo unius.* Dicit ergo quod *Philosophi*, id est Metaphysici, qui primus Philosophus antonomastice dicitur, *est posse speculari de omnibus*, scilicet prædictis; *nam si non est Philosophi quis est*, scilicet alius *qui intelligat, si est idem Socrates et Socrates sedens? aut si unum uni est contrarium, aut quid est contrarium aut quotiens dicitur, scilicet contrarium? similiter autem et de his talibus?* quasi diceret, quod nullus est alius, qui scilicet consideret de prædictis, puta de eodem et diverso, et de contrariis et aliis hujusmodi. Deinde cum dicit : Metaphysicus antonomastice philosophus.

Quoniam ergo unius inquantum est unum, et entis inquantum est ens, eædem secundum se passiones sunt, sed non inquantum numeri, aut lineæ, aut ignis, palam quia illius scientiæ, est, et quid sunt cognoscere et accidentia ipsius, et sic non peccant qui de ipsis intendebant, quasi non philosophantes ; sed quia prius his est substantia, de qua nihil prorsus intelligunt. Quoniam sicut sunt et numeri inquantum numerus propriæ passiones, ut imparitas, paritas, commensuratio, æqualitas, excedentia et defectio, et hæc secundum se et ad invicem insunt numeris ; similiter autem et de solido, et immobili, et mobili, et levi, et gravi, sunt alia propria sic ; et enti inquantum est ens sunt quædam propria, et ea sunt de quibus est Philosophi perscrutari veritatem.

Ponit tertiam rationem quæ talis est : Ejusdem scientiæ est considerare subjectum et passiones ejus, ergo ens et passiones ejus; sed ens inquantum ens habet proprias passiones, sicut linea inquantum linea, et numerus inquantum numerus; ergo Metaphysica quæ considerat ens inquantum ens, con- 19. Ens habet passiones.

siderabit prædictas passiones entis. Dicit ergo quod *quoniam unius inquantum unum, et entis inquantum ens, sunt eædem secundum se passiones*, quæ quidem *non sunt lineæ, aut numeri, aut ignis* inquantum talia; nam passiones entis inquantum ens, nullius inferioris sunt passiones per se primo, et inquantum hujusmodi; quare inquam sic *est palam, quia illius scientiæ*, scilicet Metaphysicæ *est cognoscere quid est subjectum*, scilicet ipsum ens et unum, *et eorum accidentia; et ideo non peccabant qui de eis intendebant, quasi non philosophantes; sed quia principium est substantia de qua nihil audiunt*, id est, quia ens inquantum ens habet quædam propria quæ sunt communia, ideo consideratio de eis pertinet ad Philosophum; et ideo illi qui de eis intendebant, non peccant quasi non philosophati sunt, sed quia dimittunt illa quæ pertinent ad considerationem primæ Philosophiæ, quia substantiæ obliviscuntur, cum tamen substantia sit principium, de qua Philosophus principaliter intendit. Subdit autem declarando quomodo ens inquantum ens habet passiones : *quoniam sicut numeri inquantum numeri sunt propriæ passiones, ut imparitas et paritas, commensuratio et æqualitas, excedentia et defectus, et alia quæ secundum se insunt numeris ad se invicem*, id est sub disjunctione; *similiter autem solido, id est corpori mobili et immobili, gravi et levi sunt alia propria*, id est, propriæ passiones, et sic et enti inquantum ens sunt quædam propria, *et ea sunt de quibus est Philosophi perscrutari veritatem*.

Considerat Geometricus in universali tantum.

Quo sensu dicuntur esse eædem passiones entis et unius.

Notandum, quod licet *unum* sit vere passio entis, tamen Philosophus hîc dicit, easdem esse passiones entis et *unius*, quod dicit pro quanto, quia *unum* est prima passio et immediatius adhærens ipsi enti, mediante qua insunt omnes aliæ passiones; et ideo quodammodo habet rationem subjecti respectu omnium aliorum, ut sic dicantur æqualiter passiones esse eædem utriusque. Deinde cum dicit :

Signum autem : Dialectici namque et Sophistæ eamdem subinduunt figuram Philosopho, quia Sophistica apparens solum est sophia, et Dialectici de omnibus disputant, omnibus autem ens commune est. Disputant autem de his videlicet, quia Philosophiæ sunt ipsa propria ; nam circa idem genus versantur et Sophistica et Dialectica cum Philosophia ; sed differt ab hac quidem modo potestatis, ab illa vero vitæ prohæresi. Est autem Dialectica tentativa, de quibus Philosophia est sciens ; et Sophistica quidem apparens, ens vero non.

20. Dialectici et Sophistæ disputant de passionibus entis.

Ponit tertiam rationem quæ talis est : Circa idem versantur Dialecticus, Philosophus, et Sophista ; sed Dialectici et Sophistæ disputant de prædictis omnibus, quæ sunt entis passiones; ergo et Philosophus. Hanc rationem declarat, ostendens quomodo Dialecticus et Sophisticus differant a Philosopho, et quomodo conveniant. Dicit ergo *quod signum est*, scilicet quod Philosophi est considerare de prædictis; *nam Dialectici et Sophistæ subinduunt eamdem figuram*, id est, similitudinem *cum Philosopho*, quod declarat : *quia Sophistica est apparens sophia*, id est, sapientia supple solum, quia est apparens et non existens; quod autem habet apparentiam alicujus rei, habet aliquam similitudinem cum ea : *similiter autem et Dialectici disputant de omnibus*, quia habent ens

commune pro subjecto, *quia commune omnibus est ens;* disputant enim Dialectici, scilicet de his prædictis communibus, quæ sunt communia Philosophiæ. Et reddit causam dictorum, *nam circa idem genus versatur Sophistica et Dialectica cum Philosophia*, et ratione hujus habent ad invicem convenientiam, quia quælibet scientiarum istarum versatur circa totum ens, in quo conveniunt omnia, de quibus quælibet istarum se intromittit. *Sed differunt, quia* supple Philosophia differt ab hac, scilicet Dialectica, *modo potestatis;* nam majoris virtutis est consideratio Philosophi, quam Dialectici, pro quanto Philosophus procedit de prædictis omnibus demonstrative, et per certitudinem. Dialecticus vero ex probabilibus, quæ solum habent opinionem generare; ab ista vero, scilicet a Sophistica differt supple Philosophus *vitæ prohæresi,* id est, electione, sive intentione finis, quia supple Philosophus intendit veritatem ; Sophista vero apparentiam veritatis, ut scilicet videatur scire, licet non sciat. Subdit autem declarationem dictæ differentiæ dicens, quod *Dialectica est tentativa de quibus Philosophia est sciens*, quia considerat de eis per demonstrationem quæ habet generare proprie scientiam ; *sophistica quidem visa, ens vero non*, id est, apparens et non existens, cum tantum intendat apparere scire, dato quod non sciat, propter quod distinguitur a Philosopho.

In quibus conveniunt et differunt Philosophus, Dialecticus, et Sophista, vide Commentatorem hîc.

21 Notandum, quod Dialectica et Sophistica distinguuntur, quia quædam est docens, et quædam est utens; dicitur docens hæc vel illa, ut habet considerare de proprio subjecto, dando modum et artem arguendi et syllogizandi vere et apparenter, reddendo singula singulis; sed dicitur utens hæc vel illa, quando modo arguendi adinvento utitur ad arguendum vel ad concludendum aliquid in aliis scientiis. Primo modo quælibet earum habet aliqualiter rationem scientiæ, quatenus circa proprium subjectum quælibet modo aliqualiter demonstrativo speculatur. Secundo autem modo recedunt a ratione scientiæ. Philosophus ergo comparans eas in loco isto ad Philosophiam, dicens solam Philosophiam esse scientiam, accipit eas ut utentes; sic enim ex probabilibus vel ex apparentibus versantur circa omne ens; unde Dialectica hæc dicitur tentativa, pro quanto communes intentiones quas considerat tanquam quædam extranea applicat ad propria in aliis scientiis. Deinde cum dicit :

Dialectica et Sophistica duplex.

Dialectica tentativa vocatur.

SUMMARIUM.

Hæc est altera pars hujus capitis, in qua Philosophus quatuor rationibus ostendit omnes passiones disjunctas entis considerari in hac scientia, inferens hinc tria corollaria, quæ clare ponuntur.

Amplius autem contrariorum altera coelementatio, privatio, et omnia referuntur ad ens et non ens, et ad unum, et pluralitatem, ut status unius, et motus pluralitatis. Entia vero et substantiam confitentur ex contrariis fere omnes componi; omnes enim principia dicunt contraria; hi namque par et impar; illi calidum et frigidum; alii autem finitum et infinitum; alii amorem et odium; omnia vero et alia videntur reducta ad unum et pluralitatem ; sumatur enim ipsa reductio a nobis, principia vero, et omnia quæ ab aliis et in genera hæc cadunt. Text. com. 6.

22. Ponit quartam rationem quæ talis est : Quæcumque reducuntur ad unum et ens, pertinent ad considerationem hujus scientiæ, quæ versatur circa unum et ens; sed omnia prædicta sunt hujusmodi, ergo, etc. Minorem declarat inductive. Primo quomodo contraria reducuntur ad ens et non ens, inquantum alterum habet rationem privationis et alterum rationem habitus. Secundo quomodo aliqua reducuntur ad unum et plura, ut motus et quies; inquantum enim motus habet rationem alteritatis et diversitatis cujusdam, reducitur ad plura; quies vero inquantum habet rationem uniformitatis et cujusdam unitatis, reducitur ad unum. Nam quiescere est non aliter se habere nunc quam prius ex 6. Physic. text. com. 32. Tertio utens opinione antiquorum omnia dicit esse contraria, vel ex contrariis; si ergo contraria reducantur ad ens et non ens, unum et plura, sequitur quod omnia entia similiter reducentur; nam cum principia reducantur ad unum et ens, et per consequens principiata, sequitur quod omnia entia quæcumque sunt, est unius scientiæ speculari. Dicit ergo quod *amplius alia coelementatio contrariorum, privatio et omnia referuntur ad ens et non ens;* semper enim duorum contrariorum alterum habet rationem habitus et entis; alterum vero privationis et non entis, quatenus privatio est formaliter quædam negatio, quæ est non ens. Similiter secundo aliqua reducuntur *ad unum et non pluralitatem ut status*, id est, quies quæ scilicet habet rationem unius *et motus* pluralitatis. Ulterius cum *fere omnes*, scilicet Philosophi antiqui, *confitentur entia et substantiam componi ex contrariis*, ut scilicet Philosophi *omnes quidem dicunt principia contraria*, licet differenter; *nam hi* dicunt talia contraria, scilicet *par et impar*, ut Pythagoras; *illi vero calidum et frigidum*, ut Parmenides; *alii finem*, id est, finitum et infinitum, ut dictum est in primo libro; *alii amorem et odium*, ut Anaxagoras. Ex quo patet, quod omnia contraria reducuntur ad ens modo prædicto. Addit autem quod sicut supple prædicta contraria reducuntur ad ens, et *ita videntur reduci ad unum, et multitudinem et pluralitatem; sumatur autem*, id est, supponatur *hic a nobis ipsa reductio*, quia supple longum esset ostendere de singulis contrariis, tamen hoc sit manifestum, quod omnia contraria reducuntur ad unum et ens, et omnia tam principia quam principiata incidunt aut in unum, aut in ens, ideo dicit, *principia vero et quæ sunt præter alia,* id est, principiata *reducuntur* supple ad unum et ens *quasi genera;* non quod sunt vera genera, sed ratione sui communitatis dicuntur genera, id est, generalia et communia; si igitur omnia contraria sunt principia vel ex principiis, oportet quod ad unum et ad ens reducantur; unde patet ex prædictis, quod contraria habent duplicem reductionem ad ens, unam ratione privationis, aliam quatenus contraria sunt principia, quæ habent reduci ad unum et ad ens, quasi ad genera.

Quiescere quid.

Quomodo ens et unum sunt genera ?

23. Notandum, quod omnia enumerata contraria aliqualiter reducuntur ad unum et pluralitatem, quod

Prædicta contraria reducit ad unum ingeniose.

patet inducendo; nam imparitas habet aliquid unitatis ratione suæ indivisionis; paritas vero pertinet ad pluralitatem quatenus habet homogenea congregare; calidum habet rationem unitatis; frigidum vero pertinet ad pluralitatem ratione oppositi, inquantum habet disgregare homogenea, commiscendo et congregando heterogenea; finitum etiam habet rationem unius; infinitum vero pluralitatis, quæ potest augeri in infinitum; amor autem habet rationem unitatis, sicut patet; odium vero rationem pluralitatis pro quanto habet separare. Deinde cum dicit :

Palam igitur et ex his, quia unius est scientiæ ejus inquantum ens speculari; omnia namque aut contraria aut ex contrariis, principia vero contrariorum unum et pluralitas. Hæc autem unius scientiæ, sive secundum unum dicuntur, sive non, ut forsan habet veritas. At tametsi multipliciter dicitur unum ad primum, tamen alia dicuntur, et contraria similiter.

Concludit ergo tria corollaria ex prædictis. Secundum ponitur ibi : *Et propter hoc*. Tertium ibi : *Ergo quia unius*. Primum corollarium est ad confirmationem dicti supra in principio hujus quarti, quod sequitur ex nunc dictis, scilicet quod unius scientiæ est considerare ens inquantum ens, quod sic patet, *omnia namque aut* sunt *contraria, aut ex contrariis*; contraria autem reducuntur ad unum et plura, ideo dicit quod *principia contrariorum sunt unum aut pluralitas; sed ea*, scilicet unum et plura, *est unius scientiæ considerare*, ut prius ostensum est; sequitur ergo quod unius scientiæ sit considerare omnia entia, *et hæc sive unum et ens dicantur secundum unum*, id est, vere univoce, *sive non*, *ut forsan habet veritas; attamen et si unum dicitur multipliciter, ad primum alia dicentur*, id est, reducentur, *et contraria similiter*, et propter hoc, scilicet quod ens et unum non sit universaliter dictum de omnibus, quale est genus proprie; aut ens sit separabile sicut posuit Plato, ut forsan non est; sed hoc quidem ad unum primum, illa vero in eo quod consequenter se habent ad illud primum. Vult dicere, sive *unum*, sive *ens* sunt genera, sive non; et sive sunt universalia separata, ut ait Plato, sive non; tamen omnia entia dicuntur ad unum saltem secundum attributionem, de quibus Metaphysica agit prius et principalius; de aliis vero posterius et consequenter; utitur autem ista littera bis, isto adverbio dubitandi, scilicet *forsan*, quia sive ens sit univocum omnino, sive non, sicut forsan est verum, loquendo de univocatione Physica, quæ tollit omnino ordinem analogiæ et proportionis; sive etiam universalia sint separata, sive non, sicut ostendetur 7. hujus, nihil refert ad propositum, quin de ente inquantum ens, speculetur scientia una, ex quo omnia entia habent ad aliquod unum analogiam secundum ordinem attributionis. Tollit instantiam de æquivocatione entis.

24. Non omnia entia sunt contraria, nec ex contrariis, ut volunt antiqui.

Notandum, quod cum ait Philosophus omnia entia vel esse contraria, vel esse ex contrariis, loquitur modo antiquorum, qui solum posuerunt entia illa corpora sensibilia, quæ utique sunt contraria, vel composita sunt ex contrariis; substantiæ autem incorruptibiles et immateriales, cujusmodi sunt corpora cœlestia, et Intelligentiæ, non sunt contraria, nec ex contra-

riis composita. Deinde cum dicit :

Et propter hoc, et si non est ens, aut unum universaliter, et idem in omnibus, aut separabile, ut forsan non est, sed hæc quidem ad unum; illa vero in eo quod consequuntur. Et ideo non est Geometræ speculari quid contrarium, aut perfectum, aut unum, aut ens, aut idem, aut diversum, nisi ex suppositione.

Ponit secundum corollarium dicens, quod propter hoc quod dictum est. non est Geometræ speculari, scilicet de prædictis, quæ sunt communia consequentia ens inquantum ens, ut quid est contrarium, aut perfectum, aut ens idem, aut diversum, nisi ex conditione, vel suppositione, pro quanto accipit ea, et supponit a primo Philosopho inquantum sibi est necessarium; similiter intelligendum est de aliis scientiis particularibus. Deinde cum dicit :

Quod quidem igitur unius scientiæ est ens inquantum ens speculari, et quæ insunt eis in quantum est ens manifestum. Et quia non solum substantiarum, sed et accidentium eadem est theoria, et de dictis, et de priore, et posteriore, et de genere, et specie, et toto, et parte, et aliis talibus.

Ponit tertium corollarium, dicens quod *manifestum est quod unius scientiæ est speculari ens inquantum ens;* ex quo etiam manifestum est quod *eadem theoria*, id est, consideratio est, *non solum substantiarum, sed etiam accidentium;* et similiter *est eadem theoria dictorum*, scilicet superius, puta ejusdem et diversi, similis et dissimilis, etc. *sed etiam de priori, et posteriori genere, et specie, et toto, et parte, et aliis talibus*, quæ supple communia sunt enti, et consequuntur ens inquantum ens, et per consequens de ipsis omnibus convenit speculari.

SUMMA SECUNDA.

De principiorum cognitione.

In hac summa per sex capita contenta fuse agit Philosophus de principiis demonstrationis in ordine ad considerationem. Primo disputat de principiis omnibus communibus. Secundo fuse impugnat negantes prima principia, ut concedentes contradictoria simul vera, vel falsa, etc. examinans quibus motivis in tales errores inciderunt. In cap. 1. usque ibi: *nisi Physicorum*, docet ad Metaphysicum spectare considerationem de substantiis, et principiis seu dignitatibus, quas scientes particulares supponunt.

CAPUT I.

Ad Philosophum pertinere considerationem de omnibus communibus principiis.

Dicendum autem, utrum unius scientiæ, aut diversæ, de vocatis in Mathematicis dignitatibus, et de substantia? Text. com 7.

Posquam Philosophus ostendit, quod ista scientia versatur circa ens inquantum ens, et circa passiones entis, nunc ostendit quod ista scientia versatur circa prima principia demonstrationis, quæ dicuntur dignitates. Circa quod duo facit, quia primo ostendit propositum de omnibus illis principiis communiter. Secundo specialiter intentum de primo principio. Secunda ibi : *congruit autem maxime.* Prima in tres, quia primo proponit quæstionem, utrum scilicet sit unius scientiæ considerare de substantia, et principiis communibus quæ dicuntur dignitates. Secundo subjungit quæstionis solutionem. Tertio ponit solutionis rationem. Secunda ibi : *Palam autem.* Tertia

ibi : *Omnibus enim.* Dicit ergo quod *dicendum est, utrum unius scientiæ aut diversæ* sit supple speculari *de substantia et de vocatis dignitatibus in Mathematicis?*

Quare appropriantur dignitates Mathematicæ ?

Notandum, quod ista principia magis appropriantur Mathematicis scientiis quam aliis, quatenus certius demonstrant et manifestius utuntur istis principiis per se notis, resolvendo omnes suas demonstrationes in ista principia simpliciter prima. Deinde cum dicit :

Palam autem, quia unius est, et ejus quæ est Philosophi, quæ de his perscrutatio.

Metaphysicæ est considerare prima principia.

Ponit quæstionis solutionem, dicens esse manifestum *quia perscrutatio de his est unius scientiæ ejus, quæ est Philosophi,* id est, Metaphysici, quam intendimus. Deinde cum dicit :

26. Omnibus enim insunt existentibus, sed non generi alicui separatim ab aliis, et utuntur omnes, quia entis sunt in quantum est ens, unumquodque autem genus ens. In tantum vero utuntur inquantum eis sufficiens est; hoc autem est quantum continet genus de quo demonstrationes erunt. Quare quoniam manifestum quod nquantum sunt entia, insunt omnibus; hoc enim est eis commune de ente in quantum est ens cognoscentis, et de eis est speculatio.

Ponit rationem circa datam solutionem. Circa quod tria facit. Primo quod dictum est. Secundo excludit quosdam errores circa hujumodi principia. Tertio concludit intentum. Secunda ibi : *Sed Physicorum.* Tertia ibi : *Quia igitur Philosophi.* Prima in duas secundum quod dupliciter probat dictam solutionem. Primo a causa. Secundo a signo ibi : *Unde nullus.* In prima parte intendit talem rationem : Illa quæ communiter consequuntur omne ens, pertinent ad hanc scientiam Philosophalem, quæ est de omni ente; sed talia principia communia sunt hujusmodi, ergo, etc. Minorem ostendit, quia omnes scientiæ utuntur eis circa quoddam ens particulare, de quo considerant, secundum quod sufficit eis, quod non esset, nisi consequantur ens in quantum ens. Dicit ergo quod supple principia communia, quæ dicuntur dignitates, insunt *omnibus existentibus*, id est, entibus *et non alicui generi entis separatim* et seorsum *ab aliis, et omnes*, scilic t scientiæ, *utuntur eis, eo quia sunt entis inquantum ens;* et reddit causam quare omnes scientiæ utuntur eis, quia *unumquodque genus* subjectum scientiæ *est ens*, id est, recipit prædicationem entis ; *in tantum vero utuntur* scientiæ particulares illis principiis communibus *inquantum eis est sufficiens; hoc autem est inquantum continet genus*, scilicet subjectum, *de quo* scientiæ particulares *ferunt ipsas demonstrationes, quare manifestum* est, quod supradicta principia *insunt omnibus inquantum sunt entia; hoc enim est eis commune* quod sunt circa ens, quia scilicet consequuntur ens inquantum ens; manifestum est ergo *quod speculatio de his* principiis *est scientiæ cognoscentis ens* inquantum ens.

Notandum, quod sicut habetur ex primo Poster. text. cum. 24. cap. illo, *Difficile autem est nosse* ista principia communia, quæ dicuntur dignitates, non ingrediuntur demonstrationem secundum substantiam, sed tantum secundum virtutem, pro quanto omnia principia particularium scientiarum firmantur per ea et roborantur. Ratio hujus 27.

Quare dignitates non ingrediuntur demonstrationem nisi contrahantur.

est, quia demonstratio procedit ex propriis non ex communibus; si tamen ista principia contrahantur et applicentur ad propria, sic aliqualiter et secundum substantiam ingrediuntur demonstrationem, non quidem in sua communitate, sed contracta ut dictum est ad propria alicujus scientiæ, et sic scientiæ utuntur eis, quantum eis sufficit et requirit eorum subjectum proprium. Exemplum, Geometria quandoque utitur illo principio: *si ab æqualibus æqualia demas*, etc. contrahendo ipsum sic: *si ab æqualibus lineis æquales lineas demas, quæ remanent sunt æquales*, et sic de aliis. Deinde cum dicit:

Unde nullus particulariter intendentium nititur dicere de eis aliquid si vera, aut non, nec Geometer, nec Arithmeticus.

Scientiæ particulares præsupponunt prima principia.

Ponit secundam rationem sumptam a signo dicens, quod *nullus intendentium particulariter*, id est, nullus tradens scientiam de aliquo particulari, *nititur dicere aliquid de eis*, scilicet hujusmodi principiis communibus, *si sunt vera aut non*; *nec etiam Geometria nec Arithmetica*, de quibus magis videretur, eo quod maxime utuntur istis principiis, ut prædictum est; unde est signum, quod considerare de ipsis pertinet ad scientiam quæ considerat de ente communiter inquantum ens, qualis est Metaphysica. Deinde cum dicit:

SUMMARIUM.

Rejicit errorem eorum qui negabant substantias insensibiles, et eorum quæ dicta principia demonstrare volebant. Ostendit specialiter hanc scientiam esse de primo principio.

Nisi Physicorum quidam merito facientes hoc, soli namque putantur de tota natura intendere et de ente. Sed quoniam adhuc Physico aliquis est superior, unum enim aliquod genus entis est natura, universalis sane et circa primam substantiam theorizantes, et de his utique perscrutari habebunt. Est autem sophia quædam Physica, sed non prima.

23 Error duplex de primis principiis hic excluditur

Excludit quosdam errores circa hujusmodi principia. Circa quod duo facit: quia primo excludit errorem illorum, qui se intromittebant de dictis principiis, cum ad eos nequaquam pertinerent. Secundo errorem illorum, qui de ipsis tractabant aliter quam oportet de eis tractare. Secunda ibi: *Quicumque vero conantur*. Dicit ergo quod *quidam Physicorum hoc facientes*, scilicet tractantes de principiis communibus *nisi*, id est, conati sunt hoc facere, et hoc *merito, soli namque putantur intendere de natura et de ente*; vult dicere quod quidam antiqui Naturales opinati sunt nullam esse substantiam præter naturalem et sensibilem, et sic secundum eos, cum omne ens sit sensibile et naturale, idem est intendere de natura et de toto ente, et sic ad eos pertinere considerare de primis principiis quæ habent considerari ab eadem scientia, quæ considerat de ente, sed hoc excludit tanquam falsum dicens: *sed quoniam adhuc est aliquis* Philosophus *prior Physico*, scilicet Metaphysicus, *nam ipsa natura*, id est, res naturalis et mobilis *est unum aliquod genus entis universalis*; probatum est enim alibi scilicet 8. Physicor. text. com. 48. 53. et 78. quod omne ens immobile est nobilibus, et superius ente mobili, de quo considerat Philosophus Naturalis; de quo ente pertinet

considerare ad illam scientiam, quæ considerat ens in communi quæ erit alia a Physica, quæ etiam considerabit de talibus principiis communibus; ideo dicit quod ipsius scilicet scientiæ *universalis theorizantis circa primam substantiam*, scilicet immobilem, *erit utique speculatio*, *et de his utique* scilicet principiis communibus; *Physica enim est sophia*, id est, quædam particularis Philosophia, *sed non prima*, quæ scilicet considerat ens inquantum ens, et ea quæ communiter ens consequuntur. Patet ergo ex prædictis quod illi Philosophi Naturales intromittentes se de hujusmodi principiis communibus, excedebant limites proprios, cum tamen ad eos non pertineat, licet merito hoc fecissent supposita hypothesi quam ponebant, scilicet quod omne ens esset naturale; quia tunc Philosophia naturalis esset prima simpliciter et de omni ente, sicut habet 6. hujus, text. com. 3. verumtamen eorum suppositum erat falsum. Deinde cum dicit :

Text. com. 8. Quicumque vero conantur dicentium quidem de veritate quo oportet modo recipere, propter ignorantiam analyticorum hoc faciunt. Oportet enim de his præsentibus venire, sed non audientes quærere.

29. Excludit secundum errorem eorem, qui de principiis communibus pertractabant aliter quam deberent, volentes scilicet ipsa demonstrare. Dicit ergo quod *quicumque dicentium quidem de veritate* dictorum principiorum *conantur dicere*, id est, demonstrare *et quo oportet modo recipere propter ignorantiam analyticorum*, id est, scientiæ de demonstratione, quæ traditur in Logica ; *oportet enim* *prævenire*, id est, præcognoscere *præscientes de his*, scilicet principiis communibus *et non quærere audientes*, id est, quod illi, qui acquirunt scientiam per demonstrationem, oportet quod præveniant ad cognoscendum hujusmodi principia communia et ipsos discipulos audientes, id est, instruendos in aliqua scientia, non oportet quærere de his, ut scilicet quærant ea sibi demonstrari, sed oportet quemlibet ducendum supponere ipsa et habere in mente, sicut habetur primo Posteriorum. Deinde cum dicit :

Oportet præcognoscere prima principia. Text. 5.

Quod quidem igitur Philosophi, et de omni substantia speculantis, inquantum congruit, et de omnibus syllogisticis principiis est perscrutari palam.

Concludit intentum dicens *palam est quod Philosophi*, scilicet Metaphysici *est perscrutari de omnibus principiis syllogisticis speculantis etiam* de omni scientia *inquantum est* de hujusmodi principiis communibus.

Principia cognoscimus inquantum terminos, etc.

Notandum, quod hujusmodi principia communia sunt communiter nota omnibus, eo quod termini eorum cadunt in conceptione cujuscumque ; nam componuntur ex terminis communibus, qui sunt noti prius nobis, eo quod nostra cognitio incipit a communibus et confusis, ut habetur 1. Phys. text. com. 3 ; isti autem termini communes sunt ens, totum, pars, æquale, inæquale, et similia, et quia hujusmodi termini communes pertinent ad considerationem Metaphysici, et per consequens hujusmodi principia sunt de consideratione ejus; considerat autem Metaphysicus dicta principia non de-

Termini communes.

monstrando, sed rationes terminorum declarando, ut quid sit totum, et quid sit pars, etc. quod facit in quinto, quibus terminis notis, statim intellectus assentit veritati talium principiorum in virtute naturalis luminis intellectus. Tunc sequitur illa pars :

30. Congruit autem maxime cognoscentem circa unumquodque genus habere dicere firmissima rei principia. Quare et de entibus inquantum sunt entia omnium firmissima, est autem hic Philosophus ipse.

Primum principium simpliciter est Metaphysici considerare.

Ubi ostendit specialiter, quod ista scientia versatur circa primum principium simpliciter. Circa quod duo facit : quia primo innuit rationem probantem, quod ad Metaphysicum spectat illud primum principium ; et secundo incipit determinare, et exequitur de eo. Secunda ibi : *Et firmissimum omnium*. In prima parte intendit talem rationem : In quocumque genere scientiæ ille est maxime cognoscens, qui novit firmissima et certissima ejus principia ; sed Metaphysicus est cognoscens maxime, ut patet ex prologo hujus libri, et inter principia communia, et Metaphysicalia, illud quod est primum principium est firmissimum ; ergo Metaphysicus maxime considerat illud primum principium. Dicit ergo, quod *circa unumquodque genus* scientiæ *congruit maxime cognoscentem dicere*, id est, cognoscere *firmissima rei principia*; certitudo enim cognitionis dependet ex principiorum cognitione et certitudine : *quare et de entibus inquantum sunt entia*, oportet supple principia præcognoscere *omnium firmissima ; est autem hic Philosophus ipse*, qui scilicet novit talia principia, et maxime quod est primum principium inter ipsa. Deinde cum dicit :

SUMMARIUM.

Ponit tres conditiones primi principii, quas optime explicat Doctor, applicans eas ad propositum.

Firmissimum autem principium omnium est circa quod impossibile est mentiri ; notissimum enim esse tale est necesse, nam circa ea quæ ignorant decipiuntur omnes, et non conditionale. Quod enim necessarium habere quodcumque entium intelligentem, hoc vero non conditionale ; quod autem cognoscere est necessarium quemcumque cognoscentem, et venire ad habentem est necesse. Quod quidem igitur tale principium omnium est firmissimum palam.

Incipit determinare, et exequitur de ipso modo declarativo ostendens quid sit, et quale sit. Secundo determinat de eo modo defensivo defendens ipsum contra negantes disputans contra eos. Secunda ibi : *Sunt autem quidam*. Prima dividitur in duo. Primo enim præmittit, quæ sunt conditiones principii firmissimi. Secundo applicat eas ad propositum. Secunda ibi : *Quid vero sit illud*. Ponit ergo tres conditiones principii firmissimi. Prima conditio est, quod circa ipsum non contingit mentiri vel errare, ideo dicit, quod *firmissimum omnium principiorum est id scilicet circa quod impossibile est mentiri*. Cujus causam subdit, *enim* pro quia, *tale* scilicet principium firmissimum *necesse est esse notissimum;* ex quo sequitur, quod non contingit decipi circa illud, *cum circa ea quæ ignorant decipiuntur omnes*. Secunda conditio est, quod non sit conditionale, id est, notum ex suppositione vel conditione, sed supple sit per se notum; ideo dicit, quod supple principium firmissi- 31.

Conditiones primi principii tres.

Firmissimum.

Absolutum non cognitum ex suppositione,

mum *oportet non esse conditionale.* Cujus causam tangit, quia illud principium, *quod necessarium est habere intelligentem quodlibet entium hoc non est conditio*, id est, non est habitum ex conditione vel ex suppositione, quasi non sit per se notum. Tertia conditio est, quod supple principium firmissimum *necessarium est cognoscere, et necesse est venire habenti ipsum*, non supple per demonstrationem, sed notis terminis ; postea concludit *palam esse, quod tale principium,* quod scilicet habet omnes dictas conditiones, *est omnium firmissimum.* Deinde cum dicit :

Evidens ex terminis

Text. com. 9.

Quod vero sit illud post dicamus.
Idem enim simul esse, et non inesse eidem, et secundum idem impossibile, et quæcumque alia determinaremus utique sicut determinata ad Logicas difficultates.

Applicat dictas conditiones ad propositum de primo principio. Circa quod duo facit : quia primo dicit quid sit illud primum principium. Secundo adaptat ei dictas conditiones. Secunda ibi : *Illud enim firmissimum.* Dicit ergo, *quid sit illud,* scilicet principium firmissimum, scilicet *postea dicamus,* et posito quod sit ipsum, scilicet quod *simul esse, et non esse eidem est impossibile, et oportet addere quæcumque alia sunt determinata ad Logicas difficultates*, id est, oportet addere alias omnes conditiones requisitas ad incompossibilitatem contradictionis positas. 1. Elenchorum c. 3. scilicet quod impossibile est aliquid eidem inesse secundum idem ad idem; similiter et in eodem tempore et hujusmodi, quæ ponuntur in definitione Elenchi, qui est syllogismus contradictionis. Deinde cum dicit :

Primum principium

Hoc autem omnium firmissimum est principiorum, habet enim dictam determinationem. Impossibile namque quæcumque idem existimare esse et non esse, quemadmodum quidem quidam putant dicere Heraclitum, non enim est necesse, quæ aliquis dicit hoc existimare. Si vero non, contingit simul inesse eidem contraria ; determinata sint autem a nobis, et huic propositioni consueta. Contraria vero est opinio opinioni, quæ contradictionis. Palam quia impossibile simul existimare eumdem esse, et non esse idem, simul enim habebit contrarias opiniones qui de hoc est mentitus.

Adaptat isti principio dictas conditiones. Primo primam. Secundo secundam. Tertio tertiam. Secunda ibi : *Quapropter omnes.* Tertia ibi : *Natura namque.* In prima parte intendit talem rationem : Si contingat aliquem opinari, quod idem sit et non sit; ergo eidem simul inerunt contraria; consequens est falsum, ergo et antecedens, et per consequens nullum contingit decipi vel errare circa hoc principium. Consequentiam probat ex hoc, quia contrariæ opiniones sunt illæ, quæ sunt contradictionis, ut habetur circa finem secundi libri Perihermenias; si ergo aliquis diceret, quod contingeret aliquem opinari idem simul esse et non esse, sequitur quod ille quod sic opinaretur, haberet simul contrarias opiniones. Dicit ergo, quod *idem*, scilicet principium, quod nunc dictum est : *Est firmissimum omnium principiorum; habet enim dictam determinationem*, id est, primam conditionem supra determinatam, quod primo ostendit dicens : quod *impossibile est suscipere,* id est, opinari *quemlibet idem esse et idem non esse, sicut quidam dicunt Heraclitum hoc fuisse opinatum*; sed licet hoc dixerit voce, non tamen opinabatur men- 32.

Impossibile est aliquem existimare idem simul esse, et non esse.

te, ideo dicit, quod *non est sic quemadmodum putant*, Heraclitum dicere; *non enim est necesse ea, quæ aliquis dicit*, scilicet voce, *ea et suscipere*, id est, opinari mente; postea tangit rationem ad oppositum dicens: *si vero non*, supple verum sit, quod dictum est, *sequitur quod contingit eidem contraria simul inesse*; determinentur ergo nobis eadem, id est, quod ostendebatur propositum propositione consueta, quæ scilicet declarata est in Logicis, scilicet in 2. Perihermenias, quæ est ista, quod *contraria quidem est opinio opinioni, quæ est contradictionis*; quia ergo sic est, *palam quia impossibile est eumdem simul suscipere esse, et non esse*, *enim* pro quia, si sic, iste *quidem mentitus habebit contrarias opiniones*, quod supple est impossibile.

33. Opiniones contrariæ triplices. Notandum, quod ut probatur 2. Perihermenias juxta finem, si duo haberent duas opiniones contrarias, istæ opiniones non sunt contrariæ primo et per se; si enim unus opinatur quod Socrates est bonus, et alius opinatur quod Socrates est malus, non essent opiniones primo et per se contrariæ, sed quod unus opinetur, Socrates est albus, et alius opinetur, Socrates non est albus; si igitur unus opinetur Socratem esse bonum, et idem opinetur Socratem non esse bonum, tunc erunt opiniones contrariæ per se et primo; si igitur aliquis opinatur idem simul esse et non esse, opinabitur duo contradictoria esse simul vera, et per consequens habebit simul duas contrarias opiniones, quare eidem simul inerunt contraria, quod est impossibile. Deinde cum dicit:

Quapropter omnes demonstrantes in hanc reducunt ultimam opinionem.

Adaptat dicto principio secundam conditionem, et innuit talem rationem: Illud ad quod resolvuntur omnes demonstrationes, non habetur ex suppositione, sed est per se notum; sed dictum principium est hujusmodi, ergo, etc. Dicit ergo quasi concludens ex dictis: *quapropter*, quia supple sic est, quod circa illud principium non contingit mentiri, *ideo omnes demonstrantes reducunt in eam ultimam opinionem*, id est, in istam propositionem et dignitatem ultimam, quæ est dignitas dignitatum. Deinde cum dicit:

Natura namque principium, et aliarum dignitatum hæc omnium.

Adaptat ad dictum principium tertiam conditionem, et intendit talem rationem: Illud quod est notum in naturali lumine intellectus non habetur per demonstrationem, quia demonstratio est de ignotis; sed dictum primum principium est hujusmodi, ergo, etc. Dicit ergo, quod dictum primum *principium est natura*, id est, naturaliter prius, et hæc scilicet propositio, vel dignitas *est aliarum omnium dignitatum* supple prior, ex quo sequitur, quod non habetur per demonstrationem; qualiter autem prima principia fiant nobis nota in lumine naturali intellectus, declaratum fuit in quadam quæstione in prologo primi libri, et in quadam quæstione posita in secundo libro. Demonstratio est de ignotis.

SUMMÆ SECUNDÆ.

CAP. II.

Contra dicentes, contingere posse idem esse, et non esse.

SUMMARIUM.

In hoc capite usque ibi : *Amplius si homo,* rejicit duos errores de primo principio, explicans quomodo dici possit aliqualiter demonstrari.

Sunt autem quidam, qui ut diximus, dicebant contingere idem esse et non esse, et existimare ita; utuntur autem ratione hac multi eorum, qui de natura. Nos autem nunc accipimus quasi impossibile existente simul esse et non esse; et propter hoc ostendimus, quia firmissimum id principiorum omnium est.

34. Processus defensivus. Postquam Philosophus determinavit de primo principio, modo declarativo ostendens quid, et quale sit, nunc procedit ad determinandum de ipso modo defensivo, defendens ipsum contra negantes ipsum disputans contra eos. Circa quod duo facit. Primo enim tangit et excludit duos errores circa primum principium. Secundo regreditur super primum errorem disputans prolixe contra ipsum. Secunda ibi : *Principium vero ad omnia.* Prima in duas secundum duos errores quos ponit; primus est negantium; secundus est demonstrare volentium illud principium ibi : *Dignantur autem et hoc.* Dicit ergo, quod *sunt quidam qui, ut diximus* de Heraclito, *dicebant contingere idem esse et non esse, etenim existimare,* id est, opinari, *ita esse, hac autem ratione,* vel positione, *utuntur multi eorum, qui sunt de natura,* id est, multi Philosophi Naturales, sicut inferius dicetur : *nos autem accipimus nunc quasi impossibile existente aliquid simul esse et non esse,* hoc enim supponendo; *per hoc enim ostendimus, quod* illud principium *firmissimum omnium est,* ut patet ex præcedentibus. Deinde cum dicit :

Primus error circa primum principium.

Volunt autem et hoc demonstrare quidam propter ineruditionem, est enim ineruditio non cognoscere quorum oportet quærere demonstrationem, et quorum non oportet; totaliter quidem enim omnium esse demonstrationem est impossibile, nam in infinitum procederet, ut nec ita foret demonstratio. Si vero quorumdam non oportet quærere demonstrationem, quod volunt magis esse tale principium non habent dicere.

Ponit secundum errorem volentium, scilicet primum principium demonstrare. Circa quod duo facit : quia primo ostendit primum principium non posse demonstrari simpliciter. Secundo quod potest aliqualiter demonstrari, accipiendo scilicet improprie demonstrari. Secunda ibi : *Est autem demonstrare.* Dicit ergo, quod *quidam dignantur,* id est, dignum judicant, *demonstrare hoc* scilicet principium *propter ineruditionem,* vel indisciplinationem, sive ignorantiam artis demonstrandi, quod exponit cum subdit : *est enim ineruditio non cognoscere quorum oportet demonstrationem quærere, et quorum non oportet; omnium enim esse demonstrationem est impossibile, nam in infinitum procederet,* scilicet demonstrator, vel supple esset circulus in demonstratione, quorum utrumque est impossibile; ideo subdit, *quare nec ita fieret demonstratio,* oportet igitur aliqua esse indemonstrabilia. *Si vero quorumdam non oportet quærere demonstrationem,* id est, si 35.

Secundus error.

Non omnium esse demonstrationem ostendit.

oportet aliqua esse indemonstrabilia, ut dictum est, *quod dignantur tale esse principium*, scilicet indemonstrabile *dicere non habent*, scilicet prætermisso illo, quod sit primum.

Idem non potest demonstrare se ipsum.

Notandum, quod sicut habetur ex 1. Poster. text. 5. et 6. idem non demonstratur per seipsum, sed per aliud, nam aliter idem esset prius et posterius, notius et minus notum respectu suimet, cum demonstratio procedat ex prioribus et notioribus; si igitur omnia essent demonstrabilia, vel oportet esse circulum in demonstrationibus, vel processum infinitum, quorum utrumque improbat Philosophus 1. Poster. si ergo oportet dare aliqua simpliciter indemonstrabilia, multo magis primum principium, de quo nunc est sermo, erit simpliciter indemonstrabile; quia si istud non sit indemonstrabile, non habemus dicere, quod aliud sit indemonstrabile, cum de illo magis videatur ratione suæ primitatis. Deinde cum dicit :

Est autem demonstrare elenchice, et de hoc, quia impossibile si solum aliquid dicit qui dubitat; si vero nihil, derisio est quærere rationem ad nullam habentem rationem, inquantum non habet rationem; similis enim plantæ talis inquantum talis jam est. Elenchice autem demonstrare utique videbitur parum differre et demonstrare. Quia demonstrans quidem, quod in principio; sed nec tali existente causa, elenchus utique erit, et non demonstratio.

36. Ostendit quomodo aliqualiter potest dici dictum principium posse demonstrari. Dicit ergo, quod *est*, id est, contingit *demonstrare de hoc*, id est, principio, *elenchice*, id est, argumentative : *quia impossibile est*, scilicet idem simul esse, et non esse ; ex hoc *si ille, qui dubitabit*, scilicet de dicto principio, *solum aliquid dicit*, id est, dummodo aliquid nomine significet : *si vero nihil significet*, per nomen, *derisio est quærere rationem ad nullam habentem rationem, inquantum non habet rationem*, scilicet in loquendo; *talis enim in quantum est talis, similis est plantæ*, quæ scilicet nihil significat voce, vel signo aliquo, bruta enim aliquid, vel per voces, vel per signa naturalia significant; exponit autem modum, quo primum principium potest demonstrari, dicens quod *elenchice*, id est, argumentative *demonstrare*, scilicet primum principium : *dico autem differre et demonstrare*, si supple simpliciter opinabitur *sic demonstrans, quia quæreret quod est in principio*. Vult dicere, quod multum differt demonstrare primum principium modo argumentativo et modo elenchico, et demonstrare ipsum simpliciter, nam primum non est inconveniens. Secundum autem est impossibile, quia si aliquis vellet primum principium demonstrare, videtur petere principium, quia non posset accipere ad ejus demonstrationem, nisi aliquid quod ex virtute illius principii dependeat; sed quando fit demonstratio simpliciter, et non per modum elenchi et syllogismi probabilis, non sequitur illud inconveniens, unde subdit : *sed nec tali causa* in demonstratione simpliciter *existente argumentatio erit, et non demonstratio*.

Primum principii potest al qualite demonst ri ex q sequi vi tur, qu omniu potest esse aliq lis demo tratio

Notandum, quod primum principium non potest simpliciter demonstrari, cum nihil sit prius eo ; potest tamen demonstrari improprie, scilicet modo argumentativo,

Demonst tio dupl

sive syllogismo Elenchico, qui est syllogismus contradictionis, et hoc supponendo, quod unum aliquid significet; hoc enim est unum principium contra negantes primum principium, ut patebit statim infra. Deinde cum dicit :

37 Text. com. 10. Principium vero ad omnia talia non velle, aut esse aliquid dicere, aut non esse, hoc enim forsan utique quis opinabitur, quod a principio petere, sed significare quidem aliquid et ipsi, et alii. Hoc enim necesse est si dicat aliquid; si enim non, cum tali non utique erit sermo, nec ipsi ad seipsum, nec ad alium. Si quis autem hoc dederit, erit demonstratio; jam enim erit aliquid definitum, sed tamen non demonstrans, sed sustinens; interimens enim rationem, sustinet ratione.

Regreditur super primum errorem disputans prolixe contra ipsum.

Ad cujus evidentiam notandum, quod istud principium, *Impossibile est idem simul esse et non esse,* multum est affine principio, scilicet, *De quolibet est vera affirmatio vel negatio,* nam quasi ex illo sequitur, et in illo virtualiter continetur. Secundum hoc hæc pars dividitur in tres. Primo enim disputat contra ponentes contradictoria esse simul vera. Secundo disputat contra ponentes ea simul esse falsa ratione medii, quod ponunt inter duo contradictoria, et per consequens negantes illud principium, *de quolibet affirmatio vel negatio.* Tertio disputat contra quosdam errores annexos, et his opinionibus communicantes. Secunda ibi : *At vero nec contradictionis.* Tertia ibi, juxta finem hujus quarti : *His autem determinatis.* Prima in duas, quia primo disputat contra eos communiter. Secundo magis specialiter. Secunda ibi : *Est autem non idem modus.* Prima in duas, quia primo facit, quod dictum est. Secundo ostendit, et adaptat opinionem Pythagoricorum isti positioni negantium primum principium. Secunda ibi : *Est autem ab eadem opinio.* In prima septem viis procedit contra eos. Prima sumitur ex nominis significatione. Secunda ex termini vel nominis prædicatione. Tertia ex rerum distinctione. Quarta ex certitudinis cognitione. Quinta ex veritatis conditione. Sexta ex rerum fuga et electione. Septima ex falsitatis comparatione. Secunda ibi : *Omnino vero destruunt.* Tertia ibi : *Amplius si contradictionis.* Quarta ibi : *Amplius autem circa omnia.* Quinta ibi : *Amplius igitur aut habere.* Sexta ibi : *Unde maxime.* Septima ibi : *Amplius si quam maxime.* Circa primum sic procedit : Primo exponit modum sive principium quo contra eos arguendum sit. Secundo arguit contra eos secundum datum modum et principia. Secunda ibi : *Primum ergo manifestum.* Dicit ergo 38 Incipit disputare contra primum errorem primo communiter ex prima via nominis significatione.
quod *principium*, scilicet procedendi, *ad omnia talia*, id est, contra omnia talia inopinabilia, *non dignari*, id est, non esse dignum *dicere aliquid esse aut non esse*, id est, non oportet accipere pro principio aliquam propositionem affirmativam vel negativam ; *hoc enim forsan aliquis opinabitur, quod est a principio quærere,* id est, quod esset petitio principii, sicut dictum fuit supra, *sed* oportet supple accipere pro principio, scilicet *significare hoc aliquid*, scilicet ipsum unum, *et ipsi*, qui scilicet loquitur, *et alii*, scilicet cui loquitur, et ipsum audit, *hoc enim necesse est si aliquid dicat*, vel loqua-

tur; *si autem non*, id est, si non concedat unum aliquid significare, *cum tali non erit sermo, nec ei ad seipsum, nec ad alium*; quare supple cum tali derisorium est loqui vel disputare; *sed si quis dederit hoc*, et concesserit statim *erit demonstratio*, contra eos; *jam enim aliquid erit definitum*, id est, distinctum a suo contradictorio, quod per unum significatur, sicut patebit infra, *sed causam non demonstrans, verum* pro sed, *sustinens*, id est, quod hoc faciendo non erit demonstrare simpliciter primum principium, sed erit tantum ratio sustinens, et defendens primum principium contra negantes ipsum; ille enim qui sustinet rationem, scilicet veram, destruit rationem falsam, quasi contradicens sibi, ut patet. Deinde cum dicit :

Primum quidem igitur manifestum, quod hoc idem verum est, quod significat nomen esse aut non esse; quare non utique omne sic, et non sic se habebit.

39 Arguit contra eos secundum datum principium et modum. Circa quod duo facit secundum quod dupliciter arguit. Secunda ibi : *Amplius si homo*. Dicit ergo, quod si nomen aliquid significat, ut supponitur, *hoc primum est manifestum, quod hoc quidem verum est, quod unum significat hoc aliquid esse aut non esse*, id est, quod hoc erit manifestum, quod hæc propositio est vera, quod unum aliquid significat, et ejus contradictoria quam negat, est falsa; quia saltem hoc habemus, quod non omnis affirmatio est vera cum sua negatione, ideo concludit : *quare non utique omne sic, et non sic se habet*. Deinde cum dicit :

SUMMARIUM.

Nomen unum significat naturam seu unum quid, non autem unum et non unum; unde convincit nulli convenire posse simul esse et non esse.

Amplius si homo significat unum, sit hoc animal bipes. Dico autem significare hoc, si hoc est homo, si sit aliquid homo, hoc est hominem esse. Nil autem differt, nec si plura quis dicat significare, solum autem definita; ponetur enim utique singulis rationibus alterum nomen. Dico autem, ut si non dicat hominem unum significare, sed multa quorum unius quidem una ratio animal bipes; sunt autem et aliæ plures, sed definitæ numero. Ponetur enim proprium nomen secundum unamquamque rationem; si autem non ponatur, sed infinita significare dicat, palam quia non utique erit ratio, nam non unum significare, nihil significare est. Non significantibus autem nominibus auferetur ad invicem disputare, secundum veritatem autem, et ad seipsum. Nihil enim contingit intelligere nihil intelligentem unum; si autem contingit, ponatur huic rei nomen unum.

Sit itaque sicut a principio dictum est significans aliquid nomen, et significans unum. Text. cc 11

Ponit secundam rationem contra eos. Circa quod duo facit : quia primo præmittit quædam necessaria. Secundo ex illis arguit ad propositum. Secunda ibi : *Necesse itaque*. Prima in tres secundum quod tria præmittit. Primum, quod nomen unum significat unum. Secundum est quod sequitur ex primo, quod hoc nomen *homo*, significat id quod est hominem esse, non autem id quod est hominem non esse. Tertium est quod *homo* et *non homo*, non significant unum. Secunda ibi : *Nec itaque contingit hominem*. Tertia ibi : *Si autem non significat*. Dicit ergo, quod *si homo significat unum, sit hoc unum animal bipes*; hoc enim unum quod significat nomen, 1. Supr 40

est definitio rei et quidditas, ideo subdit : *dico autem hoc unum significare si hoc est homo; hoc est hominem esse,* id est, si animal bipes est quod quid est hominis, hoc erit significatum hujus nominis *homo.* Ad probandum autem quod unum nomen significat, innuit talem rationem, quia si nomen significat plura, aut finita, aut infinita; si finita, habetur propositum; si infinita, peribit omnis disputatio. Ideo dicit, *nihil differt ut si quis plura dicat significare solummodo quod tantum definita*, id est, si illa plura sint finita; *ponatur enim in singulis rationibus diversum nomen*, id est, quod cuilibet quidditati et rationi significatæ potest imponi nomen proprium et diversum; *dico autem ut si dicat* aliquis *hominem non significare unum*, *sed multa*, *quorum unius quidem una ratio sit animal bipes*; *sunt diversæ et plures*, scilicet aliæ rationes significatæ, *sed definitæ numero*; *ponatur enim proprium nomen secundum unamquamque rationem*, et tunc redibit id quod prius, scilicet quod quodlibet unum nomen, unum significabit : *si autem non ponatur* significare finita, *sed* videtur *significare infinita, palam quia non erit ratio*, id est, locutio vel disputatio, quod patet sic : *nam non unum significare, nihil est significare*; *sed non significantibus nominibus aufertur ad invicem disputatio et secundum veritatem et ad ipsum*, id est, ad hominem. Quod autem non significare unum, sit nihil, probat ex hoc, quia nomen significat intellectum, sive conceptum mentis; si igitur nihil intelligitur, nihil significatur; sed nihil intelligitur nisi unum, vel sub ratione unius, quia intellectus illud quod intelligit, ab aliis distinguit; ideo dicit quod *nihil contingit intelligere nisi unum intelligentem, sed si contingit,* id est, quia contingit aliquod unum intelligere, *imponatur huic rei*, quæ intelligitur, *unum nomen*, et sicut a principio dictum est, ipsum unum aliquid significans est unum significans; *sic ita sicut a principio dictum est significans aliquid et significans unum*, supple sunt idem.

[Quod significatur intelligitur, est unum.]

[Significare sequitur intelligere.]

41 Notandum quod cum Aristoteles ait, quod cum unum nomen unum significat, tantum loquitur ex intentione de nomine univoco solum, quod patet; tum quia infra supponit, quod si aliquod nomen significat plura, hoc erit secundum æquivocationem; tum quia hîc statim dixit quod si unum nomen plura significet, nihil differt solummodo illa plura sint finita, quia cuilibet illarum rationum plurium poterit nomen proprium imponi, et redibit idem quod prius; unde patet quod nomen æquivocum plura significans, non est unum simpliciter. Intendit ergo Aristoteles quod nomen simpliciter unum, significat unum et secundum unam rationem; quare etiam addit quod contingit unum tantum intelligere sicut verum, quod et si plura intelligit, non nisi in quantum sunt aliquo modo unum, et secundum unam rationem, unde et possit eis imponi unum nomen tantum. Deinde cum dicit :

[Nomen univocum est simpliciter nomen unum.]

[Vide Scot. sup. 1. elench.]

Non itaque contingit homini esse significare, quod quidem non esse homini si homo significat non solum de uno, sed et unum. Non enim hoc significat unum significare quod de uno, quoniam sic utique musicum, et album, et homo, unum significarent, quare unum omnia erunt syno-

nyma; namque et non erunt esse et non esse idem, nisi secundum æquivocationem, ut si quem nos hominem vocamus, alii non hominem vocent. Dubitatum vero hoc non est, si contingit idem esse, et non est hominem secundum nomen, sed secundum rem.

2. Suppos. Ponit secundum præmittendum, scilicet quod hoc nomen *homo* significat idem, quod est hominem esse tantum. Dicit ergo, *nec contingit itaque hominem* esse non esse hominem; *si homo significat non solum de uno, sed et unum*, id est, quod si hoc est verum quod nomen significans unum non solum significat de uno, et subdit quod ideo *dicatur unum, quia de uno*, sed significat id quod est unum simpliciter, et secundum unam rationem, hinc est quod *homo* significat id quod est hominem esse, quod non significat id quod est hominem non esse; non enim dignamur, id est, non dignum judicamus unum significare quod est de uno : *quoniam sic musicum, et album, et homo, significarent unum*, inquantum scilicet omnia de uno verificantur, *quare* sequitur quod *omnia erunt unum.* Cujus ratio est, quia album dicitur de homine, et propter hoc est unum cum homine, eadem ratione erit idem cum lapide, cum dicatur de lapide; ex quo sequitur, quod homo et lapis erunt unum et idem cum sint idem uni. Tertio quia quæ sunt eadem uni et eidem, eadem sunt sibi invicem; quare sequitur, quod *omnia nomina erunt synonyma*, id est, quod significantia eamdem rem in nomine; cum ergo esse et non esse verificentur de eodem, secundum negantes primum principium, oportet tamen quod aliud sit id quod est hominem esse, et id quod est hominem non esse; sicut id quod est album, et quod est musicum, est aliud et aliud secundum rationem, licet de eodem dicantur, puta de Socrate. Ideo concludit quod *non erunt idem esse et non esse, nisi secundum æquivocationem*, quod dicit ad significandum quod homo non significat univoce hominem esse et non esse hominem ;esto quod possit utrumque æquivoce significare, *ut si quem nos hominem significamus, alii*, scilicet in alia lingua *non hominem vocent;* sed hoc *non est* modo *dubitatum* vel quæsitum, *si contingit simul idem esse hominem, et non esse hominem secundum nomen*, scilicet æquivocum, *sed* si sit idem *secundum rem*, et secundum rationem. Ex quibus omnibus patet quod hoc nomen *homo*, ita significat hominem esse, quod non significat hominem non esse; et accipitur hîc *esse* hominis pro quidditate hominis, quam significat nomen, nam ratio quam significat nomen est quidditas rei, quod per definitionem exprimitur. Deinde cum dicit :

Hoc nomen, *homo*, tantum significare hoc quod est hominem esse.

Si autem non significet alterum homo et non homo, palam quia non esse homo ab esse homini non erit alterum ; quare erit homini esse non homini esse, unum enim erit; hoc enim significat esse unum, ut vestimentum et indumentum si ratio una. Si vero erit unum, et unum significat homini esse, et non homini, sed ostensum est quod alterum significat, 42.

3. Supp. Ostendit tertium præmittendum, scilicet quod *homo* et *non homo* non significant unum et idem. Et intendit talem rationem : *homo* significat id quod est hominem esse, id est, quod quid est hominis, et *non homo* id quod est non esse hominem, id est quod quid est non homo; si

Homo non homo non significant idem

igitur homo et non homo idem significant, ergo esse hominem et non esse hominem erunt idem et non aliquid diversum, et per consequens unum de alio prædicabitur, et erunt idem secundum rationem, sicut vestimentum et indumentum, quia idem nomen puta *homo* utrumque significaret, cujus oppositum præostensum est; ergo homo et non homo significant unum et idem. Dicit ergo quod *si non significat diversum homo et non homo, palam quia non esse hominem non erit diversum*, ab esse hominem; *quare erit esse non hominem, esse hominem,* id est, prædicabitur unum de alio in quid, et prædicatione dicente, hoc est hoc, *unum enim erunt* secundum rationem : *nam hoc significat esse unum, ut vestimentum et indumentum si ratio sit una*; *si vero erunt unum*, scilicet hominem esse et hominem non esse, *et unum*, scilicet nomen puta homo *significabit hominem esse et hominem non esse*; *sed ostensum est*, id est, suppositum tanquam superius ostensum, *quia diversum significant*; ostensum est enim quod hoc nomen *homo* significat hominem esse, et *non homo* significat non esse hominem. Ex quo patet quod non sunt idem esse hominem, et non esse hominem; quare *homo* et *non homo,* non idem significabunt quod est intentum. Deinde cum dicit :

Text. com. 12. Necesse itaque si verum quod est dicere, quia homo animal est bipes ; hoc enim erat quod significabat homo ; sed si hoc necesse, non contingit, non esse hoc ipsum animal bipes, hoc enim significat, necesse esse impossibile non esse hominem. Non igitur contingit simul verum esse dicere idem hominem esse et non esse hominem, eadem autem ratio et in non esse hominem.

Arguit ad propositum ex præmissis. Circa quod tria facit. Primo enim ex prædictis format rationem. Secundo subjungit cujusdam suppositi probationem. Tertio excludit quamdam cavillationem. Secunda ibi : *Nam hominem esse*. Tertia ibi : *Si respondeatur ad interrogatum*. In prima parte intendit talem rationem : Necesse est quod homo sit animal bipes ; hæc est ratio, quam significat hoc nomen *homo*, ut prædictum fuit ; sed quod est necesse esse, non contingit non esse, quia istæ æquipollent, scilicet necesse est esse, et non contingit non esse, vel non possibile est non esse ; si igitur non possibile est non esse, ergo impossibile est hominem non esse animal bipes. Ex quo patet quod non contingit affirmationem et negationem simul esse veram de homine, scilicet quod homo sit animal bipes, et quod non sit animal bipes. Dicit ergo quod *necesse est itaque verum dicere si quidem, quia homo est animal bipes, hoc enim erat quod significabat* homo ; *sed si hoc necesse non contingit non esse hoc ipsum, animal bipes, hoc enim significat necesse esse quod est impossibile non esse*, quia illæ propositiones æquipollent ; *non igitur contingit simul verum esse dicere idem hominem esse, et non esse hominem*. Addit autem quod *eadem ratio est et in non esse hominem*, quia scilicet necesse est non hominem esse non animal bipes, et per consequens non contingit non esse non animal bipes, et sic ulterius ut prius. Hic plura notabis de æquipollentiis modalium.

43. Notandum, quod ea quæ præmissa fuerunt, sic valent ad istam

rationem; quia si daretur quod *homo* et *non homo* idem significarent, vel quod hoc nomen *homo* significaret utrumque illorum, scilicet hominem esse et non esse hominem, posset negari ista propositio, scilicet quod necesse sit hominem esse animal bipes, ex quo *homo* et *non homo* idem significarent; vel hoc nomen *homo* utrumque significaret, scilicet id quod est esse hominem, et id quod est non esse hominem. Deinde cum dicit :

Nam esse et non homini esse alterum significat, si quidem album esse et hominem esse alterum, multum enim opponitur illud magis, quare significat diversum. Si autem et alium dixerit significare et unum ratione cum homine et lapide, idem dicemus quod et prius dictum est, quia unum omnia sunt et non solum opposita. Si autem hoc non contingit, contingit quod dictum est.

Esse hominem et non esse hominem, esse diversa probatur.

Subjungit cujusdam suppositi probationem, probando enim quod hoc nomen *homo*, non significat id quod est non esse hominem, dixerat quod id quod est esse hominem, et id quod est non esse hominem sunt diversa, dato per impossibile quod dicerentur de eodem, et hoc est quod hîc vult probare per talem rationem : Magis opponuntur esse hominem et non esse hominem, quam homo et album quæ sunt diversa secundum rationem, non obstante quod sint idem subjecto; ergo esse hominem et non esse hominem multo magis erunt diversa. Minorem ostendit sicut prius ducendo ad inconveniens, scilicet quod omnia erunt unum. Dicit ergo quod *hominem esse et non esse hominem diversum*, scilicet sunt; *multum enim magis opponitur* id quam supple *homo et album, quare significat diversum. Si autem album idem dixerit* aliquis *significare*, scilicet *cum homine et unum ratione*; *idem dicemus quod et prius dictum est*, scilicet *quod omnia unum sunt et non solum opponitur*, id est, quod non erunt opposita, sed omnia erunt unum, ut superius deductum fuit; *si autem hoc non contingit, contingit quod dictum est*, scilicet quod esse hominem et non esse hominem sunt diversa. Deinde cum dicit :

Si respondeatur ad interrogatum. Si autem apponat interroganti simpliciter et negationes, non respondetur ad interrogatum. Nihil enim prohibet esse idem et hominem, et album, et alia mille secundum pluralitatem. Attamen interrogante si verum est dicere hominem hoc esse, aut non, respondendum est unum significatum et non addendum, quia et album magnum : etenim impossibile infinita entia accidentia permeare, aut igitur omnia permeentur, aut nullum. Similiter autem et si millies est idem homo et non homo, non est correspondendum interroganti, si homo est, quia est simul et non homo, si non, et alia quæcumque acciderunt sunt correspondentia quæcumque sunt, aut non sunt, si autem hoc non fecerit, non disputat.

Excludit quamdam cavillationem, qua posset responderi ad prædicta; adversarius enim interrogatus an necessarium sit hominem esse animal bipes, et non esse animal bipes, posset respondere dando affirmationem et negationem; hoc autem Philosophus excludit, dicens prædictam conclusionem sequi, ideo dicit, quod *si responderetur ad interrogatum*, sequitur supple propositum nostrum, scilicet sic vel sic : vel *si apponatur interroganti simpliciter* de affirmatione velit, respondens *addere et negationes, non videtur respondere ad interrogatum*, id est, quod si interroganti simpliciter de affirmatione, velit

respondens addere negationem in sua responsione, ut dictum est modo prædicto; non respondet ad interrogata, quod declarat sic, *nihil enim obest idem*, puta Socratem, *esse hominem et album, et alia hujusmodi mille in pluralitate, attamen interroganti si verum sit dicere hominem esse hoc, aut non*, puta esse album vel non esse album, *respondendum est* tantum *unum significatum, et non est addendum, quia est album, et nigrum, et magnum*, et hujusmodi alia, quia supple oportet alia accidentia alicui respondere simul, aut nullum: sed omnia simul non possunt, cum

Non contingit infinita pertransire.

sunt infinita, *etenim impossibile est, quæ sunt infinita accidentia permeare*, id est, pertransire, *aut igitur omnia permeentur* in respondendo scilicet *aut nullum*; dicuntur autem accidentia alicujus esse infinita non simpliciter, sed quoad nos; sic enim infinita accidunt eidem, saltem secundum relationem et comparationem ad infinita accidentia, et consequentia. Patet igitur ex dictis, quod non solum id de quo quæritur, est respondendum, et nihil eorum quæ accidunt quæsito: *similiter igitur* in proposito, *dato quod millies idem esset homo et non homo, interroganti, si est homo, non est respondendum, quia est simul* supple homo, *et non homo si non* pro nisi; nisi *et alia quæcumque accidunt sunt respondenda quæcumque sunt, aut non sunt*; *si enim hoc non facit, non disputat*, quia ut prædictum est, vel omnia accidentia sunt respondenda, quæcumque sunt, aut non sunt, secundum quod interrogatio est affirmativa vel negativa, vel nullum est respondendum, aliter nulla esset disputatio.

SUMMARIUM.

Si negatio et affirmatio verificantur de eodem, omne prædicatum esset accidentale, ostendit consequentis falsitatem. Explicat bene Doctor varios modos prædicandi per accidens.

Omnino vero destruunt, qui hoc dicunt substantiam, et quod quid erat esse, omnia namque dicere accidere est necesse, et vere homini esse, aut animali esse non esse. Text. com. 13.

Al. ponentes contradictoria esse simul vera.

45. Secunda via ex termini vel nominis prædicatione.

Postquam Philosophus disputavit contra negantes primum principium per viam, quæ sumitur ex nominis significatione, nunc disputat contra eos ex secunda via quæ sumitur ex termini, vel nominis prædicatione, et intendit talem rationem: Si affirmatio et negatio sunt simul vera de eodem; ergo nullum erit prædicatum substantiale et in quid, sed solum per accidens; consequens est falsum, ergo et antecedens. Circa hanc consequentiam sic procedit: Primo proponit ipsam consequentiam. Secundo subjungit consequentiæ probationem. Tertio ostendit falsitatem consequentis. Secunda ibi: *Nam si quid fuerit*. Tertia ibi: *Si vero omnia secundum accidens*. Dicit ergo, quod illi, *qui hoc dicunt*, scilicet quod affirmatio et negatio simul verificentur de eodem, *omnino destruunt substantiam*, id est prædicatum substantiale, *et quod quid erat esse*, id est, prædicatum in quid; *necessarium enim est eis dicere omnia accidere*, id est, omnia prædicata esse per accidens, *et non esse quod vere homini esse*, id est prædicatum significans quid est homo, *aut* convenit *animali esse*, id est, nec esse prædicatum significans quid est

animal, sed supple omnia prædicata esse per accidens, ut prædictum est. Deinde cum dicit :

Nam si erit quod vere homini esse hoc non erit non homini esse, aut non esse homini, quamvis hæ negationes hujus : unum enim erat quod significabat, et erat hoc alicujus substantia. Significare vero substantiam est, quia non aliquid aliud ipsi. Si autem erat ipsi quod vere homini esse, quod vero non homini esse, aut quod non vere non esse homini, aliud erit. Quare dicere eos est necesse, quia nullius erit talis ratio, sed omnia secundum accidens ; hoc enim determinata est substantia et accidens, album enim accidit homini, quia est albus, sed non vere album.

Probat dictam consequentiam hoc modo, scilicet quia ad oppositum consequentis sequitur oppositum antecedentis. Dicit ergo : *nam si quid fuerit, quod est hominis esse,* id est, si detur oppositum consequentis, scilicet quod sit aliquid prædicatum in quid significans esse et quod quid est hominis, et hoc scilicet tale prædicatum, *non erit non hominem esse* aut non esse hominem; *hujus enim,* scilicet esse hominem sunt *duæ* prædictæ *negationes,* scilicet non hominem esse et non esse hominem; ex quo patet, quod si aliquid sit quid est homo vel esse hominem, id est, aliquod prædicatum dictum in quid de homine, quod affirmatio et negatio non verificabitur de eodem, quia scilicet de eo quod est esse hominem non verificatur non hominem esse, aut non esse hominem; cujus probationem subdit : *unum erat quod significabat* substantiam, *et hoc erat alicujus* substantia, vult dicere quod probatum est supra, quod hoc quod significat nomen est unum, iterum dictum est quod illud quod significat substantiam, est aliquid rei, et non aliquid aliud; ideo dicit, quod *significare substantiam est quod non est aliud ipsi esse; si igitur fuit ipsi quod est vere homini esse* illud *quod vere est non homini esse,* aut quod non esse homini, sequitur quod esse homini *aliud erit,* scilicet a se; vult dicere, quod si illud quod est esse hominem, sive quod quid est homo fuerit, vel non esse hominem, vel esse non hominem, constat quod erit quoddam alterum a se : *quare necesse est eos dicere, quare nullius talis ratio,* id est, definitio significans quod quid est esse rei, *sed omnia secundum accidens,* id est, quia omnia prædicata erunt per accidens; *sed hoc enim determinata est substantia et accidens,* id est, quod in hoc distinguitur prædicatum substantiale ab accidentali, quia unumquodque est vere, id quod de ipso substantialiter prædicatur; sed non sic est de prædicato per accidens, nam homo dicitur albus non quod vere sit illa albedo, sed quia albedo vel album sibi accidit, quia est albus denominative, sed non quia albedo. Ex quibus omnibus patet, quod prædicatum quod prædicatur substantialiter, non potest esse realiter nisi unum; sed prædicatum per accidens non est necesse esse unum tantum, nec per consequens substantiale sed accidentale. Patet igitur ex prædictis probatio consequentiæ, quod si de aliquo simul verificetur affirmatio et negatio, puta esse hominem et non esse hominem, quod nullum erit prædicatum substantiale et in quid, cum illud sit tantum unum realiter; affirmatio autem et negatio, puta esse hominem et non esse homi-

Differentia prædicati substantialis ab accidentali.

Quia per accidens

prædicari non contingit. nem, non sunt realiter unum prædicatum. Deinde cum dicit :

46. Test.com. 14. Si vero omnia secundum accidens dicuntur, nullum primum erit universale ; si autem semper accidens de subjecto aliquo significat prædicationem, in infinitum igitur ire necesse est, sed impossibile, neque enim plura duobus complectitur. Accidens enim non accidentia accidet, nisi quia ambo eidem accidunt, dico autem ut album, musicum et homo albus, quia ambo homini accidunt. Sed non Socrates musicus ita, quia ambo accidunt alicui alteri; quoniam igitur hæc quidem ita, illa vero illo modo dicuntur accidentia, quæcumque sic dicuntur ut album Socrati, non contingit infinita esse in superius, ut Socrati albo alterum aliquod sit accidens, non enim fit aliquod unum ex omnibus. Nec albo itaque aliquid aliud erit accidens ut musicum ; nihil enim magis illi quam illud huic accidit. Et simul determinatum est, quia hæc quidem ita accidunt, hæc autem ut musicum Socrati, quæcumque vero sic non accidenti accidunt, sed quæcumque illo modo, quare non omnia secundum accidens dicuntur. Erit igitur aliquid et ut substantiam significans, si autem hoc, ostensum est quia impossibile prædicari contradictiones.

Non omnia prædicata sunt secundum accidens. Ostendit falsitatem consequentis dicens, quod *si omnia prædicata dicuntur secundum accidens,* sequitur quod *nullum erit prædicatum universale,* id est, nullum erit prædicatum per se, et secundum quod ipsum, accipitur enim hîc universale ; sicut primo Poster. scilicet quod inest per se, et de omni, et secundum quod ipsum ; hoc autem est impossibile, quod semper prædicatio sit de subjecto aliquo per accidens, ideo dicit : *si autem semper accidens de subjecto aliquo significat prædicationem, necesse est prædicationes in infinitum ire,* quatenus eidem possunt accidere infinita; *verum* pro sed, sed hoc est impossibile, *non enim plura duobus complectitur,* id est, quod prædicatio accidentalis complectitur tantum duos modos in quorum nullo est processus infinitus, ut dicetur.

Prædicatio per accidens duplex. Quando et qualiter accidens

Unus modus est secundum quod accidens prædicatur de accidente, et hoc ideo quia ambo accidunt eidem subjecto; ideo dicit quod *non accidit accidens accidenti, nisi quia ambo eidem accidunt: dico autem aut album est musicum et hoc,* scilicet musicum est album, e converso *quia ambo homini accidunt.* Secundus modus per accidens est, quando accidens prædicatur de subjecto, ut cum dicitur, Socrates est musicus, quæ est prædicatio per accidens, non quod ambo accidant tertio, sed quia alterum accidit alteri, ideo dicit : *sed non Socrates, ita dicitur musicus, quia ambo accidunt alicui diverso,* sed supple quia unum, scilicet musicum, accidit alteri scilicet Socrati; in neutro autem istorum modorum per accidens contingit prædicationem procedere in infinitum, quia oportet stare ad subjectum, unde dicit : *quoniam igitur hæc quidem ita, illa vero sic dicuntur accidentia,* id est, prædicata per accidens *quæcumque sic dicuntur ut album Socrati,* qui fuit secundus modus, *non convenit infinita esse superius,* ascendendo, scilicet a subjecto ad prædicatum, ut si diceretur quod Socrati accidit album, *et Socrati albo accidit aliquid aliud,* nam hoc haberet esse dupliciter. Uno modo sic quod ex Socrate et ex albo fieret unum, et sic sicut Socrates est subjectum unum albedinis, ita Socrates albus esset subjectum unum alterius accidentis; et hunc modum tangit Philosophus et excludit dicens, quod supple non contingit talia prædicata per accidens esse infinita, ut superius dicebatur, ut si dicatur quod Socrati albo insit aliquod aliud accidens, et

est subjectum accidentis ?

Non contingit procedere infinitum in prædicationibus nec per se nec per accidens.

Al. albo.

sic in infinitum, hoc autem est impossibile; *non enim fit aliquod unum*, scilicet per se *ex omnibus* indifferenter, quia non ex subjecto et accidente; unde non potest dici, quod Socrates albus sit unum subjectum, ideo subdit *nec itaque ambo*, scilicet subjecto et accidenti *aliquod aliud erit accidens ut musicum*, quod scilicet de ambobus quasi de uno prædicatur. Alio modo haberet esse quod sicut Socrati inest album, ita ipsi albo inesset aliud accidens, puta musicum, et sic in infinitum; et hunc modum tangit, et excludit dupliciter:

47. Tum primo, quia non est ratio quare musicum magis accidat albo, quam e converso; unde non erit ordo inter album et musicum quantum ad rationem subjiciendi; unde quantum ad hoc videntur æqualiter se habere, ideo dicit: *nihil enim magis hoc illi quam illud huic accidit*. Tum secundo, quia definitum est et ostensum, quod alius modus prædicandi per accidens est ille, in quo accidens prædicatur de accidente ab illo, in quo prædicatur accidens de subjecto, ut musicum de Socrate, ideo dicit, quod *et simul finita sunt*, id est, determinata: *quia hæc quidem ita accidunt*, quando scilicet accidens prædicatur de accidente; hoc autem *ut musicum Socrati*, quando scilicet accidens prædicatur de subjecto; in illo autem modo, de quo nunc est sermo, non accipitur prædicatio per accidens, quia accidens de accidente prædicetur, sed illo modo quo prius locuti sumus; ideo dicit, quod *quæcumque vero sic*, id est, illo modo prædicto quod in prædicatione per accidens. Secundo modo non est processus infinitus, et de primo modo per accidens non videtur Philosophus facere mentionem, sed tamen potest patere ex prædictis, quod nec etiam in primo modo est processus infinitus, ibi enim prædicatur accidens de accidente, quia ambo prædicantur de uno subjecto, quia descendendo a prædicato ad subjectum, est devenire ad ipsum subjectum ut ad terminum, nec est ultra procedere, sed oportet ibi stare; sic igitur manifestum est, quod in prædicatione per accidens, non est processus infinitus. Ex quibus omnibus concludit Philosophus, *quod quare*, inquit, *non omnia secundum accidens dicuntur; erit igitur aliquid et substantiam significans*, id est, aliquod prædicatum substantiale; *sed si hoc est* verum, *ostensum est, quia impossibile est contradictiones simul prædicari* supple de eodem, quæ est conclusio principalis.

Notandum quod Philosophus primo Poster. text. 35. distinguit tres modos prædicationis per accidens, quorum duo sunt qui hîc ponuntur, scilicet quando accidens prædicatur de subjecto, vel accidens de accidente. Exemplum primi: *homo est albus*. Exemplum secundi: *musicum est album*. Tertium autem modum ponit, quando scilicet subjectum prædicatur de accidente, ut si dicatur *musicum est homo;* non tamen propter hoc debet dijudicari, nam ille tertius modus reducitur ad istum, quando accidens prædicatur de subjecto, nam conversivus est istius et quantum ad propositum non refert loqui de isto vel de illo, quia eodem modo probatur non

48. Modi præ dicandi pe accidens sunt tres. Quare ta cuit Philo phus hîc tertium modum prædicati nis per a cidens

esse processum in infinitum in illo, sicut nec in isto et propter hoc forte Philosophus non curavit facere mentionem de isto. Tunc sequitur illa pars :

SUMMARIUM.

Omnia esse unum, si contradictoria dentur simul vera. Hinc rejicit opiniones Pythagoræ et Anaxagoræ.

Text. com. 15. Amplius si contradictiones simul de eodem veræ sunt omnes, palam quoniam omnia erunt; erit enim idem triremis, et murus et homo, si de omni aliquid aut affirmare, aut negare contingit.

Tertia via ex rerum distinctione. Ubi ponit tertiam viam contra eos, quæ sumitur ex rerum distinctione, et intendit talem rationem : Si contradictoria sunt simul vera de eodem; ergo omnia sunt unum, et per consequens entia non sunt distincta; consequens est falsum, ergo et antecedens. Circa istam rationem sic procedit : Primo præmittit rationem consequentiæ. Secundo ponit ejus probationem. Secunda ibi : *Sed dicendum est eis*. Prima in duas, quia primo facit quod dictum est. Secundo adaptat hanc consequentiam et ejus falsum consequens ad duas opiniones Pythagoræ, scilicet et Anaxagoræ. Secunda ibi : *Quemadmodum est necesse*. Dicit ergo, quod *amplius si contradictiones simul veræ de eodem sunt omnes, palam quia omnia erunt unum; erunt enim unum triremis*, id est, navis habens tres ordines remorum, *et murus,* vel sicut habet alia littera, *uniremis, et homo, et* hic supple *omnia erunt unum, si omnium contingit aliquid affirmare et negare*. Deinde, cum dicit :

Quemadmodum est necesse dicentibus rationem Pythagoræ; nam alicui si videtur non esse triremis homo, palam quia non est triremis. Quare et est si contradictio vera, et fit utique quod Anaxagoræ simul res omnes esse ut nihil vere unum sit. Indefinitum igitur videntur dicere et putantes ens dicere de non ente dicunt, nam potestate ens et non ἐντελέχεια definitum est. 49.

De veritate apparentium opinio Pythagoræ. Adaptat dictam consequentiam, et inconveniens ad duas opiniones, quarum una fuit Pythagoræ, qui dixit quidquid videtur esse verum; ideo dicit, quod *similiter est necesse*, scilicet omnia esse unum *dicentibus rationem*, id est, opinionem *Pythagoræ; nam si videtur alicui homo non triremis, palam quia non est triremis, quare et est si contradictoria vera*, id est, si alicui videatur contradictoria esse simul vera de eodem, et per consequens omnia erunt unum, ut prius. Secunda opinio fuit Anaxagoræ, qui posuit omnia esse simul, et quodlibet fieri ex quolibet, ideo dicit : *quod fit itaque Anaxagoræ simul res omnes esse ut nihil vere sit unum* distinctum, scilicet ab aliis; sed quod omnia sunt unum in quadam confusione, ideo dicit, quod *indefinitum igitur videntur dicere*, scilicet ipsum ens, et *putantes*, scilicet Anaxagoras et sequentes eum, dicere ens, id est, loqui de ente, supple perfecto, quod est in actu dicunt *de non ente*, id est, de ente in potentia, sicut dicetur infra in hoc eodem quarto, *nam ens potestate,* id est, in potentia indefinitum est de se, *et non* ens ἐντελέχεια id est, ens in actu.

Opinio Anaxagoræ. Notandum, quod iste Anaxagoras ut dicitur 1. Physic. text. com. 32. posuit quodlibet esse in quolibet; quod si verum sit, omnes

res essent simul, et non esset aliquod vere unum in actu et ab aliis distinctum; unde Anaxagoras credens loqui de ente perfecto et in actu, magis loquebatur de ente imperfecto, quod est ens in potentia, quia omnes res sunt in materia non in actu distincto, sed in potentia et in confusione quadam; sic igitur secundum Anaxagoram omnia essent unum modo præexposito. Deinde cum dicit :

Ens duplex in potentia, et in actu.

At vero dicenda est ipsis de omni affirmatio aut negatio, inconveniens enim si unicuique sua negatio quidem inest, quæ vero alterius quod non inest, ei non inerit.
50. Dico autem ut si verum est dicere hominem quia non homo, palam quod et non triremis; ergo si affirmatio necesse et negationem, si autem non existat affirmatio, negatio inerit magis quam quæ sua; ergo si et illa inest, inerit et quæ ipsius triremis; si autem hoc, et affirmatio. Hæc ergo contingunt hanc dicentibus rationem.

Probat ponentem contradictoria vera de eodem cogi ad ponendum, omnia esse unum.

Probat præfatam consequentiam. Circa quod duo facit. Primo facit quod dictum est. Secundo addit quoddam inconveniens, quod sequitur contra istos; et posset esse ratio per se, scilicet quod affirmationes et negationes non erunt veræ, sed falsæ simul de eodem. Secunda ibi : *Et quia non est.* Dicit ergo quod supple ex quo ipsi ponunt affirmationem et negationem simul verificari de eodem, dicendum est eis generaliter quod *de omni sit vera affirmatio*, *et negatio* quæcumque, *inconveniens enim est si unicuique sua propria negatio inest, quæ vero est alterius quidem non inest ei;* magis enim videtur quod de unoquoque prædicetur negatio alterius, quam negatio propria, quod exponit cum subdit : *Dico autem ut verum est dicere, quia homo non est homo*, *palam quia* magis verum erit dicere, quod *homo non est triremis*, ut sicut con editur ab adversario, quod homo est homo et non est homo, ita etiam concedatur quod homo est triremis; *ergo si est affirmatio*, scilicet vera de aliquo, *necesse est negationem* scilicet esse veram de eodem; quia aut prædicatur de eo affirmatio, et per consequens negatio secundum te, aut si non prædicatur affirmatio, prædicabitur negatio alterius magis quam negatio propria, ideo dicit, sed *si non est affirmatio, negatio inerit magis quam sua*, sicut si triremis non prædicatur de homine, prædicatur de eo non triremis, multo magis quam non homo; *ergo si ipsa*, scilicet propria negatio *inerit*, *et quæ ipsius triremis*, ut si hoc est verum quod homo non est homo, et hoc ergo erit verum, quod homo non est triremis ; *si autem hoc*, *igitur affirmatio*, scilicet quod si negatio prædicetur, ergo et affirmatio secundum te, qui ponis utraque verificari de eodem; si igitur homo non est triremis, homo est triremis, et eadem ratio erit de quolibet alio, quare omnia essent unum. Unde concludit quod *dicentibus hanc rationem*, id est, opinionem, *ea* supple inconvenientia *contingunt*, scilicet quod omnia essent unum, quod est evidenter falsum.

Magis potest verificari de aliquo negatio alterius quam propria.

Notandum, rationem in hoc consistere, quod si de quolibet est vera affirmatio et negatio propria, multo magis erit de eo vera negatio alterius, quod est diversum ab eo, ut si verum est dicere quod homo non est homo, multo magis est verum dicere, quod homo non est

triremis; sed per te, qui ponis affirmationem et negationem verificari de eodem, si homo non est triremis, sequitur quod homo erit triremis; et eadem ratione potest argui de quocumque alio, quod scilicet prædicatur de alio, prædicatione dicente, hoc est hoc, et per consequens omnia erunt unum. Deinde cum dicit :

51. Et quia non necesse aut dicere aut negare; nam si verum quia homo et non homo, palam quia nec homo nec non homo erit, nam duorum duæ negationes; si autem una ex utrisque, illi et hoc, una utique erit opposita.

Addit quoddam inconveniens, quod sequitur ad dictam opinionem, scilicet quod affirmationes et negationes erunt simul falsæ, et per consequens quod illa opinio includit repugnantiam contradictionis. Dicit ergo, quod non solum prædicta inconvenientia, supple sequuntur ad hanc opinionem, sed etiam quia *non est necesse dicere et negare;* quia nec affirmatio nec negatio erit vera, sed ambæ falsæ, quod probat sic, *nam si verum*, supple est dicere, quia scilicet aliquid sit *homo et non homo, palam, quia nec* illud *erit homo, nec non homo,* utraque erit falsa; nam istorum duorum quæ scilicet sunt homo et non homo, sunt duæ negationes scilicet non homo et non homo, reddendo singula singulis; *si autem* illa *una ex utrisque*, id est, si ex utrisque affirmationibus primis fiat una affirmativa propositio, puta dicendo Socrates est homo et non homo; *et ea una erit opposita*, id est, quod erit una negativa opposita composita ex duabus negativis, scilicet quod Socrates non est homo, nec non homo, ex quibus sequitur quod nec affirmatio, nec negatio erit vera, sed utraque falsa.

Notandum, quod Philosophus in loco isto accipit affirmativam de prædicato infinito, tanquam negativam, ex eo quod æquipollet negativæ de prædicato finito, unde infert istas duas : *Socrates non est homo; Socrates non est non homo*, negantes et falsificantes has duas : *Socrates est homo* ; *Socrates est non homo*, quia ambæ sunt affirmativæ, licet valeant quantum affirmativa et negativa de prædicato finito. Quod affirmativa de prædicato infinito æquivalet negativæ ut hic.

Notandum etiam, quod ista ratio sicut etiam et quædam sequentes videntur petere principium, nam adversarius sicut concederet has affirmativas, *Socrates est homo* ; *Socrates est non homo* ; ita et concederet oppositas negativas, et similiter e converso; concedit enim contradictoria simul verificari de eodem, et ideo ex veritate negativarum non potest inferri falsitas affirmativarum isti adversario; verum quia Philosophus procedit hoc modo disputativo, sicut et in tertio libro, ideo quædam rationum non multum cogunt, sicut apparebit in sequentibus rationibus, et sicut dictum fuit in tertio libro, ideo quædam harum rationum non valent. Tunc sequitur illa pars : Quod rationes Philosophi hic petant principium.

SUMMARIUM.

Negationem et affirmationem non posse verificari simul de omnibus, neque de aliquibus; contra assertorem utriusque membri fuse disputat.

Amplius autem circa omnia ita se habet, et est album et non album, et ens et non ens, et circa alias dictiones negationesque modo simili, aut non; sed circa quasdam quidem, et circa quasdam non. 52. Text. com. 16.

Quarta via ex certitudine cognitionis.

Ubi ponit quartam viam procedendi contra eos, quæ sumitur ex certitudine cognitionis. Circa quam sic procedit : Primo præmittit quamdam divisionem. Secundo arguit contra membra ejus. Secunda ibi : *Et si quidem non.* Dicit ergo quod *amplius* supple si affirmatio et negatio simul verificantur de eodem ; *aut si habent circa omnia, ut est album et non album, et ens et non ens, et circa alias dictiones*, id est, affirmationes, *et negationes se habent* ; *aut circa aliquas sic, et circa aliquas non* Deinde cum dicit :

Arguitur a sufficienti divisione.

Et si quidem non circa omnes, hæ utique erunt confessæ.

Arguit contra membra dictæ divisionis, et primo contra secundum membrum. Secundo contra primum ibi : *Si vero circa omnes.* Dicit ergo, quod *si quidem non est verum circa omnes, hæ utique*, scilicet in quibus non est verum, *erunt confessæ*, simpliciter et absolute, ita quod sic erit vera negatio, quia affirmatio erit falsa, et e converso, et sic saltem in talibus habetur propositum, quod non erit affirmatio et negatio vera de eodem. Deinde cum dicit :

Si vero circa omnes iterum, aut de quibuscumque dicere et negare, et de quibuscumque negare et dicere, aut de quibus quidem dicere et negare, sed de quibuscumque negare non de omnibus dicere.

Arguit contra primum membrum. Circa quod duo facit, quia primo subdividit illud primum membrum. Secundo arguit contra membra subdivisionis ibi : *Et si sic.* Dicit ergo, quod *si* hoc est verum *circa omnes*, scilicet quod contradictoria sint vera de eodem, hoc iterum potest esse dupliciter, uno modo, *scilicet quod de quibuscumque* scilicet *est verum negare, sit etiam verum dicere*, id est, affirmare, et e converso, id est, quod de quibuscumque sunt veræ negationes, sint etiam veræ affirmationes, et e converso; aut alio modo, quod *de quibuscumque est verum* dicere, id est affirmare, *sit verum*, *et negare*; *sed de quibuscumque negare non de omnibus dicere*, id est, affirmare, id est, quod de quibuscumque verificantur affirmationes, verificentur negationes, sed non e converso. Deinde cum dicit :

Et si sic erit aliquid firmiter non ens, 53.
et hæc erit firma opinio, et si ipsum non esse firmum aliquid sit, et notum ; notior utique erit dictio quam opposita negatio.

Arguit contra membra hujus divisionis, et primo contra secundum membrum. Et secundo contra primum ibi : *Si vero negando.* In prima parte intendit talem rationem, et ducit ad hoc inconveniens, quia *si sic*, sequitur quod negatio erit notior affirmatione, quod est falsum. Dicit ergo, quod et *si sic*, scilicet quod de quibuscumque sunt veræ affirmationes, sunt veræ negationes, sed non e converso; sequitur quod *non ens*, id est negatio *erit aliquid firmum*, id est, certum *et ea erit firma opinio*, quæ scilicet est de propositione negativa. Cujus ratio est, quia semper negativa erit vera, non autem affirmativa, ideo dicit, quod *si ipsum non esse*, id est, negatio, *firmum quidem sit, et notum*, supple magis quam affirmatio, sed hoc est falsum, ideo subdit : *notior enim erit dictio*, id est,

Negatio non est notior affirmatione.

affirmatio *quam negatio*. Ratio hujus est, quia veritas alicujus negativæ semper dependet ex veritate alicujus affirmativæ; unde conclusio negativa semper requirit alteram præmissarum esse affirmativam, quia ex puris negativis nihil sequitur; sed conclusio affirmativa nullam præmissam requirit negativam, sicut patet ex 1. Priorum. c. 5. et inde. Deinde cum dicit:

Si vero negando similiter, et quæcumque negare dicere necesse de his; aut verum dividentem dicere, ut quod album, et iterum quod non album, aut non.

Arguit contra primum membrum. Circa quod duo facit: quia primo subdividit illud membrum. Secundo arguit contra membra ejus ibi: *Et si quidem non*. Dicit ergo, quod *si vero negando similiter de quibus est negare, de his necessarium est dicere*, id est, affirmare, hoc est, quod si detur primum membrum, quod de quibuscumque sunt veræ negationes, sint veræ affirmationes, et e converso, hoc potest esse dupliciter: quia *aut hoc est verum dicere dividentem*, id est, divisim, *ut quod album, et iterum quod non album*; *aut non* supple divisim, sed supple conjunctim, id est, quod si semper affirmatio et negatio sint veræ simul, aut hoc erit divisim, scilicet quod utraque sit vera seorsum, puta quod sit verum dicere seorsum, quod homo est albus, et iterum seorsum, quod homo non est albus, aut solum est verum conjunctim non divisim, puta quod ista copulativa sit vera, *homo est albus*, et *homo non est albus*. Deinde cum dicit:

Et si quidem non verum dividentem dicere, non, dicet hoc, et non est nihil, non entia autem; quomodo utique pronuntiabunt, aut ibunt? Et omnia utique erunt unum, ut et prius dictum est, et idem erit, et homo, et Deus, et triremis, et ipsorum contradictiones. Si autem similiter de unoquoque, nihil differret aliud ab alio; nam si differret, erit hoc verum et proprium. 54.

Arguit contra membra hujus divisionis: et primo contra secundum membrum. Secundo contra primum ibi: *Similiter autem*, etc. Prima in duas, secundum quod illud membrum ducit ad duplex inconveniens. Secundum ponitur ibi: *Et omnia erunt unum*. Dicit ergo, quod *si quidem verum non est dicere dividentem*, est primum inconveniens; quia *non dicet ea*, id est, non asseret affirmationem et negationem, et sunt nihil, quasi dicat, quod ambæ erunt falsæ, sed *non entia quomodo pronuntiabit, aut intelliget*? quasi dicat, quod nullo modo, quia si nihil est verum, non poterit dici, nec intelligi. Secundum inconveniens ponit, cum subdit: *Et omnia erunt unum, ut prius dictum est*, in præcedenti ratione; sequitur enim *quod idem erit homo, et triremis, et eorum contradictiones*, scilicet quod non homo, et non triremis, quod sic patet; quia si affirmatio et negatio *simul dicantur de unoquoque, tunc nihil differt unum ab alio*; nam si differrent oporteret quod aliquid diceretur de uno, quod non de altero diceretur; ideo dicit, quod similiter de unoquoque nihil differt aliud ab alio; *nam si differt, hoc erit verum et proprium*, id est, quod aliquid esset verum determinate, et non proprium uni, quod non conveniret alteri, quia non de quocumque ve-

Al. et non erit nihil.

rificaretur affirmatio, verificaretur et negatio; certum est autem quod illa sunt unum, quæ nullo modo differunt, quare sequitur omnia esse unum. Deinde cum dicit :

SUMMARIUM.

Asserentem affirmationem et negationem de eodem, non tantum conjunctim, sed etiam divisim, deducit ad quatuor inconvenientia. Doctor colligit omnes præfatas rationes, ad unam integram, notatque aliquas earum esse petitiones.

55. Text. com. 17. Similiter autem, et si dividentem contingit verum esse, accidit quod dictum est. Adhuc autem quia omnes verum dicunt, et omnes mentientur, et ipse idem si ipsum falsum dicere confitetur. Simul autem palam, quia de nullo est adhuc perscrutatio ; nihil enim dicet, nec enim ita, nec non ita dicit, sed ita et non ita. Et iterum hæc negat ambo, quia nec ita, nec non ita, nam si non, jam erit utique aliquid determinatum. Amplius si quando affirmatio est vera, negatio est falsa ; et si hæc vera, affirmatio falsa, non erit utique simul idem dicere, et negare vere, sed forsan dicet utique hoc esse, quod a principio positum est.

Arguit contra primum membrum ducens ipsum ad quatuor inconvenientia, quorum secundum ponitur ibi : *Adhuc autem.* Tertium ibi : *Similiter autem palam.* Quartum ibi : *Amplius si quando.* Dicit ergo quod *similiter autem si* supple dicatur primo modo, scilicet quod *dividentem contingit verum dicere*, id est, quod non solum conjunctim vera sit affirmatio et negatio de eodem, sed etiam divisim supple sequuntur quatuor inconvenientia : quorum primum est, quod supple ista positio *significat ipsum dictum*, id est, demonstrat hoc esse verum, quod immediate dictum est, scilicet quod omnia sunt unum; hoc enim modo affirmatio et negatio diceretur similiter et de unoquoque, quia non erit differentia unius ad aliud, ut superius deductum fuit. Secundum inconveniens est ibi : *Adhuc* quia scilicet *omnes verum dicent ;* nam quilibet vel dicit affirmationem vel negationem, et utraque ponitur vera *et omnes etiam mentientur ;* nam hoc contradictorium est ejus, quod quilibet dicit esse verum, et per consequens illud, quod ipse dicit, est falsum secundum legem contradictoriorum, *et idem etiam homo confitetur seipsum dicere ;* nam cum dicit negationem esse veram, dicit se dixisse falsum, cum dixit affirmationem. Tertium inconveniens est ibi : *Similiter autem palam adhuc, quia de nihilo nunc est perscrutatio*, id est, quod non poterit esse perscrutatio vel disputatio ; non enim potest disputari cum illo, qui nihil concedit, ideo subdit : *nihil enim dicit, nec enim ita, nec non ita dicit, sed ita et non ita; jam si non*, id est, si non omnia ista neget ; *nam utique erit aliquid determinatum*, ita quod sequitur, quod ille dicat, vel noverit aliquid determinate verum, quod est contra suppositum. Quartum inconveniens est ibi : *Amplius si quando*, quod sumitur ex definitione veri et falsi; verum enim est, cum dicitur esse, quod est, vel non esse, quod non est; falsum autem est, cum dicitur non esse, quod est, aut esse, quod non est. Ex quibus definitionibus patet, quod affirmatione existente vera, negatio erit falsa, tunc enim dicitur non esse, quod est ; similiter e con-

Quatuor inconvenientia quæ sequuntur ex eo, quod affirmatio, et negatio non tantum conjunctim, sed etiam divisim sint veræ de eodem.

Verum quid et falsum e converso ?

verso negatione existente vera, affirmatio erit falsa, quia tunc dicit esse, quod non est; ideo dicit, quod *amplius est quando affirmatio vera est, negatio est falsa*; et similiter supple e converso: *non ergo contingit, simul dicere*, id est, affirmare, *et negare vere;* addit autem quod *forsan hic dicit*, scilicet adversarius, *esse quod est a principio positum;* posset enim dicere, quod hîc est petitio principii, nam qui ponit contradictionem esse simul veram, non concederet hanc definitionem veri et falsi.

56. Recolligit resolute argumentum totum divisivum jam factum.

Ex omnibus præcedentibus potest integrari una totalis ratio, quæ talis est dicendo: Si affirmatio et negatio sunt veræ de eodem, aut hoc erit verum de omnibus aut de quibusdam; si de quibusdam, non videtur ratio, quare in quibusdam sit verum magis quam in aliis; si detur primum membrum, facit, quod sit verum in omnibus. Vel hoc erit verum convertibiliter, scilicet quod de quocumque sit vera affirmatio, sit vera negatio, et e converso; vel non convertibiliter, scilicet quod de quocumque est vera affirmatio, sit vera negatio, sed non e converso; si secundo modo, sequitur quod negatio erit certior, et notior affirmatione, quod est falsum. Si primo modo adhuc dupliciter: quia vel hoc erit divisim, vel conjunctim; si conjunctim, sequuntur duo inconvenientia: primum est, quod ille non asseret affirmationem et negationem, et quod ambo erunt falsa; secundum est, quod omnia erunt unum; si dicas, quod verum est divisim, sequuntur quatuor inconvenientia. Primum quod omnia erunt unum sicut prius. Secundum quod omnes verum dicent et omnes mentientur, et idem homo confitebitur se dixisse falsum. Tertium est, quod tollitur omnis perscrutatio et disputatio. Quartum quod probatur ex definitione veri et falsi, scilicet quod affirmatio et negatio sint vere simul, quod est impossibile.

Notandum, quod ex his potest patere id quod supra dicebatur, scilicet quod aliquæ harum rationum non cogunt, sed magis petere videntur; nam duo membra, id est, secundi inconvenientis, scilicet quod omnes mentientur, et quod idem homo confitebitur se falsum dicere, negaret adversarius, quia non sequitur, quod si contradictorium alicujus, quod quis loquitur, est verum, quod dictum suum sit falsum, quia istud concedit adversarius, contradictoria esse simul vera, hoc quoad primum; nec sequitur, quod si aliquis dicit affirmationem esse veram, quod confiteatur se dicere falsum, cum dicit negativam, quia utramque asserit esse simul veram. Quartum etiam inconveniens non sequitur sicut ipsemet dicit, sed petit. Dicendum ergo, ut prius, quod aliquæ harum rationum non concludunt, sed adducuntur modo disputativo, sicut et rationes tertii libri, ut ibidem fuit dictum sufficienter.

Petunt plerumque argumenta hujus 4. sicut 2. 3. supra.

SUMMARIUM.

Aliæ tres viæ contra ponentem contradictoria simul vera. Una ex ratione veritatis, quæ est conformitas ad rem; alia quod nemo deberet unum contradictoriorum magis appetere, quam alterum. Tertia ex compa-

ratione falsitatis, quia non magis mentiretur dicens, quatuor esse quinque, quam esse mille.

57. Amplius quidem igitur, qui aut existimans habere aliqualiter, aut non habere mentitus est, qui autem ambo, verum dicit ; nam si verum dicit, qui utique erit, quod dicitur, quia talis est entium natura ; si vero non verum dicit, sed magis verum dicit, qui illo modo existimat, jam aliqualiter se habebunt entia, et hoc verum utique erit, et non simul, et non verum. Si autem similiter, et omnes mentientur, et vera dicent, nec pronuntiandum, nec dicendum est tali ; similiter enim hoc, et non hoc dicit. Si autem nihil suscipit, sed similiter existimat, et non existimat, quid utique differenter habebit a plantis?

Quinta via ex veritatis conditione.

Hîc ut dicebatur, ponit Philosophus quintam viam procedendi contra ponentes affirmationem, et negationem simul verificari de eodem, quæ sumitur ex veritatis conditione, quæ scilicet est conformitas sive correspondentia rei, ad opinionem sive vocem quæ profertur; nam sequitur si vox est vera, ergo sic est in re. Dicit ergo, quod *amplius igitur* si supple affirmatio et negatio ponuntur simul esse vera ; sequitur quod *aut habere suscipiens*, id est, ille qui opinatur affirmationem tantum esse veram, *aut non habere*, id est, ille qui opinatur tantum negationem esse veram, mentitus est ; *qui vero ambo* supple similiter opinatur *verum dicit* ; nam si verum sit, quod ita est in re sicut in opinione vel in voce, sequitur quod ita erit in re, sicut iste opinatur, qui ambo opinatur vera, ideo subdit : *nam si verum dicit quis, utique erit ipsum verum, quod dicitur, quia talis est entium natura*, id est, determinata, et qualis dicitur scilicet ut non patiatur verum esse oppositum ejus, quod dicitur, et per consequens, quod non patiatur affirmationem et negationem simul ; *si vero non verum dicit*, ille scilicet qui opinatur affirmationem et negationem simul esse veram ; *sed magis verum dicit, qui illo modo verum existimat*, scilicet quod tantum affirmatio, et tantum negatio vera sit ad hoc supple manifestum est, quod *entia se habebunt aliqualiter*, id est, aliquo modo determinate ; et hoc verum dicit, scilicet quod hoc erit verum determinate, et non simul erit verum et non verum, ex quo sola affirmatio vel sola negatio ponitur esse vera ; *sed si similiter, et omnes*, qui simul dicunt, vel utramque partem contradictionis, vel alteram tantum esse veram *mentiuntur, et vera dicunt, nec pronuntiandum, nec dicendum est tali*, id est, quod nec disputandum, nec loquendum est cum tali, qui hoc ponit; *similiter enim ea, et non ea dicit*, id est, eadem negat et affirmat ; *si autem nihil determinate* supple suscipit, id est, mente opinatur; *sed similiter existimat, et non existimat*, scilicet mente opinatur, sicut supple profert voce : *quid utique differenter habet a plantis ?* quasi diceret, quod nihil ; nam bruta etiam animalia habent aliquas apprehensiones, et conceptiones determinatas.

Al. æstimans.

Notandum, quod hæc etiam quinta ratio petit; stat enim in hoc, quod si contradictio vel altera pars contradictionis est vera, sicut per vocem significatur, sequitur quod ita erit in re, et per consequens negare hoc est falsum, sed adversarius istam illationem negaret ; concedit enim contradictoria esse simul vera tam in voce quam in re. Dicendum ergo est de ista ratione,

Veritas in voce supponit veritatem in re.

sicut de aliis præcedentibus dictum fuit. Tunc sequitur illa pars :

58.- t. com. 18. Unde et maxime manifestum est, quia nullus ita disponitur, nec aliorum, nec dicentium hanc rationem. Quare namque vadit domum, et non quiescit putans ire ? Neque statim neque diluculo vadit in puteum, aut torrentem si contingit, sed videtur timens tanquam non similiter putans, non bonum esse incidere, et bonum ; palam ergo, quia hic quidem melius existimat, hic autem non melius. Si autem hoc in bono et non bono, necesse est similiter esse, et in aliis, et hoc quidem hominem, hoc autem non hominem, et hoc quidem dulce, illud autem non dulce putare necesse est, non enim ex æquo omnia quærit et existimat. Quando enim putans melius aquam bibere, et hominen videre, deinde ea quærit, quamvis oportebat si idem erat, similiter homo, et non homo ; sed quod dictum est, nullus qui non videtur hæc quidem timens, illa vero non. Quare sicut videtur, omnes existimant habere simpliciter, sed non circa omnia, sed circa melius, et deterius.

[...]ta via [...] rerum [...]ga, et [...]tione. Ubi ponit sextam viam procedendi contra eos, quæ sumitur ex rerum fuga et electione, quæ est signum manifestum, quod nullus opinatur idem esse bonum et non bonum, et per consequens contradictoria non esse simul vera. Circa quod duo facit, quia primo præmittit rationem. Secundo excludit falsam responsionem. Secunda ibi : *Et finem non scientes*. Dicit ergo, quod *unde*, id est, quod ex hoc, quod homo qui sic opinatur, non differt a plantis, *maxime manifestum est, quod nullus ita disponitur*, ut simul tradat affirmationem et negationem simul verificari de eodem, *nec dicentium hanc rationem*, id est, opinionem, *nec etiam aliquis aliorum, quare namque vadit ad domum, et non quiescit putans se ire;* vult dicere, quod si idem est ire ad domum et non ire, quare aliquis vadit ad domum, et non quiescit in uno loco ? nam secundum eum, idem est ire et non ire; ex quo igitur aliquis vadit ad domum et non quiescit, patet quod putat aliud esse ire et non ire; similiter forsan, *nec aliquis vadit* recte viam, quæ supple ducit ad puteum, aut torrentem. Ratio hujus est, *quia incidere* in puteum, vel torrentem *non similiter putat esse bonum, et non bonum*, nam aliter non magis vitaret, quam eligeret; quia igitur vitat casum, et non eligit, *palam quia accipit*, id est, opinatur, *hoc quidem esse melius*, scilicet non cadere in puteum ; *hoc autem non melius*, scilicet cadere in puteum ; *sed si hoc* scilicet est verum, quod hoc quidem melius, illud vero non bonum, *similiter* supple *est in aliis*, quia, scilicet *necesse est suscipere*, id est, opinari, *quod hoc quidem dulce, illud autem non dulce*. Cujus probationem subdit : *non enim ex æquali omnia quærit, et suscipit quando putat esse melius aquam bibere*, supple quam non bibere, *et hominem videre*, supple quam non videre. Unde ex ista diversa opinione sequitur, quod *deinde ea quærit*, scilicet determinate unum et non aliud ; et tamen supple si opinaretur contradictoria esse eadem, puta quod *idem esset homo, et non homo, oporteret*, scilicet quod utraque, æqualiter quæreret, puta dulce et non dulce : *sed quod dictum est, nullus est, qui videatur hæc quidem timens, illa vero non timens; quare sicut videtur omnes suscipiunt*, id est, opinantur, *habere simpliciter*, scilicet quod idem non sit esse et non esse, et omnes opinantur se habere veritatem, vel in affirmativa, vel in negativa tantum, et non utraque simul, *aut si non circa omnia*, hoc scilicet opinantur ; *sed*

Quilibet vitat sibi nocivum et elegit magis conveniens.

si au[...] notanter.

saltem *circa meliora et deteriora*, id est, quod saltem hoc opinantur in bonis vel in malis, vel in melioribus et deterioribus; ex tali enim diversitate opinionis sequitur, quod omnes homines aliqua timent et fugiunt, et aliqua prosequuntur. Huic rationi adstruit, et est simile quod dicit Avicenna, scilicet quod negantes primum principium deberent tamdiu verberari, quousque cognoscerent et confiterentur, quod aliud est verberari et non verberari quia unum fugiunt, scilicet verberari, et aliud eligunt, scilicet non verberari. Deinde cum dicit:

Efficax argumentum Avicennæ.

Al. Et finem mentientes.

Si autem non scientes, sed opinantes, multo magis curandum utique erit de veritate. Quemadmodum infirmo existente, quam sano de sanitate. Etenim opinans ad scientem non salubriter disponitur ad veritatem.

59. Excludit quamdam falsam responsionem, diceret forte aliquis, quod homines quædam eligunt tanquam bona, quædam fugiunt tanquam mala, id est, non bona, non quasi scientes veritatem, sed quasi opinantes, quod non sit idem bonum et non bonum, licet idem sit secundum rei veritatem; hoc excludit Philosophus dicens, quod *si* supple est verum, quod *homines non sunt scientes, sed opinantes, multo magis curandum est*, scilicet eis, *de veritate*, ut scilicet addiscant veritatem quemadmodum infirmo magis curandum est de sanitate quam sano; *etenim*, pro quia, *opinans*, scilicet non verum, *ad scientem*, id est in respectu ad scientem, *non salubriter disponitur ad veritatem*, habet enim se ad scientem, sicut infirmus ad sanum, quatenus opinio videtur quidam defectus scientiæ, sicut infirmitas est defectus sanitatis. Patet igitur quod homines debent curare de invenienda veritate, quod non esset, si simul esset aliquid verum et falsum, et nihil esset determinate verum. Tunc sequitur illa pars:

Qualitas opinio se habet ad scientiam.

Amplius si quam maxime se omnia sic habent, et non sic, sed magis et minus, verum est in natura entium; non enim utique similiter dicimus duo esse paria et tria; nec similiter mentitus est qui quatuor πέντε opinatus est, et qui mille. Si igitur non similiter, palam quia alter minus, quare magis verum dicit. Si ergo quod magis affinius, erit utique aliquid verum, cui affinius, quod magis verum, et utique si non est, sed jam aliquid est firmius, et verius, et ratione remoti utique erimus incondita, et prohibente aliquid mente determinare.

Septima via ex falsitatis comparatione.

Ubi ponit septimam viam procedendi contra eos, quæ sumitur ex falsitatis comparatione. Dicit ergo, quod *amplius si quam maxime se* habet ita, quod *omnia sic se habent, et non sic*, id est, quod omnia simul vera sic sint, et falsa, *sed tamen in natura entium hoc magis et minus est verum*; *non enim similiter dicemus duo paria, et tria*, id est, quod non similiter se habet ad veritatem dicere, quod duo sunt paria, et tria similiter sunt paria, quia alterum est verum, et alterum est falsum; *nec similiter mentiretur qui sic opinaretur, quod quatuor sunt* πέντε, id est quinque, *et quod quatuor mille*, quod tamen falsum est; *si igitur*, supple *non similiter* sunt falsa, scilicet dicere, quod quatuor sunt quinque, et quod quatuor sunt mille, sed quod est minus falsum, aliqualiter est magis verum, quatenus vero est propinquius, sicut minus nigrum dicitur propinquius albo, et quasi magis album, ideo dicit: *quare magis verum*, subdit: *si ergo quod magis af-*

finius, erit aliquod verum simpliciter, scilicet *cui affinius, quod est magis verum*, id est, quod non esset aliquod affinius, vel propinquius, nisi esset aliquod simpliciter verum cui propinquius, vel affinius esset magis verum, et minus falsum. *Etenim si non est, sed jam esset aliquid firmius et verius*, id est, quod dato, quod per dictam rationem non sequatur, quod aliquid sit simpliciter verum, jam tamen, scilicet simpliciter habemus, quod aliquod sit verius, et conformius aliorum et per consequens non similiter se habent affirmatio, et negatio ad veritatem et certitudinem ; *et a ratione*, id est, opinione, vel positione *remoti erimus, non condita*, scilicet per istam rationem nunc dictam, et etiam alias præcedentes, a positione inquam non condita, *et prohibente mente definire*.

Opinio [te]mperata. Prima enim definitio consideratur in affirmatione et negatione, unde qui affirmationem et negationem simul dicit esse veram de eodem, excludit omnem definitionem sive demonstrationem; vocat enim hanc opinionem non conditam, id est, temperatam, tunc enim opinio est bene temperata quando non implicat repugnantiam ; cum autem implicat, tunc opinio non est bene temperata : talis autem est opinio quæ dicit contradictoria simul verificari de eodem. Tunc sequitur illa pars :

SUMMARIUM.

Ex dictis opinionem Pythagoræ refutat asserentis quæcumque apparent esse vera, quia hinc sequeretur contradictoria simul esse vera.

[Te]xt. com. 19. Est autem et ab eadem opinione Pythagoræ ratio, et necesse similiter ipsas ambas aut esse aut non esse : nam si quæ videntur omnia sunt vera et apparentia, necesse omnia simul vera, et falsa esse. Multi namque contraria invicem existimant, et non eadem opinantes sibi ipsis mentiri putant. Quare necesse idem esse et non esse, et si est hoc necesse putata omnia vera esse, opposita namque invicem opinantur mentientes et verum dicentes ; ergo entia, si sic se habent, verum dicunt omnes. Quod quidem igitur ab eodem sunt intellectu utræque rationes palam.

Ubi adaptat opinionem Pythagoræ ad prædictam opinionem. 60.

Opinio Pythagoræ de veritate apparentium. Ad cujus evidentiam notandum, quod Pythagoras posuit omnia quæ videntur alicui esse vera ; quod si verum sit, necesse est quod affirmatio et negatio sint simul vera vel falsa, et per consequens quod omnia sint simul vera vel falsa, sicut sequebatur ad dictam positionem, et hoc est quod dicit, quod *ab eadem opinione* est *ratio*, id est positio *Pythagoræ ; et necesse est eos ambos*, scilicet Pythagoram et eum qui est dictæ opinionis, *similiter*, supple ponere, *aut esse, aut non esse*, id est, omnia esse simul vera vel falsa, et per consequens quod contradictoria sint simul vera de eodem, quod sic ostendit : *nam si quæ videntur omnia sunt vera et apparentia, necesse est omnia simul vera esse et falsa* esse, quod sic patet ; *multi namque homines contraria sibi invicem suscipiunt*, id est, contraria sibi invicem opinantur, *et putant mentiri non de ea opinantes sibi*, id est, quod putant mentiri eos, qui non eadem opinantur, sed e converso, *quare necesse est idem esse et non esse*, id est, quod si quidquid alicui videtur hoc est verum, sequitur quod utrique mentiantur et utrique verum dicant, et sic quod idem sit et non sit ; quare sequitur ad opinionem Pythagoræ quod

contradictoria sunt simul vera; et sic hoc sequitur, necesse est omnia visa, id est, apparentia esse vera, quæ fuit opinio Pythagoræ: *opposita namque sibi invicem homines opinantur mentientes et verum dicentes*, quia ex hoc quod opposita sibi invicem opinantur, sequitur quod quilibet eorum mentiuntur secundum veritatem, et quilibet eorum verum dicunt; ergo entia si sic se habent, scilicet quod contradictoria simul de eodem verificentur, sequitur quod verum dicunt omnes, ut quidquid alicui videtur, sit verum, unde concludit: *quare ergo ab eodem sunt in intellectu utræque rationes*, id est, opiniones, *palam*, ex una enim alia sequitur, ut dictum est.

Al. quidam

SUMMÆ SECUNDÆ.

CAP. III.

Contra ponentes contradictoria simul vera de eodem et asserentes omne, quod opinamur et apparet, verum esse.

SUMMARIUM.

In prima parte hujus capitis usque ibi: *Similiter autem*, ostendit alios ex dubitatione, alios ex protervia, in errorem incidere; primis id evenit in proposito ex sensibilibus. Alii sponte volunt, tales opiniones, licet impossibiles, defendere.

61. Est autem non idem modus homiliæ ad omnes; hi namque persuasione egent, illi vi: quicumque enim dubitasse existimaverunt, horum bene curabilis ignorantia, non enim ad orationem sed ad mentem obviatio est eorum. Quicumque vero orationis causa dicunt, horum argutio curatio, et ejus quæ in voce orationis, et ejus quæ in nominibus.

Postquam Philosophus disputavit communiter et generaliter contra eos, qui concedunt contraria, sive contradictoria simul verificari de eodem, nunc disputat contra eos magis specialiter, ostendens quomodo diversimode est procedendum contra diversos qui ex diversis viis in dictos errores inciderunt. Circa quod duo facit. Primo ponit intentum. Secundo exequitur de intento. Secunda ibi: *Venit autem dubitantibus.* Dicit ergo, quod *non est idem modus homiliæ*, id est, popularis allocutionis, vel secundum aliam litteram, constructionis, id est, ordinatæ dispositionis vel persuasionis, *ad omnes*, scilicet dictas opiniones quæ sunt vel de veritate contradictionis, vel de veritate apparentium; *hi namque persuasione egent, illi vero vi* secundum quod dupliciter incidunt in dictas opiniones quidam ex dubitatione, quidam quidem ex protervia; *quicumque enim ex dubitatione ita suscipiunt*, id est, opinantur, cum occurrunt eis aliquæ sophisticæ rationes, ad quas sequuntur dictæ opiniones nescientes eas solvere, concedunt conclusionem, *horum bene*, inquam, id est, *est curabilis ignorantia; non enim obviatio eorum*, id est, quod eis non est obviandum, *ad orationem*, id est, ad rationem, quam ponunt sophisticam, *sed ad mentem*, ut scilicet solvatur de mentibus eorum dubitatio, per quam in hujusmodi opiniones devenerunt, et tunc recedent a talibus opinionibus; *quicumque vero orationis causa dicunt*, id est, qui prosequuntur dictas opiniones, ex aliqua dubitatione eos ad hoc inducente, sed causa orationis, id est, ex qua-

Hic in s ciali disp tat con negant primui principiu

dam protervia, volunt tales opiniones impossibiles defendere et tenere propter seipsas, ex eo scilicet quia eorum contraria non possunt demonstrari; *horum medela est argumentatio*, *quæ est in voce orationis*, *et in nominibus*, id est, ex significato nominis, et hoc modo arguebatur contra eos in prima via de septem superius. Deinde cum dicit :

Venit autem dubitantibus hæc opinio ex sensibilibus. Quæ quidem ejus quod simul contradictiones et contraria existere videntibus, ex eodem facta contraria. Ergo si non contingit fieri non ens, præexistit similiter res ambo ens, ut Anaxagoras mixtum omne in omni, ait et Democritus; etenim inane et plenum similiter, secundum quamcumque partem præexistere. Quamvis hoc quidem horum esse non ens, illud vero ens.

Hîc exequitur de intento.

62. Ad cujus evidentiam notandum, quod contra eos, qui in dictum errorem ex protervia inciderunt argumentatum est supra ex nominis significatione, et ideo nunc tantum procedit contra eos qui ex dubitatione in dictum errorem devenerunt. Circa quod duo facit : quia primo disputat contra eos qui ponebant contradictoria simul verificari de eodem ; secundo contra eos, qui opinabantur omnia apparentia esse vera. Secunda ibi : *Similiter autem.* Prima dividitur in duas : quia primo eorum motivum et rationem præmittit; secundo illius rationis solutionem subjungit. Secunda ibi : *Ad eos quidem igitur ex his.* Dicit ergo quod *ea opinio*, quæ est de contradictoriis, id est, quæ est, quod contradictoria simul sint vera, *venit quibusdam dubitantibus*, id est, per modum dubitationis *ex sensibilibus;* ubi videmus ex uno facta esse contraria, id est, per modum generationis et motus; videmus enim quod ex terra fit aqua quæ est frigida, et aer qui est calidus, *ergo si* pro quia ; quia *non convenit fieri non ens præfuit similiter res ambo ens*, id est, quia omne quod fit, fit ex prius existente; quia quod non est non contingit fieri, cum ex nihilo nihil fiat, ideo secundum eos oportet quod res ex qua fiunt contraria sit prius habens in se ambo contraria, et eadem ratione contradictoria ; nam sicut ex eodem fit calidum et frigidum, ita ex eodem fit frigidum et non frigidum; et hæc fuit ratio motiva illorum, per quam etiam rationem posuit Anaxagoras omnia misceri, quatenus videbat quodlibet fieri ex quolibet, putans nihil posse fieri ex alio, nisi prius præfuisset. Iterum huic rationi assentit Democritus ponens principia rerum plenum et vacuum, ut dictum fuit in primo libro, ideo dicit Philosophus, quod isti supple movebantur ex dicta ratione, *ut* etiam *Anaxagoras ait omnia esse mixta in omnibus*, *et etiam Democritus*, hic *etenim*, scilicet Democritus, *inane*, scilicet vacuum, *et plenum posuit similiter secundum quamlibet partem*, scilicet corporis, et etiam *hæc horum esse ens*, scilicet plenum ; *illud vero non ens,* scilicet vacuum, ut jam dictum fuit in primo hujus. Deinde cum dicit :

Motivum antiquorum ponentium oppositum primi principii.

Ad eos quidem igitur qui ex his existimant dicemus, quia modo quodam recte dicunt, et modo quodam ignorant, ens enim dupliciter dicitur. Est ergo quomodo contingit fieri aliquid ex non ente, est autem quomodo non, et simul esse idem ens et non ens, sed non secundum idem. Ens potestate namque contingit simul idem esse contraria, actu vero non. 63 Text. com. 20.

Solvit motivum antiquorum dupliciter.

Ponit dictæ rationis solutionem. Circa quod duo facit, secundum duas solutiones quas ponit. Prima est per distinctionem : secunda per instantiam sive interemptionem. Secunda ibi : *Amplius autem dignamur*. Dicit ergo, quod ex his quæ dicta sunt, scilicet quod obviandum est ad mentem illis qui ex dubitatione in dictos errores inciderunt; vel ex his, id est ex prædicta ratione, dicimus ad suscipientes, id est, opinantes contradictoria esse simul vera, *quia modo quodam recte scilicet dicunt, et modo quodam ignorant*, quid supple dicunt. *Ens enim dicitur dupliciter*, scilicet ens in actu et ens in potentia; cum ergo supple dicunt, quod ex non ente non fit ens, quodammodo dicunt recte et quodammodo non recte; unde subdit : *est ergo quomodo contingit aliquid fieri ex non ente, etiam quomodo non*, quia scilicet ens fit ex non ente actu, ente autem in potentia; unde idem simul non est ens et non ens in actu ; *contingit namque potestate idem esse contraria*, perfecte vero, id est in actu *non omnino*.

Ens duplex.

Qualiter ex non ente fit ens, et contraria dicuntur de eodem, et qualiter non ?

Notandum solutionem istam datam esse per distinctionem, cum enim arguebant, quod ex non ente nihil fit, quare ergo ex eodem fiunt contraria; oportet ut videtur illa contraria præexistere in illo uno ex quo fiunt, et per consequens contraria simul esse in eodem, et eadem ratione contradictoria, ut prædictum fuit. Respondetur distinguendo de ente, quia quoddam est ens in potentia; cum ergo dicitur, quod *ex non ente nihil fit*, verum est ex non ente in potentia; ex ente autem in potentia, fit omne quod fit, puta ex materia quæ est ens in potentia, et nullum ens in actu quantum est de se, et in tali ente in potentia utique sunt contraria et contradictoria simul, non actualiter sed potentialiter, materia enim est in potentia ad utrumque.

Ex non ente nihil fit exponitur.

Notandum etiam, quod ut habet declarari 7. hujus, duplex est potentia quantum ad præsens spectat, scilicet subjectiva et objectiva. Prima potentia nominat subjectum potentiæ. Secunda potentia nominat objectum potentiæ. Primo modo materia est ens in potentia. Secundo modo rosa non existens possibilis produci, est ens in potentia ; quia igitur potentiæ opponitur actus, ideo duplex similiter est actus; unus qui opponitur potentiæ subjectivæ, et iste est actus formæ ; alius qui opponitur potentiæ objectivæ, et iste est actus existentiæ, quæ est ipsa res actualiter existens. Primo modo accipiuntur hîc actus et potentia, non secundo modo; verumtamen actus et potentia primo modo sumpta non sunt differentiæ entis communiter sumpti, sed secundo modo sumpta; unde quando Philosophus 5. hujus, capitulo de ente, dividit ens per actum et potentiam, non accipit potentiam subjectivam et actum ei oppositum, sed potentiam objectivam et actum ei oppositum; unde divisio de ente posita in loco isto est alia ab illa posita in 5. hujus, text. com. 14. quinimo tota ista divisio cadit sub altero membro illius divisionis, nam omne ens sive sit in potentia subjectiva, sive in actu sibi opposito, est ens in actu, quod

64. Potentia et actus sunt duplices. Quære q. 9. hujus in Scoto.

Qualiter accipit philosophus actum et potentiam 5. met. cum dividit ens in illa.

opponitur potentiæ objectivæ; unde ista prima divisio videtur subdivisio illius. Deinde cum dicit :

Amplius autem dignificemus ipsos existimare, et aliam substantiam esse entium, cui nec motus existit, nec corruptio, nec generatio omnino.

Ponit secundam solutionem, quæ est per instantiam sive interemptionem, dicens quod *amplius autem dignamur*, id est dignum judicamus, *eos suscipere*, id est opinari, *aliquam substantiam entium*, id est numero entium, *cui nec inest motus, nec corruptio, nec generatio omnino,* supple sicut probatum est 8. Physic. text. com. 45. et inde; quo posito, patet quod non potest concludi ex eorum ratione, quod tali substantiæ insint contraria vel contradictoria, cum ex ea nihil fiat. Deinde cum dicit :

SUMMARIUM.

Rejicit specialiter asserentes omnia apparentia esse vera, et Democritum tenentem nihil certo et determinate esse verum, de quo optime agit Doctor.

Text. com. 21. Similiter autem et quæ circa apparentia veritas quibusdam ex sensibilibus venit; verum enim non pluralitate judicari putant, oportet nec paucitate. Idem vero his dulce gustantibus esse videtur quidem, illis vero amarum. Quare si omnes laboraverint aut omnes desipuerint; duo autem vel tres sani sint, aut intellectum habeant, hos quidem videri laborare et desipere, alios vero non. Amplius autem multis aliorum animalium contraria videri et nobis, et ipsi autem unicuique ad seipsum non eadem secundum sensum semper videri. Quæ igitur horum vera vel falsa non manifestum; nihil enim magis hæc quam illa vera, sed similiter. Propter quod Democritus ait, aut nihil esse verum, aut nobis non manifestum.

65. Contra ponentes omnia apparentia esse vera.

Disputat contra opinantes omnia apparentia esse vera. Circa quod duo facit : quia primo præmittit eorum motivas rationes; secundo subjungit earum solutiones disputando, scilicet contra eas. Secunda ibi : *Nos autem et hanc.* Prima in duas : quia primo ponit unum motivum, quod erat commune eis et præcedentibus de contradictione simul vera; secundo ponit motiva propria istorum ibi : *Omnino vero.* Dicit ergo, quod sicut supple opinio ponens contradictoria esse simul vera, venit quibusdam ex sensibilibus modo prædicto : *similiter et quæ est circa apparentia veritas,* id est, opinio, de veritate apparentium *venit quibusdam ex sensibilibus,* illis, scilicet qui non ex protervia, sed ex hac dubitatione in hanc opinionem devenerunt; et hoc ideo, quia de eisdem sensibilibus habentur opiniones contrariæ a diversis, et hoc tripliciter. Uno modo a diversis numero, eisdem tamen specie, ut quod unus homo judicat dulce, alius homo judicat amarum; ideo dicit, quod *idem his quidem gustantibus vide'ur dulce, illis vero amarum.* Alio modo habentur contrariæ opiniones a diversis non solum numero sed etiam specie, quia aliquando quod est sapidum brutis est hominibus pravi saporis; ideo dicit, quod *amplius autem multis aliorum animalium contraria videntur et nobis.* Alio modo habentur contrariæ opiniones ab eisdem non solum specie sed etiam numero, ut idem homo secundum diversa tempora et diversas dispositiones judicat idem nunc dulce, et nunc amarum, nunc album, nunc nigrum; ideo dicit, quod *etiam sibimet unicuique ad seipsum non eadem secundum sensum videntur* supple *semper; quæ igitur horum vera sit aut falsa*, id est, quæ istarum

Contrariæ opiniones de eisdem habentur a diversis tripliciter.

opinionum sit dicenda vera aut falsa, *non est manifestum; nihil enim magis est quam illa vera, sed similiter*, id est, quod non est ratio, quare una earum sit magis vera quam altera, quia oportet quod æqualiter ambæ sint veræ, aut ambæ falsæ; *propter quod ait Democritus, aut quod nihil est verum*, scilicet determinate in rebus, *aut*, si est, *non est nobis manifestum* Sed quia posset aliquis dicere contra hanc opinionem, quod potest dari aliqua regula, qua potest discerni de contrariis opinionibus quæ sit vera inter eas, ut scilicet dicamus, quod illud sit verum judicium de sensibilibus, quod dant sani, non autem quod dant infirmi; similiter de veritate, illud sit verum judicium, quod dant sapientes et intelligentes, non autem quod dant insipientes et ignorantes; ideo ipsi respondent ad hanc objectionem, quam responsionem ponit Philosophus in principio istius litteræ; *dicunt enim, quod verum*, id est certum judicium de veritate, *non debet judicari ex pluralitate, nec ex paucitate*, ut scilicet illud dicatur verum, quod videtur multis, et falsum, quod videtur paucis; quia aliquando non est sic sanitas aut ægritudo, sive sapientia et insipientia, quia non videntur aliter differre quam secundum multitudinem et paucitatem; *quia si omnes vel plures laborarent*, id est essent infirmi, *aut omnes insanirent*, id est essent insani, vel insipientes et fatui; *duo autem vel tres sani essent, aut intellectum haberent, hos quidem*, scilicet duos vel tres judicant supple *videri laborare et insanire: illos vero*, scilicet omnes et multos, *non*, id est quod illi multi reputarentur sapientes, et isti pauci insipientes, similiter intelligendum est de sanitate et ægritudine; ex hoc ergo volunt isti quod non magis credendum est de sanitate vel veritate judicio sani et sapientis, quam judicio ægroti et insipientis reddendo singula singulis.

Tollunt instantiam antiqui suo modo.

66. Notandum quod ideo forsan Democritus opinatus est nihil esse verum determinate in rebus, aut si est, quod latet nos, eo quod nostra cognitio ex sensu oritur; judicium autem sensus non est determinate verum, cum non semper uniformiter judicet, quia non videtur aliqua certitudo esse in nobis de veritate, ut determinate posset dici, hæc opinio est vera, et opposita determinate est falsa. Sed istud motivum nullum est; tum quia sensus nunquam decipitur circa proprium objectum sibi proportionatum; tum quia dato, quod sensus decipiatur ex aliqua improportione, sive ex parte materiæ, sive ex parte objecti, sive ex parte medii, tamen non est necessarium propter hoc intellectum semper decipi, nam intellectus cum sit potentia superior, posset corrigere errorem sensus, sicut dictum fuit in quadam quæstione in prologo primi libri. Deinde cum dicit :

Quando sensus decipiuntur, et unde regulantur quæ omnia habet Doct. 3. d. 1. q. 4.

Omnino vero propter existimare prudentiam quidem sensum, et hunc autem esse alterationem, quod videtur secundum sensum ex necessitate verum esse dicunt.

Ponit motiva propria istorum, qui opinati sunt omnia apparentia esse vera et sunt duo : quorum primum sumitur ex parte sensus; secundum ex parte sensibilium, quod

Secundum motivum est duplex.

ponitur ibi : *Horum autem opiniones*. Prima in tres, quia primo ponit causam motivam hujus opinionis sumptam ex parte sensus; secundo recitat diversorum opiniones, qui in dictam causam concordabant; tertio arguit contra eos. Secunda

Al. quibus, et

ibi : *Ex his*. Tertia ibi : *Aut et gravissimum*. Dicit ergo quod *omnino vero*, quare supple ab antiquis suscipitur, id est, opinatur prudentia esse sensus, id est, quod scientia nihil est nisi sensus; non enim distinguebant inter sensum et intellectum, quare, inquam, sic est, *hunc autem esse per alterationem quod videtur secundum sensum dicunt de necessitate esse verum*, id est quod cum cognitio sensus fiat per quamdam alterationem et immutationem a sensibili; ideo videtur quod cognitio sensus correspondeat naturæ rei sensibilis, et sic oportet quod illud sit verum quod apparet secundum sensum; quia igitur secundum eos omnis cognitio est sensitiva, sequitur quod omne illud sit verum, quod apparet alicui, secundum sensum aliquo modo.

Decipitur sensus plerumque et quare et circa quæ.

Notandum, quod ista ratio deficit; tum quia non distinguitur inter sensum et intellectum; tum quia supponit judicium sensus nunquam decipi, quod falsum est; nam decipitur frequenter circa objecta communia, et per accidens decipitur etiam quandoque circa objecta propria, vel propter improportionem objecti, vel propter indispositionem organi, et inde est quod sensus quandoque judicat de sensibili aliter quam sit in re. Deinde cum dicit :

SUMMARIUM.

Quatuor opiniones Philosophorum de veritate rerum cum earum motivis.

Ex his enim Empedocles et Democritus et aliorum ut consequens est dicere, unusquisque talibus opinionibus facti sunt rei, etenim Empedocles permutantes habitum permutare dicit prudentiam. Ad præsens enim consilium augetur in hominibus, et in aliis dicit. Quia quantum alteri transformati sunt, tantum ipsi et semper sapere altera affuit. 67.

Recitat quasdam opiniones, quæ in dicta motiva concordabant, et dividit in quatuor partes secundum quatuor opiniones quas recitat Philosophus. Secunda ponitur ibi : *Parmenides vero*. Tertia ibi : *Anaxagoras quoque*. Quarta ibi : *Dicunt et Homerum*. Dicit ergo quod *ex his*, id est rationibus prædictis, *Democritus et Empedocles et singuli aliorum facti sunt rei talibus opinionibus, ut est dicere*, id est probabiliter potest haberi ex eorum dictis : *etenim* pro quia, quia *Empedocles permutantes habitum*, id est, dispositionem corporis, *dicit palam prudentiam permutare*, id est supple intellectum, cujus est prudentia, cum sequatur dispositionem corporis sicut sensus; nam secundum eum prudentia *crescit hominibus ad apparens*, id est quod per hoc quod aliquid apparere incipit de novo ipsi homini, perfectio scientiæ fit in homine, ex hoc quod dispositio corporis variatur, *et in aliis*, scilicet locis, scilicet Empedoclis, quod *quantum ad alterationem transformantur*, id est secundum quantitatem, qua homo transformatur ad alteram dispositionem corporis, tanta eisdem semper curare difficile inquit, id est, quod tot curæ sine sollicitudines, sive pru-

Opinio Empedoclis apparens.

dentiæ hominibus adveniunt, quot variationes sunt in corpore; ex quo sequitur quod ad transformationem dispositionis corporalis sequitur transformatio prudentiæ, quod difficile est intelligere tanquam falsum. Deinde cum dicit :

Parmenides vero enuntiat eodem modo, ut enim quicumque habuerunt membrorum complexionem, multæ flexionis et intellectus hominibus adest. Idem enim est quod quidem sapit membrorum natura hominibus et omnibus et omni. Quod enim plus est intelligentia.

68. Opinio Parmenidis satis subtilis.

Ponit secundam opinionem ad idem, quæ est Parmenidis. Dicit ergo quod *Parmenides eodem modo enuntiat*, scilicet de veritate rerum, sicut Empedocles. Dicit ergo, quod sicut *quilibet homo habet complexionem membrorum circumflexorum, ita intellectus adest hominibus*, quasi diceret, quod in membris hominis est magna diversitas et circumflexio ad hoc ut talis dispositio membrorum conveniat operationi intellectus, qui sequitur complexionem membrorum; dicit enim quod *idem est quod sapit de natura membrorum, et quod est in omnibus*, id est singulis partibus universi et etiam in homine, ita quod in toto universo illa virtus dicitur Deus; in singulis vero partibus dicitur natura, in homine autem dicitur intellectus, quia habet plus in homine quam in aliis partibus universi; quia scilicet in homine illa virtus intelligit propter determinatam complexionem membrorum, non sic autem est in aliis rebus, propter quod debet intelligi quod intellectus sequatur dispositionem corporis et complexionem, ut sic non differat a sensu. Deinde cum dicit :

In toto universo Deus, in partibus universi natura, sic in homine intellectus, et e contra.

Anaxagoræ quoque pronuntiatio recordatur ad quosdam sociorum ejus, quia talia ipsis erunt entia, qualia utique existimaverunt ipsi.

Opinio Anaxagoræ.

Ponit tertiam opinionem quæ fuit Anaxagoræ, et dicit quod *pronuntiatio quoque Anaxagoræ recordatur ad quosdam amicorum*, id est quod locutus est ad suos socios et amicos reducens eis ad memoriam; *quia talia erunt eis entia qualia suscipiunt*, id est opinantur; ita quod secundum eum veritas rei sequatur opinionem. Deinde cum dicit :

Dicunt autem et Homerum videri hanc habentem opinionem, quia fecit Hectorem tanquam in extasi fuerit a plaga jacere aliud sapientem, tanquam sapientes quidem et desipientes, sed non eadem. Palam ergo quod si utraque prudentia, et entia simul sic, et non sic se habent.

69. Opinio Homeri ficta.

Ponit quartam opinionem quæ fuit Homeri dicentis, quod dicunt supple *quidam Homerum videri habentem eamdem opinionem, quia fecit*, id est posuit in sua opinione *Hectorem jacere ut in extasi ab ipsa plaga*, id est vulnere inflicto sibi, *et aliud sapientem*, id est, cogitantem quam prius *quasi sapientem quidem et non cogitantem*, id est quasi in illo statu, in quo jacebat percussus, esset cogitans et non cogitans, id est sapiens et non sapiens erat, quamvis secundum illa quæ prius sapiebat et non ignorabat non erat sapiens. Ultimo epilogat quantum ad istas opiniones dicens, quod *palam ergo si utræque prudentiæ*, id est opiniones contrariæ secundum quas opinatur hîc contraria, et mutatur ab una dispositione corporis ad aliam, supple sunt veræ, sequitur quod *entia simul sic se* habent *et non sic se habent*, ita quod contrariæ opiniones

Epilogus.

sint simul veræ, et nulla earum sit falsa.

Notandum, quod iste Homerus dicitur fuisse Poeta, qui in suis carminibus poeticis loquens de quodam bellatore, qui dictus fuit Hector et fuerat in quodam bello graviter vulneratus, ita ut jaceret quasi amens et alienatus a sensu, dixit quod Hector jacebat aliud sapiens quam prius, quia nunc sibi alia videbantur quæ nunc sapiebat et non prius, putans quod quidquid apparet sit verum, et sic Hector vere sciebat illa quæ sibi in isto statu et extasi apparebant.

Intentum Parmenidis et Empedoclis. Notandum etiam quod duæ primæ opiniones scilicet Empedoclis et Parmenidis ad hoc tendunt quod intellectus et sensus sunt idem, ita quod intellectus sequatur complexionem corporis quod est proprium sensus. Aliæ vero duæ opiniones quæ sunt Anaxagoræ et Homeri ad hoc tendunt quod omnia vera sint quæ apparent, sicut patet intuenti. Deinde cum dicit:

Quare et gravissimum accidens est, nam si qui maxime contingens verum viderunt; hi autem sunt maxime quærentes ipsum et amantes; hi tales habent opiniones et talia enuntiant de veritate, quomodo non est dignum et respuere philosophari conantes. Nam volantia persequi, erit veritatem utique inquirere.

Arguit contra dictos Philosophos dicens, quod et *gravissimum accidens est* eis scilicet accidit : *nam si qui maxime viderunt verum* quod contingit, id est, quantum contingit post se ab homine videri, *et hi sunt*, scilicet prædicti Philosophi qui id, id est, verum *sunt maxime quærentes;* hi tales *habent opiniones, et talia enuntiant de veritate*, *quomodo* inquam *non est dignum* dolere istos *sic respuere philosophari*, quasi diceret, debent dolere de hoc quod eorum studium frustratur, si veritas inveniri non potest; nam si secundum eos, nullum verum potest ab homine determinate sciri, quærere veritatem est quærere impossibile, sicut ille qui fugat volatilia; quanto enim magis persequitur, tanto magis ab eo elongantur, ideo subdit : *nam veritatem quærere est volatilia fugare*. Deinde cum dicit :

Hujus autem opinionis causa est, quia de entibus quidem veritatem intendebant; entia autem putaverunt esse sensibilia solum ; in his vero multa quæ indeterminati natura existit, et quæ entis sicut diximus propter quod decenter quidem dicunt, non vera autem dicunt. Sic enim congruit magis dicere, quam sicut Epicharmus ad Xenophanem. Text. com. 22.

Ponit motiva eorum sumpta ex parte sensibilium, et sunt duo, quorum primum sumitur ex sensibilium infinitate, sive indeterminabilitate. Secundum sumitur ex sensibilium mutabilitate et instabilitate. Secundum ponitur ibi : *Amplius autem totam*. Dicit ergo, quod *causa opinionis* horum, id est, dictorum Philosophorum *fuit*, quia cum ipsi *intendebant quidem veritatem*, scilicet cognoscere *de omnibus entibus, putaverunt*, id est, opinati sunt *entia esse sensibilia solum ; in his vero*, id est, in sensibilibus *multa existit natura infiniti*, et hoc est ratione materiæ, quæ de se est indeterminata et in potentia ad omnes formas; similiter *ut diximus* in sensibilibus *est multum* supple *de natura entis, scilicet indeterminati*, puta quia esse rerum sensibilium se habet ad diversa, quia uni videtur sic, et alteri aliter vel aliter; quia in sensibilibus

est multum de natura quæ est entis, quatenus sicut diximus, sola sensibilia sunt entia, scilicet secundum eorum opinionem ipsique *decenter*, id est, probabiliter *quidem dicunt*, scilicet prædicti Philosophi, propter dictam rationem, *sed non vera dicunt* in hoc scilicet, quod nihil ponunt determinatum esse: *sic enim congruit magis dicere* sicut supple ipsi dicunt, aut pro quam, *quam sicut* Epicharmus dixit *ad Xenophanem*, qui formas dicebat esse immobilia, et necessaria, et certitudinaliter scire.

Materia determinatur per formam et compositum principalius cognoscitur sicut et constituitur.

Notandum quod licet materia, quantum est de se, sit indeterminata et indifferens ad omnes formas, tamen determinatur per formam ad certum modum et gradum existendi, cum nihil sit actualiter, sive formaliter; quia igitur res magis cognoscuntur per suam formam, quam per materiam, non est negandum quin de re possit haberi cognitio determinata; ita videtur horum Philosophorum positio, licet habeat aliquam probabilitatem, et magis quam opinio Epicharmi loquentis ad Xenophanem; non tamen vera ponit pro quanto negat a rebus omnem determinatam cognitionem. Deinde cum dicit:

Amplius autem omnem videntes hanc motam naturam, de permutatione autem nihil verum dicemus. Circa vero omnino permutans non contingere verum dicere; ex hac existimatione pullulavit opinio dictorum summa quæ est dicentium Heraclitizare, et qualem Cratylus habuit. Qui tandem nihil opinatus est oportere dicere, sed digitum movebat solum. Et Heraclitum increpuit dicentem, bis in eodem flumine non est intrare, ipse enim existimavit nec semel.

Ponit secundum motivum sumptum ex sensibilium mutabilitate et instabilitate. Dicit ergo, quod *amplius naturam autem videntes*, scilicet Philosophi *totam hanc naturam* sensibilem esse *motam de permutabilitate*, id est, de permutabili, et mobili, *nihil dicitur verum circa omnino vero semper permutans*, id est, quod circa naturam rerum sensibilium permutabilem omnino permutant, ita quod nihil in ea fluxum contingere verum determinate esse potest de tali natura secundum eos; quæ autem eorum fuerint motiva, patet ex hoc, nam *ex ea opinione pullulavit doctorum* Philosophorum opinio extrema, id est, quæ venit ad extremum illius scilicet finem, *quæ est dicentium Heraclitizare*, id est, sequi opinionem Heracliti, et quam habuit Heraclitus, qui scilicet posuit omnia continue moveri, et nihil esse determinate verum, qui scilicet Heraclitus ex tali opinione tandem supple ad hanc dementiam pervenit, quod *opinatus est nihil oportere dicere*, id est, verbo exprimere, *sed digitum movere solum*, scilicet quod volebat; *unde et Aristippum prohibuit*, id est, reprehendit dicentem: *quia bis in eodem flumine non est intrandum*, id est, quod non potest homo bis intrare. Putabat enim iste Aristippus, quod antequam homo intraret secundo fluvium, prima aqua fluminis jam defluxerat, nec eadem quæ prius; *is enim*, scilicet Heraclitus existimavit scilicet *quod nec semel* potest homo in eumdem fluvium intrare, quia antequam semel etiam intraret, dicebat totam aquam defluxisse.

Opinio Heracliti nihil oportere dicere, sed tantum digitum movere.

Notandum, quod motivum istorum Philosophorum pro hac opi-

nione fuit, quia opinati sunt totam naturam entium esse mobilem, et continue moveri, de eo vero quod movetur, ut sic, nihil potest determinate verum dici; nam quia omne quod movetur, fit et est in continuo fluxu habens aliquid de utroque termino, ideo non potest dici hoc vel illud determinate. Exemplum de isto, quod movetur ab albo in nigrum, nec est determinate album, nec determinate nigrum; si igitur omnes res sunt in continuo motu et fluxu, non poterit dici de rebus aliquid determinate verum; ex quo sequitur, quod veritas opinionem non sequitur, determinatum modum essendi in rebus, sed magis quod hoc sit esse verum unumquodque, quod apparet cognoscenti, et veritas rei stet in apparere; ex hac igitur radice orta est opinio istorum, quæ pervenit usque ad opinionem Heracliti, qui etiam posuit omnia esse in continuo fluxu et moveri, et nihil determinate esse verum, propter quod opinatus est non debere loqui, sed solum digitum moveri ad exprimendum conceptum mentis. Putabat enim quod veritas rei, quam exprimere volebat, prius transierat quam vox sive oratio profertur; unde Aristippum dicentem, quod in eodem flumine non convenit bis intrare, redarguebat Heraclitus dicens, quod nec contingit semel propter continuum fluxum aquæ; similiter ad propositum dicebat, quod non solum bis potest homo dicere aliqua aut loqui, sed nec etiam semel propter continuum fluxum rerum.

Vide 1. d. 3. q. 4. in Scot.

Ponentes omnia moveri, seu esse in continuo fluxu.

SUMMARIUM.

Opinionem Philosophorum de mutabilitate sensibilium refutat sex rationibus, vide, Doct. 2. de Anim. q. 9. num. 32. ubi ex Philosopho docet, non omnia esse in continuo motu.

Nos autem ad hanc quæstionem dicemus, quia permutans quando permutat, habet quamdam ipsius veram rationem non existimari esse. 72.

Motiva prædicta solvit, et impugnat.

Postquam Philosophus præmisit motivas rationes de apparentium veritate, nunc subjungit earum solutiones, disputando contra eos. Circa quod duo facit. Primo disputat contra hoc quod dicebant de mutabilitate sensibilium. Secundo contra hoc quod dicebant de veritate apparentium. Secunda ibi : *De veritate vero quod non*. Prima in sex secundum sex rationes, quas adducit ad propositum. Secunda ponitur ibi : *Et quidem est dubitatissimum*. Tertia ibi : *Sed hæc prætermittentes*. Quarta ibi : *Amplius autem dignum*. Quinta ibi : *Amplius autem palam*. Sexta ibi : *Etenim contingit*. In prima parte innuit talem rationem : Quicumque opinatur non esse quod non est, ille veram habet opinionem, et veram profert orationem, si hoc profert et enuntiat ; sed illud quod mutatur, dum mutatur, non est, nec illud a quo mutatur, nec illud ad quod mutatur; ergo aliquid vere potest opinari, et enuntiari de eo quod mutatur, scilicet quod non est, nec hoc, nec illud. Dicit ergo quod *nos autem dicimus ad hanc orationem* id est, opinionem ponentem, quod de eo, quod mutatur nihil potest vere dici, *quia permutans* id est, permutabile *dum permu-*

tat, id est quando permutatur, *habet quamdam orationem*, scilicet veram eis, scilicet secundum eos, scilicet *non existimari esse*, id est, quod non existimetur aliquid esse simpliciter, et ideo saltem quantum ad hoc erit aliqua fixa, et determinata veritas in rebus. Deinde cum dicit:

Et quidem est dubitatissimum, abjiciens enim habet aliquid ejus quod abjicitur, et ejus quod fit jam necesse aliquid esse omnino : Quia si corrumpitur, existet aliquid ens, et si fit ex quo fit, et a quo generatur, necesse est esse, atque hoc non esse in infinitum.

Al. a quo. Ponit secundam rationem, quæ talis est : Omne quod movetur habet aliquid de termino ad quem, quia ut sic partim est in termino a quo, et partim in termino ad quem, ut probatur 6. Physic. text. com. 7. et 87. unde ipsius facti, id est, ejus quod fit necesse est jam aliquid esse; ergo saltem hoc est verum determinate dicere et opinari de eo, quod movetur. Dicit ergo, quod supple, *Dubitatissimum est*, etiam contra eos, qui ponuntur de eo, quod movetur nihil vere posse dici : *nam permutans*, id est, permutabile *habet aliquid ejus, quod abjicitur*, id est, de termino in quem permutatur, et facti, id est, *ejus quod fit necesse est jam aliquid esse;* nam ut probatur 6. Physic. text. com. 52. et circiter, omne quod fit fiebat, et ante omne fieri præcedit factum esse, et omnino *si corrumpitur, aliquid existet*, id est, erit aliquid ens; quia supple si omnino non esset, jam non esset in corrumpi, sed in corrupto esse; similiter et si fit, id est, si aliquid generatur, *necesse est esse, et illud ex quo fit*, id est materia, et a quo generatur, id est, generans, *et hoc non esse in infinitum*; probatum est enim secundo hujus, text. com. cap. 5. et inde, quod nec in causis materialibus, nec efficientibus est processus in infinitum. Patet igitur ex prædictis, quod de eo, quod movetur, potest aliquid opinari et enuntiari; tum quia in omni eo, quod movetur, et generatur et corrumpitur, est aliquid de utroque termino; tum quia in omni generatione et motu oportet ponere subjectum, et agens generans vel movens. Deinde cum dicit :

(Margin: Posse aliquid opinari de eo quod movetur. — Al. a quo.)

Sed hæc prætermittentes illa dicamus, quia non est idem permutare secundum quantitatem, et secundum qualitatem. Secundum quantitatem quidem igitur fit idem non manens, sed secundum speciem omnia cognoscimus. 73.

Ponit tertiam rationem, quæ recte obviat causæ motivæ dictæ opinionis.

Ad cujus evidentiam notandum, quod dicti Philosophi ponentes omnia sensibilia continue moveri, movebantur ex rebus, quæ augentur; videntes enim, quod aliquid per multum tempus, puta per biennium crescit secundum modicam quantitatem, crediderunt quod motus aucti esset continuus, ita quod quantitas secundum quam fit augmentum, divideretur proportionabiliter secundum partes temporis sic, ut in qualibet parte temporis fieret augmentum alicujus quantitatis, cujus proportio esset ad totam quantitatem, sicut proportio partium temporis ad totum tempus; sicut igitur iste motus est insensibilis, ita similiter putaverunt, quod omnia quæ videntur quiescere moventur continue, licet motu in-

(Margin: Nota de motu augmenti. Quære 2. d. 2. q. 91 — Opinio ponens omnia sensibilia continue moveri.)

sensibili, sive imperceptibili. Ista autem opinio de motu augmenti, scilicet quod sit continuus, falsa est, sicut ostendit Philosophus 8. Physic. text. c. 13. ponens exemplum de gutta aquæ cavante lapidem; nam licet gutta ultima quodammodo in virtute præcedentium amoveat partem lapidis, non tamen dicendum quod ista amotio fieret in toto tempore præcedenti, quo cadebant guttæ præcedentes, licet tunc fieret ista dispositio ad amotionem, vel cavationem, quæ fit per ultimam guttam. Similiter in proposito secundum, Philosophum ibidem non est imaginandum si aliquid crescit secundum aliquam quantitatem, puta per palmum in aliquo tempore, puta in biennio, quod ille motus augmenti fiat continue in toto illo tempore modo prædicto; sed fit dispositio in tempore aliquo præcedenti, et quod in ultimo illius temporis fit augmentum quantitatis; concesso tamen, quod ita esset de motu augmenti, sicut ipsi opinantur, non tamen sequitur ita esse in omni motu. Dicit ergo Philosophus contra eos, quod *prætermittentes hæc quæ* dicta sunt, *ita dicamus, quia*, scilicet, *non idem* dicimus, *permutare secundum quantitatem, et secundum qualitatem*, nam isti motus alteri sunt; *ergo secundum quantitatem si non manens*, id est, non sit quiescens illud quod augetur secundum quantitatem, *sed tamen secundum speciem*, id est, qualitatem, vel formam, *omnia cognoscemus*. Vult dicere quod licet concedatur eis, quamvis sit falsum quod motus secundum quantitatem sit continuus in rebus, tamen secundum qualitatem, vel formam non oportet omnia continue moveri; quare, cum res magis sit cognoscibilis per suam formam quam per suam quantitatem, sequitur quod cognitio determinata haberi poterit de rebus. Deinde cum dicit:

Quomodo guttæ cavant lapidem.

Amplius autem dignum est increpare sic existimantes, quod sensibilium in minoribus numerum scientes sic habentem de toto cœlo similiter enuntiaverunt. Nam circa nos sensibilis locus, in generatione et corruptione perseverat solum ens. Sed iste, ut dicatur nulla pars est omnis; quare justius utique propter illa hoc reveriti fuissent, quare propter hoc de illis erraverunt.

Text. com. 13.

74.

Ponit quartam rationem dicens, quod *amplius dignum est increpare*, id est, contemnere, *sic recipientes*, id est, opinantes, scilicet, quod *quia in minoribus numerum sensibilium scientes sic habentem*, scilicet naturam; *similiter et de toto cœlo enuntiaverunt*, id est, quod isti renuendi sunt ex hoc, quod omnia sensibilia putabant continue moveri ex hoc, quod numerum paucorum sensibilium invenerunt sic se habere; cum tamen multa sensibilia, scilicet corpora cœlestia sint immobilia, præterquam motu locali; *nam locus sensibilis circa nos*, id est, sensibilia quæ sunt circa nos in loco sive sphæra activorum et passivorum, *existit ens solum in generatione et corruptione;* sola enim sensibilia, quæ sunt in isto loco sunt generabilia et corruptibilia; *sed iste* locus, *ut ita dicatur est nulla pars omnis*, id est, universi, id est, quod nihil est respectu universi; *quare justius est, ut propter illa hoc reveriti fuissent*, quam propter hæc illa dijudicaretur, id est, quod quia omnia

Præpostere discurrunt, qui ex mobilitate paucorum sensibilium, inferunt omnia similiter moveri.

corruptibilia sunt, quasi nihil respectu illorum sensibilium incorruptibilium, ideo stultum videtur de tota natura sensibilì judicare propter ista pauciora; unde intolerabilius esset, quod tota natura sensibilis dijudicaretur propter ista pauciora, quam quod fiat e converso.

Nota de quantitate terræ, et numero sensibilium inferiorum.

Notandum, quod ista sensibilia, quæ sunt circa nos dicuntur esse nihil, non simpliciter, sed respectu universi et corporum sensibilium, quæ sunt maxime quantitatis; ideo ait Aristoteles ut ita dicatur locus iste nulla pars omnis, id est, universi, et hoc sic patet; nam sicut probant Astrologi, tota terra se habet sicut centrum respectu cœli ultimi; respectu cujus, ut dicunt, non habet sensibilem quantitatem, quod probant ex hoc, sicut patet in tract. de sphæra c. 1. quia sex signa Zodiaci apparent semper super terram, quod non esset si aliquam partem notabilem cœli ipsa terra nobis occultaret; quando ergo dicit Philosophus sensibilia, quæ sunt circa nos esse minora et pauciora secundum numerum, videtur loqui impropric de numero, quia secundum dicta, illa paucitas accipienda est pro parvitate quantitatis continuæ, et non pro paucitate numerali; vel forte posset dici, quod etiam ista sensibilia inferiora sunt pauciora illis secundum numerum, si numerentur omnes cœli et omnes circuli sphærarum, puta omnes deferentes, et æquantes et epicycli, omnes etiam stellæ, quæ sunt innumerabiles; sic etiam forte sensibilia illa sunt plura istis etiam secundum numerum. Deinde cum dicit :

Quære Ptolemæum primo Almagesti.

Amplius autem palam, quia et ad hos eadem olim dictis dicemus; quod enim est immobilis natura quædam ostendendum ipsis, et credendum eis.

Ponit quintam rationem dicens, 75.
quod *amplius palam quia ad hos*, id est, contra hos, *dicemus eadem dictis olim*, id est, ea quæ supradicta sunt in hoc eodem 4. lib. scilicet quod est quædam natura immobilis, scilicet natura moventis primi; *nam quia est quædam natura immobilis, dicendum est*, supple contra eos, *et eis credendum est*, id est, quod ipsi debent hoc credere tanquam probatum, scilicet in 8. Physic. text. com. 45. et inde, quare falsum est dicere omnia esse in continuo motu, et quod nihil possit de rebus vere enuntiari, sive opinari. Deinde cum dicit :

Equidem contingit simul dicentibus esse et non esse, quiescere magis dicere omnia quam moveri; non enim est aliquid in quod permutetur, nam omnia sunt omnibus.

Dicentes omnia moveri, destruunt opinionem, contradictoria esse simul vera de eodem.

Ponit sextam rationem dicens, quod supple, ista positio, qua dicunt omnia moveri, repugnat illi quæ ponit, scilicet contradictoria de eodem esse simul vera; nam *dicentibus idem simul esse et non esse, contingit dicere omnia quiescere magis quam moveri, non enim est illud in quod aliquid permutatur;* nihil enim permutatur ad quod jam sibi inest, nam habitibus præsentibus cessat motus et generatio, ut dicitur 1. de Generatione, text. com. 55. *omnia autem insunt omnibus*, si idem contingat esse simul et non esse, ut superius ostensum fuit, quia omnia essent unum. Ita igitur po-

sitio videtur a seipso dissonare et repugnare. Tunc sequitur illa pars:

SUMMARIUM.

Probat septem rationibus non omne apparens esse verum. Quod hîc tangit Doctor, sensum non decipi, intellige circa proprium objectum, positis requisitis et ablatis impedimentis, de quo vide eum q. 10. de Anim. et ibi commentarium concl. 5. De deceptione sensus, et qualiter corrigitur per intellectum, vide eumdem 1. d. 3. q. 4. n. 11. Quod ait etiam text. 25. in fine, sensum non esse reflexivum, vide tractatum q. 9. de Anim. in comment.

Text. com. 24. De veritate autem, quod non omne apparens verum primum quidem, quia neque sensus falsus proprii est, sed phantasia non idem sensui.

76. Hîc arguit contra antiquos quoad veritatem apparentium. Ubi Philosophus disputat contra hoc, quod dicebant de veritate apparentium. Circa quod duo facit: quia primo disputat contra illos, qui ex aliqua dubitatione, vel ratione in dictam opinionem devenerunt. Secundo contra illos, qui ex protervia in eamdem rationem inciderunt. Secunda ibi: *Sunt autem aliqui.* Prima dividitur in septem, secundum septem rationes, quas fabricat contra eos. Secunda ponitur ibi: *Deinde dignum.* Tertia ibi: *Amplius autem de futuro.* Quarta ibi: *Amplius autem in sensibilibus.* Quinta ibi: *Quorum in eodem tempore.* Sexta ibi: *Verum et hæc.* Septima ibi: *Et ex toto.* Dicit ergo, quod supple postquam ostensum est, quod non omnia sensibilia sunt in continuo moveri, nunc supple ostendendum est *de veritate, quia non omne apparens est verum.* Primum quidem, *quia sensus non est falsificabilis proprii* objecti, *sed phantasia quæ non est idem sensui.*

Certitudo. Notandum, quod sensus nunquam decipitur circa proprium objectum, ut objectum est, ut dicitur 2. de Anima, text. com. 63. sed bene phantasia, quæ non est idem sensui, sed est motus factus a sensu secundum actum, ut dicitur 2. de Anima, text. com. 160. Potest decipi circa objectum ex eo, scilicet quod ad phantasiam aliquando non recte perveniunt immutationes sensuum, propter aliquod impedimentum; diversitas ergo judicii, quæ accidit circa sensibilia, non provenit ex sensu, sed magis ex phantasia; quia igitur isti Philosophi hanc diversitatem judicii attribuebant sensui, secundum quam unus judicat sentire falsum de quo alius verum sentit, irrationabiliter fecerunt. Si vero dicatur, quod aliquando circa propria objecta accidat error sensus, dicendum est, quod supposita proportione objecti ad sensum, et distantia conveniente, et proportionato organo, et medio, talis error non est ex sensu sed a phantasia, ex cujus dispositione accidit aliquando, quod objectum sensus aliter percipiatur a phantasia quam a sensu, sicut patet de phreneticis habentibus læsum organum phantasiæ. Deinde cum dicit:

et deceptio sensuum. Vide 3. disp. 1. p. 4.

Error sensus circa proprium objectum provenit a phantasia non a sensu.

Deinde dignum mirari, si hæc dubitant: utrum tantæ sunt magnitudines et colores tales, quales a remotis videntur, aut quales de prope? et utrum qualia sanis, aut qualia laborantibus? Et graviora utrum qualia debilibus, aut qualia robustis? Et vera utrum qualia dormientibus, aut qualia vigilantibus? Quod quidem enim non putant palam. Nullus ergo si putaverit se de nocte Athenis esse ens in Lybia, vadit ad Lyceum.

Ponit secundam rationem dicens, quod *dignum est mirari si hic*, supple 77.

77. Agens quanto remotius agit,

tanto debilius.

aliqui quærunt, vel dubitant *utrum tantæ sunt mensuræ*, id est, quantitates, et *similiter colores utrum sint tales quales videntur a remotis, aut quales videntur propinquius*; constat enim quod virtus agentis pro quanto videtur remotius agere, tanto debilius agit, sicut ignis minus potest ignire remotus quam propinquus; magnitudines ergo, vel colores, tantæ vel tales sunt judicandæ, quantæ et quales videntur de propinquo, quia perfectiori modo immutant sensum de propinquo quam a remotis; similiter etiam mirum est, si aliquis dubitet utrum supple aliqua sunt *talia qualia videntur sanis, aut qualia laborantibus?* Constat enim quod sani recte judicant de sensibilibus, quatenus habent organa disposita et recipiunt immutationes sensibilium prout sunt, non sic est de infirmis propter causam oppositam, quatenus habent organa sensuum indisposita et infecta; similiter mirum est, si aliquis dubitet utrum supple *pondera sunt qualia videntur debilibus, aut qualia robustis.* Constat enim quod robusti verius judicant de ponderibus quam debiles; nam in debilibus est difficultas ad sustinendum pondus, non tantum ex magnitudine ponderis, sicut etiam in robustis, sed ultra etiam ex debilitate virtutis, unde etiam parva pondera videntur eis magna. Similiter mirum est si aliquis dubitet utrum, *vera sint qualia videntur dormientibus*, in quibus sunt ligati sensus, *aut qualia videntur vigilantibus?* Exponit autem quia mirum est si dubitant de prædictis, quia ex eorum actibus patet quod non dubitant, nec

Varietas judiciorum oritur ex varietate dispositionum.

opinantur omnia judicia esse æqualiter vera, ideo subdit : *nam quia non existimant*, id est, non sic opinantur *palam; nullus enim eorum si suscipit*, id est, opinatur, *de nocte esse Athenis ens in Lybia, vadit ad Lyceum.* Vult dicere, quod si aliquis existens in Lybia videretur in somnis sibi esse Athenis, surgens a somno non faceret talia, qualia faceret si in vigilia hoc vidisset; iret enim ad Lyceum, id est, ad quemdam locum sic dictum, qui est Athenis, si in vigilia se videret esse Athenis, quod non facit quando hoc solum in somnis videt. Ex quo patet quod non opinatur æqualiter esse verum, quod videtur dormienti, et quod videtur vigilanti. Similiter autem potest argui de aliis quæstionibus prædictis; licet enim de talibus quærant voce, de eis tamen non dubitant mente. Patet ergo quod ratio eorum nulla est, illa scilicet per quam ponunt omnia apparentia esse vera, ex eo scilicet quod contrariorum opinantium non potest judicari secundum eos quæ sit verior, ut superius dicebatur; hoc enim falsum est, ut patet ex nunc dictis. Deinde cum dicit :

Amplius autem de futuro, ut et Plato dicit, nequaquam similiter propria medici opinio, et ignorantes velut de futuro sanos fore, aut non de futuro. 78.

Ponit tertiam rationem dicens, quod *amplius ut dicit Plato, de futuro similiter non est propria*, id est, firma, vera et digna, *credi opinio medici*, scilicet experti in medicina, *et ignorantis*, scilicet medicinam *de* hoc *futuro* supple *infirmos fore sanos, aut non de futuro.* Ratio hujus est, quia medicus expertus cognoscens cau-

sas ægritudinis, potest judicare vere de sanitate futura, quod non potest imperitus et ignorans medicinam. Ex quo patet falsam esse opinionem, quæ dicit omnes opiniones æqualiter esse veras. Deinde cum dicit :

Text. com. 25. Amplius autem et in sensibilibus non similiter propria alicui et proprii aut propinqui, et ejus quod ipsius : sed de coloribus quidem visus, non gustus, de saporibus gustus, non visus.

Sensus non judicat de objecto alieno sicut de proprio.

Ponit quartam rationem dicens, quod *amplius in sensibilibus non est similiter propria*, id est, æqualiter vera cognitio *proprii* objecti et alieni, sicut non sic vere visus judicat de sono, sicut de colore ; *similiter non est* æqualiter vera cognitio sensus respectu *proprii objecti aut propinqui*, id est, proprii objecti, *et ejus quod ipsius*, id est, substantiæ quæ est objectum per accidens ; nam judicium sensus semper est verum de proprio objecto, sed est falsum quandoque de objecto communi, quod est magnitudo, et numerus et hujusmodi, quæ ponuntur secundo de Anima text. 64. et 65. et etiam de objecto per accidens quod est substantia, puta diarii filius ; decipitur etiam plus circa objecta aliena quæ sunt propria alterius sensus, et quantum ad hoc subdit, quod *de coloribus quidem visus* supple judicat vere, *non gustus, de saporibus gustus, non visus ;* ex quo patet quod dicere omnia judicia sensuum esse vera æqualiter, est omnino extra rationem. Deinde cum dicit :

79. Quorum unusquisque in eodem tempore circa idem nunquam dicit, simul ita et non ita habere ; sed nec in altero tempore circa passionem dubitavit, sed circa id cui accidit passio; dico autem puta idem quidem vinum videbitur utique, aut mutatum, aut corpore mutato, quandoque quidem esse dulce, quandoque autem non esse dulce, sed quod non dulce quale est, quando fuerit nunquam mutavit, sed semper de ipso verum dicit, et est ex necessitate futurum tale dulce.

Ponit quintam rationem dicens, quod *quorum*, scilicet sensuum, *quisque*, id est, quilibet, *nunquam in eodem tempore circa idem*, scilicet objectum, *dicit simul ita et non ita se habere ;* visus enim non dicit in eodem tempore aliquid esse simul album et non album ; sed *nec in diverso tempore circa passionem dubitavit*, id est, quod licet sensus in diversis temporibus videtur de eodem objecto opposita judicare ; tamen dubitatio nunquam accidit ex judicio sensus circa ipsam passionem sensibilem quæ est objectum ; *aut* pro sed, *circa quod*, id est, circa subjectum, *cui accidit passio ; dico autem veluti idem vinum videtur aut mutatum*, id est, quod idem eidem gustui aliquando judicatur esse dulce, aliquando non dulce, hoc est a mutato corpore, id est, organo gustus ; quod aliquando est infectum aliquo humore et sapore pravo, et sic quidquid gustat, videtur sibi non esse dulce ; *vel mutato corpore*, id est, vino ipso, quod est subjectum nunc dulcedinis, nunc acritatis, *sed non dulce quale est ; quando fuerit nunquam mutatur*, id est, quod nunquam gustus mutat judicium suum, quando dulce tale judicat quale percipit in objecto quin judicet ipsum esse dulce, unde subdit : *aut* pro sed, *sed semper de eodem dicit verum*, *et est ex necessitate futurum tale dulce*, id est, quod gustus de ipsa dulcedine semper verum dicit, et eodem modo. Ex quo patet quod si judi-

Sensum nunquam judicare contradictoria de eodem in eodem tempore.

cium sensus semper esset verum, ut ponebant isti, sequitur per necessitatem, quod dulce, sive natura dulcedinis sit talis, qualem judicat sensus gustus, et per consequens quod aliquid sit in rebus determinate verum; ulterius sequitur quod nunquam contradictoria sunt vera de eodem, quia sensus nunquam judicat aliquid simul esse album et non album, ut prædictum fuit. Deinde cum dicit:

80. Quamvis et hæc hæ rationes omnes destruunt, quemadmodum et substantiam non esse nullius, ita nec ex necessitate nihil; necessarium enim non contingit aliter, et aliter se habere. Quare et siquidem est ex necessitate, non habebit ita et non ita.

Al. unde et hæ, vel verum et hæ.

Ponit sextam rationem dicens, quod *omnes hæ rationes et* opiniones dictæ, *quemadmodum auferunt nullius esse substantiam*, id est, prædicatum substantiale ut præostensum fuit, ita ponunt *nunc ex necessitate esse nihil*, nec esse aliquod prædicatum necessarium; *necessarium enim est quod non contingit aliter se habere*, nam si omne quod est ita, et non ita, ut ponunt dicentes contradictoria, vel contradictorias opiniones esse simul veras de eodem, sequitur quod nihil erit necessarium, quin contingat aliter se habere; sed istud consequens est falsum, ergo et antecedens ex quo sequitur, ideo subdit: *quare et si quid est ex necessitate*, scilicet in rebus, *non se habebit ita et non ita*. Deinde cum dicit:

Totaliter quia si est sensibile solum, nihil utique erit solum non existentibus animatis, sensus enim non erit, neque igitur sensibilia esse, neque sensationes forsan verum; sentientis enim passio hæc est subjecta vero non esse quæ sensum faciunt, et sine sensu impossibile; non enim sensus suimet est, sed est aliquid alterum præter sensum, quod prius esse sensu est necesse; movens enim moto prius est natura, et utique si ad invicem dicuntur hæc ipsa, nihil minus.

Ponit septimam rationem, quæ sic formari potest: Si nihil est verum nisi ex hoc quod apparet sensui; ergo nihil est nisi ut est sensibile in actu; consequens est falsum, ergo et antecedens. Consequentia est evidens; falsitas consequentis patet ex hoc, quia tunc nihil esset nisi esset sensus, et per consequens nisi esset animal, quod est falsum; quia objectum sensibile cum sit movens sensum, est prius sensu, sicut omne movens est prius motu, prius autem in suo priori non dependet a posteriori, nec per consequens removetur ad remotionem posterioris, ideo dicit: et si supple dicta opinio vera esset, sequitur ex toto, id est, *universaliter quod si sensibile solum est*, id est, quod si nihil sit verum nisi ut sentitur, quod *nihil erit non existentibus animalibus animatis; sensu enim*, supple *non erit*, sine animali, *nam sensibilia*, scilicet in actu, *non esse sensibilia*, supple sine sensu, *forsan verum est*, nam esse sensibile in actu, *est passio sentientis*; certum est enim quod nihil actu sentitur sine aliquo actu sentiente; *subjecta vero*, id est, objecta, *quæ sensum faciunt*, scilicet in actu, *non esse sine sensus est impossibile*, si supple accipiantur non ut actu sentiuntur, sed ut sunt in potentia, ut sunt possibilia sentiri, quod sic patet, *quia sensus non est suimet*; non enim sensus est potentia reflexiva, ut sentiat seipsum, *sed est aliquod*, scilicet objectum diversum, *præter sensum, quod*

Al. totaliter.

Posset hic inferri quod sensus non est potentia reflexiva.

necesse est esse prius sensu, movens enim prius est natura moto; addit autem, quod *si ad invicem dicantur,* id est. quod licet movens et motum ad invicem referantur, et per consequens videantur simul esse; nihilominus eadem sequuntur quantum ad propositum, quod scilicet (Forte Philosophus accipit hic prioritatem naturæ pro prioritate originis.) movens prius sit moto quantum ad suum esse absolutum; licet enim movens et motum, sensibile et sensus semper referantur proportionabiliter accepta, puta sensibile in potentia, ad sensum in potentia, et sensibile in actu ad sensum in actu, et e converso, et per consequens ut sic sunt simul natura; tamen non sequitur quod si sensus non sit actu, quod sensibile non sit in actu essendi, cum quo actu essendi stat quod non sit sensibile in actu, sed tantum in potentia, ut nullo visu existente nix esset alba, et per consequens visibile esset quantum est de se.

SUMMÆ SECUNDÆ

CAP. IV.

Contra sustinentes ex protervia, omnia apparentia vera esse,

SUMMARIUM.

In toto capite tradit qualiter obviandum iis, qui in opinionem de contradictoriis simul veris, ex protervia inciderunt, et refutantur duplici ratione. Concludit ergo impossibile esse contradictoria esse simul vera.

Text. com. 26. Sunt autem quidam qui dubitant hoc persuasorum, et has rationes solum dicentium; quærunt enim, quis est qui judicat sanum, et omnino circa singula recte judi-
81. cantem? Tales vero dubitationes similes sunt dubitationi : utrum dormimus nunc, aut vigilamus. Possunt autem dubitationes omnes tales idem omnium enim rationem hi dignificant esse, principium enim quærunt; et hoc per demonstrationem accipere, quicumque quidem non persuasi sunt et manifesti, sunt in actibus. Sed quod diximus hæc ipsorum passio est, rationem enim quærunt quorum non est ratio; demonstrationis enim principium non est demonstratio. Hi quidem igitur facile hoc credent, est enim nom difficile sumere.

Postquam Philosophus disputavit contra eos, qui ex dubitatione, (Via. 2. principaliter contra ponentes apparentium veritatem.) sive ex aliqua ratione in opinione de veritate apparentium devenerunt, nunc disputat contra eos qui in eadem opinione ex protervia inciderunt. Circa quod duo facit. Primo facit quod dictum est. Secundo epilogat circa determinata. Secunda ibi : *Ergo quoniam quidem igitur.* Prima in duas, quia primo exponit eorum positionem. Secundo subjungit eorum improbationem. Secunda ibi : *Si autem non omnia.* Prima in duas, quia primo ponit eorum motivam responsionem sive rationem, cujus etiam falsitatem tangit. Secundo exponit eorum intentionem. Secunda ibi : *In sermone autem.* Dicit ergo quod supple præter illos, qui in dictam opinionem inciderunt, *sunt aliqui qui interrogant persuasos,* id est, deceptos in his, scilicet opinionibus, ut supple eos retineant in deceptione, *et has solum* supple *rationes habent* pro confirmatione suæ (Evasio antiquorum proterva.) opinionis, has inquam rationes quæ dicentur; nam supple si eis dicatur quod de contrariis opinionibus sit magis credendum sanis quam infirmis, et sapientibus quam insipientibus, et vigilantibus quam dormientibus; *quærunt enim quis est qui convalescentem judicat, et omnino judicantem recte circa singula,* id est, quærunt quomodo posset discerni

certitudinaliter sanus ab infirmo, sapiens ab insipiente, et vigilans a dormiente, et sic breviter in *omni diversitate* opinionum quis eorum sit qui recte judicat, nam aliquis videtur sapiens quibusdam, qui ab aliis insipiens existimatur; similiter est de aliis prædictis : *tales vero* supple, *dubitationes*, supple sunt irrationabiles : *nam similes sunt illi*, scilicet dubitationi, *utrum dorminus nunc, vel vigilamus ; omnes autem tales dubitationes valent idem*, quatenus ex eadem radice procedunt; *hi* enim *dignantur esse*, id est, tanquam dignam volunt *esse omnium rationem*, id est, demonstrationem, *quærunt enim principium*, scilicet demonstrationis, *et illud accipere scilicet per demonstrationem,* quod tamen est impossibile; quoniam ergo *quod non persuasi sunt,* id est, mente de veritate opposita, *manifesti sunt in actibus* suis, *secundum quod diximus*, nam ut prædictum fuit, oppositum faciunt his quæ dicunt; nam alia et alia faciunt, et secundum judicium et habitum dormiendo, vel vigilando ; *hæc autem est passio eorum*, scilicet infirmitas, quia *rationem,* id est, demonstrationem, *quærunt quorum non ratio, nam illius quod est principium demonstrationis non est demonstratio. Hoc igitur hi facile credent*, id est, quod est satis facile ad credendum ; est enim *non difficile sumere*, supple per demonstrationem hoc quod dicitur; ars enim demonstrandi ostendit omnium non esse demonstrationem ad vitandum processum in infinitum in demonstrationibus ; hoc autem utrum nunc dormiamus vel vigilemus, et utrum simus sani vel infirmi, est per se notum, et oportet supponere sicut principium demonstrationis. Deinde cum dicit :

Protervo nunquam persuadetur.

Non omnium esse demonstrationem hic ostendit.

In sermone autem vim solum quærentes impossibile quærunt; contraria namque dicere dignificant statim contraria dicentes 82.

Exponit eorum intentionem, dicens quod *illi qui quærunt vim in sermone solum*, id est, quod non moventur ex aliqua ratione nec difficultate alicujus dubitationis, sed solum innituntur verbis, putantes se omnia posse dicere, licet ea probare non possint, et hoc dicunt propter proterviam ; isti, inquam, *quærunt impossibile, contraria namque dicere dignantur recte contraria dicentes*, quia intendentes, et volentes contraria simul esse vera, dicunt recte contrariam repugnantiam et contrarietatem in sua positione implicantes, ut patet jam ex dictis, et patebit jam ex dicendis. Deinde cum dicit :

Omnia æque dicere videtur protervo sibi licere.

Si autem non omnia sunt ad aliquid, sed quædam sunt et ipsa secundum se; non utique est omne quod apparet, nam quod apparet, alicui apparet. Quare qui dicit omnia quæ apparent esse vera, omnia quæ sunt facit ad aliquid. Propter quod et observandum vim in sermone quærentibus, simul autem et sustinere sermonem dignificantibus quod non apparet est, sed quod apparet,cui apparet, et quando apparet, et inquantum, et ut. Si autem sustineant, quidem sermonem, non sic autem sustineant, accidit ipsis contraria cito dicere; contingit enim eidem secundum visum mel apparere, gustui vero non. Et oculis duobus existentibus non eadem utique visui si sint dissimiles. Quoniam ad dicentes propter olim dictas causas quod apparet verum esse; et propter hæc omnia similiter esse falsa et vera. Neque enim omnibus eadem apparere contingit. Neque ipsi semper eadem, sed multoties contraria secundum idem tempus; tactus enim duo dicit in digitorum variatione, visus autem unum, sed non quidem idem, et secundum idem sensui, et similiter, et in eodem tem-

Text. com. 27. pore. Quare hoc utique erit verum, sed forsan propter hoc necesse dicere his, qui non propter dubitationem, sed orationis causa dicentibus quod hoc non est verum, sed huic verum.

Ponit prædictorum protervorum improbationem. Circa quod duo facit, quia primo ostendit quomodo eis obviandum sit apparenter, quasi destruendo eorum positionem. Secundo qualiter obviandum sit eis existenter et secundum veritatem. Secunda ibi : *Et sicut prius dictum est.* Dicit ergo quod verum pro sed, id est, non omne quod apparet esse verum, sit verum, *si non omnia sunt ad aliquid, sed quædam secundum* se et absoluta, *nam quod apparet, alicui apparet,* et ideo hoc, quod est apparere, includit relationem quamdam; quia qui dicit, omnia quæ apparent esse vera, facit omnia quæ sunt, id est, *omnia* entia esse ad aliquid, id est, relativa, scilicet in respectu ad sensum vel opiniones, quod supple est falsum, scilicet omnia formaliter esse relativa, et nihil esse formaliter absolutum; *quapropter* quærentibus, id est, prædictis Philosophis, *qui* quærunt *vim in sermone ; similiter quoque, et sermonem dare dignantibus*, id est, si aliquis dignetur eis concedere sermonem, id est, opinionem quam *ipsi* ponunt, *custodiendum est eis,* id est cavendum, quia scilicet *non apparens est; sed apparens cui apparet, et quando, et ubi*, id est, quod non debent concedere absolute quod omne apparens sit verum, sed solum illi cui apparet et quando et ubi apparet; hoc enim est esse verum secundum quid, non simpliciter. Cujus rationem subdit, scilicet quod ita respondendum sit, dicens, verum pro sed; *sed qui dant,* id est, qui concedunt sermonem simpliciter concedentes omnia apparentia esse vera; et non ita dant, id est, concedunt supple cum determinationibus supradictis, *accidit enim statim dicere contrarium*, id est, concedere contraria esse simul vera : *contingit enim eidem secundum visum,* supple *mel apparere*, vel forsan propter similitudinem coloris, puta quia est rubeum; *gustui vero,* supple non apparet illud esse mel propter dissimilitudinem saporis; et similiter, *oculis existentibus duobus,* et diversis, *non eadem est visio,* utrique, *sed sunt dissimiles* quandoque, puta si aliquando unus oculus sit infectus aliquo humore infecto et nigro, alter vero humore puro; per oculum infectum apparebunt omnia nigra, non autem per alterum. Subdit autem causam, quare hoc quod dictum est sit observandum et custodiendum. Causa enim hujus ad ipsos dicentes verum esse, quod apparet propter jam dictas causas, quia propter hoc omnia dicunt simul esse vera et falsa, quod non omnibus eadem apparent, nec eidem semper eadem; sed multoties contraria etiam secundum idem tempus, et hoc supple secundum diversos sensus, ut prædictum est. Patet etiam, quod visus judicat esse unum, tactus autem duo, ut patet in digitorum variatione; lapillus enim unus duobus digitis inconflexis apparet esse duo secundum tactum, unus autem secundum visum, aut pro sed, sed nullatenus eidem, et secundum idem sensui; et similiter in eodem tempore videtur, quod hoc sit verum, id est, quod licet secundum diversos sen-

Hic obviat apparenter protervis antiquorum.

Vide 3. q. 5. et 1. d. 2. q. 5.

Quare oculus aliquando judicat omnia esse nigra, vel alterius coloris cujus non sunt?

sus appareant hominibus contraria, non tamen eidem homini et secundum eumdem sensum; et similiter in eodem tempore videtur quod hoc sit verum, scilicet contraria simul esse; addit autem, *quod forsan illud erat necesse dicere*, id est, respondere sic dictis Philosophis, *dicentibus hoc non propter dubitationem, sed orationis causa*, id est, propter protervia m, quia hoc non est verum, scilicet simpliciter; sed hoc est verum secundum quid, quia scilicet quod hoc videtur uni, potest alteri non videri verum; sed hæc non sunt contradictoria, quia hoc concesso non sequitur contraria, vel contradictoria esse simul vera. Deinde cum dicit :

83. Et sicut prius dictum est, necesse ad aliquid facere omnia, et ad opinionem, et sensum. Quare non factum est, nec erit nihil, nullo præopinante. Si vero factum est, aut erit, palam quia non erunt omnia ad opinionem.

Hic obviat existenter protervìæ antiquorum.

Ostendit qualiter prædictis Philosophis sit obviandum existenter, et secundum veritatem. Circa quod duo facit, secundum quod duas rationes adducit contra eos. Secunda ponitur ibi : *Amplius si unum*. Dicit ergo quod *sicut prius dictum est, necesse est facere omnia ad aliquid*, scilicet *ad opinionem et ad sensum*, si supple quod apparet, *verum* sit, ex quo sequitur, *quod non factum est, nec erit nihil nullo præopinante*, vel ut habet alia littera, *nec erit nullius præopinantis*; accipit enim genitivum pro ablativo more Græcorum qui carent ablativo; *si vero* hoc supple est falsum et est verum quod *aliquid factum est*, et erit, nullo scilicet præopinante palam, *quia non erunt omnia ad aliquid*, scilicet ad opinionem et ad sensum. Posito enim per impossibile vel possibile quod nullus esset sensus vel opinio, nihilominus multa essent facta et fierent, et forte ita est de facto, quod multa sunt in universo quæ nunquam fuerunt cognita per sensum, puta quæ sunt in profundo maris vel circa centrum terræ. Deinde cum dicit :

Forte multa sunt sensibilia nunquam cognita per sensum.

Amplius si unum ad unum, aut ad determinatum. Et si idem et dimidium et æquale, sed non æquale ad duplum, neque dimidium ad æquale ad opinans; itaque si idem est homo, et opinatum non est homo opinans, sed opinatum. Si vero unumquodque fuerit ad opinans, ad infinita erit specie opinans.

Ponit secundam rationem, dicens, *Amplius quia unum ad unum refertur tantum*, non ad quodcumque unum, sed *ad determinatum*, quod patet, quia *si idem est dimidium et æquale, non dicitur ad duplum inquantum æquale, sed inquantum dimidium; verum si idem homo sit opinatum et opinans*, non *dicitur opinans* ad idem inquantum homo, *sed inquantum opinatum*, id est, quod similiter si idem homo qui est opinans, sit etiam opinatus, non refertur homo ad opinans inquantum est opinans vel homo, sed inquantum est opinatus, *si vero unumquodque fuerit ad opinans, ad infinita specie erit opinans*, id est, quod si omnia entia inquantum sunt hujusmodi, referuntur ad opinans, inquantum est opinans, sequitur quod ipse opinans non sit unum, cum ad unum tantum referatur, sed erit infinita specie, cum infinita ad ipsum referantur, quod est evidenter impossibile. Ex quo patet quod falsum est, quod omnia ad opinans referantur, et per conse-

quens quod omne illud sit verum quod apparet.

Unum referri ad unum vel plura qualiter contingit. Vide q. 12. Quodlibeti, et in prædicamentis, cap. de relatione.

Notandum, quod qualiter verum sit, quod unum ad unum tantum referatur, dicetur in quinto in capitulo, de ad aliquid, quia hoc verum est quod primo et per se unum ad unum tantum refertur; pro nunc vero ratio Philosophi intendit quod secundum illos omnia entia essent formaliter ad aliquid, et sicut entia specifice distinguuntur, sic et relationes haberent specifice distingui; et ideo cum idem secundum eamdem relationem primo, et per se non possit referri nisi eidem secundum relationem, oporteret quod quot sunt species entium, tot essent relationes oppositæ in ipso opinante, et per consequens infinitæ, saltem quoad nos, et cum ipsum opinans esset etiam formaliter ad aliquid, sequitur quod non esset unum specie, sed quasi infinita specie, quod est evidenter falsum. Deinde cum dicit :

84. Quod quidem igitur firmissima opinio omnium non esse simul veras oppositas dictiones, et quid accidit ita dicentibus. et quare ita dicant, tot sunt dicta.

Infert conclusionem intentam.

Epilogat circa determinata, et facit duo : quia primo concludit conclusionem principalem. Secundo infert ex ea quoddam corollarium. Secunda ibi : *Quoniam autem impossibile*. Dicit ergo, quod *quia cunctorum est opinio firmissima*, quod inter omnes opiniones, ista est firmissima, scilicet *simul non esse veras oppositas dictiones*, id est, propositiones sive contradictiones ; *quæ etiam accidit ita dicentibus*, scilicet contradictoria simul esse vera, *et quare ita dicunt*, id est, quæ fuerit eorum causa motiva ad sic dicendum, *tot dicta sunt*. Deinde cum dicit :

Quoniam autem impossibile est contradictionem simul esse veram de eodem, palam quia nec contraria simul inesse eidem contingit ; contrariorum enim alterum est privatio non minus ; substantiæ autem privatio negatio est ab aliquo determinato genere.Si igitur impossibile est simul affirmare, et negare vere ; impossibile et contraria simul inesse nisi, aut aliqua ex parte ambo, aut alterum quidem aliqua ex parte, alterum vero simpliciter.

Contraria non insunt eidem simpliciter, et simul, nec inesse possunt.

Infert quoddam corollarium ex conclusione nunc conclusa dicens : *quoniam impossibile est contradictionem simul esse veram de eodem*, ut nunc dictum fuit statim. *Palam quia nec contingit contraria simul eidem inesse*, cujus causam subdit : *etenim* pro quia, *alterum contrariorum est privatio, non autem substantiæ privatio*, id est, quod licet privatio sit quædam negatio substantiæ, *ab aliquo determinato genere*, id est, in aliquo subjecto determinato, vel in aliquo determinato genere, quatenus privatio est negatio infra genus, ut dictum fuit supra in hoc eodem quarto, nihilominus tamen sicut est in aliis oppositis, sic est in contrariis, quia alterum contrariorum includit privationem, sive negationem alterius, licet aliquid positive addat ultra privationem ; alterum enim contrariorum est imperfectius altero, et ex hoc habet annexam alterius privationem ; *si igitur impossibile est affirmare simul et negare vere*, sequitur quod *impossibile est contraria simul inesse*, quatenus unum dicit privationem sive negationem alterius, ut dictum est, tamen possibile est ambo contraria inesse simul non simpliciter, sed quandoque, vel quo, id est secundum quid ; vel

alteram quandoque, vel quo, id est secundum quid, alterum vero simpliciter. Exemplum primi, si aliquid sit album secundum unam partem, et nigrum secundum alteram, tunc enim ambo contraria insunt eidem non simpliciter, sed secundum quid, sicut patet in scuto cujus medietas est alba, et medietas nigra. Exemplum secundi, quando alterum contrariorum inest secundum plures partes, vel principaliores, alterum vero secundum aliquam partem, minus principalem, sicut patet de Æthiope, qui niger est simpliciter, albus autem secundum quid, hoc enim duplici modo inesse contraria eidem non est inconveniens; simpliciter autem inesse eidem ambo contraria, vel ambo contradictoria, est omnino impossibile.

Nota limitationem inhærentiæ simul eidem contrariorum duplicem.

SUMMÆ SECUNDÆ.

CAP. V.

Contra ponentes medium inter contradictoria.

SUMMARIUM.

In hoc capite primo refutat septem rationibus ponentes contradictoria esse simul falsa, ratione medii, quod inter illa ponunt. Secundo ponit motivum talis opinionis, et commune medium contra omnes opiniones prædictas, declarans etiam ad quas opiniones Philosophorum dictæ opiniones consequuntur.

85. At vero nec contradictionis medium esse contingit, sed necessarium, aut dicere, aut negare unum de unoquoque. Palam autem primum definientibus quid verum et quid falsum. Dicere namque ens non esse, aut non ens esse falsum; ens autem esse et non ens non esse verum. Quare et dicens esse, aut non esse, verum dicet aut mentietur, sed neque dicit ens non esse aut esse, neque non ens.

Postquam Philosophus disputavit contra ponentes contradictoria simul esse vera de eodem, et per consequens negantes illud principium primum, quod impossibile est idem simul esse, et non esse, nunc disputat contra ponentes contradictoria simul esse falsa ratione medii, quod ponunt inter contradictoria, et per consequens negantes illud principium : De quolibet est affirmatio vera, vel negatio. Circa quod duo facit. Primo enim disputat contra ipsorum positionem. Secundo contra motivum positionis. Secunda ibi : *Evenit autem quibusdam.* Prima in septem secundum quod septem rationes adducit ad propositum. Secunda ibi : *Amplius autem medium.* Tertia ibi : *Amplius autem omne intellectuale.* Quarta ibi : *Amplius præter omnes.* Quinta ibi : *Amplius in quibuscumque.* Sexta ibi : *Amplius autem in infinitum.* Septima ibi : *Amplius autem quando.* Dicit ergo, primo quare nec inter contradictionem esse contingit, scilicet medium ; *sed necessarium est, aut dicere,* id est, aut affirmare, *aut negare unumquodque de unoquoque,* vel unum de quocumque *palam est, primum quidem definientibus,* scilicet nobis *quid verum et quid falsum,* nam ex definitione veri et falsi patebit propositum. Unde subdit definitiones veri et falsi dicens, quod falsum *est dicere ens non esse, quod est; aut non ens esse,* id est esse, *quod non est; verum autem est dicere ens esse,* id est quod est; *et non ens non esse,* id est quod non est; aut non esse verum dicet, aut mentietur, aut supple si dicet verum non dicit ens, id est

Hic disputat contra ponentes contradictoria esse simul falsa.

Al. intelligibile.

Inter contradictoria non dari medium.

Definitio veri, et falsi.

quod qui dicit verum non dicit non esse, quod est; aut esse quod non est, sed supple oppositum; qui autem dicit falsum, patet ex prædictis, quod vel dicit non esse quod est, vel esse quod non est. Ex quibus definitionibus patet, quod qui dicit verum oportet, illud esse verum, si dicit illud esse, et non esse si dicit illud non esse; similiter patet, quod qui dicit falsum, oportet illud esse, si dicit illud non esse, et oportet illud non esse, si dicit illud esse; ergo per necessitatem erit vera affirmativa vel negativa, quod negat qui inter contradictoria ponit medium; quia tunc nec affirmatio, nec negatio esset de necessitate vera, sed possent ambæ esse falsæ. Deinde cum dicit :

Amplius autem medium erit contradic-
tionis, quemadmodum pallidum albi et
nigri, aut quemadmodum neutrum homi-
86. nis et equi. Siquidem igitur sic non per-
mutabitur, nam ex non bono in bonum
permutatur, aut ex bono in bonum, nunc
autem non semper videtur. Non est enim
permutatio nisi in contraria et media ; si
autem est medium et sic utique erit aliqua
in album non ex non albo generatio, nunc
autem non videtur.

Ponit secundam rationem, quæ sic formari potest: si inter contradictoria est medium, ergo nihil omnino contingit mutari; consequens est falsum, ergo et antecedens. Probatur consequentia sic, quia

Medium duplex.

medium inter aliqua dupliciter contingit esse : uno modo quando medium participat aliqualiter utrumque extremorum, et est ejusdem generis cum extremis. Alio modo accipitur medium per abnegationem extremorum, et est alterius generis ab extremis. Exemplum primi, ut rubeum est medium inter album et nigrum. Exemplum secundi, ut asinus potest dici medium inter equum et hominem, quia nec est homo, nec est equus. Si secundo modo sit medium inter contradictoria, patet quod tollitur mutatio inter ea, quia omnis mutatio est inter ea, quæ sunt ejusdem generis, et oportet prius per medium transire. Si primo modo, sequitur quod sit motus ad album, et non erit ex non albo, quia non tantum est motus ab extremo in extremum, sed etiam ex medio ad extremum ; hoc autem videtur inconveniens, quod sit motus ad album, qui non erit ex non albo. Dicit ergo, quod *amplius* si supple inter contradictoria sit medium, aut tale medium contradictionis erit ; *quemadmodum viride* est medium *albi et nigri*, quod est medium ejusdem generis cum extremis; *aut quemadmodum medium hominis et equi*, quod est medium per negationem utriusque, et alterius generis ab extremis; ergo si sic est isto secundo modo, sequitur quod aliquid non mutatur, quod sic probat : *Nam* omne quod permutatur aut *permutatur ex bono in non bonum ;*

Termini primi motus qui ?

aut ex hoc scilicet *ex non bono in bonum*, omnis enim permutatio est aliqualiter inter contradictoria, vel privative opposita; nam termini primi omnis mutationis sunt habitus et privatio; unde cum est mutatio inter contraria, alterum contrariorum includit negationem, sive privationem alterius. *Nunc autem*, supple si isto modo ponatur medium inter contradictoria, *non*

apparet, scilicet quando sit mutatio ex non bono in bonum, vel e converso, *non enim est permutatio nisi inter contraria, et media*, quæ scilicet sunt ejusdem generis, quia omnis mutatio est ab extremo in extremum, vel in medium ejusdem generis; sed si inter contradictoria non fit transitus per medium, sequitur quod non poterit esse mutatio ab extremo contradictionis in medium, quod ponitur esse alterius generis, nec per consequens ab extremo in extremum; sed si est medium inter contradictoria primo modo, scilicet medium ejusdem generis participans naturam utriusque extremi, sequitur quod esset generatio in album et non album: *sic quod erit aliqua generatio in album non ex non albo, nunc autem non videtur*, quod aliqua generatio terminetur ad album, quæ non fiat ex non albo; nam tale medium ponitur esse neutrum inter duo extrema, scilicet quod nec est album, nec est non album. Deinde cum dicit:

87. Amplius autem omne intellectuale, et intelligibile mens aut affirmat, aut negat; hoc autem ex definitione palam est, cum verum dicit, aut mentitur. Quando autem sic componit dicens, aut negans, verum dicit, quando autem non sic, mentitur.

Al. intellectuale. Ponit tertiam rationem dicens: *omne intelligibile*, id est, omne quod intelligit, aut sentit *aut affirmat, aut negat, hoc autem est palam ex definitione*, scilicet veri et falsi: *quia verum dicit, aut mentitur*, sive affirmet scilicet, sive neget, *quandoquidem* intellectus *sic componit dici*, id est, *affirmans, aut negans*, sicut supple est in re, *verum dicit, quando vero non sic, mentitur;* ex quo patet, quod oportet affirmationem vel negationem esse veram, sicut deductum fuit in prima ratione, quæ non videtur ab ista differre multum, et sic inter contradictoria non est medium aliquod. Deinde cum dicit:

Al. dicens.

Amplius præter omnes oportet esse contradictiones nisi orationis causa dicatur; quare et nec verum dicet aliquis, nec non verum dicet, et præter ens et non ens erit, quare et præter generationem et corruptionem transmutatio quædam erit.

Ponit quartam rationem, dicens quod amplius si medium est in contradictione, oportet hoc dicere in omnibus contradictionibus, scilicet quod præter omnes contradictiones sit aliquid verum, quod est medium inter eas: *nisi dicas causa orationis*, id est, ex protervia et absque omni ratione, quia sic dicere placet; quare sequitur supple quod cum verum et non verum sint quædam contradictoria, erit aliquid *quod non est verum nec falsum*, quod patet esse falsum ex definitione veri et falsi superius posita. Similiter sequitur, quod *præter ens et non ens erit* aliquid, cum ens et non ens sint contradictoria; *quare sequitur quædam etiam transmutatio præter generationem, et corruptionem;* nam cum generatio sit ad esse, et corruptio sit ad non esse, esset quædam tertia transmutatio ad illud medium inter esse et non esse, quod videtur absurdum. Deinde cum dicit:

Vide Scot. instantiam. 8. d. 4. et 36. d. 1.

Amplius in quibuscumque generibus negatio, et contrarium insunt, et in his erit, ut in numeris, neque impar, neque non impar numerus erit, sed impossibile, ex definitione vero palam.

Ponit quintam rationem dicens, quod *amplius in quibuscumque generibus negatio et contrarium inest*, vel infert secundum aliam litteram, id est 88.

quod in omnibus generibus, vel saltem in quibusdam negatio inest, vel ponitur loco contrariæ differentiæ, et erit in eodem genere cum altero contrariorum; nam contraria sunt in eodem genere, et per consequens negatio, quæ accipitur loco contrariæ differentiæ erit in eodem genere, si inter affirmationem et negationem est aliquod medium, *et in* omnibus *his erit,* scilicet medium, *ut in numeris erit aliquis numerus neque par, neque impar;* Par et impar quid ? *sed palam est ex definitione* paris et imparis hoc esse impossibile; nam par numerus dicitur, qui potest dividi in æquales partes; impar vero, qui sic non potest dividi; unicuique videtur non posse sumi medium; ergo nec erit medium inter affirmationem et negationem. Deinde cum dicit :

Amplius in infinitum vadet, et non solum ἡμιόλια quæ sunt erunt, sed plura. Iterum enim est hoc negare ad dictionem et negationem, et hoc erit aliquid, nam substantia est quædam ipsius alia.

89. Ponit sextam rationem, quæ ducit ad duplex inconveniens, dicens quod *amplius autem* si supple inter affirmationem et negationem sit dare medium, sequitur quod *non solum ea quæ sunt erunt* ἡμιόλια, id est, sesquialtera proportione sed plura, *et in infinitum vadet.* Vult dicere quod ponentes medium inter affirmationem et negationem, habent ponere quoddam tertium præter illa duo, inter quæ secundum aliquos alterius opinionis non est medium; tria autem ad duo se habent in sesquialtera proportione. Secundum ergo opinionem eorum, qui ponunt inter affirmationem et negationem medium in primo aspectu, apparet quod omnia erunt in sesquialtera proportione ad ea, quæ ponuntur ab aliis alterius opinionis; quia non solum erunt affirmationes et negationes, sed etiam media earum, et hoc est primum inconveniens. Secundum inconveniens est, quod erunt plura in infinitum, nam omne quod contingit affirmare, contingit et negare; sed contingit affirmare ista tria esse scilicet affirmationem, et negationem, et medium, ergo contingit et negare; quia igitur negatio est aliud ab affirmatione, sequitur quod erit quoddam quartum præter illa tria; erit enim substantia ejus et ratio alia a prædictis, sicut ratio negationis est alia ab affirmatione, ideo subdit quod *iterum enim erit hoc negare ad dictionem,* Hic sequitur quod negatio dicat aliam formalitatem ab affirmatione. id est, ad affirmationem *et negationem,* et hoc erit supple quartum : *nam substantia quædam est ipsius alia,* scilicet a tribus prædictis; similiter contingeret negare illa quatuor, et illa negatio esset quoddam quintum, et sic in infinitum, quia essent plura quam modo ponantur in infinitum, quod est secundum inconveniens. Deinde cum dicit :

Amplius interrogante si est album, dicit quia non nihil aliud negavit quam ipsum esse, negatio vero est quæ non esse.

Ponit septimam rationem quæ stat in hoc, quia si aliquis interroget aliquem, utrum cygnus, vel aliquod aliud sit album, vel non, per necessitatem vel respondens assentit quod sic, vel non; si consentit, ergo concedit affirmationem veram esse; si non assentit, patet quod negat illud quod interrogans

interrogavit; ergo respondens necessario habet concedere affirmationem vel dare negativam, et per consequens inter ista non est medium. Dicit ergo, *amplius quoniam interroganti si est aliquid* supple *album dicens*, id est, respondens quod non, *nihil aliud negavit quam ipsum esse*, de quo scilicet interrogans interrogavit; *negatio vero* ista, scilicet quam respondens dat, *est non esse*, quia scilicet negat illud album esse. Deinde cum dicit :

90. Text. com. 28. Venit autem hæc opinio quibusdam, sicut et aliæ inopinabilium. Quando enim solvere non possunt orationes contentiosas; annuentes orationi, confirmant verum esse quod est syllogizatum. Ili quidem igitur propter talem causam dicunt, illi vero propter omnium rationem inquirere.

Secunda via contra ponentes contradictoria esse simul falsa. Declarat motivum hujus positionis. Circa quod tria facit. Primo enim præmittit motivum hujus positionis. Secundo subjungit motivum et principium procedendi contra eos. Tertio exponit aliquas opiniones Philosophorum dictam opinionem sequentium. Secunda ibi : *Principium autem ad hos.* Tertia ibi : *Videtur autem Heracliti.* Dicit ergo, quod *ista opinio evenit quibusdam, sicut et aliæ inopinabilium,* id est, sicut aliæ opiniones de numero inopinabilium hoc modo quo dicetur, et ponit duas causas: prima est, quia *quando* aliqui *non possunt solvere orationes contentiosas*, id est, Sophisticas *annuentes orationi*, id est consentientes, *confirmant verum esse quod est syllogizatum*, id est, quod concedunt conclusionem Sophistice syllogizatam. Secunda causa est, quam subdit : dicit igitur, *propter talem causam,* quæ scilicet dicta est, *dicunt*, scilicet aliqui dictæ opinionis, *illi vero* id est, alii *propter omnium rationem quærere* probantem de omnibus, quam igitur probare non possunt, nolunt concedere, sed negant. Deinde cum dicit :

Principium autem ad hos omnes ex definitione, definitio vero fit ex ipso significare aliquid necessarium esse. Ratio namque, cujus nomen est signum, definitio fit.

Describit modum, sive principium procedendi contra eos, qui sic de primis principiis opinantur, dicens quod *principium ad hos omnes*, id est, contra omnes istos, sumitur *ex definitione* veri et falsi; *definitio enim fit ex ipsis significare aliquid necessarium esse*, id est, quod necessarium est eis concedere rerum definitiones, si concedant nomina aliquid significare. *Ratio namque cujus nomen est signum definitio fit ;* si vero supple negent nomen aliquid significare isti, sicut dictum fuit, non differunt a plantis, nec est cum eis loquendum, neque disputandum. Deinde cum dicit :

Videtur autem Heracliti quidem ratio dicentis omnia esse et non esse, omnia vera facere. Quæ vero Anaxagoræ esse aliquid medium contradictionis, quare omnia falsa. Nam quando miscentur, nec bonum, nec non bonum est mixtum, quare nihil dicitur verum.

Exponit ad quas opiniones Philosophorum dictæ opiniones consequuntur. Dicit ergo, quod *videtur oratio*, id est, opinio *Heracliti dicentis omnia esse et non esse, et omnia* esse in continuo moveri, ista inquam opinio videtur esse ad quam sequitur una positio jam dicta; nam si omnia moventur, et per consequens contingit idem simul esse et non esse, quatenus omne quod movetur habet non esse admixtum

cum esse, sequitur quod omnia sint vera, quæ fuit una opinio de prædictis; *quæ vero est Anaxagoræ*, id est, opinio Anaxagoræ ponit *aliquid esse medium contradictionis, quare* sequitur secundum eum *omnia esse falsa;* fuit enim opinio Anaxagoræ, sicut patet primo Physicorum, text. 32. et inde, et dictum fuit etiam in primo hujus, quod quodlibet fit ex quolibet, et quodlibet est in quolibet; quod autem est sic permixtum, non est aliquod extremorum, ideo subdit : *nam quando miscentur*, scilicet omnia secundum eum, illud *mixtum nec est bonum, nec est non bonum, quare nihil contingit dicere verum*, sed omnia esse falsa propter medium contradictionis; nam si illud mixtum nec est bonum, nec est non bonum, nec est dulce, et sic de aliis contradictoriis, sequitur quod erit quoddam medium inter contradictoria, et per consequens, sequitur nihil esse verum, sed omnia falsa esse, nam secundum veram opinionem, nihil ponitur nisi affirmatio vel negatio; si igitur tam affirmatio quam negatio ponitur esse falsa, per consequens omnia falsa erunt, etc.

Sequitur ex opinione Anaxagoræ omnia esse falsa.

SUMMÆ SECUNDÆ.

CAP. VI.

Non omnia esse falsa, nec omnia vera. Item non omnia quiescere, nec etiam omnia moveri.

SUMMARIUM.

In hoc cap. usque ibi : *Palam autem*, refutat asserentes omnia esse simul vera, et falsa, quatuor rationibus, excludens quamdam falsam responsionem.

Determinatis autem his, palam quod uno modo dicta, et de omnibus, impossibile est esse sicut quidam dicunt. Hi quidem nihil dicentes verum esse, nihil enim prohibere dicunt sic omnia esse, sicut diametrum commensurabilem esse, illi vero omnia vera ; fere namque ipsis rationes eædem Heraclito, nam qui dicit quod omnia sunt vera et omnia falsa, et seorsum dicit rationem utramque ; quare si sunt impossibilia illa, et hoc impossibile est. 91.

Postquam Philosophus disputavit contra ponentes contradictoria simul esse vera, et contra ponentes inter contradictoria esse medium, et per consequens posse simul esse falsa; nunc disputat contra quosdam errores annexos, et prædictis opinionibus communicantes.

Ad cujus evidentiam notandum, quod error qui est circa esse et non esse, accidit circa verum et falsum, cum verum et falsum habeant definiri per esse et non esse, ut patet ex prædictis; verum autem et falsum supponuntur et considerantur a Logico, qui versatur circa entia rationis; verum autem et falsum propositionis (de quo modo est sermo) sunt in mente, ut dicitur 6. hujus text. com. 8. Iterum ex errore circa esse et non esse, accidit error circa motum et quietem, nam quod movetur ut sic, quodammodo non est; nam motus est actus entis in potentia, 3. physic. text. com. 6. et inde, quod vero quiescit ut sic quodammodo est. Improbatis ergo erroribus circa esse et non esse, nunc improbat istos errores consequentes, et primo errores circa verum et falsum, quæ sunt de consideratione Logici. Secundo improbat errores circa motum et quietem, qui sunt de

Verum et falsum definiuntur per esse, et non esse.

Errores de vero et falso.

consideratione Physici. Secunda ibi : *Palam autem quia nec.* Prima in duas, quia primo præmittit opiniones falsas circa verum et falsum. Secundo subjungit earum improbationes. Secunda ibi : *Amplius autem.* Dicit ergo quod definitis, id est, *determinatis his quæ dicta sunt palam quod impossibile est esse, sicut quidam dicunt*, scilicet quod univoce dicta, id est, uno modo opinandum sit de omnibus, ut scilicet omnia sint similiter falsa, et similiter omnia vera, *sicut quidam sunt dicentes nihil verum esse*, sed supple omnia falsa ; *nihil enim prohibere dicunt sic omnia esse, sicut diametrum esse commensurabilem*, quod est manifeste falsum, et sic dicunt omnia esse falsa. *Illi vero*, id est, alii *dicunt omnia esse vera, et hæ namque orationes*, id est, opiniones *sunt fere eædem ipsius Heracliti*, id est, quod consequuntur ad opinionem Heracliti, ut prædictum fuit, qui dixit idem simul esse et non esse, ad quod sequitur omnia esse vera et falsa; subdit autem, *nam qui dicit quod omnia sunt vera et omnia falsa*, et hoc supple simul, *et seorsum dicit orationem utramque horum; quare si illa sunt impossibilia, et hoc impossibile esse*, hoc est, quia forte enim aliquis diceret, quod præter etiam duas opiniones dictas, est etiam tertia, scilicet quod omnia sunt simul vera vel falsa; ad quod quasi tacite respondens dicit, quod qui hoc ponit, utrumque prædictorum ponit, quia si illa sunt impossibilia, necesse est et illud esse impossibile, id est, illam tertiam opinionem. Deinde cum dicit :

Al. simul.

92. Amplius autem evidenter contradictiones sunt, quas non est possibile simul esse vera, nec falsas omnes, et hoc quidem putabitur magis contingere ex dictis.

Impugnati dictorum errorum.

Subjungit improbationes dictarum opinionum. Circa quod quatuor facit, secundum quod quatuor rationes adducit ad propositum. Secunda ibi : *Sed ad omnes.* Tertia ibi : *Amplius si omne.* Quarta ibi : *Accidit itaque.* Dicit ergo, quod *amplius autem palam, quia sunt aliquæ*, scilicet *contradictiones, quas non est possibile simul esse veras, nec simul esse falsas;* sicut supple sunt verum et non verum, ens et non ens, *et hoc etiam putabitur magis contingere ex prædictis*, id est, quod est manifestum ex prædictis. Si igitur in istis contradictionibus necesse est alteram partem esse veram, et alteram partem esse falsam, patet quod nec omnia sunt vera, nec omnia sunt falsa. Deinde cum dicit :

Sed ad omnes tales orationes oportet quærere quemadmodum in superioribus sermonibus dictum est, aut esse aliquid, aut non esse, sed significare aliquid. Quare ex definitione disputandum, accipientes quid significat esse verum aut falsum.

Si autem nihil aliud verum dicere quam negare falsum, impossibile omnia falsa esse, est enim necesse contradictionis partem alteram esse veram. Text. com. 29.

93. Modus co… vincen… negante… prima pr… cipia.

Ponit secundam rationem dicens, quod *ad omnes tales orationes*, id est, opiniones *oportet quærere quemadmodum in superioribus dictum est*, supple concedendum *esse aut aliquid esse, aut non esse*, id est, aliquam propositionem affirmativam, vel negativam; quia ut supra dicebatur, hoc videretur petere principium, sed hoc supple oportet petere et concedere, nomen *aliquid significare;* quo concesso, scilicet *ex definitione* veri et falsi, *oportet* disputare, scilicet contra eos *accipientes quid significet*

verum et falsum, id est, definitionem veri et falsi, nam ratio quam significat nomen est definitio ut prædictum fuit; *sed si nihil aliud est verum quam dicere*, id est affirmare, *et falsum nihil aliud est quam negare*, et iterum supple, falsum non est aliud quam affirmare illud quod negare, verum est, et e converso, sequitur quod *impossibile est omnia falsa esse*, *est enim contradictionis alteram partem necessario esse veram.*

Verum quid, falsum quid.

Notandum, quod verum non est aliud quam dicere esse quod est, et non esse quod non est; falsum autem dicere esse quod non est, aut non esse quod est. Ex quo patet quod verum est dicere illud esse, quod falsum est dicere non esse, vel verum est dicere non esse, quod falsum est dicere esse; similiter autem falsum est dicere illud esse, quod verum est dicere non esse, vel falsum est dicere non esse, quod verum est dicere esse. Ex quo patet per definitionem veri et falsi, quod nec omnia sunt vera, nec omnia sunt falsa. Deinde cum dicit :

Amplius si omne, aut dicere, aut negare est necesse, utraque falsa esse impossibile est, altera namque pars contradictionis est falsa.

Altera pars contradictionis est vera.

Ponit tertiam rationem dicens, quod *amplius necesse est omne aut dicere*, id est, affirmare *vel negare*, ex eo scilicet quod superius probatum est non esse medium inter contradictionem, quia inquam sic est : *impossibile est utrasque*, scilicet partes contradictionis *esse falsas; altera namque pars contradictionis est falsa.* et altera supple vera; ex quo patet non omnia esse vera, nec omnia esse falsa. Deinde cum dicit :

Accidit itaque et famatum est de omnibus talibus orationibus, ipsas seipsas destruere, nam qui omnia vera dicit, orationis suæ contrariam veram facit, quare et suam non veram ; contraria enim non dicit ipsam esse veram. Qui vero omnia falsa et ipso seipsum.

Ad hunc textum est ultima q. lib. 4.

Ponit quartam rationem, circa quam sic procedit, quia primo ponit veram rationem. Secundo excludit falsam responsionem. Secunda ibi : *Sed si auferant.* Dicit ergo, quod *accidit etiam*, scilicet ad omnes dictas opiniones hoc inconveniens, scilicet *seipsas destruere, et hoc est famatum*, id est, famosum dictum de omnibus talibus opinionibus, scilicet orationibus, quod probatur sic : *nam qui dicit omnia esse vera, facit veram esse contrariam* suæ rationis, id est, opinionis, *quare ejus non veram; contraria enim non dicit eam esse veram,* id est, quod contraria suæ opinionis facit, quod sua opinio non est vera; ergo qui dicit illam contrariam esse veram, dicit suam opinionem non esse veram, quia destruit suam opinionem, et contradicit suæ opinioni; *qui vero dicit omnia esse falsa, et seipsum*, supple dicit se sic esse falsum, quare et iste sic contradicit sibiipsi. Deinde cum dicit :

Vide Scot. super lib. Elench. q. 52.

Si autem accipiat, hic quidem contrariam quod non vera sola est, ille vero suam propriam, quod non falsa ; nihilominus infinitas accidit ipsis petere orationes veras et falsas. Nam qui dicit veram orationem, verus est ; hoc autem in infinitum vadet. 94.

Excludit falsam responsionem : diceret enim aliquis forte, quod ille qui dicit omnia esse vera, excipit ab ista universalitate suam contra-

riam; similiter qui dicit omnia esse falsa excipit suam opinionem; hanc responsionem excludit dicens, *quod si auferant*, id est, si excipiant, *hic scilicet contrariam quidem suæ opinionis*, dicens illam *non veram solam*, ille qui scilicet ponit omnia esse vera; *ille vero*, qui ponit omnia esse falsa excipit, scilicet *suam propriam opinionem, quia non falsam;* si inquam sic dicatur, *nihilominus erit*, id est, continget eis quærere, id est, *repet re infinitas orationes veras et falsas, nam qui dicit unam orationem* esse veram, *hoc etiam in infinitum vadit;* vult dicere, quod si respondetur modo prædicto, sequitur quod continget eis repetere infinitas orationes veras et falsas, et hoc contra ponentes omnia esse vera et omnia esse falsa; si enim detur una opinio falsa, ut dicunt ponentes omnia esse vera, sequitur etiam infinitas esse falsas; similiter si detur una opinio vera esse, ut dicunt ponentes omnia esse falsa, sequitur etiam infinitas esse veras, quod sic patet, nam si ista opinio est vera, Socrates sedet, et ista erit vera, Socratem sedere est verum; et si ista est vera, ista ulterius est vera, Socratem sedere est verum, et sic in infinitum; semper enim qui dicit de oratione vera, quod vera sit verum est, et verum dicit; similiter qui dicit de oratione falsa, quod sit falsa, falsum est, et hoc potest procedere in infinitum, puta qui dicit orationem falsam esse veram, falsum est et falsum dicit, et sic ulterius in infinitum. Deinde cum dicit :

SUMMARIUM.

Non omnia semper moveri, nec semper quiescere, nec omnia aliquando moveri, nec omnia aliquando quiescere; quæ omnia Doctor clarissime exponit.

Palam autem hoc, quia nec qui omnia quiescere dicunt, vera dicunt, nec qui omnia moveri. 95.

Improbat errores circa motum et quietem, et primo errorem dicentium omnia moveri semper, vel omnia quiescere semper. Secundo errorem dicentium omnia aliquando moveri non semper, vel aliquando quiescere non semper. Secunda ibi : *Sed nec omnia*. Prima in duas, quia primo ponit erroneam opinionem. Secundo subjungit ejus improbationem. Secunda ibi : *Nam si quiescant*. Dicit ergo, quod ex prædictis est manifestum, quod nec opinio dicens omnia moveri, nec opinio dicens omnia quiescere, vera est. Deinde cum dicit :

Nam si quiescunt omnia, semper hæc vera, et falsa erunt. Videtur autem hoc transmutatum ; nam qui dicit aliquando ipse non erat, et iterum non erit.

Opinio humana transmutatur, quia accidens non est stabilius subjecto.

Improbat dictum errorem, et primo quantum ad unam partem, vel opinionem quæ scilicet ponit omnia quiescere. Secundo quantum ad aliam, quæ ponit omnia moveri ibi : *Si vero omnia*. Dicit ergo, quod *si omnia quiescunt*, sequitur quod *omnia erunt semper vera et falsa*, id est, sequitur quod quidquid est verum, semper est verum, et quidquid est falsum, semper sit falsum ; nam posito, quod omnia quiescant, nihil movebitur a sua dispositione in qua est; illud autem antecedens est falsum, ideo subdit, quod *vide-*

tur hoc transmutatum, id est, quod veritas vel falsitas propositionis transmutatur; nec hoc est irrationabile, quod opinio vel propositio transmutetur, *nam etiam, qui dicit*, id est, homo qui opinatur vel profert propositionem, *ipse aliquando non erat, et iterum aliquando non erit;* si igitur ipse homo opinans, vel proferens propositionem mutatur, quia aliquando non est, quid mirum si ipsa opinio vel propositio mutetur? Deinde cum dicit :

Si vero omnia moventur, nihil erit verum ; ergo omnia falsa ; sed hoc ostensum est quia impossibile est.

Improbat secundam partem, vel secundum errorem, qui ponit omnia moveri semper, per duas rationes, quarum secunda ponitur ibi : *Amplius ens*. Dicit ergo, quod *si vero dicatur, quod omnia semper moventur*, sequitur quod *nihil erit verum*, sed omnia erunt falsa, cujus ratio est, quia omne quod movetur, ut sit, nondum est, quod autem verum est, jam est; *sed ostensum est* supra scilicet quod *hoc est impossibile*, scilicet omnia esse falsa, et nihil esse verum. Deinde cum dicit :

96. Amplius ens permutari est necesse ; nam ex aliquo in aliquid est permutatio.

Quod mutatur, vel movetur manet sub utroque termino.

Ponit secundam rationem, dicens quod *amplius necesse est ens unum permutari*, id est, quod omne quod permutatur est ens; *nam permutatio est ex aliquo in aliquid* ita scilicet quod subjectum motus habet aliquid de utroque termino, et manet idem sub utroque terminorum; quare quod mutatur, est aliquid manens, quare non omnia moventur. Deinde cum dicit :

At vero nec omnia quiescunt, aut moventur aliquando, semper autem nihil. Etenim est aliquid quod semper movet, quæ moventur, et primum movens immobile ipsum.

Improbat errorem dicentium omnia aliquando moveri, non semper, vel omnia aliquando quiescere non semper; ideo dicit, *quod nec hoc supple*, est verum quod *omnia quiescant, aut moveantur aliquando, semper autem nihil*, supple movetur vel quiescit; *sunt enim quædam quæ semper movent mota*, ut sunt corpora cœlestia, et *est aliquod primum movens*, quod est idem *ipsum immobile*, scilicet quod est immobile semper idem manens, et hoc est primum movens.

Notandum, quod ut potest haberi ex loco isto, et magis expresse ex 8. physic. text. c. 22. et inde, hoc non est verum, quod omnia semper moveantur, cum sit dare aliqua immobilia; nec est verum, quod omnia semper quiescant, cum sit dare multa, quæ semper moventur; nec est verum, quod omnia aliquando quiescant, aliquando moveantur; nam est dare aliqua, quæ semper moventur et nunquam quiescunt, et aliqua quæ nunquam moventur; et est ista veritas, quod aliqua semper moventur, ut corpora cœlestia, et aliqua nunquam moventur, ut primum movens, quod est Deus, et etiam Intelligentiæ secundum viam Philosophi; aliqua autem sunt, quæ aliquando moventur, et aliquando quiescunt, ut omnia generabilia et corruptibilia, etc.

Aliqua semper quiescunt aliqua semper moventur.

FINIS TOMI QUINTI.

INDEX

THEOREMATUM

COLLATIONUM

TRACTATUS IMPERFECTI DE COGNITIONE DEI

QUÆSTIONUM MISCELLANEARUM DE FORMALITATIBUS

METAPHYSICÆ TEXTUALIS.

LIBRI I.

SUMMA I. DE NATURA ET PERFECTIONE METAPHYSICÆ.

SUMMA II. DE CAUSIS ET PRINCIPIIS RERUM SECUNDUM VARIAS ET REPUGNANTES INTER SE ANTIQUORUM OPINIONES.

SUMMA III. ANTIQUORUM OPINIONES DE RERUM CAUSIS, AC PRINCIPIIS, CONFUTANTUR.

LIBRI II.

SUMMA UNICA. DE SPECULATIONE VERITATIS.

LIBRI III.

SUMMA I. DUBITATIONES MULTÆ PROPONUNTUR.

Summa II. An unius Scientiæ sit speculari omnia genera causarum.

LIBRI IV.

Summa I. De quibus habeat prima Philosophia pertractare.

Summa II. De principiorum cognitione.

FINIS.

ERRATA.

Pag.	62 col.	2	lin. 13	princialep	principale
	85	2	48	cons tuunt	constituunt
	102	1	40	diritgi	dirigit
	203	2	32	appli at	applicat
	208	2	lin-ult	es -	esse
	211	2	in marg.	nihil habes	nihil habens
	292	1	28-29	anagum privative'otantum	analogum privative tantum
	293	1	15	Unde humanitasnno, est nisi	unde humanitas non est nisi
	355	1	12	renitus	penitus
	»	»	13	principiape	principiare
	366	1	34	po puoex	populo ex
	562	1	31	quod metaphysicam	quod ad metaphysicam
	590	1	1	is octonarium, ent	in octonarium, est